BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXXIX
E
9
NAPOLI

XXXIX
E.
9

T. LVCRETII CARI DE RERVM NATVRA, LIBRI VI.

A DION. LAMBINO MONSTROLIENSI, LITTERARUM *Græcarum in vrbe Lutetia doctore Regio, olim locis innumerabilibus ex auctoritate quinque codicum manuſcriptorum emendati, ac ferè redintegrati, & præterea breuibus, ac perquàm vtilibus commentariis illuſtrati: nunc ab eodem recogniti, & longè meliores facti, planéque iam in ſuam priſtinam integritatem reſtituti: cum iiſdem commentariis, plus quarta parte auctis.*

ACCESSERVNT HÆC PRÆTEREA,

Vita Lucretij, eodem Lambino auctore.

PRÆTER *eũ indicẽ, qui in omnibus aliis libris antè impreſſis poni ſolitus eſt, omnium rerum, quæ à Lucretio ſingulis libris tractantur, ac diſputantur, capita continens,* Indices *alij duo,*

VNVS, *rerum, quæ ſunt in contextu Lucretij, & vocũ, elocutionúmque ferè omnium Lucretianarum:*

ALTER, *earũ rerum, quæ ſunt in commentariis Lambini.*

Collegij Nolani

Societatis Jesu. Cat.o inscriptus

Jul.: a Neap:

1619

Βασιλεῖ τ' ἀγαθῷ, κρατερῷ τ' αἰχμητῇ.

LVTETIAE, anno CIↃ. IↃ. LXX.

Apud Ioannem Bene natum.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

IO. AVRATVS, POETA REGIVS, IN Lucretium à Dionyſ. Lambino reſtitutum.

Immortalia ſi mortalibus ex elementis,
Non eſt, vt poßint vlla ratione creari:
Mentis opuſque tuæ ſunt carmina, docte Lucreti,
Quæ tu de rerum natura pangere pergis:
Miror, te mortalem animi ſtuduiſſe probare
Mentem, talia quæ ſcripta immortalia condat.
Nam ſi quas maculas iniuria temporis (vt fit)
Chartis fortè tuis alleuerat: ilicet, illas,
Vt quondam Cicero, ſic nuper mente ſagaci
Detergens Lambinus, in antiquúmque nitorem
Carmina reſtituens, docuit viuacius eſſe
Mente nihil, ſcriptis dare quæ ſit idonea vitam.
Denique qui poßit non immortalis haberi
Vis animi, quæ immortalem dat carmine famam.
Atque ſibi, atque aliis, ubi vt olim, clara propago.
Memmi cuius adhuc per carmina vatis amici
Gloria viua viget magè, quàm per clara tropæa,
Aut tabulas pictas, aut erepta vrbibus æra.
Nunc certè tanto pòſt tempore Memmius alter,
Qui ſua gentili cognomina comprobat arte,
Ipſe colens muſas, illáſque colentibus æquus,
Nominis immortale decus ſibi ſentit oriri,
Atque alij pariter, quibus, ô Lambine, labores
Ipſe tuos in reſtituendo vate vetuſto
Conſumtos, immortali cum laude dicaſti,
Æternum æterni monumentum, & pignus amoris.
Atque animi ſimul æterni, ſenióque carentis
Argumentum ingens contra facunda poëtæ
Dicta, magis, quam niſa bona ratione, fidéque.
Sed nos ingenij miremur acumina, linguæ
Flumina miremur: pietas ſua fœdera ſeruet.

DIONYSIVS LAMBINVS

KAROLO NONO, REGI Chriſtianiſſimo, S. D.

SI QVOD eſt in his paucis ſcriptorum veterum, tamquam ex naufragio reliquiis, litterarum genus, Karole, Rex Chriſtianiſſime, vnde multę, magnæque vtilitates ad nos permanarint, poëmata ſunt. Poëtæ enim, qui iidem philoſophi fuerunt, primos illos homines rudeis, impolitos, feros erudierunt, expoliuerunt, à feritate ad hunc humanum, & ciuilem victum, cultúmque traduxerunt. Iidem & melius, quàm plerique minuti philoſophi, virtutis pulchritudinem deſcripſerunt, eiúſque amore nos inflammarunt, & grauius à vitiorum turpitudine nos abſterruerunt: iidem non, vt hiſtorici, ex veris rerum geſtarum narrationibus, ſingulariúmque perſonarum dictis, factis, euentis: ſed philoſophorum more, rebus veriſimilibus excogitatis, perſonis fictis, caſibus cuique perſonæ conſentaneis ad extremum ſubiunctis, nos & præceptis vtiliſſimis inſtituerunt, & moribus optimis imbuerunt. Cùm autem poëtarum non ſit vnum genus: alij enim ſunt epici, alij tragici, alij comici, alij lyrici ac melici, alij dithyrambici, alij iamborum, & elegorum, & epigrammatum ſcriptores, & ſi qui ſunt alij: omnium & vetuſtiſſimi, & laudatiſſimi ſunt epici. Philoſophi enim, & theologi illi antiqui res tum diuinas, tum humanas eas, quibus hominum vita exculta, & ad humanitatem conformata eſt, heroo potiſſimùm carminis genere perſecuti, poſteris tradiderunt: quo in numero ſunt apud Græcos Orpheus, Muſæus, Homerus, (nam ſuperiorum, non ſolùm ſcripta, verùm etiam nomina, temporis diuturnitas obliuione ſempiterna obruit, penitúſque deleuit) Heſiodus, Tyrtæus, Phocylides, Xenophanes, Pythagoras, Empedocles, Parmenides, aliíq; complures: apud Latinos Ennius, Furius, Lucretius, Varius, Virgilius. Epicos ſubſecuti ſunt tragici, qui clarorum virorum, publicarúmque perſonarum actiones, atque euentus numeris & modis imitantur: quo in genere ſunt AEſchylus, Sophocles, Euripides, Pacuuius, Actius: comici, qui obſcurorum, & priua-

torum hominum vitam, facta, caſus exprimunt: quales ſunt Eupolis, Cratinus, Ariſtophanes, Menander, Epicharmus, Cæcilius, Plautus, Terentius: Dithyrambici, qui in Bacchi numine prædicando, laudibúſque efferendo, atque in eius rebus geſtis, ac victoriis canendis toti ferè ſunt occupati: quorum omnium primum Glaucum quendam fuiſſe ab Herodoto traditum eſt: iamborum ſcriptores, qui in eos, à quibus læſi ſunt, acerbius inuehuntur: vt Archilochus, Hipponax, & interdum Catullus, & Horatius: elegorum opifices, quo in numero ſunt Callimachus, Mimnermus, Philetas, Tibullus, Propertius, Ouidius: Horum igitur omnium cùm epici, meo quidem iudicio, plurimùm proſint, longéque ceteris auctoritate antecellant: hi ſtudioſè nobis ſunt legendi. In epicis porrò non eos tantùm numerandos eſſe duco, qui res fortiter, & præclarè geſtas, belláque cecinerunt, vt Homerus, Apollonius, Ennius, Varius, Virgilius, Lucanus: aut qui de agricultura ſcripſerunt, vt Heſiodus: aut qui de piſcibus, & venatione, vt Oppianus: verùm etiam, multóque adeò magis eos, qui rerum cauſas occultas, atque à natura inuolutas longis verſibus explicarunt, vt Empedocles, & Lucretius: & qui de affectibus animi comprimendis, de virtutibus expetendis, de vitiis fugiendis heroïco carmine præcepta reliquerunt, vt Pythagoras, vt Phocylides, vt Horatius. Nam cùm è rerum naturalium cognitione, morúmque ac virtutum explicatione homines efficiantur neſcio quo modo maiores, atque elatiores: & cùm ex vtraque re animi magnitudo contra fortunæ impetus, rerúmque humanarum imbecillitatem: fortitudo contra mortis timorem, temperantia contra libidinem, conſtantia contra ſuperſtitionem comparetur: poëtis autem hoc maximè propoſitum eſſe debeat, vt lectorem reddant meliorem: ſecundo loco, vt delectent: abſurdum ſit profectò eum, qui talia argumēta heroïco carmine pro rerum dignitate tractarit, indignum poëtę nomine iudicari: bellorum, aut rerum ruſticarum, & ſimilium ſcriptorem ſolum in poëtarum numero, cœtúque collocari. Magnopere etiam ab iis diſſentio, (quamuis graues ſint auctores) qui Empedoclem, & ceteros huius generis ſcriptores è poëtarum choro ſuſtulerunt, nihilq; eos neq; poëtæ proprium, neq; cum Homero commune, præter numeros, habere pronuntiarunt. iis libentius aſſentior, qui illum & philoſophum præſtan-

cem,& optimum poëtam fuiſſe cenſuerunt. Non enim poëſim imitatione ſola, ſed numeris, & figuris, & virtutibus poëticis metiendam puto: neque poëtam imitatorem quendam ſtatuo tantùm, ſed ingenio excellentem virum, & mente cõcitatum, & pæne dicam, diuinum: verbis non ſemper vtentem vſitatis, & popularibus, & de medio ſumtis: ſed interdum, & quidem ſæpius, nouatis, priſcis, longè arceſſitis: res magnas, res admirabileis, res abſtruſas, ac reconditas in lucem proferentem. Denique ei, cui ſit ingenium, cui mens diuinior, atque os Magna ſonaturum, do nominis huius honorem, vt iubet Flaccus. Verùm, dicet aliquis, hoc in Homero maximè laudabile eſt, quòd non ſolùm virtute præſtantium, fortiúmque virorum actiones honeſtas, & cum virtute coniunctas, ſed etiam improborum, ignauorum, amantium, libidinoſorum, iratorum, inuidentium, metuentium dicta, factáque optimè exprimit, atque ob oculos proponit: quod quando neque Empedocles, neque Lucretius facere curarunt, poëtarum nomen non merentur. Immò verò hoc ipſum eſt, quod in Homero reprehendunt cùm alij multi, tum philoſophorum princeps Plato: cúmque hoc nomine, neque in ciuitatem bene moratam, boníſq; legibus temperatã recipit: & ex ſua rep. non vi expellit ille quidẽ, aut ignominioſè exturbat, ſed certè verecundè deducit, atque honorificè dimittit. Quare non continuò ſi Empedocles, & Lucretius perſonarum ſic affectarum orationẽ, atque actionem non imitantur, poëtarum nomen eis adimere nos oportet. At Lucretius animorum immortalitatem oppugnat, deorum prouidentiam negat, religiones omneis tollit, ſummum bonum in voluptate ponit. Sed hæc Epicuri, quem ſequitur Lucretius, non Lucretij culpa eſt. Poëma quidem ipſum propter ſententias à religione noſtra alienas, nihilominus poëma eſt. tantúmne? immò verò poëma venuſtum, poëma præclarum, poëma omnibus ingenij luminibus diſtinctum, inſignitũ, atque illuſtratum. Haſce autem Epicuri rationes inſanas, ac furioſas, vt & illas abſurdas de atomorum concurſione fortuita, de mundis innumerabilibus, & ceteras, neque difficile nobis eſt refutare, neque verò neceſſe eſt: quippe cùm ab ipſa veritatis voce, vel tacentibus omnibus, facillimè refellantur. At debuit ingenij ſui vim ad modeſtiorem, probatioremque diſciplinam, atque ad grauius argumentum conferre. Debuit.

quis negat? Sed dolere, & queri hoc licet: corrigere non licet. At Epicurus, & Lucretius impij fuerunt. Quid tum poſtea? num iccirco nos quoque, qui eos legimus, impij ſumus? Primùm quàm multa ſunt in hoc poëmate cum aliorum philoſophorum ſententiis, ac decretis conſentanea? quàm multa probabilia? quàm multa denique præclara, ac propè diuina? Hæc ſumamus, hæc arripiamus, hæc approbemus. Illa, quæ ſunt commentitia, quæ abſurda, quæ cum religione Chriſtiana pugnantia, reiiciamus, aſpernemur, improbemus. Deinde adeóne faciles, & creduli ſumus, vt, quę ſunt à quibuſlibet ſcriptoribus memoriæ prodita, litteriſque mandata, ea vel tanquã ex Apollinis oraculo edita, vera eſſe iudicemus, vel tanquam ab Archimede deſcripta pro certis habeamus? Quòd ſi multa quotidie fabuloſa, incredibilia, falſa denique legimus, vel vt animos relaxemus, vel vt in iis, quæ ſine cõtrouerſia vera ſunt, libentius acquieſcamus, conſtantiúſque maneamus: quid eſt, quòd Lucretium, elegantiſſimum, cultiſſimúmq; poëtã, aſpernemur? Atqui non ita fuerunt nec ineptè religioſi, nec ſuperbè faſtidioſi, veteres illi Chriſtiani, ſanctiſſimi viri, Iuſtinus martyr, Gregorius Nazianzenus, Baſilius Magnus, Ioan. Chryſoſtomus, Clemens Alexandrinus, Athenagoras, Euſebius, Cyprianus, Tertullianus, Arnobius, Firmianus, Auguſtinus, Hieronymus, vt ſcriptorem, niſi Chriſtianum, & omni ex parte grauẽ, caſtum, ac verum, neminem lectione dignum iudicarẽt. Quin & Empedoclem, & Democritum, & Epicurum, & Lucretium, & ceteros philoſophos ac poëtas (vt oratores & hiſtoricos taceam) tum Græcos, tum Latinos, quamuis profanos, quamuis mendaces, quamuis impios, ſtudioſè legebant. Neque id temerè, aut fruſtrà. Nam quemadmodum apes ex ſingulis floribus, quod eſt ad mel conficiendum vtiliſſimum, atque aptiſſimum libare, ac depaſci conſueuerunt: quod eſt inutile, nõ attingunt, aut certè non deguſtant: ita ſanctiſſimi illi, & Chriſtianiſſimi homines ex poëtis Græcis ac Latinis, ex ſcriptoribus profanis, atque à pietate Chriſtiana remotiſſimis, quæ ad religionem noſtram propagandam, atque ornandam valere exiſtimarent, ea diligenter & accuratè carpebant, ac ſeligebant; quæ repugnare ſentirent, ea aut præteribant, aut reſpuebant. Quo maiore odio digni, grauiúſque vituperandi ſunt peruerſi quidam homines, qui non ita pridem, hac noſtra ætate, qua

ætate omnes honeſtæ diſciplinæ, omnes bonæ litteræ,multa ſæcula oppreſſæ, ac ſepultæ, aliquando tandem & Dei opt. max. benignitate, & Regis Franciſci I. aui tui,litterarum parentis,conſilio,ſtudio,atque opera reſtitutæ, atque inſtauratæ, oculos ſuſtulerunt,è tenebris emerſerũt, florere denique cœperunt:eius ipſiûs, à quo tantum beneficium accepimus, filio Errico I I. patri tuo perſuadere conati ſunt, vt ex tota Gallia litteras omneis exterminaret, funditúſque deleret. Quod quemadmodum ab optimo principe non potuerunt obtinere, ita neque abs te, eius filio, ingentis ſpei, & diuinæ indolis adoleſcente,vnquam obtinebunt. Namque vt clariſſimi quidam viri ſe tum paratiſſimos litterarum defenſores apud parẽtem tuum præbuerunt:ita & poſthac apud te, ſi opus erit, vel iidem illi earum patrocinium conſtantiſſimè ſuſcipient,vel alij illorum exemplum ſecuti, acerrimos ſe earundem patronos profitebuntur Sed(vt eò,vnde degreſſus ſum, reuertar) ſi ſcriptores omneis,qui religioni Chriſtianæ aduerſantur, reiiciendos, ac damnandos eſſe arbitramur: ne Plato quidem nobis erit attingendus:apud quem omnia ferè in vtramque partem diſputantur:qui vxores, & liberos vult eſſe communeis: hoc eſt,ſi verba ipſa ſpectemus, qui certorum, & ſtabilium matrimoniorũ vſum tollit:cuius dialogorum bona pars flagitioſis puerorum amoribus refetta eſt.Ne Ariſtoteles quidem lectione dignus erit:qui mũdum,vt numquam ortum eſſe,ita numquam interiturum putat:qui denique de animorum immortalitate videtur & à magiſtro ſuo Platone,& à nobis valde diſſidere,plurimúmque diſcrepare.Stoici,diligentiſſimi virtutis cuſtodes,acerrimíque vitiorum,& voluptatis hoſtes,nobis erunt mortis inſtar fugiendi.Deum enim, rerum omnium opificem, ſecundarum cauſarum vinculis deuinciunt:fati,& neceſſitatis legibus conſtringunt:omni denique agendi libertate à fato ſeparata ſpoliant.quod & à Dei natura eſt alieniſſimum,& à noſtra religione remotiſſimum. Verùm philoſophos omittamus. Homerus ipſe,qui propter excellentiam commune poëtarum nomen fecit ſuum,ſi in ſcriptore nihil, niſi ſincerum, caſtum, religioſum,pium probabimus,ſæpe nobis erit de manibus ponendus,atque abiiciendus.Quàm multa enim ſunt apud eum de Diis abſurda,eorúmque maieſtate indigna?quàm multa fœda,obſcæna, flagitioſa, turpia? (quamquam magna quædam,

& recōdita myſteria in huiuſmodi fabulis inuoluta deliteſcere non me fugit:quę non eſt huius loci aperire,aut explicare)ſed tamen cui ſunt illa inaudita? Iupiter ipſe, Deorum, atq; hominum rex,ſexcētis adulteriis, ſtupriſque nobilitatus? Ganymedes ab eodē propter formam raptus? Mars à Vulcano in adulterio deprehenſus? Mercurius Marti complexum Veneris inuidens,ſibíque talem amoris ſucceſſum exoptās? Iuno muliebri illo dolore ex Iouis incōtinētia ſuſcepto excruciata? Venus in prœlio à Diomede ſauciata? Thetis & Aurora Iouem pro filiis,ne in acie cadāt,deprecantes? Iam Heroïbus, & fortiſſimis totius Gręcię,atque Aſiæ viris quam perſonam imponit? quos mores attribuit? quam orationem affingit? iurgant inter ſe,cōuiciantur,maledicunt,libidine inflammantur,ira incendūtur, ægritudine contabeſcunt,plorant,lamentantur. Achilles Apollini minatur:cum Xantho fluuio decertare paratus eſt:iuuenibus Troianis captiuis crudeliſſimè interfectis Patroclo parentat. Eundem mortuum tantum vitæ deſiderium afficit:tantum mortis odium percipit,vt dicat, malle ſe ab inferis excitatum homini non admodum copioſo mercenariam operam præſtare,quàm mortuis omnibus imperare. noti quidem ſunt omnibus Homerici verſus,ſed eos tamen proferre nihil vetat.

Βουλοίμην κ' ἐπάρουρος ἐὼν θητευέμεν ἄλλῳ
Ἀνδρὶ παρ' ἀκλήρῳ, ᾧ μὴ βίοτος πολὺς εἴη,
Ἢ πᾶσιν νεκύεσσι καταφθιμένοισιν ἀνάσσειν.

Vlyſſes non viri fortis,non prudentis,non ſapientis,ſed verſuti,ſed malitioſi,ſed fallacis,ſed mendacis exemplar nobis ab illo proponitur. Idem apud Alcinoum ait nihil ſibi videri melius,nihil præſtabilius,nihil optabilius,quàm

Conuiuas lætos plenis accumbere menſis,
Cùm Cererem expediunt,& lauta obſonia comti
Hinc illinc pueri apponunt,& vina miniſtrant,
Et reboant citharis laqueata,auratáque tecta.

Vulgatiſſimi ſunt verſus,planè cum Ariſtippi, & Cyrenaïcorum ſententia congruentes.

Οὐδὲν ἔγωγέ τι φημὶ τέλος χαριέστερον εἶναι,
Ἢ ὅταν εὐφροσύνη μὲν ἔχῃ κατὰ δῆμον ἅπαντα,
Δαιτυμόνες δ' ἀνὰ δώματ' ἀκουάζωνται ἀοιδοῦ,

Ἥμενοι

Ἥμενοι ἑξείης, παρὰ δὲ πλήθωσι τράπεζαι
Σίτου καὶ κρειῶν, μέθυ δ' ἐκ κρητῆρος ἀφύσσων
Οἰνοχόος φορέῃσι, καὶ ἐγχείῃ δεπάεσσι.
Τοῦτό τι μοι ἥδιστον ἐνὶ φρεσὶν εἴδεται εἶναι.

Sed de Homero verecundius, parciúſque nobis erat dicendum. Veniamus ad tragicos, qui omnium manibus teruntur, qui aſſiduè leguntur, qui ediſcuntur. Primùm ipſa tragœdiarũ argumenta, partim tota ſunt atrocia, & ſcelerata, & impia: partim flagitioſa, & inceſta: partim incredibilia, atque abſurda: exempli gratia: liberi à matribus trucidati: matres à liberis interfectæ: viri ab vxoribus, adiuuante adultero, de medio ſublati: indomitæ, atq; effrenatæ mulierum libidines: filiorum cum matribus concubitus: nouercæ priuignorum amore flagrãtes: fratres mutuis vulneribus animam vnà cum ſanguine profundentes: patres per ſpeciem & cauſam religionis filias immolãtes: fortiſſimi viri alij acceptæ iniuriæ dolore ad inſaniam redacti: alij, ne ad bellum proficiſcantur, furorẽ ſimulantes: ſexcenta his ſimilia. Deinde ſentẽtiæ talibus argumentis cõſentaneæ:

Oderint dum metuant: &
Natis ſepulcrum ipſe eſt parens: &
Nam ſi violandum eſt ius, regnandi gratia
Violandum eſt: aliis rebus pietatem colas: &
Iurauit lingua, mentem iniuratam gero. &
Τοῦ μὲν δικαίου τὴν δόκησιν ἄρνυσο,
Τὰ δ' ἔργα τοῦ πᾶν δρῶντος ἔνθα κερδανεῖς: *id eſt*
Opinionem iuſti hominis tibi para:
Sed quæſtuoſa quæ ſient, facito omnia. &
Τὸ κέρδος ἡδὺ κἂν ἀπὸ ψευδῶν ᾖ: *id eſt*
Dulce eſt lucrum, partum licet ex mendacio. &
Πολλαῖσι μορφαῖς οἱ θεοὶ σοφισμάτων
Σφάλλουσιν ἡμᾶς, κρείττονες πεφυκότες: *id eſt*
Multis labefactant nos ſuperi artium modis:
Præſtantiores quippe longè viribus. &
Ὦ Ζεῦ· τί λέξω, πότερά σ' ἀνθρώπους ὁρᾶν;

Η δόξαν ἄλλως τὴνδε κεκτῆσθαι μάτην,
Δοκοῦντας ἄλλως δαιμόνων εἶναι γένος,
Τύχην δὲ πάντα τὴν βροτοῖς ἐπισκοπεῖν; id eſt
O Iupiter, téne aſpicere humanum genus
Dicam? an, deorum nulla cùm natura ſit,
Nos falſa opinione labi, & omnia
Mortalium negotia fortuna regi? &
Εὔφραινε σαυτόν· πῖνε, τὸν καθ᾽ ἡμέραν βίον
Λογίζου σὸν, τὰ δ᾽ ἄλλα τῆς τύχης. id eſt
Animum tuum oblecta: bibe: præſentem diem
Tuum eſſe: cetera omnia fortunæ puta.

Quid comici? nónne hi quoque, ſi ſummo cum eis iure agere, atque ad viuum omnia reſecare volemus, è bibliothecis omnibus erunt exigendi? Nihil dicam de Ariſtophane. notum os veteris comœdiæ. nota verborum illius non libertas, aut licentia: ſed turpitudo, atque impudentia. Plautini item ſales nemini ſunt inauditi. mitto quàm ſint improbi, quàm ſcurriles, quàm obſcæni. Ne Terentius quidem, quem omnes eruditi comicorum omnium pudentiſſimum, & verecundiſſimum fatentur eſſe, omni ex parte ſermonibus prætextatis, atque impudicis vacat: quod genus,

Lepus tute es, & pulpamentum quæris. &
Ego iſtum eunuchum vel ſobrius.

Iam illud ab irato ſene impiè dictum,

Deos neſcio.

Ne multa. totum argumentũ comicum ex ſenibus auaris, ſtultis, deliris: ex adoleſcentibus amatoribus, intẽperantibus, ſcortatoribus, profuſis, ac perditis: ex virginibus aut vi, aut pretio corruptis: ex meretricibus procácibus, ac rapacibus: ex ſeruis fallacibus, ac furacibus: ex lenonibus impiis, ac periuris: ex paraſitis edacibus: ex militibus glorioſis cõſtat. Quòd ſi nõ poëtas modò, ſed oratores, & hiſtoricos, & ceteros ſcriptores omneis, ad religionis perpendiculum, normamq́; exigemus: permulta in eis abſurda, improba, turpia, nefaria, impia reperiem'. Ad Lucretiũ igitur noſtrũ reuertor, poëtã egregiũ, ac præſtantem, ſcriptoremq́; omnium Latinorũ politiſſimũ, vetuſtiſſimũ,

elegantiſſimum:ex quo Virgilius & Horatius nō ſolùm dimidiatos,ſed integros ſæpe verſus mutuari ſolent. Hic vbi de rerum primordiis,ſeu corpuſculis indiuiduis:de eorum motu, & figuris,de inani, de imaginibus, ſiue ſimulacris, quæ è ſummo rerum corpore mittũtur:de animorum natura, de ortu,obitúque ſiderum,de ſolis & lunæ defectu,de fulminis natura,de arcu cæleſti, de auernis, de cauſis morborũ, & multis aliis rebus diſputat:ſubtilis,argûtus, enucleatus, limatus eſt. in librorum procemiis,in nonnullis ſimilitudinibus,in exemplis,in diſputationibus de morte contemnenda, de amore fugiẽdo, de ſomno,& inſomniis,grauis,copioſus,amplus,magnificus,elatus,ornatus eſt. Quem ſi quis caſus ad grauiorem, & probabiliorem aliquam diſciplinam,puta Platonicam,aut Peripateticam, aut Stoicam detuliſſet:Dij immortales,quantum ex eo fructum, quantã vtilitatem caperemus!quantam ſui admirationem hominibus excitaret!quãta ſui ſtudia cõmoueret! Nam ſi,tã infelici argumẽto ſibi propoſito,ac ſuſcepto, poëma tamen edidit tam præclarum,tam illuſtre,tam luculentum : quid eum cẽſemus fuiſſe facturum,ſi vel rerum Platonicarum magnitudinẽ, ac maieſtatem, vel Ariſtotelis acumen, atque vbertatem, vel Zenonis grauitatem, ac ſeueritatem verſibus materiæ conſentaneis expreſſiſſet?quantũ nomen, quantam laudem, quãtam gloriã conſecurus eſſet?Quamobrẽ ſic agamus potius.id,quod adeſt,laudemus,eóque fruamur:eo,quod abeſt,æquo animo, patienterq; careamus:hoc eſt,huius poëmatis elegantiam, venuſtatem,pulchritudinem amemus,atque amplectamur:argumẽti melioris ſortem in eo deſideremus.Quid enim?eos poëtas,ex quibus ſolam curarum noſtrarum obliuionem, ſolámq; oblectationem quærimus,cupidiſſimè legere ſolemus:poëtam nõ modò noſtros animos delectantem, verùm etiam obſcuriſſimas de rerum natura quæſtiones pulcherrimis verſibus explicãtem, negligemus?Homerum, propterea quòd in quibuſdã fabularum partim turpium , partim abſurdarum inuolucris omnium rerum naturalium,atque humanarum cognitionem incluſam continere exiſtimatur,nõ ſolùm legimus,verùm etiã ediſcimus:Lucretium,ſine fabularum,taliúmque nugarum integumentis,de principiis & cauſis rerum,de mundo,de mundi partibus,de vita beata,de rebus cæleſtibus ac terrenis, nõ vel illum quidem, neque piè , ſed tamen ſimpliciter, & apertè,

&,vt Epicureum,ingenioſè, & acutè, & eruditè, & puriſſimo ſermone loquentem non audiemus? Non enim,ſi multis locis à Platone diſſidet:non ſi multa cum religione noſtra pugnantia dicit,iccirco ea etiam,quæ cum illorum, & Chriſtianorum ſententia congruunt, ſpernere debemus. Quàm præclarè de coërcendis cupiditatibus,de ſedandis animorum motibus, de mentis tranquillitate comparanda diſputat? Quàm ſubtiliter, & argutè eos, qui nihil percipi, nihilque ſciri poſſe affirmant: qui ſenſus omneis fallaceis eſſe dicunt, coarguit, ac refellit? quàm copioſè ſenſus defendit? quàm probabiliter, & pæne dicam, verè oſtendit, ſenſuum fide labefactata, atq; euerſa, actiones omneis humanas eodem motu conquaſſatas concidere & corruere? Quot, & quàm firmis argumentis demonſtrat, ſenſuum veritate ſublata, rationem quoque ipſam, atque adeò vitam, ac ſalutem funditùs interire? quàm pulchræ ſunt apud eũ deſcriptiones? quàm venuſta (vt Græci appellant) epiſodia? quàm bellæ de coloribus, de ſpeculis, de magnete, de auernis diſputationes? quàm graues ad continenter, iuſtè, moderatè, innocenter viuendum cohortationes? Quòd ſi quis plus æquo ſeuerus totam huius poëmatis ſententiam, ac materiam vituperabit, atque aſpernabitur, ſolo fortaſſis Epicuri, quem Lucretius exprimere conatus eſt, nomine offenſus: quid de eius ſermone ſtatuemus? quo quid purius, quid incorruptius, quid nitidius, quid elegantius dici, aut excogitari poteſt? Equidem hoc tibi, Karole, non dubitanter affirmabo, nullum in tota lingua Latina ſcriptorem Lucretio Latinè melius eſſe locutum: non M. Tullij, nõ C. Cæſaris orationem eſſe puriorem. Itaque, ſi ita commodum eſt, totã ſanè Lucretij, hoc eſt Leucippi, Democriti, Empedoclis, Ariſtippi, Epicuri, quos ſecutus eſt Lucretius, philoſophiam improbemus: at incredibilem verborũ nitorem: at ſingularem ſermonis elegantiam: at incorruptam Latinè loquendi facilitatem admiremur, amplectamur, æmulemur. Atque vtinam, Karole, vtrumque ſimul, & pietatem, & linguæ Græcę, ac Latinæ cognitionem ex vnis atq; eiſdem auctoribus comparare poſſemus, eſſet præclarum ſacris libris eſſe contentos, profanos nõ deſiderare. Nunc autem, cùm litteras quidem Græcas ex Homero, & ceteris epicis: ex Sophocle, & cęteris tragicis: ex Ariſtophane, qui ſolus ex tot comicis ad nos peruẽnit incolumis: ex Platone, & Xenophonte, & Ariſto-

ele,& Plutarcho: ex Herodoto,& Thucydide,& Polybio, & Dionyſio Halicarnaſſeo: ex Lyſia,& Demoſthene,& AEſchine,& aliis rhetoribus. Latinas autem ex Plauto, Terentio, Lucretio, Varrone, Cæſare, M.Tullio, Catullo, Virgilio, Horatio, Tibullo, Propertio, Plinio, & ſimilibus, qui vel falſam religionem, vel meram impietatem quibuſdam locis ſpirant, ac redolent, diſcere neceſſe habeamus: quid vetat, quo minus hos ſcriptores ita tractemus, itáque legamus, vt eorum ſermonis quidem diuitias, lepóres, ornamenta ab ipſis compilemus: talibúſque furtis ac ſpoliis, antiquorũ illorum Chriſtianorum exemplo, eccleſiam Dei opt. max. locupletemus, amplificemus, exornemus: religionem autem noſtram, quam ex litteris ſacris, tamquam ex liquidiſſimo, & ſinceriſſimo fonte hauſimus, incorruptam, inuiolatam, atque integram conſeruemus? Nam neque olim cùm me litteris Latinis docendis præfeciſti, eo conſilio Lucretium meis auditoribus explicandum ſuſcepi, vt philoſophiam Epicuream, iam exploſam, atq; damnatam, reuocarem, ac reſtituerem: neque nunc, poſtquàm eundem me linguam Græcam docere iuſſiſti: magno meo labore, multiſq; vigiliis, hunc eundem poëtam mendis innumerabilibus maxima ex parte purgatum, & breuibus commentariis illuſtratum, ea mente edendum curaui, vt homines vel à pietate Chriſtiana auocarem, vel noua religione inficerem. non ita inſanio: nam philoſophiam quidem ſequor, & probo tum eam, quæ à Platone, & Xenophonte, tum eam, quæ ab Ariſtotele manauit: religionem autem nullam aliam neque colo, neque amplector, niſi quam à Domino noſtro Ieſu Chriſto, Dei immortalis filio, generis humani ſeruatore, ac liberatore edoctus ſum:) ſed primùm vt linguam Latinam hoc ipſo inopem, atque egentem, quòd Lucretius mendoſus, laceratus, ac deformatus obſoleſcebat, bonis eam ſuis, & opibus auitis augerem, ditarem, atque ornarem: deinde vt de omnibus omnium gentium hominibus, quos Latini ſermonis munditics delectat, optimo huius linguæ auctore tot mendis ferè perpurgato, bene mereer: poſtremò vt omnes bonarum litterarum ſtudioſi tibi, Rex potentiſſime, qui patris & aui tui veſtigia perſequens, ingenuarum artium, bonarumq; litterarum doctores, ac magiſtros Lutetiæ Pariſiorum amplis præmiis affectos retines, alis, ac tueris, gratiam habeant, quòd ij, quos in vrbe totius Galliæ maxima,

ac celeberrima, liberalibus artibus, ac diſciplinis, litteriſque Hebraicis,Græcis,ac Latinis docendis præpoſuiſti,non ſolùm iuuentutem ex omnibus Europę partibus in hãc vrbem,tamquam in vberrimum omnium diſciplinarum mercatum, conuenientem,viua voce erudiant, verùm etiam ſcriptoribus antiquis,iniuria temporum deprauatis,in integrum reſtituendis, omnium mortalium à litteris non abhorrentium ſtudia iuuare,ac ſubleuare conentur. Enimuerò, Karole, nihil habet tua maieſtas maius, quantumuis licet alij artem militarem extollant, quàm quòd bonas litteras, ingenuáſque diſciplinas diligis, tueris, ac propagas. Ars enim militaris ſine litterarum, & doctrinæ adiumento non ſolùm Regibus ac ciuitatibus liberis parum prodeſt, verùm etiam totas ſæpe reſpublicas, totáque regna labefactat,ac funditùs euertit:litteræ contrà,& cognitio rerum ex libris petita, ſæpe ſine armorum, & rei militaris acceſſione maximas ciuitates incolumeis, potentiſſimáque regna ſalua tuentur,& conſeruant. Iam verò,quòd nos maleuoli quidam homines inſimulant, quaſi omnia reip. mala, quæ his perditiſſimis temporibus vidimus, à litteris, & litteratis orta ſint, vt tibi perſuadeant,litteras ex tota Gallia eſſe eiiciendas, funditúſque exſtinguendas, ſi remp. ab his malis conquieſcere,aut reſpirare cupis:ſic cōtrà tibi perſuadeto,Karole, veriúſque hoc eſſe credito, quàm, *Pythia quæ tripode ex Phœbi, lauróque profatur*, vt ait Lucretius,eos omneis,qui huiuſmodi ſermonibus litteras in crimen, & inuidiam vocant, vel auaros, vel ambitioſos,vel facinoroſos & ſceleratos, & ſimilibus vitiis coopertos,& contaminatos eſſe:atq; idcircò litteras odiſſe.Nam cùm ſuis flagitiis,& vitiis latebras ac tenebras quærant:litteras autem clariſſimi luminis inſtar eſſe intelligant: nihil ſuis tætris vlceribus, grauiſsimíſque animorum morbis tam aduerſum, quàm litteras eſſe arbitrantur. Itaque viri boni,integri, abſtinentes,temperantes,innocentes,& litteras plurimi faciunt, & litterarum ſtudioſos colunt: in pretio, atque in honore habent: eóſque ſi re iuuare non poſſunt, at verbis ampliſsimis, & oratione perquàm honorifica proſequuntur. Sed de his nimis fortaſſe multa,præſertim ad te. Hos igitur T.Lucretij Cari de natura rerum libros ſex,Karole,Rex inuicte,omnium,quivmquam poſt artē typographicā inuentā editi ſunt, emendatiſsimos,tibi dono,ac dedico. Neque verò in hoc,ſtellionatus cri-

men, aut inconſtãtiæ vituperationẽ ſuſcipio, quòd, quæ aliis iã antè deſponderim, ac donarim, tibi denuò donem. Singulos enim libros ſingulis viris tui regni & mihi amiciſsimis, & doctiſsimis, eo animo donaui, vt eſſent amicitiæ noſtræ monumentum ſempiternum. Tibi autem nũc eoſdem vniuerſos, illorum rogatu, tibi dono: quin illi ipſi, qui tuo in regno nati ſunt, quíque te dominum ac Regem ſuum agnoſcunt, ſeipſos vnà cum his libris tuos eſſe profitentur, tibíque tradunt, & commendant, vt & ipſi, & hi libri tuo fideliſsimo præſidio freti, ab omni iniuria externa ſint tutiores, ac munitiores. Nam ſinguli ſingulis donati, ac traditi, atque ita diſiuncti, ac diuulſi, contra iniuriam hominum, virtuti inimicorum, atque infeſtorum, his præſertim temporibus, cùm litteræ inuidia, odióque immeritò laborant, fortaſſe eſſent imbecilliores. Nunc autem coniuncti, & vniuerſi, tibi, & tuæ certiſsimæ fidei commendati, tuáque validiſsima & potentiſsima dextera tecti ac defenſi, nullos quantumuis acreis & violentos maleuolorum hominum impetus pertimeſcent. Ita igitur viuas, & valeas, & regnes, Karole, vt litterarum, ac litteratorum, virtutéque præſtantium virorum columen, & præſidium, & perfugium multas ætates eſſe poſsis. Lutetiæ, anno ab humano genere ſeruato, CIↃ. IↃ. LXIII. Kalendis Nouembr.

DION. LAMBINVS ERRICO MEMMIO, ſupplicum libellorum in Regia magiſtro, S. D.

Qvamobrem hunc primum T. Lucretij Cari *de natura rerum librum tibi donarim*, Errice Memmi, *cauſæ multæ concurrerunt. mouit me primùm magnus inter nos vſus, & ſumma neceſſitudo ſatis longo conuictu, neque parua aut breui conſuetudine, conſtituta, ab illo iam tẽpore, cùm ego, tu, & frater tuus* Io. Iacobus Memmius, *& homo doctiſsimus, idémq; vir optimus, ſtudiorum veſtrorum ſocius, & quaſi moderator* Ioan. Maludanus, *(ex cuius morte nec opinata, atque immatura, mihi nuper ab* Aurato *noſtro nuntiata, incredibilem hauſi dolorem)* Toloſæ *vnà commorabamur.* Qua *in vrbe tametſi omne ferè noſtrum ſtudium in iure ciuili ponebamus: horas tamen aliquot pomeridianas, & veſpertinas, & ſubſeciuas ad* Græcos *&* Latinos *quoſdam ſcriptores legendos conferebamus. atque ex* Græcis *quidem* Homerum, Euripidem, Theocritum, Xenophontem, Plutarchum: *ex* Latinis *autem* M. Tullium, M. Varronem, C. Cæſarem. T. Liuium, Virgilium, Horatium, *remiſsionis animorum*

gratia legebamus. Sic igitur me afficit ſuauiſſima illius temporis recordatio, vt neque mihi vmquam beatius vixiſſe videar, & ſi te præteream, atque adeò ſi non in principe loco ponam, flagitium me admiſſurum putem. Multum ſecundo loco apud me valuit tui, & C. Memmij Gemelli, cui vni ſuos libros omneis Lucretius inſcripſit, & dedicauit, nominis communitas, eáque, quam Græci appellant, ὁμωνυμία. Nam cùm ego vniuerſos quidem libros Regi Karolo nono conſecratos: ſingulos autem ſingulis hominibus noſtratibus & mihi cariſſimis, & doctrina præſtantibus donatos in lucem prodire voluiſſem: exiſtimaui, quemadmodum Lucretius Memmio omneis dicauiſſet, ita me tibi, tamquam eius gentili, vnum ſaltem librum, eúmque primum, dicare debere. Acceſſit & quæ mihi ad hoc faciendum acerrimos ſtimulos admouit, tua omnium Græcorum, & Latinorum librorum, non modò è typis expreſſorum, verùm etiam manuſcriptorum, quos vndique magno pretio conquiſiſti, & collegiſti, inſtructiſſima bibliotheca: ex qua depromtum vnum T. Lucretij Cari exemplar peruetuſtum cùm mihi commodatò dediſſes: tantùm mihi ad huius ornatiſſimi, politiſſimique ſcriptoris partim iniuria temporum, partim culpa hominum vel indoctorum, vel ineptè religioſorum deprauati emendationem adiumentum attuliſti, vt non minimam partem locorum in eo reſtitutorum cùm præſens ætas, tum omnis poſteritas tuo libro ſit debitura. Atque hoc pluris eſt ea, quam habes, optimorum librorũ ſupellex, quòd eam libentiſſimè, ac liberaliſſimè ijs omnibus impertiris, quos exploratum habes ſolere, vnde profecerint, ingenuè profiteri, neq; eum, quem foris perceperint, fructum ſibi vendicare. Itaque mihi, quem optimè noſti, & quem ſcis nouam omnium M. Tullij ſcriptorum editionem omnibus ſuis numeris, & partibus perfectam atque expletam meditari, iampridem tria vetuſtiſſima, atque emendatiſſima omnium M. Tullij operum exemplaria vltrò detuliſti, currentémque (vt aiunt) incitaſti. Neque verò id ſolùm feciſti, ſed etiam (qua in re induſtriam ac diligentiam tuam incredibili litterarum amore coniunctam admiror) ſcripturas omneis inter ſe diſſimileis, atq; à vulgata lectione diſcrepanteis ad oram vnius exempli typis excuſi, partim tua, partim tui librarij manu adſcriptas mihi commodaſti, vt minore meo labore ex talibus ſcripturis quaſi ſub vno aſpectu poſitis, Adriano Turnebo interea, & Io. Aurato collegis meis, quorum iudicium eſt, vt ſcis, in hiſce litteris ſubtiliſſimum, adhibitis, & conſultis, eam potiſſimùm ſequerer, ac probarem, quæ & M. Tullio eſſet digniſſima, & eius ſententiæ maximè conſentanea, & omnium virorum doctorum conſenſu, neminéque repugnante, optima ac veriſſima. Namque omnino mihi deliberatum eſt à vulgata & recepta ſcriptura, ne latum quidem vnguem diſcedere, nihilque in tanto, talíque ſcriptore immutare, niſi quod ita perſpicuè & ſine controuerſia corruptum ſit, ac deprauatum, cuiúſque reſtitutio ita ſit auctoritate librorum veterum comprobata, & (quod caput eſt) veritate ac ratione fundata, vt omnes mortales neq; indoctiſſimi, neq, maximè hebetes ſic eſſe legendum, quemadmodum reſtituendum curauero, fateantur. Verùm de M. Tullio & aliàs, & ſuo loco. Nunc T. Lucretij Cari de natura rerum, à me ſumma (quod te non fugit) diligẽtia, maximóque labore ad veteres membranas emendati, atque ex carie, ſitu, & ſqualore in ſuam priſtinam formam, natiuúmque habitum ac nitorem propemodum vindicati, librum primum tibi, tuo merito, libentiſſimè dono. Vale. Lutetiæ anno à genere humano ſeruato CIƆ. IƆ. LXIII. Kalendis Sextilibus.

IDEM

IDEM ERVDITO LECTORI.

FVIT mea ſemper hæc ſententia, lector erudite, eos, qui ſcriptores veteres vel difficileis, atque obſcuros explanant, atque illuſtrant, vel iniuria temporum deprauatos, codicum manuſcriptorum auctoritate freti, in antiquum ſtatum, priſtinúmque ac natiuum ſplendorem reſtituunt, de bonis litteris, honeſtíſque diſciplinis melius mereri, quàm qui aut poëmata, aut orationes, aut libros artem aliquam iam antè à veteribus traditam, atque explicatam complectenteis ſcribunt & componunt. Nam ſi ſe ad poëmata ſcribenda conferent: profectò Virgilio, Catullo, Horatio, Tibullo, & ceteris, quos ſibi ad imitandum propoſuerint, non erunt ſuperiores. Si orationes, & epiſtolas conſcribere conabuntur: à M. Tullij facundia, atque eloquentia longo ſcilicet aberunt interuallo. Si verò artis grammaticæ, aut rhetoricæ, aut dialecticæ præceptiones litteris perſequi ſtudebunt: veteribus illis, qui eadem præcepta tradiderunt, ſine dubio multo erunt inferiores. Itaque cùm horum ferè omnium arrogantiam mirari ſoleo, tum eorum maximè ſtultitiam, ac pæne dicam, inſaniam ſatis miſerari, ac deplorare non poſſum, qui hodie grammaticas arteis, rhetoricas, dialecticas à ſe ſcriptas, magno ſupercilio adoleſcentibus venditant, atque oſtentant. Nam vel ea ipſa dicunt, quæ ſunt iam à veteribus occupata: vel alia. Si eadem: vel id apertè, & ſine diſſimulatione faciunt: & tum, præterquàm quòd impudentes, atque iniuſti ſunt, etiam actum agunt, inanémq; operam ſumunt: vel obſcurè, ac diſſimulanter, quibuſdámque rebus immutatis: & tum nihil à furibus differunt, qui rerum furtiuarum notis commutatis, furta ſua ſe occultare poſſe confidunt. Si alia omnia afferunt: nugas afferunt: & ita, non ignorantiam ſolùm, verùm etiam temeritatem, ac vanitatem ſuam patefaciunt, indicant, ac produnt. Cùm enim afferre meliora non poſſint, reliquũ eſt, vt ſuis ſectatoribus deteriora pro melioribus obtrudant. Quare, ſi ita ſentiũt, quemadmodum præ ſe ferunt: cùm ipſi magno in errore verſantur, tum alios in eundem errorem ſecum trahunt. ſin, quæ recta ſunt, intelligunt, ſed aliter tamen vel quæſtus ſpe ducti, vel inani gloria peruſti faciunt: capitalem fraudem admittunt. Neque verò me fugit, nonnullos & noſtra, & patrum noſtrorum ætate claros viros exſtitiſſe, qui & poëmata, & orationes, & arteis magna cum ſua laude conſcripſerunt. Sed & rarum eſt hoc hominum genus, & neſcio quo modo plerumque fit, vt, qui ad ſcribendum ſunt ineptiſſimi, ij incredibili ſcribendi dulcedine, ac voluptate, quaſi prurigine, & ſcabie quadam affecti ducantur: qui cõtrà ad id ipſum cùm ingenio, & natura facti, tum arte & ſtudio egregiè inſtructi ſunt: ij aut à ſcribendi volũtate & conſilio refugiãt: aut, ſi quid ſoli & apud ſe ſcribant, de eo in vulgus edendo, tamquam ſibi & Muſis canentes, non valde laborent. Ego autem, quid in ſcribendo poſſim, alijs iudicandum relinquo, ſi modò è ſcriptis meis non ita multis, quæ diuulgata ſunt, iudiciũ hac de re fieri poterit. Sed certè in hoc genere partim explicandorũ, ac declarandorũ, partim reſtituendorum atq; emendandorum poëtarum veterum elaboraui. Qua in re quam laudem meruerim, neſcio: quin ne quæſiui quidem. Semper enim in ipſa virtute, & rectè factis ſatis laudis ineſſe iudicaui, etiam ſi multitudo non laudaret. Verumtamen mihi conſcius ſum me omnibus bonarum litterarum ſtudioſis prodeſſe, & conſulere voluiſſe. Si non fuit par voluntati facultas: non arrogantiæ, aut confidentiæ, ſed tardi-

tatis, aut infirmitatis crimen ſuſcipere debebo. Sed ad Lucretium tandem, cuius gratia hic ſermo à me inſtitutus eſt, venio. Hunc igitur poëtam, lector humaniſſime, liquidò tibi confirmare, veréque apud te gloriari poſſum, mea opera planè alium ab eo, qui abs te anteà viſus ſit, in manus tuas peruenire. Octingentis enim locis (neque hoc ὑπερβολικῶς, ſed Latino more dico) reſtitutum eſſe, tibi legendo cognoſcere, atque experiri licebit. Vſus autem ſum in eo reſtituendo, Romæ quidem tribus libris manuſcriptis: vno Vaticano: altero, qui fuit Gabrielis Faërni: tertio, quem Scipio Tettius Neapolitanus mihi commodatò dedit: Lutetiæ verò, duobus: vno Memmiano, altero Bertiniano, qui ex cœnobio D. Bertini, (Eſt autem hoc cœnobium in oppido D. Odomari non longè à Morinis) olim ad P. Gallandium ipſius rogatu Lutetiam miſſus eſt, deinde Adriano Turnebo à P. Gallandio eius copia facta eſt. Atque ego (ne mentiar) Bertinianum codicem, quē in meis ſcholiis ſæpe commemoro, non vidi, ſed librum Adriani Turnebi è formis plumbeis expreſſum, cum illo exemplari manu ſcripto diligentiſſimè, & accuratiſſimè vſque ad librum ſextum duntaxat comparatum, habui, quandiu volui: eúmque, quia Bertiniani codicis ſcripturas omneis diſſimileis, & differenteis à vulgatis ſumma fide imitatas continebat, Bertinianum nominaui. Ne vulgatos quidem libros aſpernatus ſum. Quin omneis, quos potui, vndique conquiſiui, & corrogaui, Pariſienſeis, Lugdunenſeis, eóſque binos, Venetos item binos, vnos antiquiores, alteros recentiores, Florentinos, Vicetinos, Baſilienſeis. Præterea grammaticos omneis veteres, & linguæ Latinæ veluti magiſtros, quos ſuperioris ætatis oratorum, ac poëtarum verſus proferre meminiſſem, ſtudioſè relegi: in his Varronem, Pompeium Feſtum, Macrobium, Nonium Marcellum, Diomedem, Soſipatrum Cariſium, Seruium, Priſcianum, & ſimileis, vt, ſi qui verſus Lucretiani integri, atque intaminati, aut certè quàm minimùm contaminati, & corrupti, ab eis proferrentur: ego eorũ teſtimoniũ ſecutus, Lucretij vulnera ſanarē. Scholia præterea, ſeu breueis cõmentarios, addidi, quibus partim immutatorum à me locorũ rationem reddidi, partim obſcuriores quaſdã voces declaraui, partim quædã ad philoſophiã, aut hiſtoriã pertinentia, difficiliora, atq; impeditiora, ex Homero, Heſiodo, Pindaro, Theocrito: ex Platone, Ariſtotele, Theophraſto, Cleomede: ex Herodoto, Thucydide, Xenophonte, Plutarcho, Diodoro Siculo, Strabone, Pauſania, Arriano, Laërtio: ex M. Tullio, C. Cæſare, T. Liuio, Q. Curtio, Plinio, & aliis poëtis, philoſophis, hiſtoricis, partim Græcis, partim Latinis, quos enumerare longũ ſit, expediui, atque illuſtraui. Poſtremò, quoniã ſæpe animaduerti, magnos, & eruditos viros, dum ſuis cogitatis, atque inuentis, nimio opere delectãtur (vt ſumus omnes φίλαυτοι natura) dùmq; in ſuis ſcriptis recognoſcendis, atque examinandis neminem alium arbitrum adhibēt, præterquàm ſeipſos, interdum turpiter labi, atque errare: ego meis viribus, meóq; ingenio diffiſus, vbicumque mihi, vt hærerem, ac dubitarem, áccidit, ad viros doctos mihi notos ac familiareis, tùm alios multos, tùm verò Galliæ noſtræ, atque adeò totius Europæ principes, collegas meos, Adrianum Turnebum, & Ioannem Auratum retuli: nonnullas meas coniecturas cum eis communicaui: eorum ſententias, & quaſi reſponſa, quamuis ea interdum non ſatis mihi probata, ſumma fide ipſis auctoribus reddidi: neque me puduit, vnde profeciſſem, ingenuè profiteri: quin contrà, turpiſſimum mihi futurum duxi, id, quod ab aliis acceptum probauiſſem, mihi impudenter adſcribere, atque arrogare. Hæc te, lector, ſcire volui. Atque ea ipſa nimis fortaſſe multa tibi videbuntur, iamdudum Lucretium legere properanti. Sed te per humanitatem tuam, per pietatem tuam, per eam denique, quam mihi debes, ſi quam.

debes,gratiam,obſecro,& obteſtor,ne prius Lucretium legere incipias,quàm librarij,operarúmque errata ita correxeris, quemadmodum eſſe corrigenda ad calcem libri admonui.In quorum numerum,atque ordinem,nonnulla etiam ex iis,quæ primæ editioni addidimus, non ſatis diligenter ſuis locis adglutinata, & idcirco ab operis per imprudentiam prætermiſſa,conieci, &,quo quæque loco eſſent reponenda,indicaui. Quòd ſi qua alia inter legendum animaduerteris, quæ nos fugerint, ac fefellerint: fac memineris, nos homines eſſe, diſcáſque, rebus humanis concedere oportere. Vale.

Idem tertiæ editionis lectori S. D.

FVERAT olim(erudite lector)à pictore quodam præſtantiſsimo, atq; excellentiſsimo tabula pulcherrimè picta. Eam tabulam mali pictores longo pòſt tempore vetuſtate aliquantùm obſcuratam, & propemodum obſoletam,nacti,non ſolùm nouis & alienis coloribus contaminarant veriùs,quàm illuſtrarant,verùm etiam cœno,& ſordibus conſpurcarant.Ego autem eam miſerandum in modum contaminatam,ita, vt vix priſtina picturæ dignitas & pulchritudo agnoſceretur:annos abhinc ſeptem.multis ſimilibus tabulis,ex illa prima, & natiua, quaſi ad viuum expreſsis,atque imitatis,adiutus, in ſuam pæne formam, atque in antiquam integritatem,ac dignitatem reſtitueram: ſordeis ferè omneis ablueram: colores ineptos, & ſuppoſitos abſterſeram: aliena lineamenta deleueram: natiuos & veros colores ſuppoſititiis illis,& falſis inquinatos,óblitos,obſcuratos, ac pæne dicam,ſepultos,aperueram,patefeceram,illuſtraram,in lucem reuocaram,ingenua & germana lineamenta,ſpuriis & adulterinis illis partim deformata,partim cooperta interpolaram, reconcinnaram, ac redintegraram. Eam hunc in modum opera mea quaſi renatam,cùm totam quidem Regi Gallorum,Karolo IX. ſingulas autē parteis ſex viris Galliæ noſtræ doctiſsimis, atque ornatiſsimis, donauiſſem, & quaſi conſecraſſem,omnibúſq; nationibus ſpectandam ac fruendam expoſuiſſem:quidam omnium mortalium,qui vnquam fuerunt, qui ſunt, qui erunt, iniuſtiſsimus, audaciſſimus,impudentiſs. ſibi improbiſsimè arrogauit:à ſe eſſe redintegratam,ſuo decóri reſtitutam,atque ab omnibus maculis vindicatam,ſuis denique & natiuis coloribus illuſtratam, impudentiſsimè prædicauit. Hanc iniuriam apud te, lector, queri volui prius,quàm in hac tertia Lucretij mei editione quidquam legere inciperes: non ſolùm vt de iſto improbiſsimo fure,atque adeò reip.depeculatore, ita, vt meretur,exiſtimares,tibique nota eſſet iſtius Patæcionis iniuſtitia,& confidentia ſingularis,verùm etiam vt atrociſsimam mihi ab iſto factam iniuriam, meúmque iuſtiſſimum dolorem,pariter, communitérque mecum doleres. Proferam autem, & explicabo in conſpectu tuo tabulas publicas,quibus ego eum furti manifeſti,atq; adeò peculatus, ita apertè conuincam, vt, quamuis omneis homines confidentia, atque impudentia vincat, negare non audeat tamen,ſe in rem alienam iniquiſsimè inuaſiſſe,eámque vero domino,ac iuſto poſſeſſori iniuſtiſsimè eripuiſſe.Sed,ne te diutius ſuſpenſum,atq; incertum teneam,ſcire cupientem, quam ego tabulam pictam olim ab aliis inquinatam ac deformatam,à me non ita pridem magna ex parte nitidio-

rem effectam, ab iſto mihi ereptam, querar: non ſinam te diutius (quamquam propemodum, quid velim, quídque ſignificem, intelligentem) verum tamen non ſinam te, ſi forte tibi res tota inaudita, atque incognita eſt, diutius animi pendêre. Omnium poëtarum Latinorum, qui hodie exſtant, & qui ad noſtram ætatem peruenerunt, elegantißimus & purißimus: idémque grauißimus, atque ornatißimus, Lucretius eſt. Eum cùm librarij ſcriptores, nondum inuenta arte typographica, mendis innumerabilibus, maculiſque fœdißimis contaminaſſent, atque obruiſſent: ad illa à librariis illata vulnera, leuia ſanè & ſanabilia, acceſſerunt multo grauiora, ac pæne dicam, inſanabilia, ab hominibus doctis quidem illis, ſed plus nimio ſuo ingenio indulgentibus (vt ſumus noſtri ferè plus æquò amantes) impoſita atque inflicta. Quibus hic, alioqui politißimus & elegantiſsimus ſcriptor, ita laceratus, confoſſus, deprauatus, corruptus eſt, vt vix quiſquam eum legere, vix attingere, vix adſpicere auderet. Quod cùm ego animaduertiſſem, ſæpéque & in Italia, & in hac noſtra Gallia doctiſsimorum virorum querelis interfuiſſem, tantam linguæ Latinæ iacturam deplorãtium: ego eodem ferè tempore, quo tempore Horatium cum octo exemplaribus antiquis Romæ contuleram: Lucretium quoque cum tribus codicibus manuſcriptis, quos ibidem nactus ſum, diligentiſsimè, & accuratiſsimè comparaui. Ac de Horatio quidem, quid in eo præſtiterim, ignorare arbitror neminem. Litteræ certè & ex vltima Gallia Belgica, & ex Germania, & ex Italia à doctiſsimis viris ad me multæ venerunt, quibus mihi & gratulati ſunt, & gratias egerunt, quòd Q. Horatium Flaccum à tot mendis vindicaſſèm, talibúſque commentariis illuſtraſſèm. De Lucretio autem, ſi qui ſunt, qui numquam, quid in eum à me boni profectum ſit, audierint, eum ego tribus illis codicibus, quos Romæ habui, & duobus, quorum alterum hîc Lutetiæ à Turnebo, ſingulari ingenio & doctrina viro, collega meo, (cuius mortem æternùm Gallia deflebit) alterum ab Err. Memmio, viro clariſsimo, in reconditiore ſenatu ſenatore ornatiſsimo, commodatò acceperã: his, inquã, quinque codicibus fretus, Lucretiũ omni ex parte maculoſum, deformem, atque vlceroſum, magna ex parte à maculis, & vlceribus vindicaui, & (quod vehementer ad rem pertinet) commentariis breuibus quidem illis, ſed tamen (nequid arrogantius dicam) non inutilibus, illuſtraui. Quod cùm feciſſem, poſteriúſque quoſdam locos horis ſubſeciuis, partim mecum relegiſſem ac recognouiſſem, partim cum doctis viris communicaſſem: curaui, vt ſecundùm ederetur, idque figura, & forma quàm minima, & ad circumgeſtandum facillima. Vixdum hæc ſecunda editio abſoluta erat, cùm, ecce, mihi nuntiatum eſt, Thraſonem quendam (ſic enim eum doctiſsimus quidam Germanus, doctis omnibus nomine & fama notus, appellat: ego autem numquam adducar, vt eum nominatim deſcribam) exortum eſſe, qui non ſolùm in alienam poſſeſsionem irrueret, verùm etiam alienam meſſem in granaria ſua converreret, & conueheret. Non negabo (lector) mihi hunc nuntium iniucundum accidiſſe. Verumtamen hoc me ſolabar, quòd ita mecum ratiocinabar, ita cogitabam: & verò hoc mihi perſuadebam, eum, qui hoc ſuſciperet, vel doctum & pudentem, vel indoctum atque impudentem eſſe: (nam neminem, qui aut doctrinam cum impudentia, aut ignorantiam litterarum cum pudore coniunxiſſet, pertimeſcebam) ſi doctus & pudens eſſet: confidebam, eum & gratiam mihi relaturum, quòd ſibi viam ad Lucretium intelligendum, aperuiſſem, ac muniuiſſem, lucémque quaſi prætuliſſem: &, ſiquid fortè humanitus peccaſſem, ſummo iure mecum non acturum. Sin indoctus & impudens: eum ego augurabar ſuis etiam

ridiculum futurum. Omnino non exiſtimabam, quemquam ad eam amentiam progreſſurum, vt, quæ à me eſſent occupata, ſibi impudentiſſimè arrogaret: quæ optimè emendata, iniuſtiſſimè reprehenderet: quæ fortaſſe minus accuratè, vt ab homine, excogitata, & ſcripta: ex iis maledicendi anſam arriperet. Sed venit tandem ad nos exſpectatus ille, & renouatus ab illo Thraſone Lucretius. librum aperui, inſpexi, legi. Quid quæris? Obſtupui, (lector) tribus, aut quattuor paginis lectis. Omnia ferè, quæ in eo Lucretio recta ſunt, mea ſunt: quæ tamen iſte, aut ſilentio prætermittit, aut malignè laudat, aut ſibi impudenter arrogat. Sicunde reprehendendi anſam arripere poteſt, ibi mihi petulantiſſimè inſultat, in eo me improbiſſimè inſectatur. Quid multa? Numquam poſt homines natos quiſquam tam verus atque inſignis ſycophãta fuit, quàm ſeſe iſte in me præbuit. Quid ergo? dicet aliquis. Túne ſolus, Lambine, regnum in litteris obtinebis? te ſolum librorum omnium emendandorum facultatem habere gloriaberis? ceteros omneis, tamquam profanos, ab his ſacris arcebis? Ego verò (lector) non vſque eò ſum rerum imperitus, vt neſciam, latiſſimum harum litterarũ, quas colimus, eſſe campum: eúmque iis omnibus, qui bonos libros aſſiduè tractant, ac peruolutant, patêre. Non ita ſum aut arrogans, aut impudens, vt me ſolum idoneum eſſe cenſeam, qui ſcriptores antiquos tractem, emendem, explicem, declarem: mihi ſoli has parteis depoſcam, ac ſumam: aliis autem huius muneris adminiſtratione interdicam. Sed hæc mea ſententia eſt, lector erudite, cùm ſuum cuique ſit ius ſcribendi, tum eos, qui poſteriore loco ſcribunt, iis, qui priores aliquid in commune attulerunt, & maximè, qui ſcriptorem aliquem vel explicare, vel emẽdare conati ſunt, dum viuunt, & dum quod inchoarunt, abſoluere ac perpolire poſſunt, laudis ſperatæ fructum præripere non oportere. Quòd ſiquis contendat, hoc etiam aliquando factum eſſe, quotidie factitari, & his moribus increbruiſſe, atque ideò licere: eſto, demus ita eſſe: verùm ea lege tamen, primùm vt, ſiquid ab eo, qui anteuerterit, præclare vel ingenij acumine inuentum, vel labore & diligentia perfectum eſt: id, ſi nõ laudes, at certè ſilentio non prætereas. Si neque vt laudes, neque vt commemores, maleuolẽtia, & inuidia impeditus, animum inducere poſſis: ac certè, vt tibi non impudenter adſcribas, atque iniuſtè aſſumas. deinde ſiquid humana natura parum cauit, aut, ſiquid etiam peccauit (quis enim homo natus hoc effugere poteſt?) vt rebus humanis concedas, aut etiam diſſimules, & conniueas, atque hoc pacto legem in te æquiorem ſancias: aut, ſi fortè maledicus, & ad reprehendendum procliuis es natura: id tamen clementer & modicè, aut intra modum facias. Nunc autem quid de eo ſentiendum, aut quid dicendum, lector, qui præclarè ab altero facta, non ſolùm tacet, verùm etiam ſibi ore perfricto arrogat? in quibus humanitus titubatum, aut offenſum eſt, ea petulantiſſimè exagitat, atque inſectatur? quid eſt eſſe audacem? non periculum exiſtimationis, & famæ ſine neceſſaria, atq; adeò probabili cauſa adire, idque conari, vnde nullam laudem, ſummam ignominiam, & infamiam referas? quid eſſe arrogantem? non ea ſibi tribuere ac ſumere, quæ non habeas? quid eſſe impudentem? non ei lædere os, eiuſq; aureis atque animũ offendere, qui te numquam ne verbo quidem violarit? quid eſſe ingratum? non ei nocere, qui profuit? quid eſſe petulantẽ? non eũ maledictis appetere, qui modeſtè, innocenter, & ſine maleficio viuat? quid eſſe furem? non rem alienam inuito domino cõtrectare, ſuam facere, atque in ſuum vſum vertere? quid eſſe inſidioſum, fallacem, infidum, &, vt ſignificantius dicam, nigrum? non per ſimulationẽ laudandi vituperare, & altera manu aquam porrigere, altera ignem intentare? Quid eſſe ſycophantã? non ea, quæ rectè dicta, aut

facta ſunt ſilentio præterire: quæ humanitus peccata ſunt, ea improbiſſimè reprehēdere? in præclaris & laudabilibus inuentis mutum & elinguem eſſe: in erratis mediocribus vocem contendere, & clamorem tollere? Talem igitur iſtum, quem nutu ſignifico, cognoſces. Quòd ſiquis ingenij, aut doctrinæ fama clarus: ſiquis Faernus, Victorius, Manutius, Sigonius, Angellius, Brutus, Lolius, Vrſinus: ſiquis Turnebus, Auratus, Muretus, Boſius, Bommorellius, Paſſeratius, Baiffius, Scaliger: ſiquis Camerarius, Iunius, Xylander, Betuleius, Fabricius, Langius, Suffridus: ſiquis Achilles Statius, Oſorius: ſiquis B[redacted], Rogerius, Scrimgerus, & tales viri innumerabiles, quos habet Italia, Gallia, Germania, Hiſpania, Britannia, omni doctrina præſtanteis, hoc negotium ſuſcepiſſet: non eſſet quòd indignè, aut moleſtè ferrem: immò verò eſſet, quòd gauderem, vnum aliquem ex talibus viris exſtitiſſe, qui me fortaſſe defeſſum, & oneri ſuccumbentem ſubleuaret: qui mihi, onus plus æquo graue, ægrè ſuſtinenti, ſuccurreret ac ſubueniret: nunc autem, exortum eſſe vnum ex omnibus mortalibus nulla [illegible] re magis, quàm feritate, importunitate, cōtumacia, ſuperbia, audacia, confidentia, & impudentia excellentem, qui auderet rem à me inchoatam ac ſuſceptam mibi de manibus extorquere, eámq; ſibi iniuſtiſſimè atque impudentiſſimè arrogare, mihi improbiſſimè maledicere, me indicta cauſa damnare, de me, vt de homine nullis litteris tincto, ipſum, vt hominem omnium, qui viuunt, eruditiſſimum ac litteratiſſimū, ſententiam pronuntiare, non indigniſſimum eſt? Neque verò eſt, quòd quiſquam Belga, Menapius, Sicamber, Flander, Hollandus, Brabantius, aut Germanus, lædi ſe putet, aut de harum nationū laude detrahi exiſtimet, cùm iſtum, barbarum, aut ſycophantam laceſſitus compello. Nullas enim cum his nationibus inimicitias gero, immò mihi nonnulla etiam cum eis familiaritas & neceſſitudo intercedit. Accipio quotidie ab harum nationum hominibus doctiſſimis litteras, egóque ad eos viciſſim mitto meas, ex quibus & quid illi de me exiſtiment, & quantum ego eis tribuā, intelligere licet. Verſabar etiam quondā: (ita dico, quondā. Nam hodie per hoc nouū edictū, nuper apud illos propoſitū ac diuulgatū, omniū, quæ poſt homines natos compoſita ſunt, nobis moleſtiſſimè ferendum, quo vetat auctor edicti, graui multa ei, qui ſecus fāxit, irrogata, quemquā in iis vrbibus, quæ regis Philippi imperio ſubiectæ ſunt, natum, in vllam noſtræ Galliæ ſcholam, bonarum litterarum, aut iuris ciuilis diſcendi cauſa, venire: cùm ſchola vniuerſa Pariſienſis (nam de ceteris in præſenti nihil dico) ab infinitis vſque ſæculis, omnium totius orbis Chriſtiani ſcholarum princeps, pontificibus omnibus S.E. Rom. approbantibus, meritiſſimò habita, atque ab omnibus nationibus ſemper antea maximè celebrata, & frequentata ſit: per hoc igitur nouum edictum, nobis hodie non licet, neque poſthac licebit, quemquam illarum nationum virum, aut adoleſcentem Lutetiæ, aut omnino in Gallia videre. Ademta planè, atque erepta nobis eſt omnis bonarum artium, atque adeò orationis ac ſermonis cum illis hominibus communio ac ſocietas.) Sed redeo ad ſermonem inſtitutum. Verſabar igitur olim quotidie Lutetiæ cum eruditis viris, ac iuuenibus: qui huc ex illis terrarum oris vel ſtudiorum, vel vrbis cognoſcendæ cauſa venerant, cum Vtenhouio, Blotio, Fruterio, Cantero maiore & minore, cum Valguero, Molinario, Vornano, Torio, Eumenio, Bonardo, & multis alijs, quos enumerare longum ſit, cùm & illi me ament, atque obſeruent, & ego eos redamem, mutuáque beneuolentia complectar. Quorum nonnulli, cùm hanc iniuriam mihi ab iſto, quem deſcribo, factam eſſe cognouiſſent, & apud me eum grauiter accuſarūt, & iniuriam mihi ab eo factā moleſtè tulerūt, & iſtū priuatim acriter obiurgarunt.

Neque hoc ſatis habuerunt:ſed ſatyras quoque in eum mordaciſsimas,& epigrammata aculeatiſsima conſcripſerunt:quæ ſub ſigno habeo,diligentiſsiméque cuſtodio: neque vmquam eius iniuria adducar,niſi perget inſanire,vt in vulgus edam. Miſſæ ſunt præterea à quibuſdam eorum Lutetia iam profectis ad me epiſtolæ, quibus mihi totum hominis ingenium, totiúſque vitæ anteactæ conſuetudinem deſcribunt, atque explicant. quas,quantumuis malè de me meritus ſit,numquam foras proferã. Verumtamen,nequis me hæc accuſatoriè confingere,& ſuſpiciones falſas in iſtum commouere exiſtimet:proferam hoc loco ſatyræ cuiuſdam,ab erudito, & nobili iuuene,Iano Doëza, in iſtum ſcriptæ, atque ad Danielem Rogerium Anglum miſſæ, principium:qua in ſatyra ille inſignem iniuriam,Fruterio,communi amico, moribũdo,& animam iam agenti,per ſpeciem officij,& amicitiæ,ab iſto factam, grauiter queritur: totamque iſtius malitiam,& perfidiam,& iniuſtitiam octoginta & amplius verſibus hexametris perſequitur. Huius igitur ſatyræ ipſum duntaxat principium ponam,vt quiuis ex paucis verſibus intelligat,& quid de iſto ſui ſentiant,& qualis iſte fuerit in ſuos,& ne cui mirum ſit,iſtum talem in me exſtitiſſe,alienũ, qui ſe in amicos tam inhumanum,atque importunum præbuerit. Sic igitur Doëza,

Fruterius quòd ſe,partémque ſui meliorem
Sacrauit moriens,& magni pondus Olympi
Auxit Atlantéis ceruicibus,eſſe beatus
Cenſetur meritò.quis enim tam liuidus,vt non
Hoc ipſum fateatur?at idem quòd male cautis
Inſcripſit tabulis: Heres mihi Fanius eſto:
Omnibus infelix contrà,nec ſanus habetur,
Quotquot amico ipſo ſumus,heu,dum viueret,vſi:
Non,vt Fanius hic,fraudum caput,& plagij olim
Conuictus,Lambine,tibi:cùm, fronte retecta,
Furtiuis riſum mouit cornicula plumis.
Dictu turpe ſuis,quos inter erat quoque nobis
Tunc aliquis locus:atque etiamnum forſitan eſſet
Qui fuerat,ſi non aliò nos ipſe vocaſſet
Perfidus,& ſanctum pede conculcaſſet amorem,&c.

Reliquos verſus,vt dixi,non adſcribam.ne cui ſæuior atque aſperior æquo in referenda iniuria videar Verumtamen conſideret lector,quæ ſit huius teſtimonij vis. Si hic Doëza,contemtus aliquis homo,& leuis,& improbus eſſet:tamen, quoniam iſti amicus eſt,fides ei habenda eſſet.ſi eſſet ab iſto alieniſsimus, tamen, quia caſtiſſimis & integerrimis moribus præditus eſt, teſtimonium eius grauiſsimum eſſe deberet. At nunc idem & amicus eſt, & homo integerrimus. Et hic teſtatur me ab iſto eſſe compilatum:eum plagij à me conuictum:eum plumis furtiuis, tanquam corniculam Æſopicam,ornatum,omnibus riſum mouiſſe dicit:fraudum caput appellat. Quid poteſt in quemquam grauius, aut crimino ſius dici? Et tamen alia ſunt in illa ſatyra longè grauiora,& ſceleratiora, quæ nunc tacebũtur. Peto igitur ab alijs omnibus,qui nationis communitate cum iſto cõiuncti ſunt, ne cõmunem omnium cau-

ſam cum iſtius cauſa coniunctam eſſe putent, ſed exiſtiment, me ab iſto iniuſtiſſimè læſum, & indigniſſimis modis acceptum, & atrociſſimis iniuriis laceſſitum, neceſſitate coactum, atque inuitum, ad hanc cauſam dicendam, deſcendere. Qua in re ſi cui forte videbor indecorè, & præter conſuetudinem, atque adeò præter naturam meam, immoderatius efferri, & maledicta in eum iuſto acrius regerere: cogitet, legẽ hanc eſſe antiquiſſimã, atque æquiſsimam, eum, qui maledixit prior, peius audire. quamquam non ſum ei pro eius in me contumeliis grauiſsimis nimis aſperè reſponſurus, neque par pari relaturus: ſed mei pudoris, eius loci, quem me Rex Karolus obtinere voluit, & grauitatis, & ætatis, rationem habiturus. Quòd ſi quid tamen interdum dicetur grauius: exiſtimare debebis, primùm, hanc vocem non eſſe meam, ſed iuſti doloris, æquitatis, iuſtitiæ & veritatis: deinde, vt ſit vox mea, me reſpondere voluiſſe, nõ laceſſere: Quòd ſi benedictis, & benefactis certaſſet: fuiſſe bene auditurum, beneficiique gratiam, qualem ſeuiſſet, talem meſſurum. Nunc autem æquũ eſſe, quod ab ipſo profectum eſt, in auctorem reuerti. Quoniam igitur de iniuria, & cõtumelia, quæ mihi, totique genti Gallorũ, Regi ipſi, nationibus deniq; exteris, quibus olim meas vigilias impertiui, illata eſt, cognouiſti: reſtat, vt tabulis publicis id, quod tibi expoſui demonſtrem & confirmem. Tabulæ autem publicæ ſunt, Lucretij iam à me bis editi exempla: ſemel, vnà cum commentariis, maiore forma, anno CIↄ. Iↄ. LXIII. *iterum ſine commentariis, & tamen cum breuibus ſcholiis ad calcem adiectis forma quàm maximè puſilla. ex quibus, quam ego operam in Lucretio emendando nauarim, quid ille noui attulerit, facilè cognoſces: multique adeò viri boni, & docti, cognouerunt: qui recenti mea de iſtius furtis improbiſsimis, & iniuriis, & contumeliis, querela, data opera Lucretium ab initio ad extremum vnà cum meis commentariis perlegerunt, meáſque duas editiones cum iſtius editione cõtulerunt. quo facto, negare non potuerunt, iſtum non modò furem eſſe manifeſtò deprehenſum, verùm etiam petulantem, impudentem, contumelioſum, & quouis malo dignum. Omnino enim ita ſe res habet. quicquid eſt in eius Lucretiana editione rectum & laudabile, paucis exceptis, ex mea editione ſumſit, ſiue ſit hoc in contextu verborum Lucretij, ſiue in commentariis. Namque hoc admonendus es, lector, me in prima editione vulgatam lectionem nimis interdum fortaſſe religioſè retinuiſſe, ſatíſque habuiſſe, ſi antiquam ſcripturam, recepta nihil immutata, in commentariis meis proponerem, fideliterque repræſentarem. Quod cùm ita feciſſem: depeculator iſte, pleraſque ſcripturas veteres, aut coniecturas meas, in commentariis meis repertas, ſibi arrogauit, quaſi earum auctor, atque inuentor. Verumtamen ſi quando aliquid ab iſto rectè profectum eſt, quod non negamus: id non tacebitur, neque iſte merita laude priuabitur: quamquam certior factus ſum ab iis, qui iſtum bene norunt, hoc eſſe in eo ferè perpetuum, vt, quæ aliis venerunt in mentem, quæq; ab aliis tradita, & fidei ſuæ commiſſa accepit, ea ſibi impudenter adſcribat. Sed tamen quæ in eius editione compárent, in noſtra verò ſecus, ea ſuis auctoribus bona fide reddentur. Vbi prædonem iſtum in furto manifeſto medium tenebo: tum tu mihi, bone lector, hanc veniã dabis, vt, cùm rei furtiuæ ex lege* XII. *tabularum æterna ſit auctoritas, ego rebus meis manus iniiciam, meúmque Lucretium pro meo iure repetam, ac vindicem: tu autem furem plumis, & ornamentis alienis inſignem, non riſu dignum, vt corniculam illam: ſed pipulo differendũ, & infamiæ nota inurendum, ſi tibi videbitur, exiſtimabis. Hæc te, lector, ſcire volui prius, quàm hanc tertiam mei Lucretij editionem legeres, partim ne tu inter legendum in digreſsiun-*

culas

culas quaſdam ſtomachoſiores, & amariores incidens, quibus iſtius improbitatem retūdo, tacitus apud te quæreres, quid hæ verborū velitationes ſibi vellēt, & quorſum pertinerent: partim vt intelligeres, me non potuiſſe iſtius iniuriam, tacitam, atque inultam relinquere, niſi laudem magno meo labore, quem in emendando Lucretio ſuſcepi, partam, amittere, ac proijcere vellem: quod neminem experientem, & fortem virum, fuiſſe probaturum, certò ſcio. Vale. Lutetiæ, a.d. VIII. Nouembr. anno CIↃ. IↃ. LXX.

T. LVCRETII CARI PATRIA, GEnus, vitæ ſtudium, ingenium, mortis genus & tempus, librorum ab eo ſcriptorum numerus, cōſilium poëtæ, argumentum & inſcriptio operis, D. Lambino auctore.

CVM de T. Lucretio Caro nihil fere litteris mandatum ſit à veteribus, aut certe pauca admodum, eáque incerta: atque idcirco, qui eius vitam conſcribere anteà conati ſunt, ij mihi artem quandam diuinandi factitaſſe viderentur: non putaueram olim, mihi quidquam in ea re ſtudij, temporísve ponendum, quæ vani cuiuſdam arioli potius, quàm diligentis explicatoris operam deſideraret. Ne nunc quidem calamum ad aliquid ea de re ſcribendum in manum ſumſiſſem, niſi amici aliquot mei, quorum auctoritas multùm apud me valere debet, quibúſque diutius obſiſtere neque potui, neque debui, me de mea priſtina ſentētia demouiſſent, mihíque perſuaſiſſent, vt, quæ alij ſuo more expoſuiſſent, ea ego retractarem meo, cùm præſertim ijdem fontes, vnde illi hauſerunt, mihi quoque, atque adeò omnibus hominibus paterent. Qui vtinam eſſent non ſolùm vberiores ac pleniores, verùm etiam liquidiores ac ſinceriores, vt certiora de noſtro Tito, atque exploratiora ex ijs petere liceret. Sed quid agas? Quæ nobis ſuppetunt, qualiacumque ſint, iis libenter & iucundè fruendum: quæ deſunt, iis æquo animo carendum. Diſſimulare equidē non poſſum, me hoc negotium grauatè ſuſcepiſſe, quod tam multi viri ante me confectum ac tranſactum reddiderunt, P. Crinitus, Baptiſta Pius, Lilius Gyraldus, alíq; nonnulli. Sed cùm hanc cauſam amicis meis opponerem: reſpondebant, eos non ſatis eleganter, & propemodum inquinatè hanc rem confeciſſe: atque à me petebant, vt paullo nitidius, ac politius eam perſequerer: cùm dicerent, non tam referre quid diceretur, quàm quo modo diceretur. Poſtremò, cùm preces quoque adhibuiſſent, meq́; per amicitiam noſtram obſecraſſent, vt ſibi etiam, atque etiam petentibus, hoc darē: ad extremum victus ceſſi, leuius me peccaturum eſſe exiſtimans, ſi actum agerem, q̄ ſi amicis aliquid à me, præſertim neque turpe, neque iniquum petentibus, denegarē.

Hæc igitur nobis quærenda, &, quo ad eius fieri poteſt, exponenda ſunt, T. Lucretij patria, genus, vitæ ſtudium, ingenium, mortis genus, librorum ab eo ſcriptorū numerus, conſilium ſcriptoris, argumentū & inſcriptio operis. De patria igitur, con-

ſtat inter omneis, idque vel ex ipſius poëtæ teſtimonio intelligere licet, eum Romanũ eſſe. Sic enim ille in proœmio lib. I. Venerem implorans, eámque rogans, vt exorato Marte, cuius eſt amica, bellũ per maria ac terras omneis componat, pacémque conciliet: Hunc, tu diua, (inquit) tuo rècubantẽ corpore ſancto, Circumfuſa ſuper, ſuaueis ex ore loquelas Funde, petens placidam Romanis incluta pacem. Nam neque nos agere hoc, patriai tempore iniquo, Poſſumus æquo animo: neque Memmij clara propago Talibus in rebus communi deeſſe ſaluti. & eodem libro infrà: nec noſtra dicere lingua Concedit nobis patrij ſermonis egeſtas. & lib. III. rationem reddere auentem Abſtrahit inuitum patrij ſermonis egeſtas. Itaque quod de T. Pomponio Attico ſcripſit Cornelius Nepos, munus illud Fortunæ fuiſſè, quòd in ea potiſſimùm vrbe natus eſt, in qua domicilium orbis terrarum eſſèt imperij, vt eandem patriam haberet, & dominam, &c. hoc idem de noſtro Tito dicere licet, eandem vrbem, eius patriam fuiſſe, & gẽtium dominam, ſiquidẽ Roma, patria eius eſt, vt eſt.

Atque hæc quidem de patria: De genere autem, gentis Lucretiæ fuiſſè T. Lucretium, nomen ipſum declarat. Porrò autem gens Lucretia quàm clara atque antiqua fuerit, argumento ſunt Lucretij Tricipitini, Triones, Ofellæ, Veſpillones, Galli. Quod verò ad cognomen attinet, tametſi rarius in faſtis, & ceteris monumentis cõpareat, Romanum eſſe tamen & ex elegiis nonnullis P. Ouidij, & ex epigrammatis M. Valerij Martialis intelligere licet. Sed credibile eſt, huius familiæ Lucretios, equeſtri ordine contentos, populi honores non magnopere expetiſſe: quod nemo mirabitur, qui legerit, C. Mæcenatem Vipſanium, cùm & Cæſari Auguſto, & M. Agrippæ cariſſimus, atque adeò intimus eſſèt, ideóque ampliſſimos honores capere, atque ad ſenatorium ordinem peruenire poſſèt: anguſto clauo tamen contentum fuiſſe. Licet etiam dicere, Lucretium noſtrum è Veſpillonum, aut Ofellarum familia fuiſſe, duóque cognomina habuiſſè, cùm ad commune totius familiæ cognomen aut Veſpillonis, aut Ofellæ, cognomen Cari acceſſiſſet vel propter ingenij magnitudinẽ, & præſtantiam, vel propter morum ſuauitatem, & comitatem, vel propter aliquid tale. Quod vt facilius credam, facit vel Q. Lucretius Veſpillo, iuriſperitus, quem commemorat M. Tullius in Bruto, vel Q. Lucretius Ofella, quem idem ibidem ſcribit aptiorem fuiſſe contionibus, quàm iudiciis: de quo fortaſſè & Velleius Paterculus lib. 2. verba facit: vel potius alter Lucretius Veſpillo, cuius M. Tullius mentionem facit lib. 8. epiſtolarum ad Atticum, epiſtola V. & C. Cæſar lib. I. & III. de bello ciuili: vt credibile ſit, Lucretium noſtrum, horum alicuius fratremgermanum, aut patruelem fuiſſe. Neque me mouet, quòd Cæſar lib. I. de bello ciuili, Lucretium illum ſenatorem appellat. fieri enim poterat, vt ex eadem familia alius eſſèt equeſtris, aut etiam plebeij ordinis, alius ſenatorij. Quod ſi cui mirum videatur, conſideret, M. Tullium Ciceronem, & Q. Tullium, eius fratrem, equeſtri loco eſſe natos. Finge igitur, ex his duobus fratribus alterum ſe ad honores petendos, & rempub. gerendam contuliſſe: alterum luce populari carere, ſuum negotium agere, & intra pelliculam ſe continere voluiſſe, (quod tamen ſecus factum eſt) ſed finge ita eueniſſè. Procul dubio is, qui ædilitatem maiorẽ, præturam, conſulatum adeptus eſſèt, vt Marcus, ſenatorij ordinis factus eſſèt: ille alter, qui nullum magiſtratum geſſiſſet, in equeſtri ordine manſiſſet. Hoc idem de noſtro Tito dicere licet, eum equeſtri ordine cõtentum fuiſſe, cùm eius propinqui, quòd ſe ad rempub. adminiſtrandam, & ad magiſtratus gerendos contulerant, ſenatores facti eſſènt. Quo poſito, & conceſſo, licebit eum re-

ferre in familiam aut Veſpillonum, aut Ofellarum, vt præter prænomen T. & nomẽ Lucretij, & cognomen Cari, vel ſic appelletur, T. Lucretius, Veſpillo, Carus: vel ſic, T. Lucretius, Ofella, Carus. De duobus cognomentis autem, dubitari non debet. Nullum enim dubitandi relinquunt locum P. Cornelius, Lentulus, Sura: P. Cornelius Lentulus, Spinther: Fabius, Maximus, Verrucoſus: Cornelius, Sylla, Felix: L. Calpurnius, Piſo, Frugi, alij, quos longum ſit enumerare. Hæc ſunt, quæ de T. Lucretij noſtri genere comperta habemus. Euſebius Pamphili F. eum natum eſſe tradidit Olympiade C. L X X I, hoc eſt, Cn. Domitio Ahenobarbo, & C. Caſsio Longino COSS. anno ab V. C. IↃCLVII. Alij, Olympiade C. L X X I I. hoc eſt L. Licinio Craſſo, & Q. Mucio Scæuula COSS. anno ab V. C. IↃCLVIII. Ex quo appáret, eum M. Tullio Cicerone annis X I I. aut X I. natu minorem fuiſſe, ſiquidem M. Tullius natus eſt Q. Seruilio Cæpione, C. Atilio Serrano COSS. & ita C. Iulium Cæſarem, Q. Tullium Ciceronem, C. Valerium Catullum, T. Pomponium Atticum, & horum æquales, non longè admodum inter ſe ætatibus diſtitiſſe. Idq́ue conſentaneum eſt cum iis, quæ ſcribit Velleius Paterculus lib. 2. his verbis. Iam pæne ſuperuacaneum videri poteſt, eminentium ingeniorum notare tẽpora. Quis enim ignorat, diremtos gradibus ætatis floruiſſe hoc tempore Ciceronem, Hortenſium, ſenémque Craſſum, Catonem, Sulpicium, móxque Brutum, Calidium, Caluum, Cælium, & proximum Ciceroni Cæſarem, eorúmque velut alumnos Coruinum, ac Pollionem Aſinium, æmulúmque Thucydidis Salluſtium, auctoréſque carminum Varronem, ac Lucretium, neque vllo in ſuſcepti operis ſui carmine minorem Catullũ? Neq; ab his diſcrepant ea, quæ ſcripſit Cornelius Nepos in vita T. Pomponij Attici: his verbis. Idem (Atticus) L. Iulium Calidium, quem poſt Lucretij, Catullíque mortem, multo elegantiſsimum poëtam, noſtram tuliſſe ætatem verè videor poſſe cõtendere, neque minus virum bonum, optimíſque artibus eruditum, poſt proſcriptionem equitum, propter magnas eius Africanas poſſeſsiones, in proſcriptorum numerum à P. Volumnio, præfecto Fabrûm Antonij, abſentem relatum, expediuit.

Cùm his congruunt & M. Tullij verba in epiſtola quadam ad Q. Fratrem, lib. 2. quibus Quincti de Lucretij poëmate iudicium cõprobat: quæ verba mox ſuo loco referemus. Quòd ad ſtudium attinet, credibile eſt, poëtam noſtrũ, cùm ad poëticã, & philoſophiam natus eſſet, ingenióque ſuo indulgens, & naturam ſuam ducem ſecutus, philoſophiam Epicuréam approbaſſet: vt ſolutiore animo, & commodius philoſophari poſſet, ſeſe Athenas contuliſſe, ibíque Zenonem illum, Epicureorũ coryphæum, vt eum M. Tullius lib. 1. de natura deorum appellat, audiuiſſe, atque hoc pacto totam Epicuri diſciplinam accuratè cognouiſſe, ac perdidiciſſe. Cùm eſſet igitur Lucretius ad poëticam factus natura, ingeniíque acumine excelleret: cõtemtis popularibus honoribus, qui non ſolùm equeſtri ordini, verùm etiam plebeio patebant: (certè maioribus eius, & propinquis patuerant:) ſiue quòd à populari leuitate abhorreret natura, ſiue quòd vitam ſuam ei diſciplinæ, quàm ſequeretur, quámque amplexus eſſet, cõſentaneam eſſe vellet: (ſapientem enim ad remp. acceſſurum negabat Epicurus) conſtituit ſe intra fortunam ſuam continere, perpetuóque equeſtrẽ dignitatem retinere, neque longius progredi; idq́ue multorum bonorum, & clarorũ virorum exemplo. Quamuis autẽ eſſent hi numero complures, vnus Pomponius tamen, multorum inſtar ei eſſe poterat: qui, cùm ei honores ampliſsimos in ſua ciuitate conſequi liceret, ita priuatus, quàm diu manſit in vita, vixit tamen, vt viris totius ciuitatis Romanæ ampliſsimis, & ornatiſsimis, & nobiliſsimis cariſsimus fuerit.

Quantus autem poëta ſit Lucretius, quàm acuto, & acri ingenio: quanta ſit carminis ab eo ſcripti grauitas, ac maieſtas, quantus ornatus, quàm pulchri, & præclari verſus, quanta ſermonis elegantia, mundities, integritas, atque, vt ita dicam, ſanitas, cùm omnes eruditi, qui hodie viuunt, intelligunt: tum qui patrum noſtrorum ætate floruerunt, eo maximè declararunt, quòd hunc poëtam in primis amabant, ac lectitabant. Sed vltima illa, & maxime veneranda, vt pote nondum peregrinis ſordibus óblita, antiquitas, non obſcurè id ſignificauit. Atq;, (vt ab hoc potiſſimùm initium ſumam) quàm bene exiſtimarit de hoc poëmate Q. Tullius Cicero, Marci frater, homo ſubtiliſſimi ac politiſſimi iudicij, declarat Marci ad eum epiſtola libro II. epiſtolarum ad Q. Fr. per quam ſic ei reſcribit. Lucretij poëmata, vt ſcribis, ita ſunt: multis ingenij luminibus tincta: multæ tamen etiam artis. Quæ poteſt laus vlla poëmatis eſſe maior? Homerum laudant omnes veteres, vt ingenioſum, & omnia perficientem natura potius, quàm arte. contrà laudatur Virgilius, quòd in eo plus ſit artis, & induſtria: naturæ & ingenij minus. At Lucretius noſter vtroque valet, atque excellit, arte, inquam, & natura, vt quidem Q. Tullius Cicero, cui Marcus aſſentitur, iudicat. Quid eſt, quòd aliorum iudicia, aut teſtimonia requiramus? Hi duo multorum nobis teſtium inſtar eſſe poſſunt. Verùm tamen alij quoque teſtes citabuntur. Ac ſecundo ſanè loco citetur Cornelius Nepos: cuius verba ex vita T. Pomponij Attici, paullo antè protulimus, ea, quibus ſignificat, Lucretium in elegantiſſimis ſuæ ætatis poëtis eſſe numerandum. Tertius producatur Ouidius: cuius hi ſunt verſus.

Carmina diuini tum ſunt peritura Lucreti, Exitio terras cùm dabit vna dies. Eiuſdem ſunt & hi. Explicat vt cauſas rapidi Lucretius ignis, Caſurúmque triplex vaticinatur opus: Sic ſua laſciuo cantata eſt ſæpe Catullo Fæmina, cui falſum Leſbia nomen erat. Citetur quartus Vitruuius: cuius hæc verba ſunt lib. IX. cap. III. Cùm verò neque moribus, neque inſtitutis, ſcriptorum præſtantibus tribuantur honores: ipſæ tamen per ſe mentes aëris altiora proſpicientes, memoriarum gradibus ad cælum elatæ, æuo immortali non modò ſententias, ſed etiam figuras eorum poſteris cogunt eſſe notas. Itaque qui hiſtoriarum iucunditatibus inſtructas habent menteis, non poſſunt non in ſuis pectoribus dedicatum habere, ſicuti deorum, ſic & Ennij poëtæ ſimulacrum. Accij autem carminib. qui ſtudioſè delectantur, non modò verborum virtutes, ſed etiam figuram eius videntur ſecum habere præſentem. Itē plures poſt noſtram memoriam naſcentes cum Lucretio videbuntur velut coràm de rerum natura diſputare: de arte verò rhetorica cum Cicerone: multi poſterorum cum Varrone conferent ſermonem de lingua Latina. Itaque ſatis interdum mirari non poſſum, quæ tanta fuerit in Quintiliano iudicij peruerſitas, vt primùm cum Macro Lucretium, hoc eſt cum muſca elefantum, comparârit, cùm ſint inter ſe maximè diſpares, ac diſſimiles: (Macrum autem eum ſignifico, quē Quintilianus nouerat. nam is, qui hodie eſt in manibus, non eſt Macer germanus, ſed alius quidam Pſeudomacer in antiqui, & veri Macri locum ſubditus) deinde ſcripſerit, vtrumque eſſe quidem legendum, ſed non vt phraſin, id eſt corpus eloquentiæ faciant: poſtremo ſubiunxerit, elegantem eſſe vtrumque in ſua materia: ſed alterum humilem, alterum difficilem. Nam primùm Lucretius non fuit cum Macro comparandus, vt dixi, propterea quòd nihil habent inter ſe ſimile. Deinde quòd negat, Lucretij lectionem oratori prodeſſe poſſe ad corpus eloquentiæ conſtituendum: nihil vnquam Quintilianus minus verè locutus eſt. Nam, ſiue verba ſimplicia, ac propria, & elocutionem ipſam ſpectes: paucis admodum verbis exceptis, quæ poëta aut ſuo iure finxit, aut ab Ennio

& aliis ficta, vſurpauit, poteſt orator ex ſermonis genere, quo Lucretius eſt vſus, orationem ſuam efficere primùm puriorem, atque elegantiorem: deinde vberiorem, ac nitidiorem: ſiue te ad rerum tractandarum rationem conuertas, habet, vnde facere poſsit orationem elatiorem, grandiorem, excelſiorem. Quemadmodum enim M. Tullius, Periclem illum, qui fulgurare, tonare, permiſcere Græciam dicebatur, eò ceteris oratoribus præſtitiſſe dicit, quòd Anaxagoræ phyſici auditor fuiſſet: & Demoſthenem illum, quem Longinus ſcribit ignis inſtar, eorum, quos afficere velit, animos incendere, atque inflammare, tanto maiorem euaſiſſe, quòd Platonem in Academia de rebus à ſenſu populari remotis diſputantem audiuiſſet: ita arbitror, eum oratorem, qui ſtudioſè Lucretium legat, multo maiores in dicẽdo ſonitus editurum, multóque vehementius animos auditorum quaſi percuſſurum, &, quocumque velit, impulſurum. Neque tamen hoc ita accipi velim, quaſi hoc ſentiam, diſputationem de atomis, & de earum concurſione fortuita, & de earum motu triplici, & ſimilibus reb. ad eloquentiæ incrementum, ac pondus acquirendum oratori profuturam: ſed hoc ſentio, hoc dico, detracta certorum librorum materia, eius tractandæ rationem, ac figuras oratori magnos & vberes fructus allaturas, magnóque adiumento ad eloquentiam omnibus ſuis partib. abſolutam, comparandam futuras: & oratorem ab huius poëmatis lectione profectum, orationem confecturum longè grandiorem, magis ſonoram, magis arduam, & excelſam, magis denique, vt ita dicam, exſtructam, atque exaggeratam. Iam, quòd idem ait, Lucretium eſſe difficilem: quid diceret, ſi his temporibus natus eſſet, quibus à certis hominib. (quorum nominibus parco) ita deprauatus eſt, vt vix eius priſtina ſpecies agnoſcatur, cùm & ætati Lucretij pæne vicinus, & Lucretij exemplaria integra, & emendata, aut certè quàm minimè corrupta & mendoſa habens, hæc ſcripſerit tamen? Atqui nihil eſt in Lucretio magnopere difficile homini tolerabiliter erudito, & in diſciplina Epicuri non omnino hoſpiti. quin pleraque in eo ſunt, quæ non debet ignorare homo honeſto loco natus, & liberaliter educatus, & bonis artibus eruditus, nedum is, qui eſt orator aliquando futurus, & apud pontifices, apud imperatores, apud reges, apud populos opulentos, ac potenteis magnis de rebus verba facturus. Tali igitur ingenio præditus, atque ornatus, talibúſque adiumentis partim à natura, partim à ſtudio & doctrina inſtructus Lucretius, ſeſe ad ſcribendum de natura rerum contulit, ſcribendi quidem genus, & figuras, & grandiloquentiam Empedoclis ſecutus: materiam verò, & res, ab Epicuro, cuius diſciplinam, & decreta adamarat, mutuatus. Atque Empedocli quidem præclaram gratiam retulit, egregiis, & honorificentiſsimis verſibus in eum ſcriptis, libro I. ibi: Quorum Acragantinus cum primis Empedocles eſt: Inſula quem Triquetris terrarum geſsit in oris, &c. ſequitur deinde, Quæ cùm magna modis multis miranda videtur Gentibus humanis regio, viſendáque fertur, Rebus opima bonis, multa munita virûm vi: Nil tamen hoc habuiſſe viro præclarius in ſe, Nec ſanctum magis, & mirum, carúmque videtur. Carmina quin etiam diuini pectoris, eius Vociferantur, & exponunt præclara reperta: Vt vix humana videatur ſtirpe creatus. Epicurum verò, magiſtrum, & ducem ſuum, diuinis propè laudibus ornauit, idque tribus locis: vno, poſt procœmium lib. I. ibi: Humana ante oculos fœdè cùm vita iaceret, &c. Primùm Graius homo mortaleis tendere contrà Eſt oculos auſus, primúsque obſiſtere contrà: Quem nec fama deûm, nec fulmina, nec minitanti Murmure compreſsit cælum, ſed eo magis acrem Virtutem irritât animi, confringere vt arta Naturæ primus portarum clauſtra cu-

ſpiret. Ergo viuida vis animi peruicit, & extra Proceßit longè flammatia mœnia mundi: Atque omne immenſum peragrauit mente, animóque, Vnde refert nobis victor, quid poßit oriri, &c. altero loco, in proœmio lib. III. his verſib. E tenebris tantis tam clarũ extollere lumen Qui primus potuiſti, inluſtrãs cõmoda vitæ, Te ſequor, ò Graiæ gẽtis decus, inq; tuis nunc Fixa pedum pono preßis veſtigia ſignis, &c. ſequitur mox, Tu pater, & rerum inuentor, tu patria nobis Suppeditas præcepta, & cet. tertio, in proœmio lib. VI. vna, eadémque opera & Athenas, vbi fuit inſtitutus, & diſciplinæ inuentorẽ laudans, his verſib. Primæ frugiferos fœtus mortalibus ægris Dididerunt quondam præclaro nomine Athenæ: Et recreauerunt vitam, legéſque rogarunt: Et primæ déderunt ſolatia dulcia vitæ, Cùm genuere virum tali cum corde repertum, Omnia veridico qui quondam ex ore profudit: Cuius & exſtincti, propter diuina reperta Diuolgata, vetus iam ad cælum gloria fertur.

Quòd autem à quibuſdam proditum memoriæ eſt, Lucretij carmen, quaſi ab auctore inchoatum, rudéque atque impolitum relictum, à M. Tullio eſſe emendatum, perfectum, ac perpolitum: id ego neque refellere, ſi velim, poßim, quia Euſebij, qui huius opinionis auctor eſt, auctoritas, ab eo, qui grauioris alicuius auctoritate careat, eleuari, aut infirmari non poteſt: neque, ſi poßim, velim, quia hoc ipſum nobis argumento magno debet eſſe, hoc poëma, præclarum M. Tullio eſſe viſum, quòd id dignum eſſe iudicarit, in quo emendando operam ſuam collocaret. Ceterùm hoc videor ex ipſius Lucretij verſibus, atque ex ipſa operis ſumma, confirmare poſſe, nihil eſſe in hoc poëmate foris profectum, nihil alienum, nihil aduentitium: ſed omnia eſſe domeſtica, domi nata, & vernacula: ita totum opus ſimplex eſt, & vnum, & ab omni parte ſui ſimile, quamuis partes ſint inter ſe diſſimiles ac diſpares. Quemadmodum enim Phidiæ Mineruam, quamuis ex partibus diſſimilibus conſtaret, (vt & corpus humanum ex membris diſſimilibus conſtare neceſſe eſt:) tamen cùm eam adſpiceres, non diceres à pluribus artificibus eſſe fabricatam, ſed ab vno Phidia perfectam, atque abſolutam: ſic, cùm hoc diuinum Lucretij poëma vno quaſi oculorum obtutu contemplor, videor mihi non plurium ſcriptorum calamos, ſed vnius Lucretij manum notare atque obſeruare: vſqueadeò nullum prorſus in eo alienæ operæ veſtigium compâret. Præterea licet ex multis huius poëmatis locis hanc facere de Lucretij animo coniecturam, ita eum fuiſſe animatum, ita magnificè & glorioſè de ſe exiſtimaſſe, ita denique ſui ingenij viribus eſſe confiſum, vt videri nollet opu alienæ indigere. Declarant id, quod dico, verſus hi bis ab eo poſiti, Auia Pieridum peragro loca, nullius antè Trita ſolo: iuuat integros accedere fonteis, Atque haurire: iuuátque nouos decerpere flores, Inſignémq; meo capiti petere inde coronam, Vnde prius nulli velarint tempora muſæ, &c. & hi, libro IIII. poſiti, in proœmio. Nam veluti pueris abſinthia, &c. Sic ego nunc, quoniam hæc ratio plerumq; videtur Triſtior eſſe, quibus non eſt tractata, retróque Volgus abhorret ab hac: volui tibi ſuauiloquenti Carmine Pierio rationem exponere noſtram, Et quaſi muſæo dulci contingere melle. & hi libro eodẽ, Nunc age, quàm celeri motu ſimulacra ferantur, &c. Suauidicis potius, quàm multis verſibus, edam: Paruus vt eſt cycni melior canor, ille gruum quàm Clamor, in ætheriis diſperſus nubibus auſtri. quos verſus iterat eodẽ libro, eo loco, quo loco de ſomno diſſerere parat. & hi, quos lib. VI. poſuit, Multa tamen reſtant, & ſunt ornanda politis verſibus: & ratio ſuperûm, cælíque tenenda, & cet.

Quo mortis genere exſtinctus ſit Lucretius, difficile dictu eſt: neque multo faci-

lius eſt dicere, quoto ſuæ ætatis anno è vita deceſſerit. Plerique mortuum eſſe ferūt, anno ætatis XLIII. Cn. Pompeio Magno III. Q. Cæcilio Metello Pio Coſs. anno ab V.C. I ɔ CLI. eodem die, quo die P. Virgilium Maronem natum eſſe nonnulli ſcriptum reliquerunt. Nolunt autem eum, aut ſua ſponte mortem obiiſſe, aut alicuius morbi vi, vt fit, conſumtum eſſe, ſed, vt eius obitum τραγικώτερον faciant, ſcribunt, eum ſibi ipſum manus attuliſſe, alij tædio vitæ, quòd patriam ſuā ambitione, auaritia, luxuria, diſcordia, & ſimilibus ciuitatum, quæ diu floruerunt, & iam ſeneſcunt, morbis æſtuare, atque afflictari videret: alij ægritudine animi, quòd Memmij ſui, qui in exſulium pulſus erat, triſtem caſum æquo animo ferre non poſſet: alij furore percitū, in quem Lucilia ſiue vxor, ſiue amica, amatorio poculo porrecto, eum imprudens adegerat, cùm ab eo amari, non ei necem inferre, aut bonam mētem adimere, vellet. Quoniam autem de numero librorum à noſtro poëta ſcriptorū, nonnulli dubitarunt, & leuiſsimis argumentis adducti, pluréis, quàm ſex, ab eo ſcriptos eſſe exiſtimarūt, videtur hic error minuendus, atque hæc dubitatio tollenda. Omnino igitur ſex libros dumtaxat de natura rerum ſcripſit T. Lucretius Carus. Cuius rei cùm ſint mihi illa quoque argumenta non imbecilla, primùm quòd Grammatici veteres, aliíque ſcriptores, Feſtus, Nonius, Diomedes, Priſcianus, Probus, Cariſius, Donatus, Seruius, Tertullianus, Arnobius, Lactantius, nullum Lucretij librum vltra ſextum commemorant, nullóq; ex eius libro, prætérquàm ex I. II. III. IV. V. VI. teſtimonium proferunt: deinde quòd his ſex libris ſolis tota Epicuri ratio, ſententia, ac doctrina, quæ quidem ad naturæ explicationem pertineat, cōtinetur, neq; quidquam amplius, quod quis de ea dicere queat, reliquum eſt: & tamen multa de continentia, & parſimonia in victu, de honoribus contemnendis, de luxuria, & mollitie aſpernanda, & de ceteris rebus ad philoſophiam moralem pertinentibus accedunt: tum ipſius auctoris teſtimonium, argumēti omnium firmiſsimi vim, & locum obtinere debet. Sic igitur Lucretius lib. VI. in proœmio, ad extr. Tu mihi ſupremæ præſcripta ad candida calcis Currenti, ſpatium præmonſtra, callida Muſa.

Quid enim aliud ſignificat, quàm librum ſextum ſuæ totius de natura rerū diſputationis, operíſq; à ſe ſuſcepti eſſe faſtigiū, & veluti extremam ſui laboris metam, ad quam cùm peruenerit, ſe, vt ludorum Circenſium victores, qui ſpatium feliciter decurrerunt, coronam ſumma cum laude & gloria conſecuturum? Quòd ſi quis neget, eum librum, qui vulgò primus & inſcribitur, & appellatur, eſſe primū, quaſi multi alij libri à Lucretio ei prapoſiti fuerint, verſu illo, qui apud M. Terentium Varronem, lib. 4. de lingua Latina, legitur, auctoríque Lucretio adſcribitur, commotus, Ætheris, & terræ genitabile quærere tempus: primùm, ipſius libri argumentum ſatis declarat, Lucretium non aliunde, quàm ab hoc libro initium duxiſſe. In primo libro enim diſputat poëta de principiis, ſeu primordiis rerū. At nónne præpoſterum & peruerſum ordinem ſecutus eſſet, ſi in prioribus quidem libris, de aliis quibuſdam rebus, ordine poſterioribus, diſſeruiſſet: in hoc libro verò, qui illis poſtpoſitus eſſet, de principiis rerum, quæ ſunt ordine priora, diſputaret? Deinde proœmium ipſum clamat, hunc eſſe primum librum. Præterea commendatio auctoris & ducis, quem ſequitur, ſiue proparaſceue ad diſputationem de principiis rerum, cum laude Epicuri coniuncta, quæ eſt ibi, Humana ante oculos fœdè cùm vita iaceret, &c. huius rei fidem facit. Præterea ij verſus, quibus lectori, rei ſuſceptæ difficultatem, & poëtæ animi magnitudinem, ac pæne dicam, audaciam tacitè miranti, occurrit, Nec me animi fallit, Graiorum obſcura reperta, Difficile inluſtrare Lati-

nis verſibus eſſe, &c. vincunt, hunc eſſe primum librum. Serò enim hoc faceret, ſi alij libri antecederent. Præterea hic locus ex eodem libro me adiuuat. Hunc igitur terrorem animi, tenebráſque, neceſſe'ſt, Nō radij ſolis, neque lucida tela diei, Diſcutiant: ſed naturæ ſpecies, ratióque, Principium hinc cuius nobis exordia ſumet, Nullam rem è nihilo fieri diuinitus vmquam. Poſtremò verſus poſiti lib. VI. eo loco, quo loco docere incipit, quo pacto fiat, vt magnes ferrum trahat: nullum dubitationi locum relinquunt. Sunt autem hi verſus. Nunc omnes repetā, quàm raro corpore ſint res, Commemorare: quod in primo iam carmine claret. In primo carmine, hoc eſt, in primo libro. At in primo libro, in eo, inquam, libro qui vulgò liber primus & inſcribitur, & numeratur, poſteaquàm aliquot verſibus oſtendit, eſſe corpora quædam ſolidiſſima, & ſimpliciſſima, quæ primordia rerum dicuntur, docet continuò, eſſe inane, & res genitas corpore raro conſtare: ibi, Nec tamen vndique corporea ſtipata tenētur Omnia natura. namque eſt in rebus inane, &c. & ibi. Præterea, quamuis ſolidæ res eſſe putentur: Hinc tamen eſſe licet raro cum corpore cernas: In ſaxis, ac ſpeluncis permanat aquarū Liquidus humor, & vberibus flent omnia guttis, &c. Quòd autem ad verſum illum attinet, qui apud Varronē Lucretio adſcribitur: locus eſt apud Varronem corruptus, & vel Lucilij, vel alicuius alius ſcriptoris nobis ignoti nomen, pro Lucretij nomine reponendum eſt. Nam primùm veriſimile non eſt, M. Terentium Varronem à Lucretio, longè minore natu, teſtimonium ſumſiſſe, vt neq; à quoquam alio inferioris ætatis ſcriptore. Quin, ſi Euſebio credimus, qui Lucretium noſtrum ſcribit anno poſt M. Terentium Varronem XXIV. poſt M. Tullium Ciceronem, XI. natum eſſe: fortaſſe hic poëta nondum vllam de natura rerum litteram fecerat, cùm Varro ſuos de lingua Latina libros abſolutos ad M. Tullium miſit: aut certè ij libri nondum ad manus hominum peruenerant, neque in lucem editi fuerant. Nequis autem dicat, audax facinus eſſe, librorum omnium, qui ſic habent, conſenſum repudiare, auctoritatémque aſpernari: oſtendam, ſimile erratum in nomine Lucretij apud eundem ſcriptorem lib. VI. inhæſiſſe. Sic enim vulgò legitur, Apud Lucretium, Atque aliquos ibi ab rebus clepſere foro. Nam ſine dubio legendum, apud Lucilium, Atque aliquos ibus ab rebus clepſere, foróque. quod vidit & Ioſephus Scaliger. Sic ſæpe apud Feſtum & Nonium, & Macrobium, & alios, in hoc nomine à librariis peccatum eſt. Sic apud Feſtum legitur vulgo in, Ouſentinæ tribus. Lucretius. Priuerno Ouſentina venit, &c. legendum, Lucilius, Priuerno Ouſentina, (ſeu, Vfentina) venit. fluuióq; Ouſente. Apud Nonium cōtrà, in aduerbiis, longinquè, & longiter, ita legitur vulgò. Lucilius lib. 3. Non, vt opinor, id à lecto iam longiter rati. legendum enim eſt, Lucretius lib. 3. Non, vt opinor, id à leto iam longiter errat. quod in commentariis libri 3. ſuo loco iam pridem indicauimus. Sic & apud Macrobiū lib. 6. Saturn. cap. I. Lucretij nomen, pro Lucilij à librariis ſcriptū, & impreſſum eſt. ſic enim vulgò legitur. Lucretius. Maior erat natu: non omnis poſſumus omnes. legendum enim, Lucilius. Maior erat natu, &c. Multo plura mihi colligere licet: ſed ad reliqua propero. Conſilium poëtæ eſt, animi tranquillitatem, & ἀταραξίαν illam, quam crebrò habebat in ore Epicurus, hominibus afferre. Quoniam autem duæ res in primis homines ſollicitant, & conturbant, vt ille putabat, religio, hoc eſt, timor deorum inanis, vitæq; beatæ inimicus, atque infeſtus: tum mortis metus. his duobus animorū quaſi peſtibus, & crucibus, conatur eos liberare, oſtendēdo, primùm nullā eſſe deorum prouidentiam: deinde nullum ſenſum poſt vitam remanere, animóſq;

eſſe

eſſe mortaleis. In quibus vehementer quidem errat Epicurus, & nos Chriſtiani valde ab eo diſſentimus: ſed noſtri poëtæ, qui eum ducem ſequitur, conſilium aperimus. Quoniam igitur neutrum horum facile expedire poterat Lucretius, niſi natura rerum perſpecta, & cognita, omnem operam ſuam in explicanda ratione naturæ ponit. Itaque docet, mundum ſine conſilio deorum, atomorum concurſu fortuito, eſſe factum, & mundos eſſe innumerabileis, eodem modo creatos, eóſq; omneis eſſe interituros. Ac totum quidem librum tertium in diſputatione de anima conſumſit: ceteros verò in diuerſis, ac variis quæſtionibus, quas lector ex indice earum rerum, quæ in ſingulis libris tractantur, facilè per ſe cognoſcet. Atque hæc ita ſe habere, vt dico, licet ex eo intelligere, quòd primo libro ſtatim poſt prooemiũ, primùm per quandam corporis fictionem (σωματοποιίας nominant Græci:) & per quandam προσωποποιίαν, religionis imaginem horribilem deſcribit, eámque facit è cælo cum tali adſpectu mortalibus imminentem: vitam hominum autem tali ſpecie perterritam fœdè iacentem: deinde Epicurum, hominem natione Græcum, aduerſus tam terribilem perſonam, oculos contendentem, eíque obſiſtentem. ſubiicit deinceps, Vnde refert nobis victor, quid poſſet oriri, Quid nequeat: finita poteſtas denique quoique Quánam ſit ratione, & quàm alte terminus hærens. ſequitur mox, Hunc igitur terrorem animi, tenebráſque, neceſſe eſt Non radij ſolis, neque lucida tela diei Diſcutiant: ſed naturæ ſpecies, ratióque. En tibi: naturæ ſpecies, ratióque neceſſe eſt hunc terrorem diſcutiat, inquit: per naturæ ſpeciem, & rationem, nihil aliud ſignificans, quàm naturæ explicationem, ſiue diſputationem de natura rerum, quam phyſicam, ſeu phyſiologiã appellant Græci. Eodem pertinent illa, quæ poſuit lib. 3. in prooemio. Nam ſimulac ratio tua cœpit vociferari, Naturam rerum diuûm ſine mente coortam: Diffugiunt animi terrores, mœnia mundi Diſcedunt, totum video per inane geri res. Appâret diuûm numen, ſedéſque quietæ, &c. ſequitur paucis pòſt verſibus, At contrà nuſquam appárent Acheruſia templa, Nec tellus obſtat, quin omnia diſpiciantur, Sub pedibus quæcumque infrà per inane geruntur, &c. Conſentanea ſunt his & illa ex eodem lib. in extr. vbi deſcribit hominum inconſtantiam, & morbum animi, dum errantes, & incerti, aſſiduè quærunt, vbi conquieſcant, & locum identidem commutant, quaſi onus, quo vrgentur, deponere queant: ſed fruſtra: quia morbi cauſam non tenent, inquit. Sic enim Lucretius concludit. Hoc ſe quiſque modo fugit. at, quod ſcilicet, vt fit, Effugere haud potis eſt, ingratis hæret, & angit, Propterea, morbi quia cauſam non tenet æger. Quam bene ſi videat, iam, rebus quiſque relictis, Naturam primùm ſtudeat cognoſcere rerum, Temporis æterni quoniam, non vnius horæ, Ambigitur ſtatus, &c. Deinde (redeo nunc ad primum librum) oſtendit, ignorationem naturæ animæ, efficere, vt homines nati eſſe videãtur in miſeriam ſempiternam, ibi. Quippe etenim quàm multa tibi, &c. ſequitur mox, nam ſi certam finem eſſe viderent, Ærumnarum homines: aliqua ratione valerent Relligionibus atque minis obſiſtere vatum. Nunc ratio nulla eſt reſtandi, nulla facultas, Æternas quoniam pœnas in morte timendum. Ignoratur enim, quæ ſit natura animaï, Nata ſit, an contrà naſcentibus inſinuetur: Et ſimul intereat nobiſcum morte diremta, An tenebras Orci viſat, vaſtáſque lacunas, &c. Idem lib. 3. prooem. Et quoniam docui, &c. Haſce ſecundum res animi natura videtur, Atque animæ, claranda meis iam verſib. eſſe: Et metus ille foras præceps Acheruntis agendus, Funditus humanam qui vitam turbat ab imo, Omnia ſuffundens mortis nigrore: neque vllam Eſſe voluptatem liquidam,

purámque relinquit. Quantùm autem exiſtimarit Epicurus naturæ explicationem, ſiue rerum naturalium cognitionem prodeſſe ad animos tranquillandos, omníque ægritudine, & metu liberandos, oſtendit & M. Tullius lib. I. de finib. his verbis. In phyſicis autem, quòd plurimùm proſunt, plurimam operam poſuit Epicurus. Omnium enim rerum natura cognita, leuamur ſuperſtitione, liberamur mortis metu, non conturbamur ignoratione rerum: è qua ipſa horribiles exſiſtunt ſæpe formidines: denique etiam morati melius erimus, cùm didicerimus, quæ natura deſideret. tum verò, ſi ſtabilem ſcientiam rerum tenebimus: ſeruata illa, quæ quaſi delapſa de cælo eſt ad cognitionem omnium, regula, ad quam omnia iudicia rerum dirigentur: numquam vllius oratione victi ſententia deſiſtemus. Niſi autem rerum natura perſpecta erit, nullo modo poterimus ſenſuum iudicia defendere. Quidquid porrò animo cernimus, id omne oritur à ſenſibus. qui ſi omnes veri erunt, vt Epicuri ratio docet: tum denique poterit aliquid cognoſci, & percipi quos qui tollunt, & nihil poſſe percipi dicunt: ij, remotis ſenſibus, ne idipſum quidem expedire poſſunt, quod differunt. Præterea ſublata cognitione, & ſcientia, tollitur omnis ratio & vitæ degendæ & rerum gerendarum. Sic è phyſicis & fortitudo ſumitur contra mortis timorem, & conſtantia contra metum religionis, & ſedatio animi, omnium rerum occultarum ignoratione ſublata, & moderatio, natura cupiditatum, generibúſque earum explicatis: &, vt modò docui, cognitionis regula, & iudicio ab eadem illa conſtituto, veri à falſo diſtinctio traditur. Argumentum & inſcriptio operis, ex iis, quæ ſuprà diximus, ſatis patent. Explicatur hoc præclaro poëmate natura rerum, & inſcriptio librorum, hæc eſt, T. Lucretij de natura rerum libri VI. omnium & librorum veterum auctoritate, & doctorum virorum conſenſu, comprobata: ad quæ duo accedit ipſius ſcriptoris vox, & veluti teſtimonium. Sic enim lib. I. poëta noſter: Te ſociam ſtudeo ſcribendis verſibus eſſe, Quos ego de rerum natura pangere conor. & lib IIII. proœm. Si tibi forte animum tali ratione tenere Verſib in noſtris poſſem, dum perſpicis omnem Naturam rerum, ac præſentis vtilitatem. & lib. V. proœm. de Epicuro loquens. Hæc igitur qui cuncta ſubegerit, ex animóque Expulerit dictis, non armis: nónne decebit Hunc hominem numero diuûm dignarier eſſe? Cùm bene præſertim multa, ac diuinitus, ipſis Immortalibu' de diuis dare dicta ſuërit, Atque omnem rerum naturam pandere dictis? Hæc habuimus, quæ de T. Lucretij Cari patria, genere, vitæ ſtudio, ingenio, mortis genere, librorum ab eo ſcriptorum numero, conſilio poëtæ, argumento operis, & inſcriptione librorum, ſcriberemus. Nunc Lucretium naturam rerum grauiſſimis, atque ornatiſſimis explicantem audiamus.*

Suprà in quaternione b pag 4. verſ. 35. ſcribe, poſſemus. eſſet præclar.
In quaternione c. pag 6. v. 14 ſcribe, nulla re magis. &c.
In quaternione d. pag. 3. ver. 5. ſcribe, Q. Fabius Max. Verr. L. Corn Sylla, &c.
pag. ead, v. 13. ſcribe, & ita, T. Lucretium Carum, C. Iulium, Caſ. &c.

INDEX QVAESTIONVM, ET RERVM INSIGNIORVM, QVÆ SINGVLIS LIBRIS CONtinentur, omnium, qui vmquam editi ſunt, locupletiſſimus, & planiſſimus.

LIBRI I.

PRoœmium primum ad Venerem. pag.1.verſu 4.

Proœmij primi concluſio, & Veneris innocatio. pag.6.v.1

Proœmium ſecundum, in quo Memmiũ, docilem, & attentum reddit: ſimúlque proponit, qua de re ſit diſputaturus. pag 9.& 10

Deos non procurare res humanas: eſſe beatos: neque beneficiis capi, neque ira commoueri. pag.ead.v.12

Religionis deſcriptio, & quaſi hypotypôſis, & laus Epicuri, qui animos hominum religione oppreſſòs, liberarit. pag 11.& 12

Religionis mala. pag.14

Iphianaſſa, ſeu Iphigenia à patre Agamemnone Dianæ immolata, vt exitus nauib. daretur. pag.ead.

Terrores animorum naſci ab ignoratione naturæ animæ, quod eam putent eſſe immortalem. pag 18

Proœmij ſecundi concluſio. pag 21

Terrorem animorũ, & tenebras diſcuti à naturæ cõtemplatione, & ratione. pag 23.v.5

Nullã rem gigni è nihilo: ſed è certis principiis omnia fieri. pag.ead.v.9

Argumenta, quibus hoc probat. pag.24. & 25.& 27.& 28

Nullã rem ad nihilũ interimi: ſed quædam eſſe æterna corpora, in quæ omnia diſſoluantur. pag.28.v 23

Argumenta, quibus hoc probat. pag.29. 30 31.32

Non idcò prima corpora neganda, quia videri non poſſint: cùm multa alia ſint in rebus corpora, quæ itidem videri nequeant. pag 33 35 36.37.38.39

Præter corpora, inane in rebus eſſe. p.40. & infrà

Multa argumenta, quib. probat eſſe inane. p.41.& infrà

Motũ eſſe non poſſe ſine inani, & quomodo piſces in aqua moueãtur. p.44

Concludit, in corporib primis, & inani, conſiſtere naturam rerum. pag.48

Nihil per ſe eſſe in rerum natura, præter inane, & corpora: cetera omnia aut his coniuncta, aut horum eſſe euenta. pag 50.& 51

Tempus per ſe non eſſe. pag.53

De euentis rerum. pag.54

Corporũ alia eſſe primordia: alia ex eorum cœtu concreta & cõflata. p.ead.

Difficile eſſe credere, quidquam in rebus ſolido corpore reperiri. pag.55

Corpora, quæ rerum ſunt primordia, ſolida, atque æterna eſſe. pag 57

Corpora, & inane, vt principia ſunt, eſſe per ſe, & ſeparatim, & pura p.ead.

Materiam eſſe ſolidam, & æternam. pag.ead.

Omne, quod eſt, eſſe diſtinctum corpore, & inani. pag.58 & 59

Sine inani nihil poſſe frangi, aut findi, neque collidi, &c. pag.59

Corpora prima eſſe æterna. pag.60

Rebus frangendis finem eſſe à natura conſtitutum pag 61

Quamuis corpora prima ſint ſolida, tamen ex iis fieri poſſe res molleis. pagina 62

Corpora prima, eſſe ſimpliciſſima. p.63

Eſſe aliquid minimum in natura rerum. pag.65

Erraſſe Heraclitum, & eos, qui ex ſolo igne res omneis cōſiſtere opinati ſunt: omneíſque illos, qui vnum duntaxat quodlibet elementum, rerum materiam exiſtimarunt. p.68. & aliquot paginis ſeq.

Non minus falli eos, qui ex pluribus elemētis, aut etiam ex omnibus (vt Empedocles) res omneis gigni opinātur. pag 73

Laus Empedoclis. p.74

Argumēta aliquot, quibus refellitur opinio Empedoclis. pag.77. & ſeq.

Ex ſimilibus particulis nō poſſe res omneis conſtare, vt vult Anaxagoras. p. 82. & ſeq.

Degreſſio à propoſito, in qua oſtendit, ſe rerum obſcuritate non eſſe deterritū à ſcribendo, & plus valuiſſe apud ſe amorem Muſarum, & ſtudiū laudis, quàm rei difficultatem. p.90

Infinitum eſſe in omneis parteis ſpatiū, atque infinita in eo ſemper moueri corpora. p.93. & ſeq.

Non eſſe medium totius, in quod nitantur omnia, vt quidam crediderunt. pag.102.

LIBRI II.

Proœmium, quo ſapientiā laudat. p.109

Concluſio proœmij, nihil prodeſſe bona fortunæ, niſi pectus ſit omni metu & religione vacuū et purgatū. p.112

Prima corpora vario atque aſſiduo motu res & gignere, & genitas reſoluere. p.114. & ſeq.

Primorum corporum motus demonſtratur ex ſimilitudine eorum, quæ in ſolis radiis agitantur. p.117. & 120

Prima corpora maxima celeritate moueri. p.122.

Mundum nō eſſe à Deo creatum, vt putant Stoici, & veteres Academici p. 124.

Omnia corpora ſua natura deorſum ferri, neque vllam rem corpoream ſua vi poſſe ſurſum meare. p.125. & 126

Prima corpora, cùm per inane deorſum rectà ferantur omnia, decedere tamen, & declinare aliquātulū p.128

Niſi prima corpora aliquantulum declinarent, non eſſet libera hominum volūtas, ſed omnia neceſſitate & fato fierent: quod eſt falſum. pag.131.

Intereſſe vtrùm moueamur ſpōte, an inuiti. p.134

Quo in motu ſint prima corpora, in eodē ſemper & fuiſſe, & futura eſſe. pag 135.

Mirum non eſſe, cùm ſemper moueantur prima corpora, non videri tamē eorum motum. p.136

Diſſimileis eſſe primorum corporum figuras. p.138. & 139

Ex diſſimilitudine figurarum, quæ ineſt in corporib. primis, naſci diſſimilitudines rerum genitarum & cōcretarum. p.142. & 143. & 144. & 146. & 147.

Vt diſſimileis, ita finitas eſſe primorum corporum figuras. p.150 & 151

Infinita eſſe inter ſe ſimilia cuiuſque figuræ corpora. p.154

Infinita eſſe corpora prima, ex quibus ſingulæ res gignūtur. p. eadē et p 155

Motus exitialeis, & vitaleis æquo inter ſe prælio decertare. p.157

Nullā rem eſſe, quæ ex vno genere principiorum conſtet, ſed omneis conſtare ex diſſimilibus, & permiſtis. p.158

Terrā, magnā eſſe deorum, & hominū matrem, & ſublimem in curru vehi: & à quibus animalibus currus eius trahatur: & quos habeat comites. p 160. & 162

Quamobrem magnam matrem armati comitentur, &c. p 164

Terram ſenſu carere, & multarum in ea rerum eſſe primordia: vt & in aqua, & in aliis rebus. p.165 & 16.

Non poſſe omnia principia omnibus cō-

necti,ſed diſsidere inter ſe quædam, neq; vmquã cohærere poſſe,ne vulgò fiant portenta. p.168 & 169.
Prima corpora omnis coloris eſſe expertia p.170.& 171
Quamuis prima corpora nõ ſint colorata, res genitas tamẽ coloratas eſſe ex formarum varietate, quæ ineſt in principiis. p.173
Argumenta,quibus probat,principia rerum coloris eſſe expertia. p.174.175. & 177
Ceteris qualitatibus omnibus, quæ ſub ſenſum cadunt,carere prima corpora pag 178,& 179
Ex inſenſilibus principiis gigni ſenſilia omnia poſſe p 180.& 181
Quamuis animantem grandior ictus, quàm patitur natura,repente affligit. p. 185.v 35.
Prima corpora neque dolore,neq; voluptate affici:& ita,carere ſenſu p 185
Æthera eſſe patrem omnium,& terram matrem. p.190 & 191
Referre,eadem primordia,ſeu corpora prima cum quibus coniungantur,& quali poſitura cum aliis contineantur. p.191.& 192
Mundum hunc, & ſimileis alios innumerabileis in infinito ſpatio, non à diis.ſed fortuito primorum corporum concurſu genitos, & interituros eſſe:atque adeò iam ſenem eſſe hunc mundum. p.192 193;195.& 196
Deos nõ regere hunc mundũ p.197.198
Homines non eſſe è cælo delapſòs,neque ex mari ſed ex terra natos. p.202
LIBRI III.
Procemium,quod continet laudem Epicuri. p.207.& 208
Animi naturam eſſe cognoſcendam, & metum inferorũ depellendũ ex animis,vt trãquillitas adſit. 210.& 211.
Homines mortem, & inferos maxime horrere.quãuis id negẽt. p.211.et 212
Animum,certam eſſe hominis partẽ. 215
Animum non eſſe harmoniam. p.217
Animum,atque animam vnam ex ſe naturã conficere : ſed animi eſſe dominatũ:& animi ſedem eſſe mediam pectoris regionem. p.218.& 219
Animum, atq; animam corporea naturà conſtare. p.219.verſu.16
Animũ è minutiſsimis corporibus conſtare,& eſſe mobiliſsimũ p.221 & 224
Animi naturam ſimplicem non eſſe, ſed è quattuor conſtare naturis:vẽto,calore,aẽre,& quarta natura nominis experte. p.225.& 226
Quo pacto diſsimiles quattuor animi naturæ ſimul miſtæ vnam ex ſe naturã creeent. p.227.& 229
Animi vitia radicitus euelli doctrina, et ratione non poſſe : minui tamen & leuãri poſſe. p.229.& 230
Corpus atque animũ ita coniuncta eſſe, vt neque eſſe, neque ſentire quidquã vnum abſque altero poſsit. p.230
Errare illos qui animo ſenſus attribuũt, & corpus ſentire negant. p.232
Falſum eſſe,oculos nihil cernere, ſed animum per oculos, quaſi per foris aut feneſtras apertas. p.233
Errare Democritum, qui ita corpus animo nectat,vt ſingula quæque animi primordia ſingulis quibuſque corporis primordiis apponat. p.234
Magis ab animo vitam eſſe, quàm ab anima. p 236.& 237
Et natiuos,& mortaleis eſſe animos. p. 238.& 239
Animum gigni & ſeneſcere pariter cum corpore. p.240
Hominis ebrij facti,& vino obruti mẽbra grauari,crura præpediri,etc.243
Animũ & ſuis ipſi⁹ morbis affici, & corporis morborũ eſſe participem. p ead.
Animum ſanari certis remediis,& flecti medicina:interire igitur. p 245
Vt manus ſeparata à corpore humano non ſentit, nec vlla alia corporis humani pars.ſic nec animum à corpore

ſeparatum ſentire. pag.247.
Corpus non poſſe ferre animæ diſcidiũ, quin id puteſcat: & animam ſæpe dum viuit homo, labefactari. p.249
Multa alia argumenta cõtra animæ immortalitatẽ p.251.et pag ſequentib.
Senſum vitalem in toto corpore ineſſe. p.253.
Enumeratio rerum aliquot, quæ efficiãt, vt aliquid poßit eſſe æternũ. p.267. & 268.
Animi naturam non eſſe ſolido corpore, &c. p 268
Mortem neque quicquam ad nos pertinere, neque timẽdam eſſe. p. 269. & 270. & 274
Quæ hor eãt homines poſt mortẽ. p ead.
Occupatio obiectionis ab enumeratione cõmodorum, & voluptatum, quibus mortui carent. p. 278
Solutio obiectionis. p. ead. verſ. 23.
Proſopopœia naturæ ad homines nimiũ vitæ cupidos, & nimis mortem horrentes. p. 281 & 282
Nullas eſſe apud inferos pœnas, nullos cruciatus: ſed homines vitioſos, dum viuũt, aßiduè cruciari. p.288. et 289
Conſolatio mortis. p 290
Homines ignorare cauſam ſui morbi, ſuæq; ægritudinis, quia naturam rerum ignorant. p.295. & 256

LIBRI IIII.

Prooemium. pag 302.
Simulacra quædã, ſeu imagines a rebus mitti. p ead. in extr. & p.303
Argumenta, quibus oſtendit, ex reb omnib. perpetuò fluere imagines p.304. & 305.
Tenuißima natura conſtare imagines. p. 309. & 310.
Præter imagines eas, quæ è rebus fluunt, eſſe alias, quæ ſponte ſua in aere gignuntur. pag. ead. verſ. 17.
Facillimè, & celerrimè gigni imagines. pag. 312
Celerrimè moueri imagines. p. 314. et 315
Argumenta, quibus celerrimum eſſe imaginũ motum probat p ead. & p 317
Viſus cauſam eſſe in imaginibus: & cũ rem aliquã cernimus, quantũ ea res abſit, nos videre per imagines p.319
Cur, cùm ſingula quæq; ſimulacra cerni nõ poßint, ipſæ tamen res cernantur. pag 320
Cur quæ in ſpeculo videntur imagines, vltra ſpeculũ eſſe videantur. p.321
Cur in ſpeculis ea, quæ dextera ſunt, læua videãtur: & cur de ſpeculo in ſpeculũ tradatur imago, ita vt quinque ac ſex imagines reddantur. p.323
Cur in inflexis ſpeculis dextra videãtur ſimulacra. p. ead.
Cur imagines nobiſcum ingredi videãtur. p.325
Cur ſplendida oculos lædant. p. ead.
Cur quæ intuentur arquati, fiant lurida. p. ead. & p.326.
Cur è tenebris videamus ea, quæ in luce ſunt, neque contrà fiat. p.327
Cur turres quadratæ, rotũdæ procul intuentibus videantur. p.328
Cur vmbra nobiſcum in ſole moueri videatur. p. ead. in extr. & 329
Oculos in talib. rebus non falli, ſed animum. p 331
Cur nauis, in qua vehimur, ſtare videatur: & multa alia ſimilia, quæ aliter nobis videtur, quàm re vera ſunt, vt ſidera quieſcere, cùm moueãtur: duo mõtes cõiuncti, qui longè inter ſe diſiuncti ſunt: atria pueris circumagi, &c. pag ead. & p.332. & 333
Nauigia, & apluſtra, maris ignaris videri clauda: remorum partẽ eã, quæ in mari eſt, videri inflexam multáq; alia, quæ ſenſibus fidem quaſi detrahere conantur. p.335
Nũquã decipi ſenſus in iis, quæ illis ſubiecta ſunt: ſed errorẽ omnẽ naſci ab animi opinione et quod ſenſib. videatur, id verum eſſe, neque ſenſus refelli poſſe. pag. 335. in extr. & pag 336.

Longa diſputatio contra nouos Academicos, & eos, qui nihil ſciri poſſe, & ſenſus fallaceis eſſe dicunt. pag. 338. & 339
De auditu & voce. p. 343
Vocem eſſe corpoream. p. ead.
Vnde fiat vocis aſperitas, & læuor. p. 344
Qui fiat, vt verba, & vocem articulatã intelligamus, aut non intelligamus. p. ead. v. 29
Vocem vnam in multas voces diuidi, & ad multorum hominũ aureis differri. p 346
Qua ratione fiat echo, ſeu vocis imago. p. ead.
Cur per quæ loca ad oculos venire ſimulacra non poßint, per ea voces transmeent. p. 348
De guſtatu, ſapore, & ſucco. 350
Cur idem cibus aliis amarus, aliis dulcis: res eadem aliis cibus, aliis venenum ſit. 351. & 352
Cur febri laborantibus, quæ prius iucũda erant, amara, & inſuauia fiant. p. 352. v. 16
De olfactu, & odore: & cur alius aliis aptior animãtibus odor ſit. p 353. 354
In aſpectabilibus etiã, & coloribus hoc eſſe, vt alia iniucunda, alia iucunda ſint viſu. p. 356
Animum tenuißimis & celerrimis moueri ſimulacris. p. 357. in extr. & 358
Quemadmodum accurſu imaginum res cernimus, ita & earundem aduẽtu, & affluxu, nos res cogitare. p. 360
Non eſſe mirum ſimulacra moueri, & brachia in numerum iactare. p 362
Cur, quodcumque voluerimus, ſtatim cogitemus p. 363
Quamobrem nobis videantur interdum ſimulacra in numerũ procedere, & mollia membra mobiliter mouere. p. ead. v. 13
Fieri interdum, vt quæ modò in ſomnis fœmina viſa ſit, ſtatim vir factus videatur. p. 367
Animantibus ſenſus & membra nõ eſſe ad vſum data, ſed datis ſenſibus & membris, eorum vſum repertum. pag. ead. v. 16
Quæ famis & ſitis cauſæ. p. 369. & 370
Cur, cùm volumus, moueri, & paſſus proferre poßimus. p 370. extr. & 371
Quo pacto, & vnde naſcatur ſomnus. p 373. & 375
Somnus poſt cibum altißimus, & ſuauißimus. pag ead. in extr. & 376
De ſomniis. 377. & 378. & 381
De ſeminis profuſione nocturna. p. 381
Vnde cupiditas rerum venerearum, & amor, & quomodo vitari poßit. 383
Fugiendum eſſe amorem, nec eum carere Veneris fructu, qui vitat amorem. p 385
Amoris & libidinis mala, atque incommoda. p. ead. & 386. & 389. & 390
Vigilandum eſſe antè, & præcauendũ, ne amoris laqueis capiamur. p. 390. extr.
Etiam eum, qui ſit amore implicitus, poſſe eum effugere. p 393
Amanteis cæcos eſſe in vitiis amicarum ſuarum, eáque extenuare, atq; adeò virtutum nominibus appellare: ideò fieri, vt ſe amoris laqueis expedire nõ poßint. pag. ead.
Fœminam interdum etiam amore capi, atque implicari, neque ſemper amorem ſimulare: & communẽ eſſe nonnumquam vtriuſque in re venerea voluptatem. p 399
Quî fiat, vt liberi ſint patri, non matri ſimiles, & contrà: & quî, vt vtriq;. p. 401
Cur auorum etiam & proauorum nonnumquam ſimiles naſcantur. p. ead.
De cauſis ſterilitatis, ac fœcunditatis. p 403
Referre quo cibo mas & fœmina alantur ad ſeminis naturam. p. 404
Referre etiam quomodo tractetur volu-

ptas ad procreationem liberorũ, & ad grauidationem & conceptionem mulierum. p.ead.
Non fieri diuinitus, vt mulier deformis ametur. p.405
Amorẽ concinnari à cõſuetudine. p.ead.

LIBRI V.

Procemium, quod continet laudationem eius, qui princeps vitæ rationem inuẽnit, quæ nunc appellatur ſapiẽtia. p.411. & 412
Niſi purgatum ſit pectus, quæ, & quanta mala ſint ſubeunda. pag.412.extr.
Numero deorum eſſe habendum eum, qui animorũ peſteis ſuſtulerit, pectoráque purgarit. pag.417
Propoſitio eorum, quæ ſit hoc libro tractaturus. p.ead.v.19
Terram, mare, cælum, ſolem, & ceteras mundi parteis, mundum denique, eſſe mortalem. p.420
Solem, lunam, & cetera, non eſſe immortalia, neque in deorum numero habenda. p 422
Mundi parteis non poſſe deorum ſedes eſſe. p.423
Mundum non eſſe à diis hominum cauſa conſtitutum. p 426
Argumenta, quibus probat, mundum nõ eſſe à diis hominum cauſa creatum. p.428
Puerum infantem, naſcentem, ex aluo matris nudum proiici, vt nautã à fluctib. eiectum, & naufragum: & vitam à vagitu incipere. p.429
Parteis mundi naſci & interire: ergo & mundũ natũ & interiturum. p.431
Argumenta, quibus probat, mundi parteis gigni, & interire, à terra, aqua, aëre, ſole, &c. p.ead. v.21
Aëra in ſingulas horas mutari: &, quidquid de rebũ fluit, recidere in aëra: & rurſus ab aëre rebus retribui. p 434
Solis lumen numquã eſſe idem, ſed ſemper aliud. p.ead.
Lucernarum, & tædarum noua ſemper eſſe lumina. 435
Lapides, turreis, templa deorum, & cet. vetuſtate conſumi. p.436
Mundi naturam eſſe recẽtem. 437. v.12
Ex pugnis, quibus inter ſe cõfligũt membra mundi, eorum interitum portẽdi. p.440
Quomodo elemẽta omnia, & ſidera ex primis corporib. primùm genita ſint. p.443
Terram, primam ex corpuſculorum fortuito concurſu eſſe creatam, deinde æthera, deinde ſolẽ, & lunã, & mare, & aëra. p 445
Quo modo, & qua vi cælum & aſtra moueantur, ſi mouentur. p.449
Qua ratione in media mundi parte terra poſſit conſiſtere, & quieſcere, neque deſidat inferius. p.452
Solem, lunam, & ceteras ſtellas, ea eſſe magnitudine, qua nobis videtur. 453
Qua ratione, cùm ſol ſit tantulus, tantum tamen mittere lumen poſſit. 457
Cur luna annuos ſolis curſus menſtruis peragat ſpatiis: & qua ratione ſol nunc ad nos accedere, nunc à nobis recedere poſſit. p.459
Qua ratione nox fiat, qua item oriatur lux. pag.462
Cur alternis nunc breuiores, nunc longiores ſint aut dies, aut noctes. p. 465
Cur augeſcat lunæ lumen, & decreſcat, variámque ſpeciem nobis præbeat. p.466
Ordine certo multa fieri. p 467. v.24
De ſolis & lunæ defectibus. p.470
Breuis, & pulchra anacephalæoſis, ſiue ſumma rerum ſuprà explicatarum collectio. 471
Mundo nouo herbas, arbores, animalia rationis expertia, & ratione prædita exſtitiſſe. p.471. in extr. et 472
Animalia non cecidiſſe de cælo, neque è mari nata, ſed ex terra: ideóque eam meritò

meritò maternum nomen eſſe adeptā pag. 472

Mundo nouo aueis primùm eſſe natas, deinde homines, & cetera animalia: & tum nec frigora fuiſſe nimia, nec immoderatos calores, nec nimis acreis ventos p 473

Terram, vt mulierem ætate confectam, finem pariendi eſſe facturam p. ead.

Multa ex noua terra creata eſſe monſtra, quæ augeſcere nō potuerint, multáque animantium genera interiiſſe pag. 476

Centauros, Scyllas, Chimæras, ceteráque id genus monſtra ex diuerſis generibus animalium compacta, neque fuiſſe vmquam, neq; eſſe poſſe. p. 479

Primorum illorum hominum vitā aſperrimam primò, atque omnium rerum ignarā fuiſſe: paullatim deinde molliorem, & vſu peritiorem euaſiſſe pag 482 & 483

Primos homines viribus admodum valuiſſe, & nudos humi ferarum ritu iacuiſſe: feras eorum quietē ſæpe infeſtam habuiſſe, eóſque viuos deuoraſſe, interdū mutilaſſe: nec multo plus tamen ſæpe immatura morte periiſſe, quàm qui nunc viuunt: nauigationem illis incognitam fuiſſe p. 485. & 486

Caſas tandē & pelleis paraſſe: & iura caſti matrimonij colere inſtituiſſe, & cum finitimis amicitiam ſanciuiſſe pag. 489

Sermonem ab hominibus naturā ipſam, & vtilitatem expreſſiſſe: neque credendum eſſe, vnum aliquem rebus nomina impoſuiſſe, atq; ea mox alios docuiſſe: quod exiſtimauit Plato p. 490. & 491

Argumenta, quibus probat, homines inter ſe varias res varijs nominib. notare potuiſſe p 492

Ignis origo, atque eius vſus p. 495

Conditis vrbibus, & diuiſis rebus pro cuiuſque facie, viribus, ingenio, ſub regibus primùm homines fuiſſe: mox ſeſe legum vinclu obſtrinxiſſe pag. ead. v. 20

Diuitias grandeis homini eſſe, viuere parcè, æquo animo p. ead. v. 29

Magiſtratuum & legum origo p. 498

Quæ cauſa primùm deorum opinionem in animus hominum inſeuerit p. 500

Exclamatio queribunda in eos, qui primi prouidentia deorum mūdum adminiſtrari ſtatuerunt p 502

Quis verus deorum cultus p. ead v 15

Qui terrores naſcantur ex eo, quòd homines prouidentia deorum hunc mūdum adminiſtrari putent p. ead. v. 19. & p. 503

Aurum, argētum, æs, plumbum, ferrum, atque eorum vſus, quomodo primùm reperta: multáque alia ad belli vſum paullatim inuēta: reliquas omneis & res, & arteis ad ſummum gradatim & paullatim perueniſſe p. 505. 506

De ferri inuētione, & primorum armorum vſu p. 507

De antiqua belli gerendi, & certaminū ratione p. 508. & 509. & 510

Nexilem antè veſtem fuiſſe, quàm textilem p. 512

Lanam feciſſe viros ante mulieres p. 513

Sationis & inſitionis originem à natura profectam eſſe p. ead. extr.

Origo carminū, & muſicæ. p. 514 extr.

Cupiditatem infinitam, & ignorationē veræ voluptatis, cauſam eſſe miſeriarum humanarum p. 518

Vrbeis & arceis condere, nauigare, res geſtas litteris & memoriæ prodere quādo cœperint primi homines p. 519

LIBRI VI.

Proœmium, quod conſtat laude Athenarum, & Epicuri p. 522. 523

Breuis anacephalæôſis eorum, quæ proximè explicata ſunt p 528

Quæ mala naſcantur ab ignorantia cauſarum p 528

Deos ſecurum agere æuum pag.ead.
Malè ſentire de diis, qui eos iraſci putãt, & vitam ſuam ſollicitam reddere, atq; anxiam, & tranquillitatis expertem. p.529
De tonitru 532.533.335
De fulgure p 536.& 537
Cur tonitrus ſonitũ poſterius audiamus, quàm fulgur videamus p.ead.v.3
Denſis nubibus, & altè exſtructis fulgur fieri p.539
Nubeis permulta ignis ſemina habere pag.ead.v.22
De fulminis natura, & eius mobilitate, & viribus p.542
De vi, & potentia fulminis p.543
Fulmina è nubibus denſis, & altè exſtructis gigni p.ead.v.18
Quomodo gignatur fulmẽ in nubib. & ex iis erumpat. p.545.& 546.& 547
De cauſa mobilitatis fulminis p.548
Cur auctumno & vere plura, quàm aliàs, tonitrua fiant, & fulmina cadant p.550
Rationibus perquirendam fulminũ naturam, non arte haruſpicum: nec diis adſcribendam. p.551.v.vlt.& 552
Preſtéres qua ex cauſa fiant p.555
De turbine, & vortice p.556
De nubibus & nebulis p 557.& 558
De imbribus, & pluuiis 560.& 561
Quamobrem diuturnæ ſint aliquando pluuiæ p.ead.v 14
De arcu cæleſti, niuibus, ventis, grandine, pruinis, &c. p.ead.v.19
De terræ motib. p.563.& 564
Alia cauſa terræ motus p.566
Cur tot aquis in mare influentibus, mare maius non fiat p.566.& 569
De Ætnæ ignibus. p 570.& 571.& 573
Multas res eſſe, quarum non ſatis eſt vnã cauſam afferre, ſed plures ſunt afferendæ, quarum vna aliqua ſit pag. 573.v.28
De Nili incremento 575
De auernis, aliiſque quibuſdam locis, quæ auibus, & quadrupedibus ſunt inimica p.577.581.582.& 586
Procataſceue 581.582
Cur aqua in puteis, æſtate ſit frigidior pag.588
Cur fons, qui apud Hammonis fanum eſt, luce frigidus, nocte calidus ſit. pag ead.v.18
Cur admota ſtupa, aut tæda fonti cuidã frigido, accendatur p.592
Fons aquæ dulcis in mari p.ead.v.15
Cur à magnete ferrum trahatur p.594
Præmonitio, & attentionis renouatio pag.ead.v.32
Procataſceue, per quam multa, antea demonſtrata, repetit, quibus viam ſibi munit ad naturam magnetis explicandam p.ead.v.26.& p.596
Non omnia corpora, quæ ab reb. mittuntur, eſſe omnibus rebus apta, neque ſimiliter res omneis afficere p.598
Varia, & diuerſa eſſe animalium, & rerum foramina, diſſimileisque meatus, & vias: aliáque ſuccos tranſire, alià ſonitus, alià voces, &c. p.599
Nunc ratio explicatur, propter quam magnes ferrum attrahat. pag.601. & 602
Vnde creetur morbus peſtifer, & peſtilentia p.607
Athenienſium peſtilentiæ, quæ coorta eſt bello Peloponeſiaco, deſcriptio p.611

DE C. MEMMIO GEMELLO.

Admonitus à typographo, paginam vnam, atq; alteram vacuam fore, niſi quid, quo expleretur, ei ſuppeditarem: hæc ſubitò de Memmiis ſcripſi. Memmiam gentem plebeiam fuiſſe declarant tribunatus plebis à Memmiis geſti. Verumtamen, ſi nobilitas antiquitate penditur, nobiliſſima eſt. A Meneſtheo enim Troiano,

oriundam eſſe traditum eſt, idque teſtatur Virgil. lib. VI. hoc verſu, Mox Italus *Mneſtheus, gen⁹ à quo nomine Memmi. Itaq; non immeritò Lucr. hunc C. Mẽmiũ Gemellum, ad quem ſuos libros miſit, claram Memmij propaginem dixit. De quo potiſſimùm, ceteris Memmiis præteritis, ne nimis longi ſimus, hæc pauca dicamus. Hic igitur ille eſt C. Memmius Gemellus, ad quem ſcriptæ ſunt epiſtolæ aliquot à M. Tullio, lib. XIII. epiſt. ad famil. Patris exſulantem, cùm Athenas tamẽ, & Mitylenas interdum itaret. is tribunus pl. M. Lucullum accuſauit, & quo minus L. Lucullus eius frater, triumpharet, diu obſtitit. L. Piſone, & A. Gabinio coss. præturam geſſit, vt ex M. Tullij lib. I. epiſtol. ad Q. Fr. epiſtola II. in extr. intelligere licet. Poſt præturam Bithynia prouincia ei obtigit: quò proficiſcentem ſecutus eſt C. Valerius Catullus, vt Catullus ipſe quodam loco teſtatur. Petiit poſteà conſulàtum cum M. Æmilio Scauro, M. Valerio Meſſalla, Cn. Domitio Ahenobarbo, Cæſaris opibus & ſuffragio fretus, vt ex epiſtola XVI. XVII. XVIII. lib. IIII. epiſtolarum ad Atticum, & epiſt. VIII. lib. III. ad Q. Fratrem, cognoſcere licet: ſed repulſam tulit, & ambitus reus factus eſt, vt idem ſcribit epiſtola II. lib. III. ad Q. Fr. & epiſtolis ſuprà commemoratis libri IIII. ad Attic. &, quamuis patronum Ciceronem nactus, nihilominus tamen damnatus fuit, & Patras exſulatum abiit. Cicerònem autem cauſam eius defendiſſe, patronúmque eius fuiſſe, ſatis hoc declarat, quòd ille eum clientem ſuum appellat libri XIII. epiſtolarum ad Famil. epiſtola XIX. ex eadémque epiſtola perſpicuum eſt, eum in exſulio mortem obiiſſe, neque vmquam reſtitutum eſſe: quamuis eum reſtituere Curio cogitarit, vt ſcribit idem M. Tullius epiſtola I lib. VI. ad Atticum. Epicuréum, & poëtam fuiſſe conſtat, vt non ſit mirum, T. Lucretium Carum, poëtam noſtrum, ipſum quoq; Epicuréum, eius familiarẽ fuiſſe, eiq; ſuos de natura rerum libros dicauiſſe. Hæc habui, quæ raptim de hoc C. Memmio Gemello ſcriberẽ.*

De orthographia ſatis multa diximus in epiſtola ad lectorem, in commentar. Horatianis: quæ hîc iterare, erat actum agere. Nos in ſententia manentes, eandem ſcribendi rationem hîc quoque ſecuti ſumus, tùm in aliis, tùm in his, promſi, promtum, comſi, comtum, conſumſi, conſumtum: demtum, emtum, & ſimilib. eósq; omneis, qui illa ſcribunt cum p. & eos item, qui ſcribunt dampnare, temptare, antempna, & ſollempnis, & ſimilia, quamuis ita repetiantur ſcripta in nõnullis libr. manuſcr. errare exiſtimamus, atque adeò ſcimus. Hoc in Lucretio mutauimus, quòd, quoius, & quoi, & ſimil. pro cuius, & cui, &c. & volgus, volnus, voltus, volturius, & ſimil. pro, vulgus, vulnus, vultus, vulturius, &c. ſcripſimus, quia ſciamus, veteres, qui ea ætate vixerunt, & ſuperiores, ita ſcripſiſſe: numquámque duo u u. coniunctim in ſcribendo poſuiſſe. Eandem ſcribẽdi rationẽ etiam in Plauto noſtro ſeruaturi ſumus.

Omnia ferè ad diſciplinã Democriti & Epicuri pertinentia, & vel à Platone, vel à Diogene Laërtio, vel à Plutarcho, vel à Cleomede, vel à M. Tullio Cicerone, vel ab aliis tractata, quæ ad Lucretium explicandum, declarandum, atq; illuſtrandum lucem aliquam afferre poſſunt, ea ſuis quæque locis in commentationib. noſtris locauimus. Idem de peſtilentiæ deſcriptione, quæ eſt apud Thucydidem lib. II. faciendum curauimus. Quod in prima iam editione, & omnium primi, feceramus. ſed in hac vberius, ac plenius. Itaque eadem illa ſuis locis diſpoſita ac diſtributa, in vnum colligere, & ſub vnum quaſi adſpectum ponere, ſuperuacaneum eſſe putauimus.

IACOBVS HELIAS MARCHIANVS
IN HANC TERTIAM T. LVCRETII CARI,
à D. Lambino deintegro emendati, editionem.

Prodiit antè tua, Lambine, Lucretius arte,
Vulgus iners quem atris obruerat tenebris:
Quémque etiam indulgens nimiùm ſibi docta caterua,
Squalentem ex nitido neſcia reddiderat.
Nunc depulſa iterum prodit caligine: & omni
Squalore abſterſo, purpureo ore nitet.
Nubila quinetiam à Caro, noua, denſa, remoſti:
Quæ plagij affinis Fanius iſte creat.
Fanius iſte, tuo qui menda abluta labore,
Transfert in chartas abſque rubore ſuas.
Innumeróſque locos, acri quos lumine mentis
Claraſti, obſcurat ſordibus & maculis.
Nec ſat, flagitium tantum admiſiſſe, Thraſoni eſt,
Verùm etiam nomen lancinat vſque tuum.
Quem plumis tandem nudas ornatum alienis,
Inq; eius regeris dicta proterua caput.
Reſtituíſque ſuæ vnâ operâ Carum integritati,
Et linguæ expugnas dira venena malæ.
Si duplici ergo Titus Λαμπίνου lampade claret,
Quæ nox, quæ tenebræ iam ſupereſſe queant?

T. LVCR.

T. LVCRETII CARI DE RERVM NATVRA,

LIBER PRIMVS.

AEneadûm genetrix, hominum, diuûmque voluptas,
Alma Venus, cæli ſubter labentia ſigna
Quæ mare nauigerum, quæ terras frugiferenteis
Concelebras: per te quoniam genus omne animantum
Concipitur, viſitque exortum lumina ſolis:
Te, dea, te fugiunt venti, te nubila cæli,
Aduentúmque tuum: tibi ſuaueis Dædala tellus
Summittit flores, tibi rident æquora ponti:
Placatúmque nitet diffuſo lumine cælum.
Nam ſimul ac ſpecies patefacta'ſt verna diei:
Et reſerata viget genitabilis aura Fauoni:
Aëriæ primùm volucres te, diua, tuúmque
Significant initum perculſæ corda tua vi.
Inde feræ pecudes perſultant pabula læta,
Et rapidos tranant amneis: ita capta lepôre,
Inlecebríſque tuis omnis natura animantum
Te ſequitur cupidè, quò quamque inducere pergis.
Denique per maria, ac monteis, fluuióſque rapaceis,
Frundiferáſque domos auium, campóſque virenteis,
Omnibus incutiens blandum per pectora amorem,
Efficis, vt cupidè generatim ſæcla propagent.

ÆNEADVM) *Æneadarum, id eſt* Romanorum, *qui ab Ænea prognati ſunt. profert hunc primum verſum* Priſc. *lib* 7.

GENETRIX) *Æneæ matrem eſſe Venerem his verſibus teſtatur* Homerus ἰλ. υ. Αἰνείας δ' ὑιὸς μεγαλήτορος Ἀγχίσαο εὔχεται ἐκγεγάμεν· μήτηρ δέ οἱ ἔστ' Ἀφροδίτη. *id eſt Ænéas gloriatur & prædicat ſe ab* Anchiſa *eſſe natum: mater autem eius*

eſt Venus. Et Sophocles in Laocoonte. Νῦν δ᾽ ἐν πύλαισιν Αἰνείας ὁ τῆς θεοῦ. *id eſt: Nunc autem in portis eſt* AEnéas *deæ filius.* & Virgil. lib. I. AEneid. *Sic Venus: at Veneris contrà ſic filius orſus.* idem lib. 7. *Talia connubia, & taleis celebrent Hymenæos Egregium Veneris genus, & rex ipſe Latinus.* & T. Liuius lib. I. annal. *AEneam filium Anchiſæ & Veneris, &c.* Quemadmodum autem à Romanis Mars eò quòd Romuli pater haberetur, Romani generis auctor dicebatur: ita Venus Romanorum genetrix appellabatur, propterea quod AEneæ mater existimabatur. Iccircò Romulus cùm annum deſcriberet, eúmque ex decem menſibus conſtitueret, primum à Marte patre, Martium, ſecundum à Venere, tanquam matre, aut certè progenitrice, Aprilem nominauit. Atque ob eandem cauſam Romani in ſacris Martem patrem, Venerem genetricem appellabant, vt ſcribit Macrob. lib. I. ca. 12. Saturn. Eodémque loco Aprilem dictum eſſe tradit, quaſi Aphrilem ἀπὸ τῆς Ἀφροδίτης. Quin Arnobius teſtis eſt lib. 4. aduerſus genteis, Venerem non ſolùm AEneadûm matrem, ſed etiam Romanæ dominationis auctorem litteris Romanis eſſe próditum. genetrix autem excudendum curaui, nõ genitrix, tùm quia ita ſcriptum reperi in duobus libris manuſcriptis, tùm quòd ſciam ita locutos eſſe veteres, tametſi genitor dicerent, non genetor. quemadmodum meretricem dicimus, non meritricem à merito.

DIVVMQVE VOLVPTAS) *Nam poëtæ etiam Deos faciunt rebus Venereis delectari: quod eſt indignum eorum maieſtate: ſed illi humana ad Deos transferunt. diuina mallem ad nos, inquit* M. Tull.

ALMA VENVS) *Feſtus: alma, ſancta, ſiue pulchra, ſiue alens, ab alendo ſcilicet. Hoc principium ſecundi verſus, & principium item primi, mutuatus eſt in illo diſticho* Auſonius. *Orta ſalo, ſuſcepta ſolo, patre edita cælo,* AEneadûm *genetrix, hîc habito alma Venus.*

CAELI SVBTER LAB. SIG. &c.) *ordo eſt. quæ concelebras mare, quæ concelebras terras ſubter ſigna cæli, labentia, id eſt quæ mouentur vnà cum cælo. Vnde æthera ſigniferum appellat lib. 5. Partibus erumpens primus ſe ſuſtulit æther Signifer.*

CONCELEBRAS) *hunc & ſuperiorem verſum profert* Nonius Marcellus: *interpretatúrque concelebras, commoues. ego concelebras malim interpretari, celebreis, & cultas reddis, vel colis, & frequentas. ſic lib. 2. Et variæ volucres, lætantia quæ loca aquarum* Concelebrant. *Mecum facit ea ratio, quæ ſequitur: per te quoniam genus omne animantũ &c. id eſt quoniã tua opera, & tuo beneficio omne animantium genus oritur.*

PER TE QVONIAM GENVS, &c.) *ſic* Ouid. 4. Faſt. *Quid genus omne creat volucrum, niſi blanda voluptas?* & Catull. epithal. in Manl. & Iuliam. *Nulla quit ſine te domus Liberos dare, nec parens Stirpe dicier, &c.*

VISITQVE EXORT. LVM. SOL.) *exoritur, prodit in lucem, hac lucis vſura frui incipit. ſæpe hæc duo nomina ſic à* Lucretio *coniunguntur, vt infrà eod. lib. Nec foret omnino cælum, neque lumina ſolis. lib. 2. hæc aëra rarum Sufficiunt nobis & ſplendida lumina ſolis. ibid. Nam cùm cæcigeni, ſolis qui lumina numquam Aſpexere, &c. & lib. 5. Matutina rubent radiati lumina ſolis. Vſurpauit &* Virgilius lib. 6. AEneid. *Ecce autem primi ſub lumina ſolis, & ortus. idem lib. 8. Surgit & ætherij ſpectãs orientia ſolis Lumina, &c.* Hom. ὀδ. λ. φάος ἠελίοιο. *id eſt lumen ſolis. & item ſæpe.*

TE, DEA, TE) *ἐπαναφορὰ, vt apud Virgil. Georg. 4. Duc, age, duc ad nos. ibidem, Scis Proteu, ſcis ipſe.*

TE FVGIVNT VENTI, &c.) *quia tu tuo aduentu cælum, terras, & maria ſerenas.*

ADVENTVMQVE TVVM:) *ſic reſtitui ex auctoritate quinque librorum manuſcriptorum: quibuſcum conſentiunt nonnulli typis excuſi. repetendum autem eſt ἀπὸ κοινοῦ verbum, fugiunt, quod antecedit. Iam verò per aduentum Veneris, menſis Aprilis initium ſignificat.*

DÆDALA TELLVS) *Feſtus, Dædalam à varietate rerum, artificiorúmque dictam eſſe apud Lucretium terram, apud Ennium Mineruam, apud Virgiliũ Circen, facile eſt intelligere, cùm Græcè δαιδάλλειν ſignificet variare. Hactenus Feſtus. Idem Lucretius hoc eodem lib. aut redductum dædala Tellus Vnde alit? idem lib. 4 Mobilis articulat verborum dædala lingua. idem libro 5. naturáque dædala rerum. ibid. Carmina, picturas, & dædala ſigna polire. Virg lib. 4. Georg. Et munire fauos, & dædala fingere tecta. Hom. ἰλ. σ. αὐτὰρ ἐν αὐτῷ Ποίει δαίδαλα πολλὰ ἰδυίῃσι πραπίδεσσιν. id eſt, in eo autem multa variè figurata efficiebat mente ſagaci, & perita. ib. πάντοσε δαιδάλλων. id eſt, omni ratione, ſeu in omnem partem figurans, & varians. Quòd ſi quis malit hoc nomen à Dædalo, præſtantiſsimo fabro ductum eſſe, non pugnabo.*

SVMMITTIT) *ſubminiſtrat, & ſuppeditat: vel ſurſum mittit, effert, profert. idem eod. lib. Lætificos nequeat Tellus ſummittere flores.*

RIDENT) *ſua æquabilitate, & tranquillitate hilaritatem quandam præ ſe ferunt. Tralatio eſt à rebus animatis, & ratione præditis, quæ riſu hilaritatem ſignificant: vel iccirco res inanimæ ridere dicuntur eæ, quæ ſunt ornatæ, magnificæ, bellæ, placidæ, tranquillæ, quòd, quemadmodum qui rident, riſu, & hilaritate diffunduntur, ita & res aſpectu pulchræ, & nitentes, & politæ, hilaritate diffundunt ſpectatorem. Horat. oda XI. lib. 4. Ridet argento domus. Hom. ἰλ. τ. Αἴγλη δ' οὐρανὸν ἷκε, γέλασσε δὲ πᾶσα περὶ χθών. id eſt, Fulgor autẽ in cælum venit: terra autem tota circùm riſit. Virgilius Pollione. Miſtáque ridenti colocaſia fundet acantho. Lucret. lib. 2. Præſertim cùm tempeſtas arridet, & anni Tempora cõſpergunt viridanteis floribus herbas. & lib. 4. Vnguenta & pulchra in pedibus Sicyonia rident. & lib. 5. Præſertim ſi tempeſtas ridebat, & anni Tempora pingebant viridanteis, &c.*

ÆQVORA PONTI) *tranquillitas, atque æquabilitas maris: mare nullis ventis concitatum, & iccircò æquabile & tranquillum.*

PLACATVMQVE &c.) *& cælum ſerenum, miniméque turbulentum, tranquillum. tralatio eſt. Placatum autem habent libri manuſcripti, & nonnulli typis excuſi: alij, Pacatúmque. confirmat hanc ſcripturam quam ſecutus ſum, illud Ciceronis oratione ad Quirites poſt red. Tamẽ ſi mihi tranquilla & placata omnia fuiſſent, incredibili quadam, & pæne diuina, qua nunc veſtro beneficio fruor, lætitiæ voluptate caruiſſem. Præterea placatum opponitur irato: pacatum, bellum inferenti, aut facienti. Quemadmodum igitur mare turbulentum, iratum dicitur à poëtis, Horat. ode. 2. epod. Nec horret iratum mare. Ita hîc à Lucretio tranquillum, placatum.*

DIFFVSO LVMINE) *diſpulſis, & diſcuſſis à ſole tenebris. Idem Lucr. lib. 3 princ. Sempérque innubilus æther Integit, & largè diffuſo lumine ridet.*

NAM SIMVL AC SPECIES, &c.) id eſt, nã ſtatim vt ver aduẽnit.

ET RESERATA VIGET) idem dicit: & ſimulátque Fauonius Veris, prodromus, apertus, ac patefactus vigere cœpit, qui anteà quaſi obſeratus, & clauſus videbatur, &c. Obſerare, eſt ſera claudere. Catull. ad Ipſith. Nequis luminis obſeret tabellam: cuius contrarium eſt reſerare. Ennius. Nos auſi reſerare. M. Tull. offic. 2. Quamobrem nec ita claudenda res eſt familiaris, vt eam benignitas aperire non poßit: nec ita reſeranda, vt pateat omnibus.

GENITABILIS) ſic habent omnes libri typis excuſi præter Venetos antiquos, & Vicetinos Manuſcripti autem, cum quibus impreßi iij, quos dixi, conſentiunt, genitalis: qua voce ſæpius idem Lucretius vtitur, vt hoc eodem libro. Quæ nos materiem, & genitalia corpora rebus, &c. & lib. 2. Corpora iactari vnius genitalia rei. ibid. in extremo, Multáque poſt mundi tempus genitale, diémque. & lib. 4. Nec diuina ſatum genitalem numina cuiquam Abſterrent. & lib. 5. genitalis origo. Et item Virgil. lib. 2. Georg genitalia ſemina poſcunt & lib. 3. obtuſior vſus Sit genitali aruo. Arnobius lib. 3. aduerſ. gent. Quid ergo dicemus? Deos procreare? Deos naſci? & iccirco his additas genitalium membrorum parteis, vt ſufficere prolem poſſent, & vt noua quaque ſuboriente fætura, quicquid prior ætas abſtuliſſet, rediuiua ſubſtitutio ſubrogaret? genitale autem eſt, quod ad gignendum valet, quód ve gignendi vim habet. Credibile eſt porrò idem valere genitabile, & genitale: quemadmodum penetrale & penetrabile, vtrumque pro eadem re eſt in vſu, vt exitiale, & exitiabile: innumerale, & innumerabile: naturalis & naturabilis. M. Tull. in Lælio. Ita pulcherrima illa, & maximè naturabili carent amicitia. ita enim legitur in vet. cod. Plaut. Moſtell. Nõ potuit venire orator magis ad me impetrabilis. Idem Epid. Si inuenio, exitiabilem ego illi faciam hunc, vt fiat, diem. Exiſtimant tamen quidam docti viri hoc loco legendum genitalis, non ob id ſolùm, quòd ita habeant aliquot libri manuſcripti, verùm etiam quòd vox genitabilis non videatur Latinis vſitata. Quòd autem ad verſum attinet, aiunt choréum eſſe pro dactylo, ſeu ſpondéo: quam licentiam ſibi interdum permittunt poëtæ. Ego hac de re iudicium meum non interponam. viderint doctiores. Sed vox genitabilis tamen reperitur apud Varron. lib. 4. de lingua Latina: vbi tanquam teſtem producit Lucretij verſum, ſi modò locus mendo vacat, his verbis: à qua bipartita diuiſione Lucretius ſuorum vnius, & viginti librorũ initiũ fecit hoc: Ætheris & terræ genitabile quærere tempus. & apud Tull. in Arato. Sollers natura, & rerum genitabilis ordo.

INITVM,) id eſt, ingreſſum, introitum, initium, à verbo ineo, quod valet ingredior, vt inire magiſtratum, inire viam, & ineunte ætate, ineunte vere. ſed non dißimulabo in Gabrielis Faerni, & Scipionis Tethij, & Bertiniano & Memmiano codice ſcriptum eſſe, initium. qua ſcriptura tamen reiecta, initum retinui, vt habet Vaticanus, & omnes typis excuſi. ſic Ouid. de Venere. Iuráque dat cælo, & terræ, & natalibus vndis: Pérque ſuos initus continet omne genus. Idem Lucret. lib. 2. Vt videas initum motus à corde creari. Idem hoc eod. lib. Vnde initum primum capiat res quæque creandi. & lib. 3. & mobilis illa Vis, initum motus ab ſe quæ diuidit ollis.

PERCVLSÆ CORDA) helleniſmus, vt infrà eod lib. menteis perculſa nouellas. & Virg. lib. 6. lacerum crudeliter ora, Ora, manúſque ambas. & ſexcẽtis alijs aliorum ſcriptorum locis. ſic autem habent omnes libri impreßi, & pleri-

que libri veteres.neque video,quamobrem hanc ſcripturam reijcere debeamus. percellere enim plus eſt, quàm percutere,vt pluribus verbis docui comment.Horatianis.nempe valet,peruertere,proſternere,deijcere,καταβάλλειν,(ſic enim interpretatum reperi in lexico Latino Græco manuſcripto) vt apud Virg. Perculit, & fulua moribundum extendit arena. Percutere verò,eſt ferire,& icere,& permouere:per tranſlationem ad animum etiam pertinet, & animum permouere, atque adeò labefactare ſignificat. Licet tamen hîc legere,Percuſſæ, me probante, aut certe,non repugnante.Sic Terent.Andr.Percuſſit illico animum.

PERSVLTANT. PABVLA) ſaltu percurſant, & prætereunt, & ita negligunt,ſcilicet rebus Venereis intentæ.

INLECEBRISQVE TVIS &c.) Hic verſus abeſt à quattuor cod. manuſcriptis:neque eum Nauagerius,neque Pontanus habuerunt: deſideratur denique in codicib.Vicetin.& Pariſienſib.Marullus vnus, vir doctus, ex auctoritate veteris cuiuſdam codicis, (quemadmodum mihi religioſè aſſeuerauit Donatus Ianottus)nobis eum reſtituit.Amicus quidam meus ingenio & doctrina præſtātiſſimus,putat eſſe ab ipſo Marullo factum,ac pro Lucretiano ſuppoſitum,cùm putaret ille aliquid deeſſe, neque deſit quicquam. Sic enim hunc locum hoc verſu deleto explicat:ita capta lepôre quæque pecus Te ſequitur cupidè,quo quamque inducere pergis.ego aliud,quod dicam,nihil habeo,niſi quòd mihi videtur verſus Lucretio digniſſimus.iam hæ duæ voces in extremo verſu, natura animātum, ſæpe ab eodem,item vſurpatæ ſunt:vt infrà hoc libro.Nec porrò ſecreta cibo natura animantum Propagare genus poſſit,&c.ibid.in extremo. Nam veluti priuata citò natura animantum Diſſluit,&c.

QVO QVAMQVE) duo libri manuſcripti,& nonnulli impreſſi,habēt, quocumque:vtraque ſcriptura probabilis eſt.

FLVVIOSQVE RAPACEIS.) ſic Virg Georg. 2 fluuióſque innare rapaceis.

FRVNDIFERASQVE DOMOS AVIVM) nidos.frundiferas autem excudēdum curaui,libros manuſcriptos, & veterum auctoritatem ſecutus.

INCVTIENS. BL. P. P. AM) vt incutere metum, bellum, ictum:ſic & amorem dicunt poëtæ.eſt enim amoris plaga grauis.quòd autem huic participio addidit ἐπίθετον blandum,ſignificauit,in amore dolorem ineſſe cum voluptate coniunctum. notum eſt, amorem, ſeu Cupidinem γλυκύπικρον à Platone dici. quod attribuit & Veneri Catullus carm. ad Manlium.non eſt dea neſcia noſtri,Quæ dulcem curis miſcet amaritiem.ſed idem tamen etiam ipſi Cupidini. carm.de Pelei & Thet.nupt.Sancte.puer,curis hominum qui gaudia miſces.Vſus eſt Lucretius eodem genere loquendi eod.lib inf.Et ſimul incuſſit ſuauem mi in pectore amorem.

EFFICIS, VT CVPIDE) ſunt enim in ſingulis animantibus innatæ miræ coniunctionis,& procreationis libidines.Quidam docti legendum putant cupidæ,vt cohæreat cum voce pecudes.

GENERATIM) per ſua quæque genera.

SÆCLA PROPAGENT.) ſua genera amplificent & multiplicent. in hoc eodem verbo producit primam ſyllabam infrà eod.lib.Propagare genus poſſit,vitámque tueri.Et ſanè Lucretius præpoſitionem pro, in pleriſque compoſitis nunc producere,nunc corripere ſolet.

Quæ quoniam rerum naturam ſola gubernas:
Nec ſine te quicquam dias in luminis oras
Exoritur,neque fit lætum,neque amabile quicquam:
Te ſociam ſtudeo ſcribundis verſibus eſſe,
Quos ego de rerum natura pangere conor
Memmiadæ noſtro:quem tu dea tempore in omni
Omnibus ornatum voluiſti excellere rebus.
Quo magis æternum da dictis diua lepôrem:
Effice,vt intereà fera mœnera militiaï
Per maria,ac terras omneis ſopita quieſcant.
Nam tu ſola potes tranquilla pace iuuare
Mortaleis:quoniam belli fera mœnera Mauors
Armipotens regit:in gremium qui ſæpe tuum ſe
Reiicit,æterno deuinctus volnere amoris:
Atque ita ſuſpiciens tereti ceruice repoſta
Paſcit amore auidos,inhians in te,dea,viſus:
E que tuo pendet reſupini ſpiritus ore.
Hunc tu,diua,tuo recubantem in corpore ſancto
Circumfuſa ſuper,ſuaueis ex ore loquelas
Funde,petens placidam Romanis,incluta,pacem.
Nam neque nos agere hoc,patriaï tempore iniquo,
Poſſumus æquo animo:neque Memmi clara propago
Talibus in rebus communi deeſſe ſaluti.

QVAE QVONIAM RERVM) *quia ab illo loco. per te quoniam genus omne animantum, &c. longum eſt hyperbatum, multáque interiecta ſunt, iterat copulationem illam,* QVONIAM, *hoc modo. Quoniam igitur ſola rerũ naturam gubernas, &c. Te ſociam cupio, &c.*

DIAS) *aerias, ſeu ætherias. ſeu diurnas.* Dium *(inquit* Feſtus*) quod ſub cælo eſt: ex quo ſub dio fieri dicimus, quod ſub cælo fit, & non ſub tecto. interdum dium idem* valet, *quod diuinum.* Virg. XI. AEn. *dia* Camilla. Horat. *ſat.* 2. *lib.* 1. *macte* Virtute *eſto, inquit ſententia dia* Catonis. Idem Lucret. *lib.* 2. *Ipſaque deducit dux vitæ dia voluptas.*

IN LVMINIS ORAS) *in lucem: in regiones luminis. vſitatum genus* Lucretio. *inf. eodem lib.* Dum *tempeſtates adſunt, & viuida tellus* Tutò *res teneras efferri in luminis oras. &* 2 Quem *pueri tollunt viſentes luminis oras. ibidem, indignos eſſe putandos,* Viuam *progeniem qui in oras luminis edant lib.* 5. *cùm primum in luminis oras* Nixibus *ex aluo matris natura profudit. & ſæpe alibi. ídque imitatus eſt* Virgilius Georgic. 2. *ſponte ſua quæ ſe tollunt in luminis oras & lib.* 7. AEneid. *ſub luminis edidit oras.* Sed *videtur vterque ab* Ennio *ſumſiſſe. ſic enim ille.* At *ſi ſe, ſum quæ dederat in luminis oras. ſum autem apud* Ennium, *valet eum, ſeu ipſum.* Idem. O Romule, Romule dic, ô, Qualem te pa-

triæ cuſtodem dij genuerunt? Tu produxiſti nos intra luminis oras. Arnobius *Lucretij verborum amator,lib.2.aduerſ.gent.* Antequam Tages Thuſcus *oras contingeret luminis,&c.*

NEQVE FIT LAETVM,*&c.)ſic* Callimachus. Τίς δὲ χάρις, τί δὲ τερπνὸν ἄτερ χρυσῆς Ἀφροδίτης; Τεθναίην, ὅτι μοι μηκέτι ταῦτα μέλει. *id eſt,Quid lepidum, quid iucundum ſine* Cypride *pulchra?* Vita *vale, hæc curæ mi eſſe vbi deſierint.* Tale *fere eſt illud* Menandri,*quod refert* Plutarchus *libro,* πῶς δεῖ τὸν νέον ποιημ. ἀκούειν. Ἅπανθ᾽ ὅσα ζῇ, καὶ τὸν ἥλιον βλέπει τὸν κοινὸν ἡμῖν, δοῦλα ταῦτ᾽ ἐσθ᾽ ἡδονῆς. *id eſt* Omnia, *quæ viuunt, & ſolem nobis communem intuentur, hæc voluptati ſeruiunt. ex quo* Græci ἀκύθηρον, *&* ἀναφρόδιτον *appellant,quod* Latini *inuenuſtum,id eſt illepidum,atque inornatum.* M.Tull.*epiſtolarum lib.7. ad* Volumn. *ſed quoniam tanta fæx eſt in vrbe, vt nihil ſit tam* ἀκύθηρον, *quod non alicui venuſtum videatur,pugna,ſi me amas,&c. quo loco legitur in libris vulgatis* ἄκυρον, *mendoſè.*

TE SOCIAM STVDEO,*&c.)* Quæritur *à doctiſſimis viris,quid ſit, quamobrem,cùm* Lucretius Epicuri *rationem, & ſententiam hoc poëmate exprimere inſtituat;* Epicurus *autem dicat, deos neque benemeritis capi, neque gratia flecti, neque iraſci, neque res mortalium curare, hoc loco tamen* Venerem Lucretius *imploret, eam ſibi in ſuo poëmate, ſcribendo ſociam adiungere cupiat: precetur denique, vt illa interea dum ipſe rerum naturam explicat, terras & maria tranquillet, bella componat, & pacem conſtituat.* Exſtat *hac de re eruditiſſima* P. Victorij Florentini *ad* Io.Caſam Florentinum *epiſtola: in qua huic quæſtioni ita putat reſponderi poſſe, ſi dicamus,* Epicurum, *tametſi voluerit,* Deos *nihil neque habere negotij, neque alijs exhibere,* εὐχὰς *tamen, id eſt preces non ſuſtuliſſe, & vota mortaliũ de ſuis rebus à diis immortalibus audiri putauiſſe, aut certè.* Deos *immortaleis propter eorum præſtantem & excellentem naturam, ab hominibus venerandos & colendos eſſe cenſuiſſe.* Vtitur *autẽ ſcriptoris locupletis* Plutarchi *teſtimonio: cuius hæc verba ſunt in libro aduerſus* Coloten Epicureũ. πῶς οὖν ἀπολείπουσι φύσιν, καὶ ψυχήν, καὶ ζῷον; ὡς ὅρκον, ὡς εὐχήν, ὡς θυσίαν, ὡς προσκύνησιν, ῥήμασι καὶ λόγοις, καὶ τῷ φάναι, καὶ προσποιεῖσθαι, καὶ ὀνομάζειν, ἃ ταῖς ἀρχαῖς καὶ τοῖς δόγμασιν ἀναιροῦσιν. *id eſt quomodo igitur naturam, & animum, & animal relinquunt? vt iuſiurandum, vt preces, vt ſacrificium, vt venerationem & adorationem, verbo, & aientes; & ſimulantes, & nominantes ea, quæ principiis, & decretis euertunt.* Eodem *pertinet id, quod ſcribit* M. Tull. *lib.1.de* Nat. Deor. *ſi nihil aliud quæreremus, niſi vt* Deos *piè coleremus, & vt ſuperſtitione liberaremur, ſatis erat dictum. nam & præſtans* Deorum *natura hominum pietate coleretur, cùm & æterna eſſet, & beatiſſima. habet enim venerationem iuſtam quicquid excellit, &c. ibid.* His *terroribus ab* Epicuro *ſoluti, & in libertatem vindicati, nec metuimus eos, quos intelligimus nec ſibi fingere vllam moleſtiam, nec alteri quærere: & piè, ſanctéque colimus naturam excellentem, atque præſtantem.* Ego *vt* P.Victorio *aſſentior, ita hoc etiam dici poſſe puto,* Lucretium *in proœmio ſui poëmatis non vt philoſophum, ſed vt merum poëtam, à* Deo *opem, & pacem petere: & tamen in eo, quòd à* Venere *potiſſimùm auxilium petat, non longè ab* Epicuri *ſententia diſcedere, qui ſummum bonum in voluptate, atq; in non dolendo conſtituat, vt omittam quòd homo* Romanus *neque indecorè, neque ineptè* Venerem Romanorum *matrem implorauit.*

PANGERE) *tranſlatum. nam propriè agricolæ plantas pangere, id eſt inſi-*

gere dicuntur. M. Tullius ad Tiron. *an pangis aliquid Sophocléum? ſic idem Lucret. lib. 4. in proœmio. Deinde quòd obſcura de re tam lucida pango Carmina.*

MEMMIADAE) *Memmio Gemello: qui prætor fuit in Bithynia, & poſteà exſulauit Athenis, vt perſpicere licet ex M. Tullij ad eum epiſtolis lib. 13. Memmiadæ autem pro Memmio, vt Scipiadæ, apud Horat. ſaty. 1. lib. 2. Virtus Scipiadæ, & mitis ſapientia Læli. & apud Virg. lib. 6. Æneid. duo fulmina belli Scipiadæ. & idem Lucret. Quod ſupereſt, vacuas aureis mihi Memmiada, & te, &c. vbi tamẽ vulgò legitur, mihi Memmius, & te &c. vt ſit rectus pro vocãdi caſu.*

LEPOREM) *tu lepôris dea, æternum & diuinum meis verſibus lepôrem aſperge. nam ſine te eſſent illepidi, atque inuenuſti.*

QVONIAM BELLI F. M. MAVORS &c.) *Arnobius lib. 3. aduerſ. genteis. Poteſtatem, inquit, bellorum Mars habet. vtrúmne vi mota compeſcat, an vt ceſſantia & quieta commoueat? Nam ſi ſedator militaris inſaniæ eſt, cur quotidie bella non deſunt? Sin autem cónditor illorum eſt, Deum ergo dicemus in voluptatis ſuæ dulcedinem collidere orbem totum, &c.*

FERA) *tralatio eſt. nam ferum eſt, quod non eſt humanitate politum atque excultum. fera igitur militiæ munera intellige, quæ feris potius, quàm hominibus conueniant: quæ feros, atque immaneis animos deceant. vſus eſt & quarto abhinc verſu eadem tranſlatione.*

MOENERA) *ſecutus ſum libros manuſcriptos, qui ita habent. mœnera autem antiquo more dictum eſt pro munera, œ pro u. vt à Pœnis, Punicum. Punica regna vides, mœrorum pro murorum. mœnire pro munire. mœtuus pro mutuus. œu pro vi. cœra pro cura, &c.*

MILITIAI) *militiæ: diæreſis. Iam diphthongus æ, olim ſcribebatur per ai, ne cui mirum ſit, ex æ fieri κατ' διαίρεσιν aï, vt viaï, naturaï, materiaï, Iphianaſſaï, Geryonaï, & ſimilia innumerabilia apud Lucretium, & item apud M. Tull. de Arato. Vos quoque ſigna videtis aquai dulcis alumnæ. & ſæpe alias: etiam apud Virgil. vt Aulai in medio libabant pocula Bacchi. denique apud omneis veteres.*

NAM TV SOLA) *ætiologia.*

QVONIAM) *αἰτιολογία αἰτιολογίας. quia (inquit) Mars belli moderator, & dominus eſt, qui tibi, vt amans, ſeruit.*

MAVORS) *Mars, ſeu Mauors, quia magna vertat, appellatus. M. Tull. lib. 2. de nat. Deor.*

ARMIPOTENS) *Virg. lib. 9. Æn. Hîc Mars armipotens animum, vireísque Latinis Addidit.*

REIICIT) *ſic habent ferè omnes libri vulgati. quidam ſcripti tamen Reſſicit. quam ſcripturam ſi quis probabit, legendum erit. in gremio qui ſæpe tuo ſe Reſſicit: id eſt, recreat: quæ ſcriptura quibuſdam doctis placet. neque deſunt, qui nihilominus, in gremium, retinẽt, vt ſit illius ſimile, in poteſtatem prædonũ fuiſſe, in mentem fuiſſe, &c. quæ notat Gellius lib. 1. cap. VII.*

DEVINCTVS) *ſic habent tres libri manuſcripti, quibus Romæ vſus ſum, & item alij, Fertin. & Memm. ſic Furius Bibaculus. Ille graui ſubitò deuinctus volnere habenas Miſit equi & Virgil lib 8. Æn. Tum pater æterno fatur deuinctus amore. Notum eſt autem ex Homeri ὀδυσ. βιβ. θ. Venerem Martis amicam eſſe, eámque cum illo in adulterio deprehenſam fuiſſe, cùm eos ambos tenuiſſimis, & ſubtiliſſimis vinculis irretitos, atque implicatos Vulcanus Diis ſpectandos præ-*

dos præ-

dos præbuiſſet. quæ fabula ſignificat primarum qualitatum, calidi frigidi, ſicci humidi temperationem. Mars enim ſiccus eſt & calidus: Venus humida & frigida.

VOLNERE AMORIS) *Virg. lib. 4. AEn tacitum viuit ſub pectore vulnus. Theocrit.* κάκιστον, ἔχθιστον ἔχων ὑποκάρδιον ἕλκος Κύπριδος ἐκ μεγάλας. *Id eſt infeſtiſsimum ſub corde vulnus, ſeu vlcus habẽs à Venere acceptum. Volnere autem & volnus, & volgus, & vólt, & ſimilia, per, o, excudenda curaui, quia ſciam ita veteres eſſe locutos.*

SVSPICIENS) *ſurſum aſpiciens. sic autem habent libri aliquot vulgati, & tres manuſcripti: duo item ſcripti, & quidam vulgati, ſuſpirans, quam ſcripturam equidem non damno.*

TERETI) *teres appellant Latini longum cum rotunditate, & læuore: id fortaſſe quod Græci* ῥαδινόν. *Horat. ode 4. lib. 2. Brachia, & vultum, tereteîsque ſuras Integer laudo, &c. Virg. AEn. 6. illam tereti ceruice reflexam.*

REPOSTA) *repoſita. ſic alibi poſta, cõpoſta, diſpoſta, & Virgil lib 1. AEn. manet alta mente repoſtum. & Georg. 3 non illis epulæ nocuere repoſtæ.*

PASCIT AM. AVID.) *id eſt delectat amore ſuos auidos oculos. idem Lucr. lib. 2. Néve bonos rerum ſimili conſtare colores Semine conſtituas, oculos qui paſcere poſſunt. Plautus Pœnulo. Fuit hodie operæpretium eius, qui amabilitati animum adiiceret, Oculis epulas dare, delubrum qui hodie ornatum eò viſere venit. & Terent. in Phorm. reſtabat aliud nihil, niſi oculos paſcere. & Virg. AEn 1. Sic ait: atq; animum pictura paſcit inani. Etiam Ariſtot. quodam loco ſcribit, iucundiſsimum eſſe amanti, rei, quæ amatur, aſpectum.*

INHIANS IN TE) *tranſlatio eſt ab animantibus eſurientibus, & auidè, atque ore aperto cibum appetentibus. Virg lib. 7. AEn. & proſpectat euntem Attonitis inhians animis. Plaut. Aulular. Credo illum audiſſe me habere theſaurum domi. id inhiat.*

EQVE TVO PENDET RES. SPIR.) *vel ſignificat os ori, & labra labris affixa, quale eſt illud Tibulli, Et dare anhelanti ſpumantibus humida labris Oſcula. & Lucret. lib. 4. Quæ complexa viri corpus cum corpore iungit, Et tenet aſſuctis humectans oſcula labris: vel certè Martis amantis ſpiritum ex Veneris amicæ aſpectu pendêre, atque aptum eſſe. cui ſententiæ conſentanea eſſet lectio, Atque ita ſuſpirans tereti ceruice repoſta.*

HVNC TV DIVA, &c.) *hunc tu Diua recubantem tuo corpore complexa.*

INCLVTA) *ſic habent libri ſcripti. inclutus autem (inquit Feſtus) clarus, nobilis. iam y, & u, idem ſonant.*

AGERE HOC) *naturam rerum explicare: hoc ipſum, quod ſuſcepimus, attentè, & ſine cura agere: in hoc ſtudium incumbere. de hoc loquendi genere nos plura diximus in commentar. Horatianis. ſic lib. 4. Nos agere hoc autem, & naturam quærere rerum.*

TEMPORE INIQVO) *tempore aduerſo. tempore iniquo, æquo animo, antitheſis.*

TALIBVS IN REBVS) *in rebus turbulentis: tempore belli.*

Quod ſupereſt, vacuas aureis mihi Memmiada, & te

Semotum à curis adhibe veram ad rationem,
Ne mea dona tibi ſtudio diſpoſta fideli,
Intellecta prius quàm ſint, contemta relinquas.
Nam tibi de ſumma cæli ratione, Deûmque,
Diſſerere incipiam: & rerum primordia pandam:
Vnde omneis natura creet res, auctet, alátque:
Quóve eadem rurſum natura peremta reſoluat:
Quæ nos materiem, & genitalia corpora rebus
Reddunda in ratione vocare, & ſemina rerum
Appellare ſuëmus: & hæc eadem vſurpare
Corpora prima, quòd ex illis ſunt omnia primis.
Omnis enim per ſe diuûm natura neceſſe'ſt
Immortali æuo ſumma cum pace fruatur,
Semota à noſtris rebus, ſeiunctáque longè.
Nam priuata dolore omni, priuata periclis,
Ipſa ſuis pollens opibus, nihil indiga noſtri,
Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.

QVOD SVPEREST) *attentionem ſibi comparat. Quod ſupereſt autem, id eſt, quod reliquum eſt. Atque ita ſæpe loquitur, vt lib. 2. Quod ſupereſt, animo quoque nil prodeſſe putandum. & lib. VI. Quod ſupereſt, facilè hinc ratio reddetur, & omnis Cauſa pateſiet, &c.*

VACVAS) *otioſas, atque attentas.*

MEMMIADA, ET TE) *ô Memmi. ſic autem reſtitui coniectura ductus, cùm hic locus in codice Bertiniano totus in litura demerſus eſſet. ſic ſuprà dixit, Memmiadæ noſtro. Quòd autem quidam Thraſones, Memmius & te, lectionem vulgatam, tuentur, vt ſit vocandi caſus recto ſimilis, non me mouent. nam vt hoc non ignoro, ita ſcio illos eſſe barbaros, impudenteis, & ſycophantas.*

TIBI DISPOSTA) *tibi diſpoſita, & in ordinem digeſta.*

DE SVMMA CAELI RATIONE, DEVMQVE,) *ſic habent quattuor libri manuſcripti, & Aldini vtrique, & Vicetini, & Florentini. alij, regiöne. ego, ratione, magis probo. ſæpe enim ita loquitur, vt paulo infra. Quapropter bene cùm ſuperis de rebus habenda Nobis eſt ratio, &c. & lib. 2. Hoc tamē ex ipſis cæli rationibus auſim Cōfirmare tibi, &c. M. Tull. lib. 3. de Finib. Nec verò poteſt quiſquam de bonis, & malis verè iudicare, niſi omni cognita ratione naturæ, & vitæ, etiam Deorum, &c.*

RER. PRIMORD.) *rerum principia.*

PANDAM) *aperiam. Virg. lib. 3. Æneid. Anchiſen facio certum, rémque ordine pando.*

VNDE) *ex quibus rebus, ſeu principiis.*

QVOVE) *vel in quas res.*

EADEM) *mutat genus: eadem enim, id eſt, eaſdem res peremtas natura reſoluat: vel hoc modo: quó ve eadem natura reſoluat res peremtas: nam vtrouis modo, peremta, eſt accuſandi caſus.*

GENITALIA) *vim gignendi habentia: ad gignendum valentia. hac voce vtitur ſexcentis locis.*

QVOD EX ILLIS S. O. P.) *quoniam res omnes naturales ex illis primis corporibus concretæ & conſlatæ ſunt.*

OMNIS ENIM) *Occupatio eſt. non temerè dixi (inquit Lucretius) ex corporibus primis omnia conſtare, & omnia in eadem reſolui, naturámque omnia ex illis creare, & in eadem perimere. Nam ſi quis putet, Deorum opera, & conſilio res naturales creatas eſſe, vehementer errat. Impia ſententia. Iterantur hi ſex verſus lib. 2 abſúntque ab hoc loco, in exemplis Venetis recentioribus, & Florẽtinis, & codicibus nonnullis manuſcriptis.*

PRIVATA DOLORE) *doloris expers.*

IPSA SVIS POLLENS OPIB. &c.) *αὐτάρκης, ſeipſa contenta.*

NEC BENE PROMERITIS, &c.) *nec capitur bene meritis, nec ira commouetur. promeritis vna vox eſt, non duæ, à verbo promereor. Plutarchus comment. ὅτι οὐδὲ ζῆν ἔστιν ἡδέως, &c. verba ipſa Epicuri profert ad hunc locum pertinentia. Ἐν νόσοις ἀγρίαις, καὶ πόνοις ὑπερβάλλουσιν ἐλπίζεις τι χρηστὸν παρὰ θεῶν; τετύφωσαι· τὸ γὰρ μακάριον, καὶ ἄφθαρτον οὔτε ὀργαῖς, οὔτε χάρισι συνέχεται, id eſt, in morbis grauibus, & laboribus immoderatis ſperas aliquid boni à Diis? inſanus es. nam quod beatum, & immortale eſt, neque ira commouetur, neque gratia flectitur. ſic M. Tullius lib. I. de nat. Deorum, Quod æternum, beatúmque ſit, id nec habere ipſum negotij quicquam, nec exhibere alteri. Itaq; neque ira, neque gratia teneri, quòd, quæ talia eſſent, imbecilla eſſent omnia.*

CAPITVR) *corrumpitur, vel flectitur, vel, vt Nonius Marcellus interpretatur, propitiatur.*

TANGITVR) *commouetur, afficitur, vt idem Nonius. ſic Virgil. Æneid. 9. nec ſolos tangit Atridas Iſte dolor. & lib. 12. miſerite ſi qua parentis Tangere cura poteſt. Iam hoc totum, nec tangitur ira, valet, nec iraſcitur. Porrò autem hoc etiam erat vnum ex Epicuri decretis, Deos neque iraſci cuiquam, neque eſſe propitios: quod cùm alibi declarat M. Tull. tùm in oratione in L. Piſonem, vbi Piſonẽ ipſum ſic facit loquentem. Quid eſt, Cæſar, quòd te ſupplicationes tantopere delectent? in quibus homines errore ducuntur, quas dij negligunt. qui (vt noſter ille diuinus dixit Epicurus) neque propitij cuiquam eſſe ſolent, neque irati. Idem epiſt. ad Trebat. lib. 7. Quomodo autem tibi placebit Iouem lapidem iurare, cùm ſcias Iouem iratum eſſe nemini poſſe? Arnobius lib. I. aduerſus Genteis. Ita nòn animaduertitis, non videtis, affectus quàm turpeis, quàm indecoras numinibus attribuatis inſanias? Quid eſt enim aliud iraſci, quàm inſanire, quàm furere, quàm in vltionis libidinem ferri, & in alterius doloris crucem efferati pectoris alienatione bacchari? &c. quæ longum ſit referre: quibus declaratur iratorum affectus in corporibus expreſſus. Idem paullo pòſt. Ceterum dij veri, & qui habere, qui ferre huius nominis auctoritatem condigni ſunt, neque iraſcuntur, neque indignantur, &c.*

Humana ante oculos fœdè quom vita iacêret
In terris oppreſſa graui ſub relligione:
Quæ caput à cæli regionibus oſtendebat,
Horribili ſuper adſpectu mortalibus inſtans:

Primùm Graius homo mortaleis tendere contrà
Eſt oculos auſus,primúſque obſiſtere contrà:
Quem nec fama deûm,nec fulmina,nec minitanti
Murmure compreſſit cælum:ſed eo magis acrem
Virtutem inritât animi,confringere vt arcta
Naturæ primus portarum clauſtra cupiret.
Ergo viuida vis animi peruicit,& extra
Proceſſit longè flammantia mœnia mundi:
Atque omne immenſum peragrauit mente,animóque;
Vnde refert nobis victor;quid poſſit oriri,
Quid nequeat:finita poteſtas denique quoique
Quánam ſit ratione,atque altè terminus hærens.
Quare relligio pedibus ſubiecta viciſſim
Obteritur:nos exæquat victoria cælo.

HVMANA ANTE OCVLOS) *Significat,Epicurum animos hominũ religione,id eſt, inani deorum timore, & ſuperſtitione liberaſſe. Nam Epicurus quidem,vt teſtantur Diog.Laërtius,& M.Tullius,ſcripſit librum de pietate erga Deos:& ſuprà diximus,Epicurum,quamuis negaret, Deos curam habere rerum humanarum:neque preces tamen, neque venerationem, & cultum deorũ, tanquam præſtantium naturarum,ſuſtuliſſe.quæ ſunt profectò valde inter ſe pugnantia,vt oſtendit M.Tullius lib.1.de nat. Deorum,his verbis. Atqui ſcripſit librum de pietate erga Deos Epicurus, ita vt Coruncanium,aut Scæuulam, pontifices maximos,te audire dicas, non eum, qui ſuſtulerit omnem religionem. nec manibus,vt Xerxes,ſed rationibus,Deorum immortalium templa,& aras euerterit. Quid eſt enim cur Deos ab hominibus colendos dicas, cùm Dij non modò homines non colant,ſed omnino nihil curent, nihil agant? At eſt eorum eximia quædam,præſtanſque natura, vt ea debeat ipſa per ſe ad ſe colendam, allicere ſapientem. An quicquam eximium poteſt eſſe in ea natura,quæ ſua voluptate lætans nihil nec actura ſit vnquam,neque agat,neque egerit? Quæ porrò pietas ei debetur,à quo nihil acceperis?aut quid omnino,cuius nullum meritum ſit,ei deberi poteſt?*

IACERET) *humilis,mæſta, & proſtrata eſſet:vel, vt Nonius interpretatur,qui hunc verſum profert,ſorderet.*

GRAVI SVB RELL.) *grauem religionem dixit,tamquam onus.*

QVÆ CAPVT A CAELI) *σωματοποιῶς. Nam corpus quoddam affingit religioni, & facit eam caput è cælo proferentem ad terrendos mortaleis.*

GRAIVS HOMO) *Epicurus,Athenienſis,Gargetius,Neoclis filius.*

TENDERE.) *Sic Non.Marcellus legit,non,vt habẽt libri omnes & vulg. & manuſcripti,tollere: quem hac ſecunda editione ſecutus ſum, reiecta altera ſcriptura, vt ſuppoſita.tendere oculos autem dixit, pro contendere. contendere porrò oculos ita dictum,vt contẽdere vocẽ,vireis,curſum, & ſimil.lib.5.Tanto poſſe minus cum ſignis tendere curſum.Eſt autem longè plus oculos contendere, quàm tollere.Illud enim ſignificat contenta acie aliquid intueri, & aciem oculo-*

rum in rem, quæ cernitur, defigere. ſic Afran. *Contendit oculos: derepẽte abit cælo.* Horat. *epiſt.* 1. Non *poſsis oculos quantum contendere* Lynceus. Lucret. *infrà eod. libro.* Nulla *poteſt oculorum acies contenta tueri.* Idem *lib.* 4. *niſi ſe contendit acutè.*

VIRTVTEM INRITAT ANIMI) *înritât pro irritauit poſitum. vt apud* Virg *lib.* 9. Sceptra *palatini, ſedémque petît* Euandri. Notat Priſcian. Fumât, *cupît, audît, & ſimilia, habere vltimam ſyllabam circumflexam ſi patiantur ſyncopam. ſic iterum* Lucr. *lib.* 6. *quas exitus hic animaï* Diſturbát *vrbeis.* Itaque *poſtrema ſyllaba longa eſt. quem (inquit) neque fama* Deorum, *neque fulmina, neque cælum minaci murmure compreſsit, ſed eo magis irritauit, atque excitauit eius animi virtutem, vt omnibus difficultatibus ſublatis, ac remotis, ad explicationem naturæ, cognitionémque rerum inuolutarum, atque obſcurarum aditum, viámque ſibi muniret.*

CONFRINGERE VT ARCTA, *&c.) allegoria eſt ducta à re militari, & expugnationibus vrbium. libri veteres omnes habent, arta.*

CVPIRET) *cuperet. notant* Nonius, & Priſcianus: *atque hoc verbo in hac inflexione ſæpe vtitur* Lucret.

VIVIDA) *acris, potens, animoſa. idem infrà, & viuida tellus* Tutò *res teneras effert in luminis oras.* Virg. 5. Æn. Exigui *numero, ſed bello viuida virtus. idem lib.* 10. *non viuida bello* Dextra *viris, animúſque ferox. viuatus & viuidus (inquit* Feſtus) *à magna vi dicuntur.*

ET EXTRA PROC.) *& longè proceſsit extra mœnia mundi, &c.*

FLAMMANTIA) *flammantia propter ſidera, & igneis æthereos.*

ATQVE OMNE IMMENSVM, *&c.) aliud eſſe putat* Epicurus *id, quod appellat omne, id eſt τὸ πᾶν, aliud mundum.* Nam *mũdus eſt finitus: omne autem, eſt infinitum. mundus omni continetur, immò verò (ſi diis placet) mundi innumerabiles, eius ſententia, quotidie & fiunt in omni, & intereunt: at omne & hunc mundum, ceteróſque omneis continet, & numquam neque natum, neque interiturum eſt.*

VNDE REFERT) *profert hunc verſum* Nonius, & *interpretatur, refert, oſtendit. ego referre hoc loco ſic accipiendum puto, vt apud* Virg. Æneid. 4. Egregiam *vero laudem, & ſpolia ampla refertis: pro reportare. vt ſit tranſlatio à re militari.*

QVID POSSIT ORIRI, *&c.) iterantur hi duo verſus & hoc libro infrà, & lib.* 5. *victor* Epicurus *(inquit* Lucretius) *refert nobis ex ea veritatis inueſtigatione, atque explicatione naturæ, quid poſsit naſci, quid non poſsit: qua ratione ſuus cuique rei finis ſit conſtitutus, & terminus immotus, ſtabilis, æternus, altiſsiméque defixus, ac depactus.* Legendum *autem, quánam ſit ratione, vt duobus aliis locis legitur.*

ATQVE ALTE TERMINVS HAERENS) *hunc locum* Virgilius *eſt imitatus, ſeu potius mutuatus lib.* 4. Æneid. Et *ſi fata* Iouis *poſcunt, hic terminus hæret.* Horatius *ſtabilem rerum terminum appellat carmine ſæculari.* Thraſo *ille, quèm iam ſuprà deſcripſi, ridicule legendum hîc cenſet, vtque altè terminus hæreat, & repugnantibus libris omnibus, & reclamante lege carminis.*

PEDIBVS SVBIECTA) Virgil. *lib.* Georg. 2. Felix, *qui potuit rerum cògnoſcere cauſas,* Atque *metus omneis, & inexorabile fatum* Subiecit *pedibus, ſtrepitúmque* Acheruntis *auerni.*

VICISSIM.) *quæ antea è cæli regionibus caput oſtendebat, & homines ſub ſe, tanquam graui onere oppreſſos tenebat.*

OBTERITVR) *cod. Memm. habet, Exteritur. ceteri cum vulgatis cõgruunt.*

VICTORIA) *Epicuri, qui cognitis rerum cauſis, inanem deorum metum ſuſtulit, pietatem duntaxat ſecuram, & deorum maieſtati conſentaneam reliquit: vel qui omnes religiones funditus euertit, & ita terroribus animos hominum liberauit. sed dicamus, Epicurum cùm in plerіſque alijs rebus, tùm in hac impium fuiſſe: atque iccirco nullo modo audiendum.*

Illud in his rebus vereor ne fortè rearis
Impia te rationis inire elementa, viámque
Endogredi ſceleris. quod contrà ſæpius olim
Relligio peperit ſceleroſa, atque impia facta:
Aulide quo pacto Triuiaï virginis aram
Iphianaſſaï turparunt ſanguine fœdè
Ductores Danaûm delecti, prima virorum:
Quo ſimul infula virgineos circumdata comtus
Ex vtraque pari malarum parte profuſa'ſt:
Et mæſtum ſimul ante aras adſtare parentem
Senſit, & hunc propter ferrum celare miniſtros:
Adſpectúque ſuo lacrymas effundere ciueis:
Muta metu terram genibus ſummiſſa petebat:
Nec miſeræ prodeſſe in tali tempore quibat,
Quòd patrio princeps donarat nomine regem.
Nam ſublata virûm manibus, tremebundáque ad aras
Deducta'ſt, non vt, ſollemni more ſacrorum
Perfecto, poſſet claro comitari Hymenæo:
Sed caſta inceſtè nubendi tempore in ipſo
Hoſtia concideret mactatu mæſta parentis:
Exitus vt claſſi felix, fauſtúſque daretur.
Tantum relligio potuit ſuadere malorum.

ILLVD IN HIS REBVS) *Occupatio eſt. Illud (inquit) in his rebus timeo, ne te putes introire diſciplinam impiam.*

IMPIA ELEMENTA) *impias inſtitutiones, ac præceptiones: aut impiam diſciplinam: vel timeo, ne dicas, te ad impiæ rationis initia introire.*

ENDOGREDI) *endo, præpoſitio antiqua, quæ valet in: vt endoperator, ſeu induperator, endopeditus, endo ſtatu, endo mari, endo manus apud hunc eundem, pro imperator, impeditus, in ſtatu, in mari, in manus. Et teſtamentum endo procinctu, endoitium, pro in procinctu, & initium: de quibus lege Feſtum. ſic & apud Lucill. Quàm lepidè lexes compoſtæ! vt teſſerulæ omnes Endo pauimento, atque emblemate vermiculato! ſic enim legendus ac ſcribendus ſecundus verſus, non vt*

vulgò, Arte pauimento &c. Idem, Iactare endo foro ſe omnes, decedere nuſquam. Quòd autem vulgò indu quoque pro in, vſurpant, indu factum eſſe puto ex endo. Quanquam Indugredi à veteribus dictum eſſe arbitror, Probi grammatici auctoritate fretus, qui hunc verſum profert.

SCELERIS) id eſt impietatis. nam ſcelus, facinus eſt vel cruentum, vt ſicariorum & paricidarum, vel in parenteis, patriam, Deos.

QVOD CONTRA) ſic habent libri quatuor manuſcripti, & ita legendum putant viri docti: quibus aſſentior. Sic enim & M. Tullium cùm alibi, tum in Lælio loqui memini. Peccaſſe enim ſe non anguntur: obiurgari moleſtè ferunt. quod contrà oportebat, delicto dolere, obiurgatione gaudere. vbi vulgò legitur, quin contrà.

SCELEROSA) ſcelerata, ſeu ſceleris plena. Varro lib. 5. de ling. Latina: ſceleroſi hominis. Terent. Eunucho. vbi illum ſceleroſum miſera, atq; impium inueniã?

AVLIDE QVO PACTO) id eſt quemadmodum ductores Danaûm &c. poſt vocem, facta, apponenda duntaxat virgula eſt, aut comma. nam hic verſus, & aliquot, qui deinceps ſequuntur, ex ſuperioribus apti ſunt.

TRIVIAI VIRGINIS) triuiæ virginis, nempe Dianæ. dicta autem Diana triuia eſt, (vt ſcribit Varro lib. 6. de lingua Latina) vel quòd in triuio ponatur, vel quòd luna putetur eſſe, quæ in cælo tribus viis mouetur, in latitudinem, longitudinem, altitudinem: vel quòd (vt alij volunt) eadem ſit Luna, Diana, Proſerpina. Virgil. lib. 4. Æneid. Tergeminámque Hecaten, tria virginis ora Dianæ. τριοδῖτιν appellant Græci, eadem ratione: iidémque παρθένον, vt Lucretius virginem.

IPHIANASSAI) Iphianaſſæ, Iphigeniæ Agamemnonis filiæ. Cùm Græci vento aduerſo Aulide detinerentur, neque eis vlla ad Troiam perueniendi facultas daretur, Agamemnon, Chalcante conſulto, eiúsque reſponſo audito, quod fuit eiuſmodi, iratam Dianam eſſe placandam, votúmque ei perſoluendum (vouerat autem Dianæ, quod in ſuo regno pulcherrimum anno illo naſceretur.) Iphigeniam filiam ſuam, qua nihil erat eo quidem anno natum pulchrius, immolauit. Promiſſum potius non faciendum, quàm tam tetrum facinus faciendum fuit, inquit M. Tull. lib. 3 de Offic. ſic & Horat. lib. 2. ſaty. 3. Tu cùm pro vitula ſtatuis dulcem Aulide natam Ante aras, ſpargiſque mola caput improbè ſalſa, Incolumi capite es? hac de re autem lege Sophoclis Electram, & Euripidis Iphigeniam in Aulide. Huc pertinet illud Virg Æneid. 2. Sanguine placaſtis ventos, & virgine cæſa. Iphianaſſai autẽ legendum, quod agnoſcit Priſc. non Iphianaſſæo, vt eſt in libr. vulgatis.

TVRPARVNT) inquinarunt, contaminarunt. ſanguis enim inquinat: & quod cruentum eſt, impurum eſt: ex quo cruentum pro impuro vſurpatur. vt libro VI. An cælum nobis vltro natura cruentum Def[illegible], &c. vbi vulgo legebatur, natura corruptum.

DILECTI.) hîc apponenda eſt diſtinctionis nota. Theocr. εἰδ. 17. Πασᾶν ἐκ πολίων προλελεγμένοι, ὧν τὸ φιλὸν ᾖ. id eſt viri ex omnibus ciuitatib. dilecti, quorum aliquis vſus eſſet. Admonendus eſt lector, in tribus lib. manuſcriptis, dilecti, ſcriptũ eſſe: quod probo. Nam Feſtus quoque teſtatur dilectus militum dixiſſe veteres, non delectus. Atque hanc vocem ſemper ita ſcriptam reperio in libris manuſcr. tum apud alios ſcriptores, tum apud M. Tullium. Exempli cauſa, Philipp. V. bello autem dubio quod poteſt eſſe ſtudium dilectus? & paucis verbis pòſt. tumultum decerni, iuſtitium edici, ſaga ſumi dico oportere, dilectum haberi, ſublatis vacationib. Idem pro Milone, in narratione, Cõuocabat tribus, ſe interponebat, Collinam nouam ex

dilectu perditiſſimorum ciuium conſcribebat. Quem locum eo libentius protuli, quòd in omnibus libris vulgatis mendosè legitur, non eò ſolùm, quòd delectum habent pro dilectu, & ſcribebat, pro conſcribebat, ſed etiam quòd coloniam nouam, pro Collinam nouam. Fuit autem Collina vna ex quattuor tribubus ruſticis. Nolim verò Fr. Fabricium Marcoduranum ſua laude fraudare, qui ſe hunc M. Tullij locum ita ſcriptum, in libris antiquis reperiſſe teſtatur.

PRIMA VIRORVM) *Flos virorum. idem Theocr.* ἄωτος*: vel prima virorum, id eſt* πρῶτα τῶν ἀνδρῶν, *vt loquuntur Græci. Lucianus Timone,* πρῶτα τῶν κολάκων*: & ita Adrianus Turnebus. ſed vtraque explicatio videtur mihi eodem recidere.*

SIMVL) *ſimulatque, ſimul vt.*

INFVLA) *filamentum laneum, quo ſacerdotes fœminæ, & hoſtiæ velabãtur. Virg. Georg. 3. Lanea dum niuea circumdatur infula vitta.*

VIRGINEOS CIRCVMDATA COMTVS) *data circum virgineos comtus.* ἀναστροφή*: id eſt circumdata capiti, & temporibus comæ virginis, vel comto capiti virginis.*

ET MÆSTVM SIMVL, &c.) *& ſimul. id eſt eodem tempore, vel & ſimulatque ſenſit, id eſt vidit, vel cognouit potius (erat enim velata) mæſtum parentem Agamemnonem adſtare, &c. ad hunc locum pertinent illa M. Tull. in orat. perfecto. Si denique pictor ille vidit, cùm immolanda Iphigenia triſtis Chalcas eſſet, triſtior Vlyſſes, mæreret Menelaus, obuoluendum caput Agamemnonis eſſe, quoniam ſummum illum luctum penicillo non poſſet imitari, &c.*

CELARE) *vagina tectum, conditúmque habere: vel, ſi quis malit legi, celerare, vt ſcriptum eſt in nonnullis codicibus, id erit celeriter expedire. codices manuſcripti tamen quattuor habent, celare.*

MVTA METV TERR. GENIB. SVMM. PET.) *ſic habent omnes libri & manuſcripti, & typis excuſi: neque video quamobrem quicquam mutare debeamus. ſic enim Virgilius eſt locutus Æneid. 9. Molle pecus; mutúmq; metu. & 12 Stat pecus omne metu mutum. & M. Tull. Frumentaria. Itaque illum in iure metu, conſcientiaque peccati mutum, atque exanimatum, ac vix viuum relinquo. Idem pro domo ſua. ciuitatémque fractam malis, mutam, debilitatam, abiectã metu, &c. Auancius tamen legendum putabat, Vulta metu terr. gen. &c. vt ſit hæc huius loci ſententia, Iphigenia vulta, id eſt vultus ſubmiſſa. metu, id eſt propter metum, terram genibus petebat: vultus ſubmiſſa autem, hoc eſt, vultu ſummiſſo. neque enim eſt quòd quemquam offendat vocis nouitas. Nam eam etiam vſurpauit lib. 4. ſed quos vtriuſque figuræ Eſſe vides iuxtim, miſcentes volta parentũ, &c. Præterea eadem voce vtũtur Latini in numero multitudinis, pro ſingulari. M. Tull. epiſt. lib 12. Vultus tuos mihi expreſſit omnes & lib 2. de Orat. Vultus omnes aduerſarij diligenter perſpiciendi. Virg. lib. 4. AEneid. hærent infixi pectore vultus. & lib. 1. notos pueri puer indue vultus. Iam verò ſummiſſo vultu dixit Virgil. lib. 12. AEneid. ſic dea ſummiſſò contrà Saturnia vultu: & Catull ſummiſſo poplite, Carm. de Pel. & Thet. nupt. Proiiciet truncum ſummiſſò poplite corpus. Ego tamen lectionem receptam, & vulgatam retinendam, præſertim à veterib. libris confirmatam, cenſeo. Nam & Virg. poſtremam huius verſus partem imitatus eſt. Summiſſi petimus terram, &c. lib. 3. AEneid. & idem Lucretius lib. 3. terræque petitus Suauis.*

QVOD

QVOD PATRIO PRINCEPS, &c.) *princeps, id eſt prima. ſic lib. 5. Qui princeps vitæ rationem inuênit eam, quæ Nunc appellatur ſapientia. Notauimus in commentar. Horat. ad illum locum odæ 16. lib. 1. Fertur Prometheus addere principi Limo coactus particulam vndique Deſectam &c. ſic idem Horat. epiſt. 19 lib. 1. Libera per vacuum poſui veſtigia princeps. Magnum immanitatis, atque atrocitatis in patre argumentum, filiam eam, à qua prima ſit pater appellatus, mactare. ſic Æſchines in Orat. κατὰ Κτησιφῶντος inuehitur in Demoſthenem, quòd [die] ſeptimo poſt filiæ eius, quæ ſe prima patrem appellarat, mortem, hoſtias immo[la]ſſet, his verbis, πρὶν πενθῆσαι, καὶ τὰ νομιζόμενα ποιῆσαι, στεφανωσάμενος, καὶ λευκὴν ἐσθῆτα λαβὼν, ἐβουθύτει, καὶ παρενόμει, τὴν μόνην ὁ δείλαιος, καὶ πρώτην αὐτὸν πατέρα προσειποῦσαν ἀπολέσας. id eſt, prius quàm filiam luxiſſet, prius quàm eius funeri iuſta ſoluiſſet, coronatus, & albatus bouem immolabat, morem maiorum negligebat, leges & inſtituta ciuitatis violabat, vnica filia miſer amiſſa, quæ ipſum prima patrem appellarat. quem locum commemorat M. Tull. Tuſcul. 3. his verbis. Itaque & Æſchines in Demoſthenem inuehitur, quòd is ſeptimo die poſt filiæ mortem hoſtias immolaſſet. at quàm rhetoricè! quàm copioſè! quas ſententias colligit! quæ verba contorquet! vt licere quiduis rhetori intelligas. Eundem profert Plutarchus παραμυθ. πρὸς Ἀπολλών. & in vita Demoſthenis notat. Itaque Iphigenia apud Euripidẽ his maximè verbis ſe patrem Agamemnonem flexuram ſperat. Πρώτη σ' ἐκάλεσα πατέρα, καὶ σὺ παῖδ' ἐμέ. id eſt, Te prima patrem vocaui, tu me filiam.*

NAM SVBLATA VIRVM MAN.) *Tolli manibus virorum, aut etiã ſuſtolli, vt mactaretur, cum ratione conſentaneum eſt: vt verò in matrimonio collocaretur, abſurdum fortaſſe alicui videatur. Sed videri non debet. Nam fortaſſe hoc referendum eſt ad morem Romanum, quo nouæ nuptæ ſurſum latæ, id eſt ſublatæ, domum viri ducebantur, natum ex Sabinarum raptu, quæ primæ Romanorum vxores fuerunt. vel, vt alij volunt, ſignificare volebant, virgines debere videri eò ire inuitas, & vi coactas, vbi virginitatẽ eſſent amiſſuræ: vel hanc ſublationem ſignum eſſe coniunctionis ſempiternæ, & indiſſolutæ præſagiebant; vt, quemadmodum inuita domum viri ingreſſa eſſet, ita, niſi vi & neceſſitate magna coacta, eam non eſſet relictura.*

SOLLEMNI) *id eſt vſitato, ſtato, rato & fixo. Sollemne vel à ſolo, quod eſt τὸ ὑφιστάμενον, id eſt quod ſubſiſtit, vel ab Oſca voce ſollo, quod eſt totum: ex qua ſollers quaſi ὅλος ἀρετή, id eſt totus ars, & virtus, totúſque in omni re prudens. rectè autem geminatur l, vt producatur prima ſyllaba. Deducta eſt (inquit) non vt ſollemnibus & vſitatis ſacris perfectis, poſſet in claro & amplo matrimonio collocari, &c.*

CLARO COMITARI HYMENÆO) *id eſt, vel in claro matrimonio collocari, vt lib. 4. Et multæ ſteriles hymenæis antè fuerunt Pluribus: vel nuptiali carmine, eóque claro propter nuptiarum claritatem celebrari. nam comitari hoc loco παθητικῶς accipiendum eſt. nec mirũ, cùm etiam comito, as, fuerit veteribus vſitatum.*

CASTA INCESTE) *ἀνάγνως inceſtè autem, id eſt impurè, propter ſanguinem. nam ſanguis inquinat, & impurum reddit. ex quo cruentum poſuit lib. VI. pro eo, quod eſt, impurum An cælum nobis vltrò natura cruentum Deſerat quod paullo antè commemorauimus.*

NVBENTI TEMP. IN IPSO) *eo ipſo tempore, quo nubere debebat:*

vel quo, matura viro, & nubilis erat.

MACTATV) *mactatione, & immolatione à parente facta. mactare propriè valet magis augere, quaſi magis auctare, ornare, honorare.* M. Tullius *ex* Nonio, *Ferunt laudibus, mactant honoribus.* Itaque *non ſolùm ita loquimur, mactare* Diis *hoſtiam, id eſt, immolare.* vt Virg. *lib.* 3. AEneid. *Cælicolûm regi mactabam in litore taurum: &* Lucret. *lib.* 5. *Et nigras mactant pecudes, & manibu'* Diuis *Inferis mittunt: ſed & mactare* Deos, *pro eo, quod eſt, ſacrificiis deos honorare, ſeu placare.* M. Tull. *in* Vatin. *Cùm puerorum extis* Deos *mactare ſoleas. ex quo mactare malo, & mactare infortunio.* Plaut. Bacchid. *& ego te, & ille mactamus infortunio: cuiuſmodi eſt illud apud* Terent. Heaut. *ergo herus damno auctus eſt.*

EXITVS VT CLASSI) Hæc Agamemnonis *erat* πρόσφαγμα, *propter quã filiam ſuam immolaret. itaq; ſic eum facit priuato homini reſpondentem* Horatius *ſat.* 3. *lib.* 3. *Verùm ego vt hærenteis aduerſo litore naueis* Eriperem, *prudens placaui ſanguine* Diuos. Vide Eurip. Iphig. *in* Aulide.

TANTVM RELLIGIO POT.) *acclamatio: vt inf. eodem lib.* Tantum *elementa queunt permutato ordine ſolo. &* Virg. *lib.* 1. AEneid. *Tantæ molis erat Romanam condere gentem.*

Tutemet à nobis iam quouis tempore, vatum
Terriloquis victus dictis, deſciſcere quæres.
Quippe etenim quàm multa tibi iam fingere poſſum,
Somnia, quæ vitæ rationes vertere poſſint,
Fortunáſque tuas omneis turbare timore?
Et meritò. nam ſi certam finem eſſe viderent
Aerumnarum homines: aliqua ratione valerent
Relligionibus, atque minis obſiſtere vatum.
Nunc ratio nulla'ſt reſtandi, nulla facultas:
Aeternas quoniam pœnas in morte timendum.
Ignoratur enim quæ ſit natura animaï:
Nata ſit, an contrà naſcentibus inſinuetur:
Et ſimul intereat nobiſcum morte diremta:
An tenebras Orci viſat, vaſtáſque lacunas:
An pecudes alias diuinitus inſinuet ſe:
Ennius vt noſter cecinit, qui primus amœno
Detulit ex Helicone peremni fronde coronam:
Per genteis Italas hominum quæ clara clueret.
Et ſi præterea tamen eſſe Acheruſia templa
Ennius æternis exponit verſibus, edens,
Quò neque permánent animæ, neque corpora noſtra:
Sed quædam ſimulacra modis pallentia miris.
Vnde ſibi exortam ſemper florentis Homeri
Commemorat ſpeciem, lacrymas & fundere ſalſas
Cœpiſſe, & rerum naturam expandere dictis.

TVTEMET A NOBIS) *Hunc verſum profert Priſc. lib. 12. Sententia autem huius loci hæc eſt, Quid Agamemnonem, regem ambitioſum, & ſtultè religioſum commemoro? tu ipſe doctrina politus, atque ab omni ſuperſtitione liber, ac ſolutus, iam à nobis deſciſcere conaberis.*

TERRILOQVIS) *id eſt quæ loquuntur poëtæ ad homines terrendos: quibus non imbecilli ſolùm animi, verùm etiam fortes, & conſtantes terrentur interdum, vt de Cerbero, de Acherunte, de Tantalo, Siſypho, Tityo, & ceteris.*

DESCISCERE) *duo libri manuſcripti habent, diſciſcere: nonnulli, deſiſtere: quibuſcum conſentiunt quidam vulgati. ceteri deſciſcere. quos ſequor.*

POSSVM) *ſic habent tres libri manuſcripti, & typis excuſi Vicetini, & Pariſienſes. ſed hoc prætereà varietatis in libris manuſcr. reperi, quòd quidam habent, me fingere poſſum: quam ſcripturam nonnulli docti viri probant: aiúntque ſic locutos eſſe veteres. alij ex hac ſuſpicantur eſſe legendum, ex me fingere poſſum. Ego ſuſpicatus aliquando ſum legendum, confingere poſſum. Verumtamen aut vetus ſcriptura probanda, aut vulgata ac recepta. ne illa quidem mihi reiicienda videtur, ex me fing poſſ.*

VERTERE) *euertere. Virg. Æneid. 1. Tyrias olim quæ verteret arceis. Lucret. lib. 3. pietatem vertere fundo.*

CERTAM FINEM) *ſic habent libri omnes manuſcr. Vaticanus, Memm. Tethianus, Bertin. atque hãc ſcripturam agnoſcit Nonius. Denique apud hunc ſcriptorem ferè ſemper hoc nomen in genere fæmin. vſurpatur, vt inf. eod. lib. Denique iam quoniam generatim reddita finis. & lib. 2. certa Finis vtrinque tenet ſummã. & 3. nec quæ ſit pœnarum denique finis. & in pleriſque aliis locis. ſic apud Virg. lib. 5. Quæ finis ſtandi? & apud Horat. od. 17. Epod. Quæ finis, aut quod me manet ſtipendium? Sententia autem huius loci hæc eſt. Si homines ærumnarum & miſeriarum finem in morte viderent: aliqua ratione religionibus obſtare poſſent. Nũc autem cùm putent animos eſſe immortaleis, naſci videntur in miſeriam ſempiternam, neque ſe vmquam conquieturos ſperant.*

ÆTERNAS QVON. POEN. IN MOR. TIMENDVM) *id eſt timere oportet. vt apud Græcos, φοβητέον. ſic loquitur inf. eod. lib. Multa nouis verbis præſertim cùm ſit agendum. id eſt cùm multa agere oporteat. & lib. 2. Addendum parteis alias erit: inde ſequetur, &c. & lib. 3. Quinque (vt opinor) eam faciendum eſt ſenſibus auctam. ibid. Vſque adeò prius eſt in nobis multa ciendum. & lib. 4. multáque nobis Clarandum eſt, planè ſi res exponere auemus, &c.*

NATVRA) ψυχῆ. NATA SIT, AN CONTRA) *vtrùm anima nata ſit vnà cum corpore, vt volunt Stoici, & Ariſtoteles: an contrà ab æterno creata in corpora naſcentium inſinuetur, atque infundatur, vt ſentit Plato, & veteres Academici. Arnobius lib. 2. aduerſ. genteis: Quid ſit ſenſus, quid anima, aduolarítne ad nos ſponte, an cum ipſis ſata ſit, & procreata viſceribus: mortis particeps degat, an immortalitatis perpetuitate donata ſit.*

ET SIMVL INTEREAT, &c.) *& vtrùm nobiſcum moriatur anima, an ad inferos deſcendat, an in alia corpora migret: quæ poſtrema opinio fuit Pythagoreorum. dictum autẽ, inſinuet ſe pecudes, pro ſinuet. ſeu inſinuet ſe in pecudes. nam veteres interdum non addebant præpoſitionem, ſi ea iam eſſet in verbo compoſito. vt adigere arbitrũ, potius q̃ adigere ad arbitrũ, & adigere iuſiurandũ, propugnat nugis, apud Horat. ſic idẽ Lucr. lib. 2. Hoc etiã magis hæc animũ te aduertere pareſt.*

ENNIVS VT NOSTER CECINIT) *qui videtur fuiſſe Pythagoréus. Horat. epiſt. ad Auguſt. Ennius & ſapiens, & fortis, & alter Homerus, Vt Critici dicunt, leuiter curare videtur, Quò promiſſa cadant, & ſomnia Pythagoréa. Perſius ſat. 6. Cor iubet hoc Enni, poſt quàm deſtertuit eſſe Mæonides, Quinctus pauone ex Pythagoréo.* QVI PRIMVS) *Primus Latinorum.*

HELICONE) *Bœotiæ monte, quem Muſæ incolunt.*

PER GENTEIS ITALAS HOM. Q. CL.) *Sic habent nonnulli libri manuſcripti: alij, omnium. vtraq; ſcriptura probabilis eſt. vtra ſit recta & vera, quæritur. Si hominum probabimus: ita explicabimus: quæ corona clara eſſet per genteis hominum Italorum. Sin omnium, ſic: quæ corona, omnium coronarum clariſsima per gẽteis Italiæ clueret, vt ſit poſitiuus pro ſuperlatiuo. quale eſt illud apud Ennium, Saturnia magna dearũ: niſi quis dicat hîc genitiuum eſſe diuiſionis: quod genus apud Græcos vſitatuſſimum quidẽ eſt, ſed etiam Latini vſurpant, vt Plinius, nigræ ouium.*

CLVERET) *id eſt nominaretur: & ita Nonius. citat & illum Lucillij verſum: Cuia opera Troginu' calix per caſtra cluebat: Et illud Ennij, per genteis eſſe cluebat omnium miſerrimus. Valet etiam cluere interdum idem, quod videri; inſignem eſſe, haberi, excellere, eſſe: vt infrà eod. lib. Nec ratione cluere eadem, qua cõſtat inane. ibid. Quæ nondum clueant vllo tentata periclo. & lib. 2. Nec minus, atque homines inter ſe nota cluere ibid. primordia rerũ, Inter ſe ſimili quæ ſunt perfecta figura, Infinita cluêre: & lib. 3. Vtilis inuenietur, & opportuna cluebit. lib. 4. Cuiuſcunque cluet de corpore fuſa vagari. vtitur hoc verbo & Plautus non vno loco.*

TEMPLA) *regiones, loca. Varro lib 6 de lingua Latina. Vnus erit, quem tu tolles in cærula cæli Templa. Templũ tribus modis dicitur, ab natura, ab auſpicio, ab ſimilitudine. ab natura, in cælo: ab auſpiciis, in terra: ab ſimilitudine, ſub terra. In cælo templum dicitur, vt in Hecuba: O magna templa cælitum commixta ſtellis ſplendidis, &c.*

EDENS) *edens per hos duos verſus, qui ſequuntur, Quò neque, &c. vt quidã doctiſsimi viri putant: alij volunt eſſe Lucretianos.*

SED QVAEDAM SIM. MOD. PALL.) *imitatus eſt hunc verſum Virgilius multis locis, ſiue ſit Ennianus, ſiue Lucretianus: vt Georg. 2. & ſimulacra modis pallentia miris: & AEn. 1. Ipſa ſed in ſomnis inhumati venit imago, Cõiugis ora modis attollens pallida miris. & 6. Multa modis ſimulacra videt volitantia miris: & 10. Ora modis Anchiſiades pallentia miris. Sed non diſsimulabo, hunc verſum abeſſe à codice Bertiniano, & Memmiano.*

VNDE SIBI EXORTAM, &c.) *ad hunc locum pertinent illa M. Tullij lib. 2. Acad. quæſt. Num cenſes Ennium, cum in hortis ambulaſſet cum Ser. Galba vicino ſuo, dixiſſe, viſus ſum mihi cum Galba ambulare? at cùm ſomniauit, ita narrauit, Viſus Homerus adeſſe poëta. Idem ibid. dormientium viſa imbecilliora eſſe dicebas, quàm vigilantium. quo modo? quia cùm experrectus eſſet Ennius, non diceret, ſe vidiſſe Homerum, ſed ſibi viſum eſſe.*

ET FVNDERE) *ſic codex Bertinianus, & Memmianus. alij, effundere.*

SEMPER FLORENTIS) *Legendum, Semper florentis Homeri, vt ſit ὑφέν. quemadmodum notat Donatus ad illud Terentij, Et heri ſemper lenitas, &c.*

SALSAS) *epithetum otioſum, vt quidã putant. qualia ſunt illa, λευκοὺς ὀδόντας,*

id eſt albos denteis:λευκοῖο γάλακτος, apud Homer. id eſt albi lactis:humida vina, apud Virg.alba niue,apud Horat.& alibi,dentibus albis.

EXPANDERE) *explicare.in nonnullis libris ſcriptum eſt,exponere: in aliis expromere.ego hanc lectionem retineo.*

Quapropter bene cùm ſuperis de rebus habenda
Nobis eſt ratio:ſolis,lunæque meatus
Qua fiant ratione:& qua vi quæque gerantur
In terris:tùm cum primis ratione ſagaci
Vnde anima,atque animi conſtet natura,videndum:
Et quæ res nobis vigilantibus obuia menteis
Terrificet morbo affectis,ſomnóque ſepultis:
Cernere vti videamur eos,audiréque coràm,
Morte obita quorum tellus amplectitur oſſa.
Nec me animi fallit,Graiorum obſcura reperta
Difficile inluſtrare Latinis verſibus eſſe:
Multa nouis verbis præſertim cùm ſit agendum
Propter egeſtatem linguæ,& rerum nouitatem.
Sed tua me virtus tamen,& ſperata voluptas
Suauis amicitiæ,quemuis efferre laborem
Suadet:& inducit nocteis vigilare ſerenas,
Quærentem dictis quibus,& quo carmine demum
Clara tuæ poſſim præpandere lumina menti:
Res quibus occultas penitus conuiſere poſſis.

QVAPROPTER BENE CVM SVPERIS) *concludit hunc locum hoc modo. Quoniam igitur videmus,ignoratione cauſarum,& rerum à natura inuolutarum,homines miſerè cõturbari,cùm ceteræ res omnes obſcuræ nobis ſunt perquirendæ, & cognoſcendæ, tùm maximè, quæ ſit animi natura, videndum eſt. cùm,hoc loco coniunctio eſt,cui reſpondet altera,tùm,quarto ab hinc verſu.*

ET QVA VI QVAEQVE GERANTVR) *legendum videtur, genantur:nõ gerãtur,vt vulgò legitur geno enim idem valet quod gigno. Cuius verbi ignoratione complures non apud hunc poëtam ſolùm loci deprauati ſunt, vt poſterius oſtendemus,verùm etiam apud Varronem,& ceteros. Genium appellabãt deum(inquit Feſtus)qui vim obtineret rerum genendarum: vbi vulgò legitur & ſcribitur,gerẽdarum,corruptè. Varro lib.1.de re ruſt.cap.31.id ex pabuli ſegete viride ſectum,antequam genat ſiliquas. Idem cap.12. Quod eſt principium genendi. Idem in Andabata. Sed quòd hæc loca aliquid genunt:quem poſtremum locum teſtem producit Priſcian. lib.10.cum altero Lucretij ex lib.3. tanto magis infitiandũ, Totum poſſe extra corpus durare,genique. Verumtamen ferri hîc poteſt recepta lectio,gerantur.gerantur.autem,id eſt adminiſtrentur,à natura ſcilicet,vt ſit tralatio. ab imperatoribus,& magiſtratibus,qui res gerunt:quod ipſum tamen etiam tranſlatum eſt ab ijs,qui onera gerunt:id eſt ſuſtinent,*

SAGACI) *ſagaces propriè canes dicuntur: quia ineſt in eis vis odorandi eximia. Itaque ſagaces appellantur, multi, & ſollertis acuminis, inquit Feſtus. idē Lucr. inf. eod lib. Eſt igitur nimirum id, quod ratione ſagaci Quærimus, &c. ibid. inf. Verùm animo ſatis hæc veſtigia parua ſagaci Sunt. & lib. 2. Nec minus hæc animum hac cognoſcere poſſe ſagacem: &c lib. 4. Tu mihi da tenueis aureis, animúm que ſagacem.*

SOMNOQVE SEPVLTIS) *Ex Ennio. Nunc hoſtes vino domiti, ſomnóque ſepulti. ſic & Virg. lib. 2 Æn. Inuadunt vrbem ſomno, vinóque ſepultam. idem lib. 9. ſomno, vinóq; ſepulti Procubuere. ibid Rutuli ſomno, vinóque ſepulti Conticuere. Hoc totum autem, vigilantibus, ſomnóque ſepultis, Græci dicunt, ὄναρ ϗ ὕπαρ.*

MORTE OBITA QVORVM, &c.) *iteratur hic verſus lib. 4. mutuatus autem eſt hoc principium verſus Virg. lib. 10. Æn. Morte obita qualeis fama eſt volitare figuras. notat Macrob. lib. 6. Saturn.*

TELLVS AMPLECTITVR OSSA) *vel tamquam mater, vel ſimpliciter, continet. Virgil. Æn. 5. Quàm quæ Dardanium tellus mihi ſeruat Aceſten, Et patris Anchiſæ gremio complectitur oſſa?*

NEC ME ANIMI FALLIT) *ſic potius legendum, quàm vt in quibuſdā libris legitur, animus fallit. ſic enim loquuntur interdum Latini, præſertim poëtæ, Falſus animi, æger & ſaucius animi: & crucior animi, &c. quamquam alterā lectionem non auſim damnare. Verumtamen auſim, præſertim cùm ſic habeant plures codices, & ita ſcriptum ſit apud Macrob. lib. 6. Eſt autem hoc loco occupatio.*

MVLTA N. V. P. CVM SIT AGENDVM) *id eſt cùm multa ſint nouis verbis agenda, ſeu agere oporteat, vt ſuprà admonuimus. agendum enim actionem ſignificat, vt apud Græcos πρακτέον, id eſt agere oporteat. cùm multa nobis verba ſint innouanda: vel cùm multa nobis nouis verbis ſint appellanda.*

PROPTER EGEST. LING.) *Sic inf. eod. lib. nec noſtra dicere lingua Concedit nobis patrij ſermonis egeſtas. & lib. 3. rationem reddere auentem Abſtrahit inuitum patrij ſermonis egeſtas. Sic Cato apud M Tull. lib. 3. de Finibus, de Zenone. Cùm vteretur in lingua copioſā factis tamē nominibus, ac nouis: quod nobis in hac inopi lingua nō conceditur. quamquam tu hāc copioſiorem etiam dicere ſoles. Idem contrà lib. 1. Non eſt hic omnino docendi locus: ſed ita ſentio, & ſæpe diſſerui, Latinam linguam non modò non inopem, vt vulgò putarent, ſed locupletiorem etiam eſſe, quàm Græcam. Quando enim, ne nobis dicam, aut oratoribus bonis, aut poëtis, poſteà quidem quàm fuit, quem imitarentur, vllus orationis vel copioſæ, vel elegantis ornatus defuit?*

SPERATA VOLVPTAS) *ſic habent quinque lib. manuſcripti, & excuſi Pariſ. Veneti antiq. Vicetini, Florent. Quam ſcripturam ſecutus ſum tum adductus tot librorum auctoritate: tum quòd conſentaneum eſt Lucretio, Epicuri decreta Latinis litteris illuſtranti, amicitiæ, & ex amicitia naſcentis voluptatis cauſa, ſcribendi laborem perferre. alij codices, ſi quis forte eos ſequi malet, habent, ſpectata voluntas.*

QVEMVIS EFFERRE LABOREM) *Sic habēt quinque libri manuſcripti, & ex impreſſis, Vicetini: atque hæc germana eſt ſcriptura. nam & ita veteres loquebantur. vetus poëta apud M. Tull. orat. pro Sextio: Si tu laborem ſumma cùm cura efferas nullum. Vulgati autē, perferre lab. quam lectionem quamuis nō damnem, antiquam tamen magis probo.*

PRÆPANDERE LVMINA) *δᾳδουχεῖν, præferre faceis: præferendo faceis, lumen aperire. lib.5. Tempore item certo roſeam Matuta per oras Aetheris auroram defert, & lumina pandit. Vno verbo Latino, prælucere.*

PENIIVS) *introrſus.*

Hunc igitur terrorem animi, tenebráſque neceſſe'ſt
Non radij ſolis, neque lucida tela diei
Diſcutiant, ſed naturæ ſpecies, ratióque:
Principium hinc quoius nobis exordia ſumet,
Nullam rem è nihilo gigni diuinitus vmquam.
Quippe ita formido mortaleis continet omneis,
Quòd multa in terris fieri, cæլóque tuentur:
Quorum operum cauſas nulla ratione videre
Poſſunt: ac fieri diuino numine rentur.
Quas ob res, vbi viderimus nil poſſe creari
De nihilo: tum, quod ſequimur, iam rectius inde
Perſpiciemus: & vnde queat res quæque creari:
Et quo quæque modo fiant opera ſine diuûm.

HVNC IGITVR TERR.) *tres verſus, qui deinceps conſequuntur, iterantur in princip. lib.2. & lib.6. Eorum autem hæc ſententia eſt. Hunc igitur terrorem, quem animis noſtris incutit ignoratio cauſarum, cogitatio mortis, ſimulacra mortuorum, vel morbo affectis, vel dormientibus obijci ſolita, & ſimilia, diſsipent, & depellant, neceſſe eſt, non radij ſolis, & lux diurna, ſed contemplatio naturæ, & ratio.*

TELA DIEI.) *idem dicit. nam radij ſolis, tela diei ſunt, vtpote quibus tanquam telis huc & illuc iactis, ac diffuſis totus orbis terrarum illuſtretur. Iam tela à Græco τηλόθεν dicta ſunt, quòd è longinquo loco mittuntur. Sic Auſonius Moſella, Luciferique pauent letalia tela diei. Notum autem eſt, Apollinem ab Homero & ceteris poëtis Græcis ἑκηβόλον, & ἑκατηβελέτην, id eſt, longè iaculantem appellari.*

SPECIES) *ἡ θεωρία, ἡ θέα: id eſt contemplatio. Cicero lib.2. de nat. deorum. Nulla eſt enim inſatiabilior ſpecies, &c.*

RATIO) *vel ratio ſimpliciter, id eſt λόγος: vel ratio naturæ, vt ſuprà ratio cæli, & ratio deorum.*

PRINCIP. HINC) *id eſt cuius contemplationis, & rationis principium, nobis hinc naſcetur, & proficiſcetur. hinc autem, nempe, Nullam rem è nihilo, &c.*

NVLLAM REM E NIHILO GIGNI) *Omnium, qui vmquam de natura locuti ſunt, fuit hæc opinio communis, nihil ex nihilo fieri: quod teſtatur Ariſt. 1. lib. φυσικ. τὸ γιγνόμενον ἐκ μὴ ὄντων γίγνεσθαι ἀδύνατον. περὶ γὰρ ταύτης ὁμογνωμονοῦσι τῆς δόξης πάντες οἱ περὶ φύσεως, id eſt non poteſt fieri, vt id, quod gignitur, ex iis, quæ non ſunt, gignatur. Nam de hac opinione omnes, qui de natura ſcripſerunt, conſentiunt ibid. κοινὴ δόξα τῶν φυσικῶν, οὐδὲν γίγνεσθαι ἐκ τοῦ μὴ ὄντος. id eſt communis opinio eorum, qui de natura diſputarunt, nihil fieri ex nihilo. Etiam Democritus, quē auctorem in primis ſequitur Epicurus (Nam in Phyſicis totus eſt alienus Epicurus, vt ſcribit M. Tullius lib. de finibus, quippe qui à Democrito pleraq; omnia ſumat)*

Democritus igitur quoque hanc eandem ſententiam probat, μηδὲν ἐκ τοῦ μὴ ὄντος γίγνεσθαι, μηδὲ εἰς τὸ μὴ ὂν φθείρεσθαι : id eſt nihil ex nihilo fieri, neque in nihilum interire. Huc pertinent illa M. Tull. lib 2. de diuinatione. Nō ergo omnium interitus, atque obitus natura conficiet : & erit aliquid, quod aut ex nihilo oriatur, aut in nihilum ſubitò óccidat. quis hoc phyſicus dixit vnquam? Ne Ariſtoteles quidem ab hac communi omnium opinione longius diſceſsit. Ita enim longam hac de re diſputationem concludit lib. I. φυσ. ἀκροάσ. nihil ferè ex eo, quod non eſt, ſimpliciter, ſeu ex eo, quod non eſt per ſe, quale eſt priuatio, quam Græci στέρησιν nominant, fieri: ſed contrà omnia fieri ex materia, quæ eſt ὄν, id eſt ens (liceat nobis hoc vocabulo vti) ens (inquam) per ſe : non tamen ex materia fiunt omnia ea ratione, qua eſt aliquid, ſed qua ratione nihil eſt, ſeu eſt non ens, & κατὰ συμβεβηκός, id eſt ex euētu: hoc dico qua ratione ineſt in ea priuatio formæ eius, quam iam iam eſt indutura: id eſt qua ratione eſt informis, & expers eius formæ, quæ materiam illam informatura eſt. ex eo autem, quod nihil eſt ſimpliciter & per ſe, veluti ex priuatione nihil fit. ex eo igitur, quod eſt ens per ſe fit ens. Verumtamen non fit per ſe, ſed ex euentu, id eſt quia euēnit materiæ, vt ea forma, quam iam iam cōſecutura eſt, & ad quam accommodata eſt, careat. hæc ſunt Ariſtotelis.

DIVINITVS) *diuina voluntate, ſeu diuino numine, vt idem ſtatim loquitur. θείᾳ μοίρᾳ.*

CONTINET) *afficit, ſeu coërcet, & conſtrictos tenet.*

TVENTVR) *cernunt, vident.*

VIDERE) *animo.*

DIVINO NVMINE) *diuinitus.*

RENTVR) *arbitrantur.*

TVM, QVOD SEQVIMVR) *ſic habent omnes libri & manuſcripti, & typis excuſi. quæ lectio ſi emendata eſt, hoc ſignificat. vbi viderimus, nihil ex nihilo creari poſſe, tum facilius id perſpiciemus, quod ſequimur. id eſt, quod probamus, & quod nobis propoſuimus ad probandū, nempe & vnde quæque res creari poſsit, & quomodo ſine deorum opera creetur. Videtur mihi tamen reclamantibus libris omnibus legendum eſſe, tum quod ſequitur, & c.*

OPERA SINE) *ſine opera, ἀπραγμοσύνῃ.*

Nam ſi de nihilo fierent: ex omnibu' rebus
Omne genus naſci poſſet: nil ſemine egeret.
E mare primùm homines, è terra poſſet oriri
Squammigerûm genus, & volucres: erumpere cælo
Armenta, atque aliæ pecudes: genus omne ferarum
Incerto partu culta, ac deſerta teneret.
Nec fructus iidem arboribus conſtare ſolerent,
Sed mutarentur: ferre omnes omnia poſſent.
Quippe vbi non eſſent genitalia corpora quoique,
Qui poſſet mater rebus conſiſtere certa?
At nunc ſeminibus quia certis quidque creatur:
Inde enaſcitur, atque oras in luminis exit,

Materies

Materies vbi ineſt quoiuſque, & corpora prima.
Atque hac re nequeunt ex omnibus omnia gigni,
Quòd certis in rebus ineſt ſecreta facultas.

NAM SI DE NIHILO FIERENT: EX OMNIBV' REBVS) *Epicuri verba ad hunc locum pertinentia, quæ exſtant apud Laërtium, hæc ſunt.* πρῶτον μὲν ὅτι οὐδὲν γίνεται ἐκ τοῦ μὴ ὄντος. πᾶν γὰρ ἐκ παντὸς ἐγίνετ' ἄν, σπερμάτων γε οὐδὲν προσδεόμενον· καὶ εἰ ἐφθείρετο δὲ τὸ ἀφανιζόμενον εἰς τὸ μὴ ὄν, πάντα ἂν ἀπολώλει τὰ πράγματα, οὐκ ὄντων τῶν εἰς ἃ διελύετο. *id eſt primùm quidē nihil fieri ex nihilo. alioqui enim omnia ex omnibus orirentur, nihil egentia ſeminibus: & ſi id, quod interit, in nihilum interiret, res omnes occiderent, cùm ea, in quæ res reſoluerentur, non eſſent.*

E MARE PRIMVM) *è mare, pro è mari, antiquum. Cariſius tamen docet, nomina neutralia in e non factitia, in ablatiuo quoque eandem litteram ſeruare. M. Varro libro 3. de gente Rom. à mare ſeparata oppida. idem libro 12. antiqu. human. ab Erythreo mare orti. Varro Atacinus. Cingitur Oceano, Libyco mare, flumine Nilo. ſic & Horatius ſatyra 8. libro 2. Gauſape purpureo menſam pterſit. ad hunc locum pertinet iocus ille Plautin in mil. Glorioſo. maris cauſa hercle ego hoc vtor oculo minus. Nam ſi amare abſtinuiſſem, tanquam hoc vterer. iocus eſt ex ambiguo: quod ineſt in voce amare. dubium eſt enim vtrùm dicat à mare pro à mari, an amare à verbo amandi. qui locus explicatus eſt à Mureto libr. Variarum lectionum 3. cap. 17.*

SQVAMMIGERVM GENVS) *piſces, vt infr. eodem lib. Nam quò ſquammigeri poterunt procedere tandem, Ni ſpatium dederint latices? & libr. 2. Præterea genus humanum, mutæque natantes Squammigerûm pecudes. Animantium (inquit M. Tull. libro 2. de natura deorum.) aliæ corijs tectæ ſunt, aliæ villis veſtitæ, aliæ ſpinis hirſutæ: pluma alias, alias ſquamma videmus obductas, alias eſſe cornibus armatas, alias habere effugia pinnarum.*

CONSTARE) *conſtanter manere.*

FERRE OMNES OMN. POSS.) *omnes arbores omnia fructuum genera ferre poſſent. Virgilius hunc locum expreſſit Georgic. 2. Nec verò terræ ferre omnes omnia poſſunt.*

QVIPPE VBI) *id eſt nam cùm. &c.*

GENITALIA) *ad gignendum valentia: vim gignendi habentia. Vt ſuprà.*

INDE) *ex eo loco, vbi cuiuſque materies ineſt coniunge hæc duo, inde, vbi.*

HAC RE) *hanc ob rem, ſeu hanc ob cauſam.*

S_CRETA) *diſtincta & ſeparata.*

Præterea, cur Vere roſam, frumenta calore,
Viteis Auctumno fundi ſuadente videmus,
Si non, certa ſuo quia tempore ſemina rerum
Cùm confluxerunt, patefit quodcunque creatur,
Dum tempeſtates adſunt, & viuida tellus
Tutò res teneras effert in luminis oras?
Quòd ſi de nihilo fierent: ſubitò exorerentur
Incerto ſpatio, atque alienis partibus anni:

Quippe vbi nulla forent primordia, quæ genitali
Concilio poſſent arceri tempore iniquo.
Nec porrò augendis rebus ſpatio foret vſus
Seminis ad coitum, è nihilo ſi creſcere poſſent.
Nam fierent iuuenes ſubitò ex infantibu' paruis:
E terráque exorta repente arbuſta ſalirent.
Quorum nil fieri manifeſtu'ſt: omnia quando
Paullatim creſcunt (vt par eſt) ſemine certo:
Creſcendóque genus ſeruant, vt noſcere poſſis
Quæque ſua de materia grandeſcere, alique.

CALORE) *æſtate.* VITEIS AVCTVMNO FVNDI SVAD.) *Treis codices manuſcriptos ſecutus ſum: quibuſcum congruunt nonnulli vulgati. nam alij habent, ſudante. Præterea in Florent. legitur, Vuas, non viteis. auctumno autem ſuadente dixit per tranſlationem: vt & tralatio eſt, in ſudante, ſi cui forte hæc ſcriptura probetur magis. ego quidem ſuadente magis probo. ſimili enim tranſlatione vſus eſt infrà libr. 2. ibi. Et iam cetera, mortaleis quæ ſuadet adire, Ipſáque &c. Tale fere eſt illud Plautinum Bacchid. princip. Quid eſt? quid metuis? ne tibi lectus malitiam ſuadeat? Sic iterum Lucretius lib. v. imperare à rebus ratione vtẽtibus, ad rem inanimã trãſtulit. Nec minus in certo dẽteis cadere imperat ætas.*

DVM TEMPESTATES ADSVNT) *id eſt tempora idonea, atque opportuna. nam tempeſtatis nomen eſt μέσον.*

VIVIDA) *vegeta, valida. viuatum & viuidum (inquit Feſtus) à magna vi dicta ſunt. ſuprà notatum eſt.*

TENERAS) *epithetum, teneras, licet coniungere cum voce, oras: & tum interpretabimur, liquidas, mollèis. licet & cum voce, res, vt intelligamus res adhuc recenteis, & infirmas, necdum ita corroboratas, vt iniuriam cæli ferre poſſint. Sic infrà paucis pòſt verſibus. Aëris in teneras poſſint proferrier auras.*

ALIENIS PARTIBVS) *id eſt intempeſtiuis: tempore non ſuo. ſuum, & alienum inter ſe opponuntur. quæ oppoſitio eſt illuſtris in illo Terentiano in Eunucho. vide quid os ſuum, & cibus faciat alienus. vbi vulgo tamen legitur, otium.*

QVÆ GENITALI CONC.) *id eſt quæ prohiberi poſſent, quominus inter ſe congrederentur, & conuenirent ad rem aliquam gignendam. Concilium apud bonos ſcriptores, per tranſlationem, quarumlibet rerum, ac perſonarum congregationem, ac cœtum ſignificat: vt hoc loco, concilium genitale eſt congregatio corporum primorum ad gignendum valens. ſic lib. 2. Multáque præterea magnum per inane vagantur, Conciliis rerum quæ ſunt reiecta. id eſt, quæ non potuerunt cohærere ad res gignendas. ibid. Quod tamen vt poſſint, ab cœtu, conciliόque Nil faciẽt præter volgum, turbámque animantum. & lib. 3. Quàm mortale quod eſt, immortali, atque peremni Iunctum in concilio ſæuas tolerare procellas? Propriè autem concilium, & cõciliare voces ſunt fulloniæ, vt docet Varro lib. 5. his verbis, Apud fullonem veſtimentum, cùm cogitur, conciliari dicitur. Ioſephus Scaliger tamen notat, concilium & conciliare à ciliis dici, & conciliare eſſe συμπιλοῦν, πιέζειν, συμπατεῖν, id eſt condenſare, conſtringere, & conculcare.*

TEMPORE INIQVO) *propter temporis iniquitatem, ſeu propterea quòd*

tempus eſſet alienũ,aduerſum,atq; inopportunũ.ſic ſuprà. patriai tempore iniquo.

NEC PORRO AVGENDIS REBVS) *id eſt,nec porrò rebus iam natis ſpatio opus eſſet ad congregationem corporum primorum, per quæ res illæ iuſtam magnitudinem colligerent, atque acquirerent, & (vt infra loquitur) ætateis florem contingerent.*

SPATIO VSVS) *id eſt ſpatio opus.Terent. Heaut. Mihi ſic eſt vſus:tibi,vt opus eſt facto,face.ſic idem Lucret.paucis verſibus pòſt. Nulla vi foret vſus enim, quæ partibus eius Diſcidium párere.&c.Sic & Plautus non ſemel.*

OMNIA QVANDO,&c.) *id eſt quoniam res omnes ſenſim creſcunt certo ſemine conueniente. quando,hoc loco legendum eſt cum accentu graui in poſtrema ſyllaba. Docet enim Feſtus, Quando,cùm graui accentu pronuntiatur, idem ſignificare, quod quoniam,& eſſe coniunctionem: cùm acuto accentu verò, eſſe temporis aduerbium.*

Huc accedit,vti ſine certis imbribus anni
Lætificos nequeat fætus ſummittere tellus:
Nec porrò ſecreta cibo natura animantum
Propagare genus poſſet,vitámque tueri.
Vt potius multis communia corpora rebus
Multa putes eſſe,vt verbis elementa videmus,
Quàm ſine principiis vllam rem exſiſtere poſſe.
Denique cur homines tantos natura parare
Non potuit,pedibus qui pontum per vada poſſent
Tranſire,& magnos manibus diuellere monteis,
Multáque viuendo vitalia vincere ſæcla:
Si non materies quia rebus reddita certa'ſt
Gignundis,è qua conſtat quid poſſit oriri?
Nil igitur fieri de nilo poſſe fatendu'ſt:
Semine quando opus eſt rebus,quo quæque creatæ
Aëris in teneras poſſint proferrier auras.

LÆTIFICOS) *lætitiæ effectores. ex quo lætificare.quo verbo etiam M.Tullius vſus eſt, lib 2 de natur. Deorum. Indus verò, qui eſt omnium fluminum maximus,non aqua ſolùm agros lætificat,& mitigat,ſed eos etiam conſerit.*

SVMMITTERE) *ſubminiſtrare,ſuppeditare,ſeu efferre. ſic ſuprà.tibi ſuaueis dædala tellus Summittit flores.*

SECRETA CIBO) *ſine cibo,ſeorſum à cibo.*

PROPAGARE) *amplificare,multiplicare.tralatiò à vitibus.In verbo propagare,primam ſyllabam produxit, vt lib.5. Vt propagando poßint procudère ſæcla. ibidem corripuit. Nec potuiſſe propagando procudere prolem.ſic & ſup. & ſæcla propagent ſic & virg.nomen,propago,produxit lib.6.nimium vobis Romana propago viſa potens,ſuperi Propagatur genus autẽ,maris & fœminæ cõiunctione, ſcilicet,& rebus venereis. Atqui ſine Cerere quidem & Libero friget venus:ſine cibo autẽ non ſolùm venus in animante langueſcit,ſed ipſum quoque animans interit.*

VT POTIVS MVLTIS) *id eſt vt probabilius quis exiſtimare poßit, multa eſſe primordia rebus, quæ gignuntur, communia, quemadmodum elementa litterarum multa videmus eſſe nominibus communia, quàm rem vllam ſine primordiis naſci, atque oriri poſſe.*

PARARE) *κατασκευάζειν, efficere.*

PEDIBVS QVI PONTVM) *qualis fingitur Polyphemus à Virgilio lib 3. Æneid. graditúrque per æquor Iam medium, nec dum fluctus latera ardua tinxit. quales & gigantes fuiſſe accepimus: de quibus lib. 2 fortaſſe nonnulla dicemus, ad illum locum, Vix animalia parua creat.*

VITALIA SÆCLA) *ſæcla hoc loco pro ſpatiis annorum poſuit. Vitale autem idem valet, quod vita præditum, vel ad vitam pertinens, vel cum vita coniunctum. hoc totum autem, multa vitalia ſæcla viuendo vincere, eſt diu viuere.*

REDDITA) *attributa, vt ſæpe aliàs.* QVANDO) *quoniam: vt ſuprà.*

AERIS IN TEN. P. PROF. AVRAS) *id eſt proferri in aërem. ſic inf. Ordine mutato, & motu facere aëris auras.*

Poſtremò, quoniam incultis præſtare videmus
Culta loca, & manibus meliores reddi fœtus:
Eſſe videlicet in terris primordia rerum:
Quæ nos fœcundas vertentes vomere glebas,
Terraïq́; ſolum ſubigentes, cimus ad ortus.
Quòd ſi nulla forent: noſtro ſine quæque labore
Sponte ſua multo fieri meliora videres.
Huc accedit, vti quicque in ſua corpora rurſum
Diſſoluat natura: neque ad nihilum interimat res.
Nam ſi quid mortale è cunctis partibus eſſet:
Ex oculis res quæque repente erepta periret.
Nulla vi foret vſus enim, quæ partibus eius
Diſcidium párere, & nexus exſoluere poſſet.
At nunc, æterno quia conſtant ſemine quæque:
Donec vis obiit, quæ res diuerberet ictu,
Aut intus penetret per inania, diſſoluátque:
Nullius exitium patitur natura videri.

MANIBVS) *opera hominum, & opere ruſtico, cultura.*

REDDI) *ſic legendum libris omnibus reclamantibus. hic enim ordo eſt. & quoniam videmus, fœtus manibus reddi, hoc eſt fieri, meliores, &c. reddere autem, quod eſt in omnibus libris, ferri non poteſt.*

ESSE VIDELICET) *vel repetendum ἀπὸ κοινοῦ, fatendum eſt, vel accipiendum eſt, videlicet, pro videre licet, ſeu perſpicuum eſt, quod non eſt inuſitatum, quemadmodum ſcilicet, pro ſcire licet, vt aliàs oſtendemus, ibi, Scilicet eſſe globoſa, tamen cum ſqualida conſtent. lib. 2.*

QVÆ NOS FÆCVNDAS) *hic verſus, & qui proximè ſequitur, iterãtur lib. 5.*

VERTENTES) *Virg. Georg. 1. quo ſidere terram Vertere Mæcenas. & lib. 7. Æneid. terram centum vertebat aratris.*

TERRAIQVE SOLVM) *ſolum (inquit Feſtus) terra. dicimus tamen ſolum terræ, & ſolum regni. Ennius. Sed ſola terrai poſtquàm permenſa parumper. idem Tarquinio dedit imperium ſimul, & ſola regni.*

SVBIGENTES *mollientes, colentes. Vide Feſtũ in voce, ſubactus. Virg. Georg. 1. Ante Iouem nulli ſubigebant arua coloni. M. Tull. in Catone maiore. Quæ cùm gremio mollito ac ſubacto ſparſum ſemen excepit, &c. Idem tranſlatè lib. 2. de oratore ad Q. Fr. Subacto mihi ingenio opus eſt.*

CIMVS AD) *prouocamus ad ortus, id eſt facimus naſci, & oriri.*

SPONTE SVA *ſua vi, per ſe: ex quo ſponte nata dicuntur, quæ ſine manu hominum & cultura, nata ſunt. Arnob. lib. 2 aduerſ. genteis: cùm animantia cetera ſponte natis alerentur, & nulla ſatione prolatis, &c. Græci αὐτοφυῆ appellant.*

HVC ACCEDIT) *Poſteaquàm docuit, nihil ex nihilo fieri, nunc (quod eſt conſequens) oſtendere incipit, res creatas non interire in id, quod non ſit, id eſt in nihilum, ſed prima corpora, ex quibus res omnes creatæ conſtant, vtpote ſolidiſſima, & ſimpliciſſima, æterna remanere.*

NVLLA VI FORET VSVS ENIM) *ſic habent tres libri manuſcripti: alij, vſus ei. vtraque lectio probabilis eſt. ſed hanc magis probo. Hæc enim huius loci eſt ſententia. nulla enim vi opus eſſet, quæ vis parteis eius rei, quæ periret, diſcinderet, ac diſſolueret.*

DISCIDIVM) *ſic habent tres libri manuſcripti. diſcidium autem vox Latina eſt, ne quis fortè de hoc dubitet, à verbo diſcindo, nata, vt exſcidium à verbo exſcindo, non à verbo excido. Virg. lib. 2. Æn. Abnegat exſciſſa vitã producere Troia. idem lib. 7. At licet amborum populos exſcindere regum. diſcidium autem idem valet quod diſciſſio, diſiunctio, diſſolutio. quo nomine vtitur ſæpius & Lucretius, & alij boni ſcriptores, vt ego iam aliàs indicaui.*

ET NEXVS EXSOLV.) *i. & vincula diſſoluere, quod valet, interimere.*

AT NVNC, ÆTERNO) *omnes lib. ſcripti, & nonnulli excuſi habẽt, Quòd nunc æterno: quæ ſcriptura ſi recta eſt, vt mihi quidem fit veriſimile, ſic interpretanda eſt, at nunc, ſed nunc, nunc autem: vt dicimus, Quòd ſi, pro, ſi autem.*

DONEC VIS OBIIT) *ſecutus ſum quinque librorum manuſcriptorum auctoritatem. obiit autem, id eſt obuiam iit, incurrit, occurrit. Nam vulgati habent obeat. quam lectionem qui probant, deſipiunt.*

DISSOLVATQVE) *licet legere, diſſoluat, vt ſit trium ſyllabarum, & ita erit verſus ſpondiacus: licet & per diæreſim, diſſòluat: & item alibi. vt ſit quadriſyllabum.* EXITIVM) *interitum. Exitium (inquit Feſtus) ponebant antiqui pro exitu: nunc exitium, peſſimum exitum dicimus.*

Præterea, quæcunque vetuſtate amouet ætas:
Si penitus perimit, conſumens materiam omnem:
Vnde animale genus generatim in lumina vitæ
Redducit Venus? aut redductum Dædala tellus
Vnde alit, atque auget, generatim pabula præbens?
Vnde mare, ingenui fontes, externáque longè
Flumina ſuppeditant? vnde æther ſidera paſcit?
Omnia enim debet, mortali corpore quæ ſunt,

Infinita ætas conſumſe anteacta, diéſque.
Quòd ſi in eo ſpatio, atque anteacta ætate fuere,
E quibus hęc rerum conſiſtit ſumma refecta:
Immortali ſunt natura prædita certè.
Haud igitur poſſunt ad nilum quæque reuerti.

PRÆTEREA QVÆC. VET) *Præterea (inquit) quæcunque ſenio & vetuſtate intereunt, ſi ea omnia funditus, & penitus, & omni ex parte intereũt: vnde animalia ſuo quæque in genere reparari poſſunt per cõiunctionẽ maris & fœminæ?*

VNDE ANIMALE GENVS) *profert hunc verſ.* Cariſius *lib. I. & lib. 2. non longè à princip. vbi tamen non videtur ille animaduertiſſe, hoc loco, animale, eſſe adiectiuum: vt & lib. 2 quæ non animalia ſolùm* Corpora *ſeiungunt, &c. & in eodem,* Quatinus *in pullos animaleis vertier oua* Cernimus *alituũ &c. & lib. 3 & totum eſſe animale videmus, & lib. V. tanto magis infitiandum* Totum *poſſe extra corpus, formámque animalem &c.*

GENERATIM) *per ſingula genera, vt ſuprà. ſic autem habent libri duo manuſcripti: in quibus eſt* Bertinianus*: reliqui duo generatum: quos non ſequor.*

IN LVMINA VITÆ) Virg *lib. 6* Æn. *Heu quantum inter ſe bellum, ſi lumina vitæ* Attigerint, *quantas acies, ſtragémque ciebunt?*

REDDVCIT) *geminatur d. metri cauſa vt* Rettulit, *repperit, reccidere reppulit, refferre, redducit, apud hunc, & apud* Virg. *& apud* Horat. *& ſexcẽta ſimilia.*

DÆDALA TELLVS) *ſuprà. tibi ſuaueis* Dædala *tellus* Summittit *flores.*

INGENVI FONTES) *ſecutus ſum quatuor libros manuſcriptos, quibuſcũ conſentiunt* Florentini. *ingenuos autem interpretor, non manu, aut opere factos, ſed natiuos. ingenui etiã dicuntur, qui liberi ſunt genere, & natura, non manumiſsione, aut vindicta, aut ſimili iuris ciuilis ratione: vnde illa, ingenuus animus, ingenuus ciuis, ingenuæ artes, ingenuus pudor. ceteri libri habent ingeniti, ſi quis forte magis probabit.*

SVPPEDITANT?) *ſuppetunt? vel parata ſunt? abſolutè enim accipiendum, vt infrà.* Materies *vt ſuppeditet rebus reparandis. ſic* M. Tull. Tuſcul. *quæſt. quocunque loco bona ſuppeditant, ibi beatè poſſumus viuere.*

VNDE ÆTHER SIDERA PASCIT?) *Etiam nonnulli alij philoſophi exiſtimant, ſolem, & cetera ſidera, & ſtellas, humoribus Oceani, & terræ vaporibus ali. ſic* M. Tull. *lib 2. de nat* Deor. Ergo *(inquit) cùm ſol igneus ſit, Oceaníque alatur humoribus, quia nullus ignis ſine paſtu aliquo poßit permanere: neceſſe eſt aut ei ſimilis ſit igni, quem adhibemus ad vſum, atq; victum: aut ei, qui corporibus animantium continetur. ibid.* Probabile *igitur eſt, præſtantem intelligentiam in ſideribus eſſe, quæ & æthercam mundi partem incolant, & marinis, terreníſque humoribus longo interuallo extenuatis alantur.* Virg. Æneid. I. *polus dum ſidera paſcet. ſed hac de re plura dicentur lib. 5.*

CONSVMSE) *id eſt conſumſiſſe. talia ſunt illa, promiſſe, quo vtitur* Catull. Euaſti, *percuſti, diuiße, erepſemus, quibus* Horatius: *vixet, direxti, acceſtis, extinxem, quibus* Virgilius *&* Terent

FVERE) *ſi fuerunt ea, à quibus &c: id eſt ſi fuerunt principia quædam, & ſemina rerum, ex quibus hæc ſumma rerum reficitur, & reparatur, & conſtat: illa certè ſunt immortalia, atque æterna.*

Denique res omneis eadem vis,cauſáque volgò
Conficeret,niſi materies æterna teneret
Inter ſe nexus,minus,aut magis endopedita.
Tactus enim,leti ſatis eſſet cauſa profectò:
Quippe vbi nulla forent æterno corpore:eorum
Contextum vis deberet diſſoluere quæque.
At nunc,inter ſe quia nexus principiorum
Diſſimiles conſtant,æternáque materies eſt:
Incolumi remanent res corpore:dum ſatis acris
Vis obeat pro textura quoiusque reperta.
Haud igitur redit ad nihilum res vlla:ſed omnes
Diſcidio redeunt in corpora materiaï.

DENIQVE RES OMNEIS, *&c.) huius loci hæc ſententia eſt, vt mihi quidem videtur. Denique niſi & materia æterna eſſet, & ipſa teneret res magis, aut minus inter ſe connexas: eadem vis, & cauſa res omneis genitas conſumeret, & deleret: Nam ſolus tactus res genitas conficere poſſet. Sed legendum eſſet, inter ſe nexas minus, aut magis endopeditè. vt nexas referatur ad res, & endopeditè ad nexas.*

INTER SE NEXVS, MINVS, AVT MAGIS ENDOPEDITA) *Sic habent tres libri manuſcripti, & multi vulgati, quos ſequor hac editione, quamuis olim aliam ſcripturam probauerim. alij enim habent, Inter ſe nexu minus, aut magis endopedito: alij. Inter ſe nexas minus, aut magis endopedite. Atque hãc ſcripturam olim probaram, eiúſque ſententiam ſic explicabam. niſi materies æterna res teneret nexas minus aut magis impeditè, & perplexè. alij, Inter ſe nexus minus, aut magis endopeditos. quæ lectio etiam probabilis eſt: vt per nexus inter ſe minus, aut magis impeditos ſignificẽtur nexus inter ſe diſsimiles, quo modo continuò loquetur.*

TACTVS ENIM, *&c.) hoc dicit: ſolus tactus, ſeu contactus ſatis magna cauſa eſſet leti: id eſt ſatis potens eſſet ad res interimendas. durinſculum eſt hoc loquendi genus: ſatis eſſet cauſa leti. pro ſatis eſſet magna cauſa leti. quidam docti ita legendum putant, hoc loco. Tactus enim leti omnibus eſſet cauſa profectò.*

QVIPPE VBI NVLLA FORENT, *&c.) id eſt, Nam cùm corpora prima æterno corpore nulla eſſent, quælibet vis, & quæuis cauſa eorum texturam, & concilium, & nexus diſſoluere poſſet. Cùm in omnibus libris vulgatis, & nõnullis manuſcriptis legeretur, quorum, ego à duobus manuſcriptis admonitus, eorum, repoſui. Iam quod in codicibus Florentinis legitur, diſſoluere quenquam, vt referatur ad vocem contextum, non probo. Namque huius loci hæc mihi videtur eſſe ſententia Si materies non eſſet æterna, id eſt, ſi non eſſent quædam corpuſcula prima immortalia, atque ita ſolida, vt nullo ictu perfringi poſsint: & ſi hæc æterna corpora non continerent res genitas magis aut minus inter ſe implicatas, & connexas, quælibet vis, & quilibet tactus, ac pulſus eas diſſoluere atque interimere poſſet. nunc autem quia & corpora prima ſunt æterna, & res genitæ aliæ alijs magis ſunt inter ſe connexæ, eæ tandiu manent incolumes, donec vis ſatis potens, ac vali-*

da, pro cuiuſque rei textura, in eas inciderit, atque incurrerit. per nexus principiorum inter ſe diſsimileis, ſignificat res genitas inter ſe connexas minus, aut magis impeditè: quod paulò antè dixit. Licet tamen etiam ita legere, Quippe vbi nulla forēt æterno corpore, quorum, &c. eadem ſententia, vt hic verſus, & qui deinceps ſequitur, pendeant ab ijs, quæ antecedunt.

DISCIDIO) *per diſceiſsionem, ac diſſolutionem ſic autem habent quattuor libri manuſcripti, non diſsidio.*

Poſtremò pereunt imbres, vbi eos pater æther
In gremium matris terraï præcipitauit.
At nitidæ ſurgunt fruges: ramíque vireſcunt
Arboribus: creſcunt ipſæ, fætúque grauantur.
Hinc alitur porrò noſtrum genus, atque ferarum:
Hinc lætas vrbeis pueris florere videmus:
Frundiferáſque nouis auibus canere vndique ſiluas.
Hinc feſſæ pecudes pingues per pabula læta,
Corpora deponunt: & candens lacteus humor
Vberibus manat diſtentis: hinc noua proles
Artubus infirmis teneras laſciua per herbas
Ludit, lacte mero menteis perculſa nouellas.
Haud igitur penitus pereunt quæcunque videntur:
Quando alid ex alio reficit natura: nec vllam
Rem gigni patitur, niſi morte adiutam aliena.

PATER ÆTHER.) *Ennius. aſpice hoc ſublime candens, quem inuocant omnes Iouem. pater eſt æther: terra mater.*

MATRIS TERRAI) *terra, deorum, atque hominum mater eſt: omniū deorum antiquiſsima, vt aiunt poëtæ: de qua leges plura lib. 2.*

PRÆCIPITAVIT) *præcipitem egit, ac demiſit.*

NITIDÆ,) *id eſt opimæ, pingues, vberes. Sic lib. 2 Et ſurſum nitidæ creſcunt. Idem eod lib. Tum porrò nitidas fruges, arbuſtáque læta, &c. Sic Hor. Sat. 5. lib. 2. Res vbi magna nitet domino ſene.*

FRVNDIFERASQ. N.) *ſuprà, Frundiferáſque domos auium.*

HINC FESSÆ PECVDES PINGVES PER PAB. L.) *ſic cod. Faërni, Scipionis Tethÿ, & Bertinianus. Vaticanus autem, Hinc fatæ pecudes, pingues, &c.*

PABVLA LÆTA) *pabula cùm apud hunc ſcriptorem ſæpe hoc epitheto appellantur, tum apud Virgil. Dixit tamen etiam pinguia pabula Virg. Georg. 1 & pabula terræ Pinguia concipiunt.*

DEPONVNT) *ponunt. ſic Horat. lib. 2. oda 7. Longáque feſſum militia latus Depone ſub lauru mea, &c.*

VBERIBVS MANAT DIST) *ſic Horat. Epod. od. 2 Diſtenta ſiccet vbera. Virg. Pollione. Ipſæ lacte domum referent diſtenta capellæ vbera. idem Melibœo. Thyrſis oueis, Corydon diſtentas lacte capellas.*

MEN

MENTEIS PERCVLSA) *aliàs percuſſa. vtraque lectio probabilis eſt. Menteis nouellas, hoc eſt, quod Græci poetæ dicunt, ἁπαλὰς φρένας. Lege quæ ad illũ verſum ſcripſimus lib. 3. Scilicet in tenero tenerаſcere corpore mentẽ Non fugient.*

QVANDO ALID.) *id eſt quoniam aliud ex alio natura reficit, & reparat. ſic autem loquebantur veteres alis & alid, pro alius, & aliud. Catull. de coma Berenices. An'ne bonum oblita es facinus, quo regium adepta es Coniugium: quo non fortius auſit alis? alis pro alius dixerũt antiqui, inquit Priſc. lib. 12. & Soſipater lib. 2. Veteres non tantùm alius dixerunt, ſed etiam alis. vt Salluſt. Alis alibi ſtantes, omnes tamen aduerſis vulneribus conciderunt. Iterum Lucret. infrà. Sic alid ex alio per te tute ipſe videre Talibus in rebus poteris. idem ibid Namque alid ex alio clareſcet. & lib. 3. Sic alid ex alio numquam deſiſtet oriri: & lib. 5. Sic alid ex alio peperit diſcordia triſtis. Quòd autem quidam Thraſo ait veteres dixiſſe alis pro alius, de alid nullam fieri mentionem: quid iſtis aſinis facias? quaſi verò non ſatis ſit, grammaticos veteres admonuiſſe, alis, vſurpatum eſſe ab antiquis pro alius, & non eo ipſo ſignificarint etiam alid eoſdem vſurpaſſe pro aliud. Sed quid opus eſt admonitione Grammaticorum, cùm & Catullus in coma Berenices vſurparit alis, pro alius, vt ſuprà oſtendimus, & alid pro aliud? ſic enim ille ad Manlium. Nec tantùm niueo gauiſa eſt vlla columbo Compar. ſeu quid alid dicitur improbius. Sic autem lego apud Catullum. & item Anſonius in epigramm. non longè à princip. Sic enim ille: Suaſiſti Venus alma duos διπόρους vt amarem: Odit me vtraque. alid da modò conſilium. Poſtremò liquidò iurare poſſum ſic ſcriptum eſſe in duobus libris manuſcript. Bertin. & Memmiano.*

NISI MORTE ADIVTAM ALIENA) *ſic Ariſt. lib. 1. περὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς. Ἡ τοῦδε φθορὰ, ἄλλου γένεσις, καὶ ἡ τοῦδε γένεσις ἄλλου φθορά. ſic vulgò dicimus, ortus vnius, alterius eſt interitus: & vnius interitus, ortus eſt alterius. Idem lib. primo τῶν μετὰ τὰ φυσικά cap. 2. Atque hoc eleganter exprimit Lucretius: nulla res naſcitur niſi morte aliena adiuta: morte aliena, id eſt alterius rei interitu. adiutam autem excudendum curaui, tùm quia in vno manuſcripto exemplari huius vocis poſtrema ſyllaba demerſa erat in litura, tùm quòd ſi, adiuta, legeremus, ſignificaret, ipſam naturam mori poſſe, & mors aliena opponeretur, morti naturæ: alienum, enim eorũ eſt, quæ ad aliquid referũtur. quæ ſententia eſſet abſurda. oportet enim mortẽ alienam opponi morti, ſeu origini potius eius rei, quæ gignitur.*

Nunc age, res quoniam docui non poſſe creari
De nihilo, neque item genitas ad nil reuocari:
Ne quà fortè tamen cœptes diffidere dictis,
Quòd nequeunt oculis rerum primordia cerni:
Accipe præterea, quæ corpora tute neceſſe'ſt
Confiteare eſſe in rebus, nec poſſe videri.
Principiò venti vis verberat incita pontum,
Ingenteiſque ruit naueis, & nubila differt:
Interdum rapido percurrens turbine campos
Arboribus magnis ſternit, monteiſque ſupremos
Siluifragis vexat flabris: ita perfurit acri
Cum fremitu, ſæuítque minaci murmure pontus.

Sunt igitur venti nimirum corpora cæca:
Quæ mare, quæ terras, quæ denique nubila cæli
Verrunt, ac ſubito vexantia turbine raptant.

NVNC AGE, RES QVONIAM) *libri Faërni, & Tethij habent, Nunc ageſis, quando docui nil poſſe creari De nihilo, neque item genita ad nihilum reu. alij, Nunc age, res quoniam docui non p. cr. quos nũc ſecutus ſum. Nũc incipit oſtẽdere, eſſe atomos, id eſt corpora prima, & indiuidua: neque ea iccircò minus eſſe, quòd oculis non cernantur: idque probat multis alijs ſimilibus collectis, quæ nihilominus corpora ſunt, etiam ſi adſpectu nõ ſentiantur. Auctores atomorum ſunt Leucippus, & Democritus, vt tradunt Plutarch. Diogenes Laërt. M. Tull. Plutarch.* περὶ τῶν ἀρεσκ. τοῖς φιλοσοφ. Ἐπίκουρος ὁ Νεοκλέους Ἀθηναῖος κατὰ Δημόκριτον φιλοσοφήσας, ἔφη τὰς ἀρχὰς τῶν ὄντων σώματα λόγῳ θεωρητά, ἀμέτοχα κενοῦ, ἀγένητα, ἀΐδια, ἄφθαρτα, *&c. id eſt, Epicurus Neoclis filius Athenienſis Democritum in philoſophia ſecutus, principia rerum dixit eſſe corpora quædam, quæ ratione cernũtur, inanis ſeu vacui expertia, non generata, æterna, numquam interitura. Diog. Laërtius in Democr.* δοκεῖ δὲ αὐτῷ τάδε, ἀρχὰς εἶναι τῶν ὅλων ἀτόμους, καὶ κενόν· τὰ δ' ἄλλα πάντα νενομίσθαι. καὶ δοξάζεσθαι· ἀπείρους τε εἶναι κόσμους, καὶ γεννητούς, καὶ φθαρτούς. *id eſt Videntur hæc Democrito: principia rerum eſſe atomos & inane: reliqua autem omnia lege & opinione valere: tum mũdos eſſe infinitos, ortos, & interituros. M. Tull. lib. 1 de Finib. Principiò (inquã) Epicurus in phyſicis totus eſt alienus: Democrito adijcit perpauca mutans, ſed ita, vt ea, quæ corrigére vult, mihi quidem deprauare videatur. Ille atomos quas appellat, id eſt corpora indiuidua, propter ſoliditatem cenſet in infinito inani, in quo nec ſummum, nec medium, nec vltimum, nec extremum ſit, ita ferri, vt concurſionibus inter ſe cohæreſcãt. Idem in Lucullo. Cur enim (inquies) cùm ex illis indiuiduis, vnde omnia gigni Democritus affirmat, &c. Idem iterum lib. 1. de Finib. Aliena dicit in phyſicis, nec ea ipſa, quæ tibi probarentur, ſed ſi qua in his corrigere voluit, deteriora fecit. Has atomos multis locis idem M. Tull. exagitat, vt lib 1. de nat. Deorũ. Abúteris ad omnia atomorũ regno, & licentia: hinc, quodcũque in ſolũ venit, vt dicitur, effingis, atque efficis. quæ primùm nullæ ſunt. nihil enim eſt minimũ. deinde nullum eſt inane. nihil enim eſt, quod vacet corpore. Corporibus autẽ omnis obſidetur locus. Ita nullum inane, nullum eſſe indiuiduum poteſt. ibid. Iſta enim flagitia Democriti, ſiue etiam antè Leucippi, eſſè corpuſcula quædam læuia, alia aſperà, rotunda alia, partim angulata, curuata quædam, & quaſi adunca: ex his effectum eſſe cælum, atque terras, nulla cogente natura, ſed concurſu quodam fortuito. Idem lib. 2. de nat. Deorum. hîc ego non mirer eſſe quemquam, qui ſibi perſuadeat, corpora quædã ſolida, atque indiuidua ſua vi, & grauitate ferri, mundúmq; effici ornatiſſimum, & pulcherrimum ex eorum corporum concurſione fortuita? Hæc qui exiſtimat fieri potuiſſe, non intelligo cur nõ idem putet, ſi innumerabiles vnius, & viginti formæ litterarum vel aureæ, vel qualeslibet aliquò cõijciantur. poſſe ex his in terram excuſſis. annales Ennij vt deinceps legi poſſint, effici: quod neſcio an ne in vno quidem verſu poſſit tãtum valere fortuna. Ibidem paucis poſt verſibus. Quòd ſi mũdum efficere poteſt concurſus atomorum: cur porticum, cur templum, cur domum, cur vrbẽ non poteſt, quæ ſunt minus operoſa, & multo quidem faciliora? Certè ita temere de mundo effutiunt, vt mihi quidem numquam hunc admirabile cæli ornatum, qui locus eſt proximus, ſuſpexiſſe videantur. ſic Octauius apud Arnobiũ*

lib.8. Quo magis mihi videntur qui hunc mundi totius ornatum non diuina ratione perfectum volunt, ſed fruſtis quibuſdam temere cohærentibus conglobatum, mentem, ſenſum, oculos denique ipſos non habere.

TVTE) *hunc locum teſtem producit Priſcianus lib. 12.*

VIS INCITA) *vis incitata. malè quidam ſupponunt, vis inſita. nam cùm hæc lectio recta ſit, & veterum codicum auctoritate confirmata, tum à Lucretio ſæpe alibi eſt vſurpata: vt lib. 5. Multa videmus enim cæleſtibus incita flammis Fulgere. & 6. Fit quoque, vt interdum validi vis incita venti Perſcindat nubem. Sed non diſsimulabo, ſcriptum eſſe in codice Faërni, & item in Tethij. verberat incita portus: in Bertiniano. cortus. ad quem locũ emendator quidam adſcripſerat, corpus. ego portus, vt in re obſcura, & ſcriptura corrupta, non damno.*

RVIT) *ἐνεργητικῶς accipiendum eſt, vt infrà. Quamlibet in partem trudunt res antè, ruúntque. Sic Virg. Georg. 1 cumulóſque ruit malè pinguis arenæ. Idem. 2. & ruit atram Ad cælum picea craſſus caligine nubem.*

NVBILA DIFFERT) *id eſt diſsipat, & diſiicit ſic infra. Et calidos ſimul à medio differrier igneis. & lib. 2. Scintilláſque agere, & latè differre fauillã. Virg. Georg. 1. Scythiæque hiemes, atque arida differt Nubila. Horat. od. 10. Epod. Fractóſque remos differat Idem ibid. Pòſt inſepulta membra different lupi.*

INTERDVM RAPIDO PERC. TVRB) *Virg lib. 1. Georg. Omnia vẽtorum concurrere prælia vidi: Quæ grauidam late ſegetem ab radicibus imis Sublimè expulſam eruerent: ita turbine nigro Ferret hiems culmúmque leuem, ſtipuláſque volanteis.*

MONTEISQVE SVPREMOS) *id eſt montium cacumina. Virg. Georg. 4. At chorus æqualis Dryadum clamore ſupremos Implerunt monteis. Siluifragis flabris autem, id eſt ventis ſiluas frangentibus, id eſt acribus & validis.*

SÆVITQVE MINACI MVRM.) *Virg. Æneid. 1. Illi indignantes magno cum murmure montis Circum clauſtra fremunt. Idem ibid. Intereà magno miſceri murmure cælum.*

CORPORA CÆCA) *id eſt, quæ cerni oculis nõ poſſunt: quæ ſub adſpectũ non cadunt: ἀόρατα. inf. eod. lib. Naturam clandeſtinam, cæcámque adhibere. Virg. Georg. 4. & ſpicula cæca relinquunt. Idem lib. 1. Æneid. nimboſus Orion In vada cæca tulit.*

VERRVNT.) *Virg. Georg. 3. Ille volat ſimul arua fuga, ſimul æquora verrẽs.*
Sic Arnobius lib. 8 ſub perſona Octauij, Nec mirare, ſi deum non vides. Vẽto, & flatibus omnia impelluntur, vibrantur, agitantur: & ſub oculos tamen non venit ventus & flatus.

Nec ratione fluunt alia, ſtragémque propagant,
Quàm quom mollis aquæ fertur natura repente
Flumine abundanti, quod largis imbribus auget
Montibus ex altis magnus decurſus aquaï,
Fragmina coniiciens ſiluarum, arbuſtáque tota:
Nec validi poſſunt pontes venientis aquaï
Vim ſubitam tolerare: ita magno turbidus imbri
Molibus incurrens validis cum viribus amnis

Dat ſonitu magno ſtragem,voluítque ſub vndis
Grandia ſaxa:ruit quà quidquid fluctibus obſtat.
Sic igitur debent venti quoque flamina ferri:
Quæ,veluti validum flumen,cùm procubuere
Quamlibet in partem:trudunt res antè,ruúntque
Impetibus crebris:interdum vertice torto
Conripiunt,rapidóque,rotanti turbine portant.
Quare etiam atque etiam ſunt venti corpora cæca:
Quandoquidem factis,ac moribus,æmula magnis
Amnibus inueniuntur,aperto corpore qui ſunt.

MOLLIS AQVÆ) *mollis,id eſt,quæ aliis corporibus cedit.Sic Virg.lib.9. Æneid. in extr. ac mollibus extulit vndis. Iterum Lucr. lib.2 quà mollibus vndis Litoris incurui bibulã pauit æquor arenam. Non celabo autem lectorẽ, me in nonnullis libr.manuſcriptis ſcriptum reperiſſe, Ac cùm moll.aq.*

MAGNVS DECVRSVS AQVAI) *illuſtris tralatio. Nam decurrere eſt de ſuperiore loco currere. Virg.lib.2 Æneid. Laocoon ardẽs ſumma decurrit ab arce. Idem Æneid. 4. Ecce feræ ſaxi deiectæ vertice capræ Decurrêre iugis. Idem in Daphnide Saxoſas inter decurrunt flumina valleis. ſic Horatius dixit, Fluminis ritu delabentis in mare Truſcum, od 29. lib. 3. Cum hoc loco magis congruit Virgilianus ille lib.12. Æneid. Aut vbi decurſu rapido de montibus altis Dant ſonitum ſpumoſi amnes,& in æquora currunt.*

NEC VALIDI POSSVNT.) *Confer hæc Lucretiana cum illis Virgilianis Georg 1. Sæpe etiam immenſum cælo venit agmen aquarum, Et fœdam glomerant tempeſtatem imbribus atris Collectæ ex alto nubes: ruit arduus æther, Et pluuia ingenti ſata læta,boúmque labores Diluit,&c. Idem lib.2. Æneid. In ſegetem veluti cum flamma furentibus Auſtris Incidit, aut rapidus montano flumine torrens Sternit agros, ſternit ſata læta, boúmque labores. Sed videtur Lucret. Homerum exprimere voluiſſe, vbi Diomedem cum torrente comparat. βιβλ.ιλ.ε. Θῦνε γὰρ ἀμ πεδίον ποταμῷ πλήθοντι ἐοικὼς Χειμάρρῳ, ὅς ὦκα ῥέων ἐκέδασσε γεφύρας, &c. id eſt properabat enim,ſeu ruebat per campum fluuio abundanti ſimilis torrenti: qui celeriter & rapidè fluens ponteis diſiicere ſolet.*

RVIT QVA QVIDQVID) *Virg lib.1. Æneid. Qua data porta ruũt. quidquid autẽ idem, quod quidque, hoc loco, vt ſæpe alibi. de quo dicetur à nobis aliàs.*

TRVDVNT RES ANTE, RVVNTQVE) *virg. Æn.4. Idẽ omnes ſimul ardor habet: rapiúntq;, ruúntq;. & lib.9 Immanẽ Teucri molẽ voluúntq;, ruúntq;.*

RAPIDOQVE, ROTANTI TVRBINE) *ex libris ſcriptis alij habẽt, rapidóque rotanti, alij, rapidíque rotanti: quibuſcum conſentiunt nonnulli excuſi. ego autem, rotantia, olim repoſueram, partim veteris lectionis veſtigia, partim Latini ſermonis vſum, & ſententiam Lucretij ſecutus. ſubintelligitur enim, flamina. nũc antiquam, rapidóq; rotanti, probo: neque tamen lectionem illam damno quin omnibus anteponerem, ſi antiquorum librorum auctoritate niteretur. ſic enim fere locutus eſt ſuprà, verrunt, ac ſubito vexantia turbine raptant.*

QVANDOQVIDEM FACTIS, AC MORIBVS, ÆM.) *pleriq; libri*

typis excuſi habent, motibus: & item manuſcript. duo Memmianus, & Bertinianus. alij autem tres manuſcripti, habent, factu, ac moribus: quæ ſcriptura ſi placebit, tralatio erit ab hominibus ad ventos.

Tum porrò varios rerum ſentimus odores:
Nec tamen ad nareis, venienteis cernimus vmquam:
Nec calidos æſtus tuimur: nec frigora quimus
Vſurpare oculis: nec voces cernere ſuemus:
Quæ tamen omnia corporea conſtare neceſſe'ſt
Natura: quoniam ſenſus impellere poſſunt.
Tangere enim & tangi, niſi corpus, nulla poteſt res.
Denique fluctifrago ſuſpenſæ in litore veſtes
Vueſcunt: eædem diſpanſæ in ſole ſereſcunt.
At neque quo pacto perſederit humor aquaï,
Viſu'ſt, nec rurſum quo pacto fugerit æſtu.
In paruas igitur parteis diſpergitur humor:
Quas oculi nulla poſſunt ratione videre.

TVIMVR) *cernimus. Feſtus. tuor video: tueor defendo. ſed iam promiſcuè altero pro altero vtuntur.* VSVRPARE OCVLIS) *cernere: quemadmodum vſurpare ſermone dicimus pro commemorare, & referre. Idem Lucret. libr. 4. Cùm iam deſtiterint ea ſenſibus vſurpare.* QVÆ TAMEN OMN. CORP.) *de odoribus, & vocibus diſputaturus eſt lib. 4.*

TANGERE ENIM ET TANGI) *hoc vnum eſt ex principijs, & ſententijs ratis ac fixis Epicuri: quidquid tangere & tangi poteſt, id corpus eſt. Itaque Lucretius lib. 2. non ſolùm vocem, verùm etiam animi vires contendens, hoc idem aſſeuerat, his verbis, Tactus enim, tactus, pro diuûm numina ſancta, Corporis eſt ſenſus. & lib. 3. Quorum nil fieri ſine tactu poſſe videmus: Nec tactum porrò ſine corpore. Neque verò quiſquam philoſophus tactum, ſenſum eſſe maxime corporis proprium negat. Ariſtot libro 4. φυσ. ἀκροάσ. σῶμα οἴονται εἶναι τὸ ἁπτόν. id eſt, putant omnes ferè philoſophi corpus eſſe quidquid tangi poteſt. Contrà idem Epicurus τὸ κενὸν appellat interdum φύσιν ἀναφῆ, id eſt naturam tactus expertem, ſiue naturam intactilem. Profert hunc verſum Tertullianus lib 4. aduerſus Marcianum. Iam verò quòd tactum maximè animalis eſſe proprium plerique item philoſophi dicunt, hoc non eſt huius loci.* DENIQVE FLVCTIFRAGO) *ſic habent quattuor libri manuſcripti, & impreßi, vtrique veneti, & vicetini, & Pariſienſes, & Florentini, & Lugdun. Nonius Marcellus tamen in voce, ſereſco, hunc verſum teſtem producens, legit, Fluctiuago, ſi locus mendo vacat.*

VVESCVNT) *id eſt humeſcunt: ex quo verbo fit, vuidus. Horat. od. 5. lib. 1. vuida ſuſpendiſſe potenti veſtimenta maris Deo. virg. in Gallo, vuidus hiberna venit de glande Menalcas. Iterum Horat. od. 5. lib 4. dicimus integro Sicci manè die, dicimus vuidi, Cùm Sol Oceano ſubeſt. varro libro 4. de ling. Latina. vuidum eſt, quod humidum: & ideo vbi id non eſt, ſuccus abeſt.*

EÆDEM DISPANSÆ IN SOLE SER.) *ſic habent libri manuſcripti: quibuſcum conſentiunt impreßi veneti recentiores, vicetini, & Lugdunenſes:*

At Pariſienſes, & Aldini antiqui, & Florentini, eædem candenti in ſole ſereſcunt. diſpanſæ autem, id eſt explicatæ, extentæ, à verbo, diſpando. Sed quid ſi dicamus, legendum eſſe, diſpaſſæ, ſeu diſpeſſæ? Nam A. Gellius lib XV. cap XV. notat, veteres dixiſſe paſſum, pro panſum, à verbo, pando, vt paßis manibus, & paßis velis. Itaque Plautum in milite Glorioſo mutata a, vocali in e, per verbi compoſiti morem, diſpeßis dixiſſe pro diſpaßis, id eſt diſpanſis. Omnino ſic hos duos verſus legendos puto, Denique fluctifrago diſpenſæ (ſiue diſpeſſæ) in litore veſtes, Vueſcunt: eædem candenti in ſole ſereſcunt.

SERESCVNT) *id eſt ſiccantur, vt interpretatur Nonius Marc. ex quo verbo, ſerenitas.* PERSEDERIT) *in veſtibus in litore ſuſpenſis, ſeu diſpanſis, atque explicatis inhæſerit.*

FVGERIT ÆSTV) *neque quo pacto humor fugerit æſtu, id eſt, propere abierit ob calorem, ſeu per calorem ſolis. ſic autem repoſuimus, auctoritate librorum manuſcriptorum freti.*

Quin etiam multis ſolis redeuntibus annis
Annulus in digito ſubtertenuatur habendo:
Stillicidi caſus lapidem cauat: vncus aratri
Ferreus occultè decreſcit vomer in aruis:
Strataque iam volgi pedibus detrita viarum
Saxea conſpicimus: tum portas propter, ahena
Signa manus dextras oſtendunt attenuari,
Sæpe ſalutantum tactu, prætérque meantum.
Hæc igitur minui, quom ſint detrita, videmus:
Sed quæ corpora decedant in tempore quoque,
Inuida præcluſit ſpeciem natura videndi.

MVLTIS SOLIS REDEVNTIBVS ANNIS) *expreßit vim Græci nominis ἐνιαυτὸς, quod annum ſignificat, dictus quaſi in ſeipſum rediẽs, tanquam circulus quidam. ſic Virg. Æn. 8. Ex quo terdenis vrbem redeuntibus annis Aſcanius clari condet cognominis Albam. Horat. ſat. 2. libr. 2. ſiue diem feſtum rediens aduexerit annus.* SVBTER) *qua parte carnem tangit.*

HABENDO) *dum habetur, dum geſtatur in digito ſic illud Virg. Georgic. 3. vritque videndo Fæmina.*

STILLICIDI CASVS) *Feſtus. ſtiricidium quaſi ſtillicidium cùm ſtillæ concretæ frigore cadunt. ſtiria enim principiale eſt. ſtilla deminutum. Quod autem ad ſententiam attinet, eam libro 4. vberius tractauit in extr. Nónne vides, etiam guttas in ſaxa cadẽteis Humoris longo in ſpatio pertundere ſaxa? eandem ſic Cherilus malus poëta, de quo Horat. epiſt. ad Auguſt Gratus Alexandro magno Regi fuit ille Cherilus, incultis qui verſibus, & male natis Rettulit acceptos, regale numiſma, Philippos: hanc igitur eandem ſententiam ſic Cherilus ille complectitur: Πέτραν κοιλαίνει ῥανὶς ὕδατος ἐνδελεχίῃ. & Ouidius, quem quidam viri docti alterum Cherilum eſſe volunt: Gutta cauat lapidem non vi, ſed ſæpe cadendo.*

STRATA VIARVM) *ſtrata viarum ſic dictum, vt ſuprema montium, clauſa domorũ, vana rerum, amara curarum, & ſimilia, quæ notauimus in comment.*

Horatianis. Virg *lib.*1.*Æn. Miratur portas,ſtrepitúmque, & ſtrata viarum.*

PORTAS PROPTER) *αἰασχεφὶ, propter autem valet propè. portas porrò, vrbium intellige.*

SIGNA) *quæ collocabantur in portis vrbium: quæque ſalutabant & qui peregrè proficiſcebantur, & qui peregrè redibant. Collocabant & patroni ſtatuas in figuram, & formam ſuam conformatas pro valuis ædium ſuarum, vt eas clientes venerarentur & oſcularentur, ſiquando illi ſui copiam facere non poſſent, vt notat* Alciatus *παρέργων iuris lib.*VIII.*cap.*X.

MANVS DEXTRAS) *quas oſculabantur qui ex vrbe exibant, & qui peregrè in vrbem redibant.*

SÆPE SALVTANTVM TACTV) *huius ſalutandi moris infinita ſunt apud* Latinos *ſcriptores exempla: ex quibus licet pauca deguſtemus.* Cic. *epiſt. ad* Brutum. *Hæc ſcripſi in ipſa turba matutinæ ſalutationis.* Qu. *Frater de pet. conſul. deductorum officium maius eſt, quàm ſalutatorum.* Virg Georg.2. *Si non ingentem foribus domus alta ſuperbis, Manè ſalutantum totis vomit ædibus vndam: At ſecura quies, & neſcia fallere vita.* Mart:*lib.*4. *Prima ſalutanteis, atque altera diſtinet hora, Exercet raucos tertia cauſidicos.*

CVM SINT DETR.) *ſic habent omnes libri & veteres, & recentiores. Nonnulli tamen, cùm ſunt detrita, legi volunt.*

INVIDA PRÆCLVSIT) *ſic habent codices ſcripti* Vatic. Bertin. *& typis excuſi,* Vicetini, Pariſienſes, Veneti *antiquiores. alij minus rectè,* Præcludit. *ſententia autem huius loci eſt, natura inuidit, atque ademit videndi facultatem, quæ corpuſcula decedant in quoq; tempore ex illorum æneorum ſimulacrorũ manibus.*

Poſtremò, quæcumque dies, naturáque rebus
Paullatim tribuit moderatim creſcere cogens,
Nulla poteſt oculorum acies contenta tueri.
Nec porrò quæcumque æuo, maciéque ſeneſcunt:
Nec, mare quæ impendent veſco ſale ſaxa pereſa,
Quid quoque amittant in tempore, cernere poſſis.
Corporibus cæcis igitur natura gerit res.

MODERATIM) *id eſt modicè, & moderatè, & ſenſim. ita (inquit) res naturales creſcunt, vt, quid quotidie accedat, cernere nemo poßit.*

CONTENTA) *quemadmodum dicimur oculorum aciem contendere, cum quippiam defixis oculis, & acerrimo obtutu aſpicimus: ita contentam, id eſt intentam, & acerrimè defixam oculorum aciem* Latinè *dicimus.* Simili *modo vſurpãtur à* Latinis *illa, contendere neruos, vocem, fideis, ſeu chordas, pro intendere.* Idem Lucret. *infrà lib.*4 Et *quæ tenuia ſunt, niſi ſe contendit acutè,* Cernere *non potis eſt animus. ibidem paucis pòſt verſib. contendere ſe, atque parare.* Vide *ſuprà, ad illum locum, mortaleis tendere contrà* Eſt *oculos auſus.*

NEC, MARE QVÆ IMPENDENT) *ſic habent tres libri manuſcripti, quibuſcum conſentiunt. vulgati,* Pariſienſes, *vtrique* Veneti, Florentini, Vicetini, Lugdunenſes. Poſtremò *hanc lectionem agnoſcit* Pomp Feſtus *in voce, veſcus. dictum eſt autem, impendent mare. pro impendent mari, ſeu in mare. & ita* Terent. Phorm. Ita *nunc imparatum tanta te impendent mala.*

VESCO SALE) *Veſcus (inquit Feſtus) faſtidioſus. ve enim pro puſillo vtebantur. Lucretius veſcum dixit edacem, cùm ait, Nec, mare quæ impendent veſco ſale ſaxa pereſa Hactenus Feſtus ſignificat autem ille, veſcum ſalem, ſeu ſale, à Lucretio dictum, quia ſaxa peredat, & minuat, & conſumat. Gell. lib. 16. Veſcum, quod ex ve particula, & eſca copulatum eſt, vtriuſque diuerſæ ſignificationu vim capit. Aliter enim Lucretius veſcum ſalem dixit, ex edendi intentione, aliter Lucillius veſcum appellat cum edendi faſtidio.*

QVID QVOQVE AMITTANT) *ſic legendum ex auctoritate trium librorum manuſcriptorum. ſic paulo antè, ſed quæ corpora decedant in tempore quoque, &c.*

NATVRA GERIT RES) *id eſt res adminiſtrat, & moderatur, tamquam imperatrix. ſed fortaſſe legendum, genit: id eſt gignit: quod verbum Lucretio eſt vſitatiſſimum. Verumtamen nihil mutandum cenſeo.*

Nec tamen vndique corporea ſtipata tenentur
Omnia natura. namque eſt in rebus inane:
Quod tibi cognoſſe in multis erit vtile rebus:
Nec ſinet errantem dubitare, & quærere ſemper
De ſumma rerum, & noſtris diffidere dictis.
Quapropter locus eſt intactus inane, vacánſque.
Quod ſi non eſſet, nulla ratione moueri
Res poſſent. namque, officium quod corporis exſtat,
Officere, atque obſtare, id in omni tempore adeſſet
Omnibus. haud igitur quidquam procedere poſſet,
Principium quoniam cedendi nulla daret res.
At nunc per maria, ac terras, ſublimáque cæli,
Multa modis multis varia ratione moueri
Cernimus ante oculos: quæ, ſi non eſſet inane,
Non tam ſollicito motu priuata carerent,
Quàm genita omnino nulla ratione fuiſſent:
Vndique materies quoniam ſtipata quieſſet.

NEC TAMEN VNDIQVE) *Nunc poſteaquàm docuit, eſſe corpora prima, aggreditur ad oſtendendum eſſe inane. Et primùm à motu è loco ad locum, quẽ Græci φορὰ nominant, probabit eſſe inane. Non tamen (inquit) omnia conſtipata, & condenſata ſunt corporibus.* STIPATA) *denſata.*

QVAPROPTER LOCVS EST INT.) *Cùm corpus & inane inter ſe ſint contraria: quidquid autem tangit, & tangitur, ſit corpus: ſequitur, vt inane ſit intactum quiddam, id eſt locus intactus, ſeu locus ſine corpore. Inane autem, locus non eſt ſimpliciter. nam locus, locati locus eſt. ergo corpore non vacat. at inane, ex Epicuri, & Democriti ſententia ita debet eſſe corporu expers, vt corpora prima, ſeu primordia rerum nihil in ſe habent inanis, aut vacui, hoc eſt ſunt ſolidiſſima. Itaq; Ariſtot. lib. 4. φυσ. ἀκροάσ. inane ait eſſe locum, in quo nullum eſt corpus: & eodem lib. τὸ κενὸν, id eſt inane, dicit eſſe τοῦ σώματος διάστημα, id eſt corporis ſpatium: & Lucretius*

cretius lib. 4. Plagarum quia ſunt expertia, ſicut inane eſt: Quod manet intactum, neque ab ictu fungitur hilum. fungitur autem, id eſt, patitur.

QVOD SI NON ESSET, NVLLA RAT.) *ſi non eſſet inane, non eſſet motus (inquit.) At motus eſt: ergo eſt inane. Hac de re ſic* Diog. Laërt. in Epic. τὸ κενὸν οὔτε ποιῆσαι, οὔτε παθεῖν δύναται· ἀλλὰ κίνησιν μόνον δι' ἑαυτοῦ τοῖς σώμασι παρέχει· *id eſt, inane neque facere quicquam, neque pati poteſt: ſed motum duntaxat per ſe corporibus præbet. &* Ariſt. *lib. 4.* φυσικ. ἀκρ. λέγουσι δὲ ἕν, ὅτι ἡ κίνησις ἡ κατὰ τόπον, οὐκ ἂν εἴη. αὕτη δ' ἐστὶ φορὰ, καὶ αὔξησις. Οὐ γὰρ ἂν δοκεῖν εἶναι κίνησις, εἰ μὴ ἦ κενόν. τὸ γὰρ πλῆρες ἀδύνατον εἶναι δέξασθαι· εἰ δὲ δέξαιτο, καὶ δύο ἐν τῷ αὐτῷ ἐνδέχοιτο, καὶ ὁποσαοῦν ἅμα εἶναι σώματα. *&c. id eſt,* Dicunt *autem vnum, motionem à loco ad locum non fore: hæc autem, tranſlatio, & accretio eſt.* Non *enim queat eſſe motio, inquiunt illi, niſi ſit inane.* Nam *quod plenum eſt, nihil in ſe recipere poteſt: quòd ſi recipiat, & duo, & quotlibet in eodem loco corpora ſimul eſſe queant, &c. quod fieri non poteſt.* Ibidem Ariſtoteles *ſcribit,* Meliſſum, *cùm probare vellet, vniuerſum eſſe immobile, hoc vti ſolitum eſſe argumento. ſi vniuerſum eſſet mobile, aut ſi moueretur: eſſet inane: at non eſt inane: ergo vniuerſum eſt immobile, & quietum.* Ex *quibus intelligere licet, neque motum eſſe ſine inani, &, ſi motus ſit, neceſſariò etiam eſſe inane.* Ratio *autē cur ſine inani motus eſſe non poßit, hæc eſt, quòd ſublato de rebus inani, quicquid eſt in natura rerum, corpus eſſet. atqui corporis officium eſt obſtare: ergo res omnes ſibi inter ſe obſtarent, & ita nihil moueretur, nihil procederet, nihil progrederetur, ſed omnia quieſcerent, cùm eis nulla progrediendi via patēret, aut facultas daretur: cúmque nihil eſſet, vnde cedendi principium naſceretur.* Hanc *de inani opinionem videtur probare* Virgilius *in* Sileno *his verſibus.* Nanque *canebat, vti magnum per inane coacta* Semina *terrarúmque, animæque, mariſque fuiſſent,* Et *liquidi ſimul ignis: vt his exordia primis* Omnia, *& ipſe tener mūdi cōcreuerit orbis.*

OFFICIVM QVOD CORPORIS) *ſic legi malo, cùm præſertim plerique libri ſic habeant, q̄, corporum.* PROCEDERE) *porrò cedere: progredi.*

SVBLIMAQVE CÆLI) *ſic dictum, ſublima cæli, vt ab* Horat. *acuta belli, à* Cæſare, *occulta, & remota templi, lib 3 de bello ciuili: ab hoc eodem* Lucret. *vera viaī, ſerena cæli, abdita terraī, conuexa cæli, prima viaī, & ſimilia: quorum plura exempla collegimus in commentariis* Horatianis. Iam *ſublimus, & ſublimis æquè ſunt in vſu, vt imbecillus & imbecillis, inermus & inermis, hilarus & hilaris, &c.* QVÆ, SI NON ESSET INANE, NON TAM) *id eſt, quæ non modò motu non carerent, ſi non eſſet inane, ſed omninò nata, ſeu genita non eſſent: vel ſic explica: quæ ſi non eſſet inane, non tantùm dico ea fuiſſe motu caritura, ſed numquam fuiſſe naſcitura: vel ſic: quæ, ſi non eſſet inane: genita omnino non eſſent, nedum motu carerent. quæ omnes explicationes eodem recidunt.* In *hoc autem genere loquendi, priuata carerent, intelligere debemus, participium priuata adiuuare verbum, carerent. quod non eſt bonis ſcriptoribus inuſitatum: quemadmodum ſcilicet & nomina poni ſolent, quæ vim verbi adiuuent. quod in commentar.* Horatianis *obſeruauimus.* Turnebus *tamen nouitate rei offenſus cenſet hoc loco legendum, pronata carerent, à quo diſſentio.*

Præterea quamuis ſolidæ res eſſe putentur:
Hinc tamen eſſe licet raro cum corpore cernas:
In ſaxis ac ſpeluncis permanat aquarum

Liquidus humor,& vberibus flent omnia guttis.
Diſſupat in corpus ſeſe cibus omne animantum:
Creſcunt arbuſta,& fœtus in tempore fundunt:
Quòd cibus in totas vſque ab radicibus imis
Per truncos,ac per ramos diffunditur omneis.
Inter ſæpta meant voces,& clauſa domorum
Tranſuolitant:rigidum permanat frigus ad oſſa.
Quòd niſi inania ſint:quà poſſent corpora quæque
Tranſire,haud vlla fieri ratione videres.
Denique cur alias aliis præſtare videmus
Pondere res rebus,nihilo maiore figura?
Nam ſi tantundem'ſt in lanæ glomere,quantum
Corporis in plumbo'ſt:tantundem pendere par eſt:
Corporis officium eſt quoniam premere omnia deorſum:
Contrà autem natura manet ſine pondere inanis.
Ergo quod magnu'ſt æquè,leuiúſque videtur:
Nimirum plus eſſe ſibi declarat inanis.
At contrà grauius plus in ſe corporis eſſe
Deliquat,& multo vacui minus intus habere.
Eſt igitur nimirum id,quod ratione ſagaci
Quærimus,admiſtum rebus,quod inane vocamus.

PRÆTEREA QVAMVIS,&c.) *hoc dicit: propone mihi res genitas quantumuis denſas ac ſolidas: attamen ex iis,quæ iam dicam, ex iiſque exemplis, quæ afferam, perſpicuum eſt, illas eſſe raro corpore contextas,ac præditas. quamuis,id eſt quantumuis.*

HINC TAMEN ESSE LICET)*ordo eſt.licet cernas hinc,id eſt ex his, quæ ſtatim ſubiungam,eas res eſſe raro cum corpore, licet cernas, id eſt licet tibi,& cuiuis non cæco,cernere. mendoſe autem habent nonnulli libri typis excuſi, liquet, reclamantibus quattuor codicibus manuſcriptis: quibuſcum conſentiũt Veneti antiquiores,Pariſienſes,Vicetini. Iam poſt verbum cernas,debet ſcribi interpunctionis nota.* IN SAXIS,&c.) *hæc ſunt exempla.*

DISSVPAT)*alij libri habent,Diſsipat:quod tantundem valet. ego pleroſque veteres ſecutus ſum.*

QVOD CIBVS IN TOTAS VSQVE AB RAD.) *Olim fretus auctoritate trium librorum manuſcriptorum,in quibus erat ſcriptum: Quòd cibus in totas vſque ab &c. repoſueram, Quòd cibus in tota vſque vel ab rad. imis, &c. in tota,ſcilicet arbuſta. Nunc autem,totas retineo & ſubintelligo,arbores,vt res ſignificata ſpectetur,non vocabulum, quod ſignificat. arbuſtum enim & arborem pro eodem vſurpat Lucretius. Ne quis autem minus exercitatus in lectione veterum,hoc loquendi genus,vt inuſitatum,damnet: ſic Homerus, quodam loco, cùm ita dixiſſet, νεφέλη δέ μιν ἀμφιβέβηκε Κυανέη &c. ſubiecit τὸ μὲν οὔ ποτε &c.*

cùm νεφέλη ſit generis fœminini. Quod defendens Plutarchus, νεφέλη (inquit) & νέφος, συνωνύμως λέγεται. Quare cùm vocem νεφέλη priore loco poſuiſſet, ſubiecit articulum neutrum τὸ, ſpectans vocem eiuſdem ſignificationis νέφος. Sic Lucretius hoc loco, cùm ſuprà poſuiſſet arbuſta, vocem neutri generis, ſubiecit, totas, ſpectans vocem, arbores, quæ idem valet. Sic iterum Lucret. lib. VI. In Syria quoque fertur item locus eſſe, videri, Quadrupedes quoque quò ſimul ac veſtigia primùm Intulerint, grauiter vis cogat concidere ipſa, Manibus vt ſi ſint diuis mactata repente. Nam hîc cùm poſuiſſet quadrupedes, mutato genere, ſubiungit, ipſa: & mactata, quaſi vocem animalia, vſurpaſſet. alij legũt, in totos vſque à rad. & referunt ad vocem, fœtus, vt ſit, in totos fœtus: à quibus diſſentio.

INTER SÆPTA MEANT VO.) ſic lib. 6. Denique per diſſæpta domorum ſaxea voces Peruolitant. hac de re lege lib. 4.

CLAVSA DOMORVM) parteis domorum clauſas. ſic ſuprà, ſtrata viarum, & alibi, rara viarum. Idem lib. 4. Et tamen ipſa quoque hæc dum tranſit clauſa domorum Vox obtunditur, &c.

RIGIDVM) ab effectu. quæ enim frigore condenſata, & congelata ſunt, ea franguntur potius, quàm flectuntur. quæ propriè rigida dicuntur à Latinis.

TANTVNDEM'ST IN LANÆ GLOMERE) mirum primam vocis glomere produci, cùm prima verbi glomero ſit breuis: vt apud Virgil. Georg. 2. & greſſus glomerare ſuperbos: & ſæpe alibi. tantundem autem, nempe corporis, ἀπὸ κοινοῦ.

QVANTVM CORPORIS IN PL.) ſic habent quattuor libri manuſcripti: & omnes typis impreſſi, præter Vicetinos, & vnos Lugdunenſeis, & Venetos recentiores: in quibus legitur, corporum: quam ſcripturam ſi recipiemus, dicendum nobis erit hîc, m, non elidi ante vocalem: quod non eſt nouum, præſertim apud Ennium, Lucretium, Horatium, vt alibi dicemus.

CORPORIS OFF.) Simile eſt ac ſi dicat, quoniã proprium eſt eorum, quæ grauia ſunt, deorſum ferri: vel corporum primorũ. Licet autem Lucretius de atomis loquatur, quod quidam volunt, neque admodum pugno, nihil tamen obſtat, quo minus, corporis, legatur in numero ſingulari, vt infrà eod. libro, Corpus enim per ſe communis deliquat eſſe ſenſus.

OMNIA DEORSVM) in voce, deorſum, fit συναίρεσις, ſeu συνίζησις, quemadmodum in ſeorſum, ſuenit, ſuadet, & ſimilibus.

NATVRA INANIS) ἡ οὐσία τοῦ κενοῦ: natura ipſius inanis, ſeu vacui. inanis enim hoc loco patrij caſus eſt. vt tertio ab hinc verſu, Nimirum plus eſſe ſibi declarat inanis.

CORPORIS ESSE) ſic habent quattuor libri manuſcripti: & vulgati, Lugdunenſes, & Florentini. Pariſienſes autem & Vicetini, corporum ineſſe.

DELIQVAT) cùm in quinque libris manuſcriptis, & vtriſque Venetis, Pariſienſibus, Florent. Vicetinis, dedicat, ſcriptum reperiſſem, in ceteris autem impreſſis, indicat: ego deliquat repoſui. deliquare autem vetuſtum verbum eſt, quod valet aperire. & declarare, vt docet Nonius. Titinnius lib. 5 quid iſtuc eſt, aut quid iſtic ſibi vult ſermo? mater deliqua. Accius. Quare alia ex crimine inimicorum effugere poſſis, deliqua. Idem Lucret. infr. eod. lib. Corpus enim per ſe communis deliquat eſſe ſenſus. idem lib. 3. Hæc quoque res etiam naturam deliquat eius. Ita autem certa eſt huius loci reſtitutio, vt, qui eam improbet, ſe in litteris parum videre oſtendat.

Neque autem me mouet Thraſonis cuiuſdam flagitioſa impudentia, & confidētia, qui, dedicat, retinet ac tuetur: &, deliquat, mēdosè repoſitum eſſe pronuntiat, grauis auctor ſcilicet. Vt verò intelligat ille quantopere contemnam & eius, & aliorū eius ſimiliū nebulonum iudiciū, non ita dico mihi videri ſic eſſe legendum, ſed ita mihi exploratum, & perſpectum eſſe. Sic, inquam, dico, (rumpantur indocti, & maleuoli licet) ſcio & hîc ita legendum eſſe, & in aliis locis, quæ exempli cauſa paullo antè poſui.

Illud in his rebus,ne te deducere vero
Poſſit,quod quidam fingunt,præcurrere cogor.
Cedere ſquammigeris latices nitentibus aiunt:
Et liquidas aperire vias:quia pòſt loca piſces
Linquant,quò poſſint cedentes confluere vndæ:
Sic alias quoque res inter ſe poſſe moueri,
Et mutare locum,quamuis ſint omnia plena.
Scilicet id falſa totum ratione receptu'ſt.
Nam quò ſquammigeri poterunt procedere tandem,
Ni ſpatium dederint latices?concedere porrò
Quò poteruut vndæ,cùm piſces ire nequibunt?
Aut igitur motu priuandu'ſt corpora quæque:
Aut eſſe admiſtum dicendu'ſt rebus inane:
Vnde initum primum capiat res quæque mouendi.

DEDVCERE VERO) *demouere à vero.* PRÆCVRRERE) *occupare, præuerti. Eſt enim hoc loco quædam* προκατάληψις, *aduerſus eos, qui velint negare inane.* SQVAMMIGERIS) *piſcibus, vt ſuprà, Squāmigerūm genus.*

LATICES) *vndas, aquas. Feſtus. latex à lapſu profluens aqua dicitur. interdum tamen & in vino hoc vocabulo vtimur.*

CEDERE SQVAMMIGERIS LATIC. &c.) *Ad hunc locū pertinent ea, quæ ſcribit Ariſtot. lib. 4.* φυσικ. ἀκροάσ. *his verbis.* Αἴτιον δὲ κινήσεως οἴονται εἶναι τὸ κενὸν οὕτως, ὡς ἐν ᾧ κινεῖται. τοῦτο δ' ἂν εἴη, οἷον τὸν τόπον τινές φασιν εἶναι. Οὐδεμία δ' ἀνάγκη, εἰ ἔστι κίνησις, εἶναι κενόν. ὅλως μὲν οὖν ἁπάσης κινήσεως οὐδαμῶς· ὃ καὶ Μέλισσον ἔλαθεν. Ἀλλοιοῦσθαι γὰρ ἐνδέχεται τὸ πλῆρες. ἀλλὰ δὴ οὐδὲ τῆς κατὰ τόπον κινήσεως. ἅμα γὰρ ὑπεξιέναι ἀλλήλοις ἐνδέχεται οὐδενὸς ὄντος διαστήματος χωριστοῦ παρὰ τὰ σώματα τὰ κινούμενα· καὶ τοῦτο δῆλον καὶ ἐν ταῖς τῶν συνεχῶν δίναις, ὥσπερ καὶ ἐν ταῖς τῶν ὑγρῶν. *id eſt, Motionis autem putant eſſe cauſam inane, nempe ita, vt in quo res aliqua mouetur. Hoc autem tale quiddam fuerit, quale quidam locum eſſe dicunt. Sed nō eſt neceſſariū, ſi eſt motus, eſſe inane. Omnino igitur omnis motionis cauſam eſſe inane nullo modo neceſſarium eſt: quod quidem & Meliſſum fefellit. Nam contingere poteſt, vt corpus, ſeu plenum, & ſolidum, varietur, atque (vt ita dicam) alteretur. Sed ne motionis quidem à loco ad locum cauſa eſt. Nam contingere poteſt, vt res ſibi inter ſe cedant, nullo poſito interuallo ſeparabili præter ea corpora, quæ mouentur. Atque hoc perſpicuum eſt in rerum continuarum vertiginibus, quemadmodum & in liquidorum verticibus. Adde illa M. Tullij ex libro 2. Acad. quæſt. Tú ne aut inane quicquam putes*

eſſe, cùm ita completa, & conferta ſint omnia, vt, quod mouebitur corpus, ei aliud cedat, & quà quicque ceſſerit, aliud illico ſubſequatur? &c.

AVT IGITVR MOTV PRIVANDV'ST CORP.) *priuandum eſt corpora, id eſt priuanda ſunt corpora, ſeu priuare oportet corpora. ſic Græci* στερητέον σώματα· *quod genus loquendi ſuprà vſurpauit; Æternas quoniam pœnas in morte timendum: & ibi, Multa nouis verbis præſertim cùm ſit agendũ. & itẽ alibi.*

VNDE INITVM PRIMVM) *ſic habent tres codices manuſcripti: & ita Pariſien. & quidam alij vulgati. duo item manuſcrip. initium: cum quibus cõgruunt vtrique Veneti, Florentini, Lugdunenſes, Vicetini. duo alij manuſcripti ſic: Primum vnde initium: quam ſcripturam probant quidam docti viri, aiúntque tribrachum, ſeu trochæum poſitum eſſe pro dactylo. Ego ſuum cuique iudicium liberũ relinquo: veruntamen mihi magis placet ea, quam ſecutus ſum, ſcriptura. Quòd ſi quis magis probabit, initium, non pugnabo. Nam in voce, initium, fieri poteſt* συνίζησις *duarum ſyllabarum, i & um: id eſt poſſunt duæ ſyllabæ in vnam coire. Initus autem apud veteres idem valet, quod ingreſſus, introitus, initium, vt ſuprà diximus, ibi, tuúmque ſignificant initum.*

Poſtremò duo de concurſu corpora lata
Si cita diſſiliant: nempe aër omne neceſſe'ſt,
Inter corpora quod fuuat, poſſidat inane.
Is porrò quamuis circùm celerantibus auris
Confluat: haud poterit tamen vno tempore totum
Compleri ſpatium. nam primum quemque neceſſe'ſt
Occupet ille locum, deinde omnia poſſideantur.
Quòd ſi fortè aliquis, cùm corpora diſſiluere,
Tum putat id fieri, quia ſe condenſeat aër:
Errat. nam vacuum tunc fit, quod non fuit antè:
Et repletur item, vacuum quod conſtitit antè.
Nec tali ratione poteſt denſerier aër:
Nec ſi iam poſſet: ſine inani poſſet, opinor,
Se ipſe in ſe trahere, & parteis conducere in vnum.
Quapropter quamuis cauſando multa moreris,
Eſſe in rebus inane tamen fateare neceſſe'ſt.

POSTREMO DVO DE CONCVRSV) *Sic habent quattuor libri manuſcripti, & excuſi omnes, præter Venetos antiq. in quibus ita legitur, de concurſo: quæ ſcriptura reperitur etiam in Bertiniano. Ego hanc ſcripturam reijciendã putaui, vt mendoſam. ſæpe enim ſcriptores librarij o, pro u. & contrà v. pro o. ſcribebant. ſententia autem huius loci hæc eſt. Si duo ampla corpora inter ſe concurrerint, & ex illo concurſu citò diſsilierint, neceſſe erit, poſteaquàm corpora illa diſsilierint, totum illud inane, quod per ſubitam illam corporum diſceſsionem fuerat inter duo corpora effectum, aër occupet: neque tamen is aër ita citò confluere poterit, quamuis ab auris circumſtantibus vehementer impellatur, vt vno tempore totum illud inane ſpatium compleatur.*

COMPLEXI SPAT.) *Quidam legi volunt, Complere, vt ſit hic ordo, is porro non poterit vno tempore totum ſpatium complere, quamuis, &c.*

INTER CORPORA QVOD FVVAT) *libri vulgati omnes, & duo manuſcripti habent, quod fiat: vnus manuſcriptus, quod fuat: ex qua ſcriptura Muretus legendum putabat, fuerat: alius item manuſcriptus, flat, plane mendosè: ego olim vulgatam retinebam, dum certior & verior aliqua afferretur: præſertim cùm flat, errorem librarij oſtendat, qui l. pro i ſcripſerit: in quo ſæpe ab hoc genere hominum peccabatur. Mureti tamen coniecturam non improbabam. Nunc autem Turnebo aſſentior, qui fuuat, ſcribendum eſſe cenſet. fuuat autem, dictum pro fuat: de quo genere alibi, infrà: aut certè in commentariis Plautinis: quos propediem edituri ſumus, deo approbante.* POSSIDAT) *poßideat, occupet.*

CIRCVM CELERANTIBVS AVRIS) *ſic habent quatuor libri mamanuſcripti, & nonnulli typis impreßi, quos ſecutus ſum. alij circum denſantibus auris. celerantibus autem, id eſt accelerantibus, vrgentibus, & celeriter pellentibus aërem.*

QVOD SI FORTE, &c.) *ſi quis autem (inquit) putat duo grandia, & lata corpora dißilire poſſe, non quòd ſit vacuum, ſed quòd aër ſe contrahat, & condenſet, ſuáſque parteis in vnum colligat, errat. Nam primùm per diſſultum illum, id quod antè erat plenum, fit inane: & contrà, quod erat inane, fit plenum: nec tali ratione, nempe per corporum diſſultum, poteſt aër denſari: & ſi demus poſſe, non poſſet tamen ſine inani. Denſatio enim nihil aliud eſt, quàm partium disiunctarum, & laxatarum contractio, & compreßio. at nullius totius partes contrahi poſſunt, niſi intelligamus incluſum in eo eſſe vacuum, ſeu inane. nam ſi nullum in eo toto eſſet inane: id totum eſſet ſolidum, & plenum Si plenum eſſet, ergo corpus merum. at corpus merum, aliud corpus in ſe recipere non poteſt. ergo id corpus ſuas parteis non poſſet in vnum magis contrahere.*

CONDVCERE) *συνάγειν, contrahere. Cic. Philipp. 8. res geritur: conductæ vineæ ſunt. Cæſar lib. 2. de bello Gall. exercitus in vnum locum conduci. Arnob. lib. 4. aduerſ. genteis. Ergó ne (iterum dicam) tonans, fulgens, & fulminans, & nubila terribilia conducens, ſuxit fluenta mammarum? vagitum edidit? repſit? Idem Lucretius infra. Acrior ardor enim conductis partibus eſſet. & lib. 3 ſe poſſe per artus Introrſum trahere, & parteis conducere in vnum. & lib. 4. Donec in obſcurum coni conduxit acumen.*

QVIA SE CONDENSEAT AER) *condenſeat hoc loco actionem ſignificat. neque eſt quòd quiſquam vereatur, ne locus ſit mendoſus. nam primùm hanc ſcripturam omnes libri confirmant. deinde denſere, in eandem ſignificationem, & denſeri voce paßiua, vſitata ſunt bonis ſcriptoribus. Idem Lucret. quarto ab hinc verſu, Nec tali ratione poteſt denſerier aër. Virgil. Georg. 1. Iupiter humidus auſtris Denſet, erant quæ rara modò, & quæ denſa, relaxat. Idem lib. 12. Æn. Vela dabit: vos vnanimeis denſete cateruas. Salluſt. lib. 3 hiſtor. Ille ſubſidiis principes augere, & denſere frontem. Iterum Virg. Georg. 1. ſilet nox Semper, & obtenta denſentur nocte tenebræ.*

CAVSANDO MVLTA) *id eſt multas cauſas afferendo: πολλὰ προφασιζόμενος· πολλὰς προφάσεις προχείζων. M. Tullius pro Roſc. Amer. Nunquid cauſare, quin ab iudicio diſcedas turpißimè victus? Virgil. Mœride. Cauſando noſtros in longum ducis amores.*

Multáque præterea tibi poſſum commemorando
Argumenta,fidem dictis conradere noſtris.
Verùm animo ſatis hæc veſtigia parua ſagaci
Sunt,per quæ poſſis cognoſcere cetera tute.
Namque canes vt montiuagæ perſæpe feraï
Naribus inueniunt intectas frunde quieteis,
Cùm ſemel inſtiterunt veſtigia certa viaï:
Sic alid ex alio per te tute ipſe videre
Talibus in rebus poteris,cæcáſque latebras
Inſinuare omneis,& verum protrahere inde.
Quòd ſi pigraris,paullúmve abſceſſeris ab re:
Hoc tibi de plano poſſum promittere Memmi,
Vſque adeò largos,hauſtos è fontibus amneis
Lingua meo ſuauis diti de pectore fundet,
Vt verear,ne tarda prius per membra ſenectus
Serpat,& in nobis vitaï clauſtra reſoluat,
Quàm tibi de quauis vna re verſibus omnis
Argumentorum ſit copia miſſa per aureis.
Sed nunc iam reperam cœptum pertexere dictis:

FIDEM DICTIS CONRAD. NOSTR.) *fidem iis,quæ diximus, colligere,conciliare,comparare, conquirere. conradere autem legendum eſt, non contradere: quod verbum non eſt Latinum. Conradere autem, ſeu corradere tranſlatè poſitum eſt pro vndiq; colligere.ſic Terent. Adelph.minas decem corradet alicunde.Idem Phorm.ei credo munus hoc corraditur.Lucret.lib.5.Atq; alia ex ipſo conradens aëre portat.ibid.Vortex conradens ex aëre ſemina nubis.*

VESTIGIA CERTA) *tralatio à venatione. Virgil. lib.4. agnoſco veteris veſtigia flammæ.Itaq,ab eadem,ſimile,quod ſequitur,ducitur.Namq; canes,&c.*

INTECTAS FR. QV.) *cubilia frondibus obducta, atque operta. Cic. in Piſon. Strages prouinciæ tuæ : quas non veſtigiis odorantes ingreſſus tuos , ſed totis volutationibus corporis,& cubilibus perſecuti ſumus.Idē Verrina de iure dicundo in extrema.vt omnes mortales non iam veſtigia,ſed ipſa cubilia videre poßint.*

INSTITERVNT) *ſic habet codex Vaticanus , & Bertinianus : quibuſcum congruunt impreßi Pariſienſes, Veneti antiquiores, Vicetini.in verbo, inſtiterunt, autem,e,corripitur. tale eſt illud Virgil.2. Æneid. Obſtupui.ſteterúntque comæ, & vox faucibus hæſit.Bene Latinè autem dictum,inſiſtere veſtigia,& inſiſtere viam. Sic enim ſæpe Plautus. vt,Captiuis,proinde omnes itinera inſiſtāt ſua Idem Ciſtell. & vtrùm hàc,an illàc inſtiterit.Idem Aſinar.rectam inſtas viam.*

ALID) *aliud, vt ſupr.sic autem habent omnes libri veteres, & aliquot vulgati emendatiores,niſi quòd in duobus ſcriptum eſt,alit,pro alid.*

CÆCASQVE LATEBR.) *& ingredi in latebras obſcuras ac retruſas.*

QVOD SI PIGRARIS, PAVLLVMVE ABSCESS.).*i. quòd ſi tardior fueris: aut ſi ab hoc ipſo vero paulùm modò te diſiunxeris,&c. Sic videtur*

hic locus intelligendus,ſi verbum pigrandi accipiamus abſolutè, & ,vt ita dicam, neutraliter. Nam aliàs ἐνεργητικῶς vſurpatur, quemadmodum apud Accium*: melius pigraſſe,quàm properaſſe eſt nefas,id eſt præſtat factum aliquod iniuſtum,tardius admittere,aut omnino numquam admittere,quàm celerius.Idem,ſed cur propter te pigrem hæc,aut huius dubitem parcere capiti? Itaq; poteſt & hoc modo intelligi.*Quod *ſi pigraris,id eſt,quod verum ſi tardaueris ſeu tardius,& ſegnius tibi parauerís,&c.*Quidam *tamen legi volunt,*Quod *niſi pigraris,&c.*Præterea *mihi non eſt diſsimulandum,reliquam huius verſus partem, ita legi in omnibus ferè codicibus impreſsis,paullúmve receſſeris ab re: in* Bertiniano *autẽ, paullúmve re abſceſſeris ab re: in* Memmiano,*paullúmve abſceſſeris ab re, vt ego excudendum curaui: quæ lectio ſi cui probabitur, ita erit interpretandus hic locus , vt ſuprà dixi. quòd ſi tardus , & piger fueris, paullúmve propter tuam pigritiam ab re, id eſt à vero,ſeu ab ea re,quam doceo,te remoueris,*Hoc *tibi de plano,&c.*Atque *ego hanc ſcripturam, & ſententiam, quod ad hanc verſus partem pertinet, magis probo. de altera, vtrùm ſit legendum,*Quod *ſi pigr.an,*Quod *niſi pigr. viderint eruditi.*

HOC TIBI DE PLANO) *de plano,id eſt,quaſi ex æquo loco,nõ è ſuperiore, vt qui ſedẽt in tribunali,vel cõcionãtur: vel de plano,id eſt liquidò,& ſine dubio, & non multa opera inſumta,magnáve cura adhibita.* Fortaſſe *ducta tralatio eſt à prætoribus,aut procõſulibus,qui liteis,& cõtrouerſias facileis,atque explicatas de plano diiudicabant: difficileis autẽ atq; implicatas è loco ſuperiore,atq; è tribunali.* Vlpianus *lib. 2. de offic proconſul.* De *plano autem proconſul poteſt expedire hæc: vt obſequium parentibus, & patronis,liberíſq; patronorum exhiberi iubeat: comminari etiam,& terrere filium à patre oblatum, qui non, vt oportet, cum ipſo verſari dicatur: poterit de plano ſimiliter & libertum non obſequentem,emendare aut verbis,aut fuſtium caſtigatione.* Huc *pertinent illa* Ciceronis *in* Bruto *,* Quare *ſi anguſtè & exiliter dicere,eſt* Atticorum*: ſint ſanè* Attici.*sed in comitium veniant,ad ſtantem iudicem dicant.ſubſellia grandiorem & pleniorem vocem deſiderant. & hoc* Auſónij,*ex gratiarum actione pro conſulatu.* Has *ego litteras tuas ſi in omnibus pilis atque porticibus, vnde de plano legi poſsint, inſtar edicti pendêre mandauero: nónne tot ſtatuis honorabor, quot fuerint paginæ libellorum?*

VSQVE ADEO LARGOS HAVST.) *ſic reſtitui ex auctoritate quattuor librorum manuſcriptorum.*Nam *libri vulg. habent, vſque adeò largos hauſtus de fontibus magnis,&c. ſignificat autem,ſe tantam rerum copiam ex* Epicurea *doctrina hauſtam è pectore profuſurum, vt verendum ſit, ne prius ipſe &* Memmius *ſeneſcant,ac moriantur,quàm* Memmius *quamlibet vnam rem vel intellexerit,vel audierit.largos amneis,dixit ὑπερβολικῶς.* SERPAT) *obrepat,ſenſim veniat.*

ET IN NOBIS VITAI CLAVST. RES.) *id eſt, & in nobis corporis & animæ coniunctionem dirimat,ac diſſoluat,id eſt moriamur.*

Omnis vt eſt igitur per ſe natura,duabus
Conſiſtit rebus.nam corpora ſunt,& inane,
Hæc in quo ſita ſunt,& quà diuerſa mouentur.
Corpus enim per ſe communis deliquat eſſe
Senſus:quo niſi prima fides fundata valebit,
Haud erit,occultis de rebus quò referentes

Confir-

Confirmare animi quicquam ratione queamus.
Tùm porrò locus,ac ſpatium,quod inane vocamus,
Si nullum foret:haud vſquam ſita corpora poſſent
Eſſe,neque omnino quaquam diuerſa meare:
Id quod iam ſuperà tibi paullo oſtendimus antè.

OMNIS VT EST IGITVR, &c.) Tota (inquit) *hæc rerũ natura duabus ab initio rebus conſtat, corporibus, & inani, in quo corpora ſita ſunt, & per quod huc & illuc feruntur, ac mouentur. Hæc opinio (quod ſuprà paucis attigi) non fuit ſolius Epicuri, ſed & aliorum multorum. Leucippus enim poſuit* τὸ πλῆρες καὶ τὸ κενόν: *id eſt plenum & inane: Democritus* τὰ ναστὰ καὶ τὸ κενὸν, *id eſt, ſolida & inane: Metrodorus* τὰ ἀδιαίρετα, καὶ τὸ κενὸν, *id eſt indiuidua & inane: Epicurus* σώματα λόγῳ θεωρητὰ, ἀμέτοχα κενοῦ, ἀγένητα, ἀδιάφθαρτα, οὔτε θραυσθῆναι δυνάμενα, οὔτε ἀλλοιωθῆναι, καὶ τὸ κενὸν, *id eſt corpora, quæ ratione duntaxat cerni poſſunt, inanis expertia, neque vmquam orta, neque vmquam interitura: quæ neque perfringi, neque immutari poſſunt: & inane. Empedocles autem, & Plato, & ceteri ante Platonem, negarunt eſſe in rebus inane. Ariſtot.* τοσοῦτον εἶναι κενόν φησιν ἐκτὸς τοῦ κόσμου, ὥστε ἀναπνεῖν ἐξ αὐτοῦ· εἶναι γὰρ πυρινόν, *id eſt tantũ eſſe inanis concedit extra mundum, quantum cælo ſatis ſit ad reſpirandum: eſſe enim igneum: Stoici* ἐντὸς τοῦ κόσμου μηδὲν εἶναι κενὸν, ἐκτὸς δ᾽ ἄπειρον, *id eſt, intra mundum nihil eſſe inane: extrà autem infinitum.* ET INANE, HÆC IN QVO SITA SVNT) & *inane (inquit) in quo hæc corpora ſita ſunt, & per quod huc & illuc, horſum & illorſum feruntur. Nam inane neque facere quidquam, neque perpeti poteſt: ſed tantùm corporibus motionis viam, & locum, & facultatem præbet. Itaq; Epicurus inane appellat* χώραν, *id eſt locum, &* διάστημα, *hoc eſt ſpatium.*

CORPVS ENIM, &c.) *Communis ſenſus (inquit) per ſe, hoc eſt ſine vlla alia ratione deliquat, id eſt, declarat eſſe corpus. Communem autem ſenſum intellige hoc loco vel omnium animantium communem, vel ſenſum illum, qui eſt præter quinque ſenſus diſtinctos notiſſimos: qui de ſingulis rebus ſub ſuos ſingulos ſenſus cadentibus communiter iudicat. Horat. ſaty. 3. lib. 1. Communi ſenſu planè caret, inquimus, eheu, &c.* QVO NISI PRIMA FIDES, &c.) *hoc in primis tuetur, & retinet mordicus Epicurus, ſenſus eſſe veros, neque vmquam fallere: & à ſenſibus omnium rerum cognitionem, ac ſcientiam proficiſci: quod item Peripatetici comprobant. Ariſt.* βιϐ. α. μετὰ τὰ φυσικά: Πάντες ἄνθρωποι τοῦ εἰδέναι ὀρέγονται. σημεῖον δ᾽ ἡ τῶν αἰσθήσεων ἀγάπησις, *id eſt, omnes homines ſciendi cupiditate ducuntur: cui rei argumento eſt, quòd ab omnibus maximè ſenſus diliguntur. Lucret. hoc eod. lib. Nam cõtra ſenſus ab ſenſibus ipſe repugnat, Et labefactat eos, vnde omnia credita pendent. Idem eos vberius defendit libro 4 ibi. Cetera de genere hoc mirando multa videmus, &c. Plato verò in Phædone refellit ſenſus, his verbis:* Τί δὲ δὴ περὶ αὐτὴν τῆς φρονήσεως κτῆσιν; πότερον ἐμπόδιον τὸ σῶμα, ἢ οὔ, ἐάν τις αὐτὸ ἐν τῇ ζητήσει κοινωνὸν συμπαραλαμβάνῃ; οἷον τὸ τοιόνδε λέγω: ἆρα ἔχει ἀλήθειάν τινα ὄψις τε καὶ ἀκοὴ τοῖς ἀνθρώποις, ἢ τά γε τοιαῦτα καὶ οἱ ποιηταὶ ἀεὶ ἡμῖν θρυλοῦσιν, ὅτι οὔτ᾽ ἀκούομεν ἀκριβὲς οὐδὲν, οὔτε ὁρῶμεν; καίτοι εἰ αὗται τῶν περὶ τὸ σῶμα αἰσθήσεων μὴ ἀκριβεῖς εἰσι, μηδὲ σαφεῖς, σχολῇ γε αἱ ἄλλαι. πᾶσαι γάρ που τούτων φαυλότεραί εἰσιν. *id eſt, Quid verò quod ad prudentiæ poſſeſſionem attinet, vtrùm corpus ei impedimento eſt, an non,*

ſi quis id ſocium in quærendo adhibeat? Verbi gratia, hoc dico: verùm veritatis aliquid habet aſpectus, & auditus hominibus, an illa talia, quæ & poëtæ ſemper habent in ore, nos neque cernere quicquam perfectè, neque audire? Atqui ſi ex ſenſibus corporis hi non ſunt veri & perfecti, neque certi, multo minus alij. Omnes enim ſunt his deteriores.

CONFIRMARE ANIMI QVIDQVAM) *animi ratione, vſitatum Lucretio loquendi genus: id eſt intelligentia. ſecutus autem ſum quattuor codices manuſcriptos: in his Bertinianum, & Memmianum.*

LOCVS AC SPATIVM) *χώρα, καὶ διάστημα.*

NEQVE OMNINO QVAQVAM) *neque omnino per vllam regionem ſiue hanc, ſiue illam meare. ſecutus ſum autem duorum librorum manuſcriptorum, cum quibus Veneti antiquiores congruunt, ſcripturam. Nam ceteri habent, omnino, quoquam. quaquam autem aduerbium eſt motus per locum.*

ID QVOD IAM SVPERA) *ſic legendum: atq; hanc ſcripturam agnoſcit Priſcianus libro 14. & 28 confirmant quattuor libri manuſcripti, Faërni, Tettij, Bertinianus, Memmianus, Veneti antiq. Pariſienſes, Vicetini. Superà (inquit Priſcianus) pro ſuprà. ſic enim antiqui protulerunt, & maximè Cicero: Toruu' draco ſerpit ſubter, ſuperáque retorquens ſeſe. Idem ibid. Hunc ſupera duplices humeros affixa videtur Stella micans tali ſpecie, talíque nitore.*

Præterea nihil eſt, quod poſſis dicere ab omni
Corpore ſeiunctum, ſecretúmque eſſe ab inani,
Quod quaſi tertia ſit numero natura reperta.
Nam, quodcunque erit, eſſe aliquid debebit id ipſum,
Augmine vel grandi, vel paruo denique, dum ſit.
Quoi ſi tactus erit quamuis leuis, exiguúſque:
Corporum augebit numerum, ſummámque ſequetur.
Sin intactile erit, nulla de parte quod vllam
Rem prohibere queat per ſe tranſire meantem:
Scilicet hoc id erit vacuum, quod inane vocamus.

QVOD POSSIS DICERE AB OMNI) *ſic habẽt omnes, quos quidem viderim, vulgati codices, & item duo manuſcripti: duo tamen item manuſcripti, quod dicere poßit ab omni: ex qua ſcriptura ſuſpicabatur M. Anton. Muretus legendum eſſe, quod dici poßit ab omni: quæ coniectura mihi non diſplicet. Sententia autem huius loci hæc eſt. Quicquid eſt in rerum natura, id eſſe aut corpus, aut inane: nihil eſſe tertium.*

QVOD QVASI TERTIA SIT NVM. NAT. REP.) *Sic habent quattuor libri manuſcripti, Quod quaſi tertia ſit numero natura reperta: quos ſecutus ſum. vulgati, Quod quaſi tertia ſit rerum natura reperta. dixit autem, tertia numero, vt dicimus tertium ordine.*

NAM, QVODCVNQVE ERIT, ESSE ALIQVID; &c) *ſecutus ſum librorum manuſcriptorum, & Vicetinorum auctoritatem, qui ita habent, vt ego excudendum curaui. cuius ſcripturæ hæc mihi ſententia videtur eſſe. In hoc*

vniuerſo nihil eſt præter corpus & inane. Quid ita? quidquid erit, vel erit ingenti mole, ac magnitudine præditum, vel perparuum, & perexiguum, dummodo ſit: quod quidem ſi tangi poterit, corpus erit: Sin tangi non poterit, erit inane. ſed libri typis excuſi, Pariſienſes, veneti vtrique, Florentini, Lugdunenſes, ſic: Nam quodcunque erit, eſſe aliud debebit, &c. cuius ſcripturæ, ſi quis eam probabit, hæc ſententia videtur eſſe. nihil eſt in vniuerſo præter corpus & inane. Nam ſi quid erit præterea, id ipſum aliud erit, id eſt, differet vel magnitudine, vel paruitate quantulacunque, dummodo ſit, id eſt dummodo id ipſum non ſit ita paruum, vt iam amplius non ſit. Quod quidem ſi tangi poterit, in corporibus numerabitur: ſin autem tangi non poterit, erit inane. Ergo nihil eſt præter corpus & inane.

CORPORVM AVGEBIT NVMERVM) *magna eſt hoc loco librorum typis excuſorum varietas: Florentini ſic habent, Corporeum augebit numerum planè mendoſè Pariſienſes, & Lugdunenſes alteri, Corporum adaugebit numerum: nonnulli, quibuſcum conſentiunt quattuor libri manuſcripti, Corporis augebit numerum. veneti & Lugdunenſes alteri, Corporum augebit numerum: & ita Memmianus: quam ſcripturam veram, & rectam eſſe iudicaui. Ex hac autem vera ceteræ vitioſæ natæ ſunt, dum alij offenſi poſtrema ſyllaba vocis, corporum, in qua m, non eliditur, vt neque olim interdum elidebatur, ex ea faciunt, corporũ, alij ex verbo, augebit, faciunt, adaugebit. veteres autem interdum è verſu non eliſiſſe litteram. m. apparet ex verſibus Ennij, & eiuſdem Lucretij. Ennius lib. 10. Annal. Inſignita ferè tum millia militum octo Duxit dilectos bellum tolerare potẽteis. Lucret. lib 2. Nam quod fluuidum eſt, è læuibus, atque rotundis Eſt. Idem lib. 3. Sed dum abeſt quod auemus, id exſuperare videtur Cetera. Idem lib. 4. in extr. Eicit enim ſulci recta regione, viáque vomerem, atque locis auertit ſeminis ictũ. Horat. ſat. 2 lib. 2. num veſceris iſta, Quam laudas pluma? cocto num adeſt honor idem?*

Præterea, per ſe quodcunque erit, aut faciet quid:
Aut aliis fungi debebit agentibus ipſum,
Aut erit, vt poſſint in eo res eſſe, gerique.
At facere & fungi ſine corpore nulla poteſt res:
Nec præbere locum porrò, niſi inane, vacánſque.
Ergo præter inane, & corpora, tertia per ſe
Nulla poteſt rerum in numero natura relinqui,
Nec quæ ſub ſenſus cadat vllo tempore noſtros,
Nec, ratione animi quam quiſquam poſſit apiſci.
Nam, quæcunque cluent, aut his coniuncta duabus
Rebus ea inuenies: aut horum euenta videbis
Coniunctum eſt id, quod numquàm ſine perniciali
Diſcidio potis eſt ſeiungi, ſéque gregari:
Pondus vti ſaxis, calor ignibu', liquor aquãi,
Tactus corporibus cunctis, intactus inani.
Seruitium contrà, libertas, diuitiæque,
Paupertas, bellum, concordia, cetera, quorum

Aduentu manet incolumis natura, abitúque:
Hæc ſoliti ſumus, vt par eſt, euenta vocare.

AVT ALIIS FVNGI DEB.) *ordo verborum hic eſt: aut ipſum debebit fungi, id eſt pati, aliis agentibus.*

AVT ERIT, VT) *id eſt, aut erit eiuſmodi, vt in eo res eſſe, & geri, ſeu gigni poßint.* GERIQVE) *geri, id eſt à natura adminiſtrari, tamquam ab imperatrice, & omnium rerum parente, & domina. vel, ſi legamus geni, geni, id eſt gigni, vt ſuprà diximus. Quòd autem Thraſo geri interpretatur, moueri, digna mehercle interprete interpretatio, hoc eſt ridicula, atque inepta. Nam primùm hoc dico, geri nuſquam in tota lingua Latina ſignificare moueri: deinde quod idem profert hæc verba Epicuri ex Diog. Laërtio, aduerſus meam, vt ait, auctoritatem, τὸ κενὸν οὔτε ποιῆσαι, οὔτε παθεῖν δύναται, & c. ea verò me non fugerunt. à me enim relata ſunt ſuprà ad illum locum, Quod ſi non eſſet: nulla ratione, & c. ſed quòd iſte nunc ea profert, nihil ad rem. nam præbere locum corporibus, & tale aliquid eſſe, vt in eo res eſſe, aut moueri poßint, hæc ſunt propria inanis: & quod eſt huiuſmodi, vt in eo res, ſiue corpora moueri, aut eſſe poßint, id eſt inane, & id corporibus locum præbere poteſt, ſiue moueantur, ſiue quieſcant. Gerere autem, vt docet Varro, valet ſuſtinere. ex quo imperatores bellum, & res gerere dicũtur: tanquam onera. Sed quid agas cum iſtis, qui nihil præter os habent?*

NEC, RATIONE ANIMI QVAM) *nec vlla tertia natura eſt, quam quiſquam ratione animi, id eſt intelligentia, apiſci, id eſt comprehendere poßit. verbo, apiſci, vtitur & lib. 6. Quippe etenim nullo ceſſabant tempore apiſci, & c. ratione animi autem: id eſt, intelligentia, & cogitatione. quod loquendi genus Lucretio vſitatum eſt.* CLVENT) *videntur, nominantur, ſunt, aut dicuntur eſſe præter corpus & inane:*

HORVM EVENTA) *τούτοις συμβεβηκότα, quæ vulgo accidentia appellant: quæ ſic definiuntur. συμβεβηκότα ἐστὶν, ἃ γίνεται, καὶ ἀπογίνεται χωρὶς τῆς τοῦ ὑποκειμένου φθορᾶς, id eſt euenta ſunt, quæ aſſunt, & abſunt ſine eius, quod eis ſubeſt, interitu. M. Tull. lib. 2 de nat. Deorum. Epicurus ita diuidit. omnium, quæ ſint, naturam, eſſe corpora, & inane, quæque his accidant.*

CONIVNCTVM EST) *declarat, & definit, quæ dicat coniuncta. Sunt igitur ea coniuncta (inquit) quæ rei alicui ſiue ſit corpus, ſiue inane, ita adhæreſcunt, vt ſine eius interitu ſeparari non poßint, vt pondus coniunctum eſt ſaxis, neque ab iis ſegregari vllo modo poteſt ſalua ſaxorum natura. nam ſi pondus ſaxo demas, iam deſinat eſſe ſaxum.*

DISCIDIO) *ſic habet cod. Vaticanus, quem ſecutus ſum. diſcidium autem à verbo diſcindo ductum eſt. vt exſcidium, ſeu excidium ab exſcindo.*

PONDVS VTI SAXIS, CALOR IGNIBV' LIQVOR AQVAI) *ſic reſtitui ex auctoritate codicis Bertiniani, & vulgatorum Vicetinorum, cùm in ceteris vulgatis omnibus legatur, Pondus vti ſaxi, calor ignis.*

TACTVS CORPORIBVS) *nam tactus ſenſus eſt maxime omniũ corporis proprius.* INTACTVS) *mira compoſitio, ſeu iunctura. nam intactus cõtrarium quiddã eſt tactui, ἢ τὸ ἀναφές, quemadmodum incultus apud Salluſtium de bello Iugurt. cultui opponitur, & apud omneis probatos auctores Latinitatis, iniuſſus, iuſſui, quanquã hoc vix alibi præterquam in ſeptimo caſu reperitur, vt cùm dicimus, iniuſſu imperatoris de præſidio decedere, & apud Plaut. Trinũmo, incõſultu meo.*

Tempus item per ſe non eſt:ſed rebus ab ipſis
Conſequitur ſenſus,tranſactum quid ſit in æuo:
Tùm quæ res inſtet:quid porrò deinde ſequatur:
Nec per ſe quemquam tempus ſentire fatendu'ſt
Semotum ab rerum motu,placidáque quiete.
Denique Tyndaridem raptam,belloque ſubactas
Troiugenas genteis cùm dicunt eſſe,videndu'ſt,
Ne forte hæc per ſe cogant nos,eſſe fateri,
Quando ea ſæcla hominum,quorum hæc euenta fuere,
Inreuocabilis abſtulerit iam præterita ætas.
Nanque aliud rebus,aliud regionibus ipſis
Euentum dici poterit,quodcunque erit actum.

TEMPVS ITEM PER SE NON EST) *Vult tempus eſſe in ratione tantùm,nõ re.ſed præſtat vnam(ſunt autem plures)rationem adſcribere, per quã poſſit negare aliquis tempus eſſe:quam refert Ariſt.lib.4.* φυσικ. Ὅτι μὲν οὖν ὅλως οὐκ ἔστιν, ἢ μόλις, καὶ ἀμυδρῶς, ἐκ τῶνδέ τις ἂν ὑποπτεύσειε. τὸ μὲν γὰρ αὐτοῦ γέγονε, καὶ οὐκ ἔστι· τὸ δὲ μέλλει, καὶ οὔπω ἔστιν. Ἐκ δὲ τούτων, καὶ ὁ ἄπειρος, καὶ ἀεὶ λαμβανόμενος χρόνος σύγκειται· τὸ δ' ἐκ μὴ ὄντων συγκείμενον ἀδύνατον ἂν δόξειε μετέχειν οὐσίας, *&c.id eſt,Non eſſe igitur omnino tempus,aut vix,& obſcurè,ex his ſuſpicari quiſpiam poſsit. Nam alia quidẽ eius pars præteriit,& non eſt:alia futura eſt,& nondum eſt.Ex his autem & infinitum, & quod ſemper ſumitur,tempus conſtat. At,quod conſtat ex partibus, quæ non ſunt, fieri nõ poſſe videatur,vt eſſentiæ locum obtineat,&c.Idem eodem lib.tempus definit eſſe numerũ motionis ex eo, quod eſt prius,& poſterius. Tempus igitur(inquit Lucretius) per ſe non eſt,ſed ex rebus olim geſtis, & præteritis, tempus præteritum cognoſcimus:ex iis rebus,quæ hodie ſunt,ac fiunt,præſens: ex iis, quæ ſunt futuræ, & quas futuras ſuſpicamur,aut diuinamus,aut quas cogitamus,futurum.*

CONSEQVITVR) *colligit,cognoſcit,percipit.*

NEC PER SE QVEMQVAM) *icircò eodem lib.Ariſtoteles ait tempus eſſe numerum eum,qui numerari poteſt,aut qui numeratur,non quo numeramus.i.* ἀριθμὸν ἀριθμητὸν, ἢ ἀριθμούμενον, οὐχ ᾧ ἀριθμοῦμεν.

TYNDARIDEM) *Helenam Tyndari filiam. Denique (inquit) cùm dicunt vulgò,Helenam olim raptam eſſe,& Troianos deuictos eſſe: videndum eſt,ne forte hæc cogant nos fateri tempus eſſe per ſe.quod eſt falſum.*

CVM DICVNT ESSE) *ſecutus ſum codicẽ Bertinianum,& Memm.manuſcr.& Florentinos,& quoſdam alios impreſſos.Nam ceteri manuſcripti,& impreſsi habent,vt dicunt eſſè,planè,mea quidem ſententia,mendoſè.Suſpicatus ſum autem aliquando ex hac codicum varietate legendum, qui dicunt eſſe: quod ne nunc quidem diſplicet.* NE FORTE HÆC PER SE COGANT NOS, ESSE FAT.) *ſic habent quattuor libri manuſcripti ſine vlla varietate. Excuſi autem inter ſe diſſentiunt:In aliis ſic eſt,Ne contrà hæc per ſe cogant nos forte fateri:in aliis hoc modo,Ne contrà hæc per ſe cogãt nos eſſe fateri. quam ego ſcripturam omnibus antepono,cùm præſertim eam confirmet cod.Memmianus. In Pariſ. & Venetis antiquiorib.Ne forte hæc per ſe cogant nos cuncta fateri.*

QVANDO) *quoniam.* SÆCLA HOMINVM) *genera hominum.* NANQVE ALIVD REBVS) *ſic legendum, non vt vulgo, aliud terris. hoc enim ſignificat, quidquid actum eſt, euentū eſſe vel rebus, id eſt perſonis: vel regionibus. neque verò eſt quòd quēquam moueat ſyllaba, bus, breuis, quæ hîc longa ſit.*

Denique materies ſi rerum nulla fuiſſet,
Nec locus, ac ſpatium, res in quo quæque geruntur:
Numquam Tyndaridis formæ conflatus amore
Ignis Alexandri Phrygio ſub pectore gliſcens
Clara accendiſſet ſæui certamina belli:
Nec clàm durateus Troiaï pergama partu
Inflammaſſet equus nocturno Graiugenarum:
Perſpicere vt poſſis, res geſtas funditus omneis,
Non ita vti corpus per ſe conſtare, neque eſſe:
Nec ratione cluere eâdem, qua conſtat inane:
Sed magis vt meritò poſſis euenta vocare
Corporis, atque loci, res in quo quæque gerantur.
Corpora ſunt porrò partim primordia rerum:
Partim, concilio quæ conſtant principiorum.
Sed quæ ſunt rerum primordia, nulla poteſt vis
Stringere. nam ſolido vincunt ea corpore demum.

RES IN QVO QVÆQVE GERVNTVR) *ſi vulgatam ſcripturam ſequimur. ac probamus, intelligendæ ſunt res bellicæ, laborioſæ ac præclaræ, quæ geri dicuntur ab imperatoribus, & regibus: vel geruntur accipiendum eſt pro agūtur; vt ſit tralatio ab imperatore & principe res gerente. ſin genuntur malumus: (quod ego quidem magis probo) referendum eſt ad res naturaleis, quæ fortuito primordiorum concurſu, & conflictu in ſpatio, & inani gignuntur. Quoniam autem in omnibus libris. geruntur, ſcriptum reperi, & ex hac ſcriptura probabilem ſententiam elici poſſe arbitror, ita excudendum curaui.*

IGNIS) *æſtus, cupiditas, libido, quæ eſt inſtar ignis & flammæ. ſic Horat. oda XIIII lib. Epod. quòd ſi non pulchrior ignis Accendit obſeſſam Ilion &c.*

GLISCENS) *gliſcens ſub Phrygio Paridis pectore. gliſcere, creſcere eſt, & ita Feſtus, & Nonius Marcellus. Salluſtius. gliſcente vento Plaut gliſcit prælium. Virg. lib. 12. Æn. Haud ſecus accenſo gliſcit violentia Turno. Cic. in Hortēſ. gliſcunt voluptates. Lucret. lib. 4 Inque dies gliſcit furor, atque ærumna graueſcit. Idem lib. 3. Nant oculi: clamor, ſingultus, iurgia gliſcunt: & lib. V. Cùm metus, aut dolor eſt, & cùm iam gaudia gliſcunt.* DVRATEVS) *durateus, ſeu durius equus, id eſt ligneus: cuius opifex fuit Epius: ſeu Epéus. Lege Hom. ὀδυσ. θ & Virg. lib. 2. Æn. Inſtar montis equum &c & 6 Cùm fatalis equus, &c. Feſtus Epeus nomen fabri, qui equum durateum fecit. equum Troianum interdum appellant ſcriptores: & ita ſemper M. Tullius: equum Mineruæ Horatius: quaſi arte fabricatum, & ligneum. quo nomine eum appellat Plautus in Bacchidibus. ſed de hoc equo plura diximus in commentar. Horatianis ad illum locum, Ille non incluſus equo Mineruæ, &c od. 6. lib. 4.*

TROIAI PERGAMA) *ſic repoſui reclamãtibus quidẽ omnibus exemplaribus antiquis, ſed tamen certiſſima coniectura fretus. Nam primùm vox, Troianis quæ eſt in libris vulgatis, nõ videtur huic loco conuenire: deinde Troiaï, id eſt Troiæ pergama, olet neſcio quomodo antiquitatem. Sic enim Steſichorus, οὐδ' ἵκεο πέργαμα Τροίας, id eſt neque iiſti ad Pergama Troiæ.* EADEM) *συνίζησις fit in ea, duæque vocales, quarum altera breuis eſt, altera longa, pro vna ſyllaba habentur.*

CORPORIS ATQVE LOCI) *ſic habent quattuor libri manuſcripti: quibuſcum congruunt Pariſienſes, & Lugdunenſes. alij, Corporum atque loci. Neque verò hæc ſcriptura damnanda eſt, quod fit à Thraſone quodam barbaro. confirmat enim eam vel ille verſus, qui nõ ita lõgè abeſt ſuprà, Non ita vti corpus per ſe, &c. Et item is, qui eſt infrà nihilo longiùs. Stringere. nam ſolido vincunt ea corpore demum.* RES IN QVO QVÆQVE GERANTVR) *etiam hoc loco legi fortaſſe poteſt, genantur. verumtamen, nihil muto.*

CORPORA SVNT PORRO) *Corporum (inquit) alia ſunt primordia rerum, nempe corpora indiuidua, ſimpliciſſima, & ſolidiſſima, id eſt ἄτομοι: alia, quæ ſunt ex atomis concreta, & conflata, vt arbor, ſaxum, aqua, terra, & c. ſimilia. Hac de re ſic Laert. in Epic.* τῶν σωμάτων τὰ μέν ἐστι συγκρίσεις, τὰ δ' ἐξ ὧν αἱ συγκρίσεις πεποίηνται.

STRINGERE) *radere, lædere, vulnerare, Virg lib. Æneid. 8 hunc primo leuis haſta Camillæ Strinxerat. cod Vatican. & Bertin. tamen habent, Stinguere: id eſt exſtinguere: de quo verbo infrà lib 2. ad illum locum, ſtinguíque colorem.*

NAM SOLIDO VINCVNT EA CORP. DEM.) *ſic habent omnes ferè libri vulgati, & tres manuſcripti, niſi quòd quidam habent, euincũt. & damnum, non demum: in quibus eſt Memmianus.*

Et ſi difficile eſſe videtur credere, quidquam
In rebus ſolido reperiri corpore poſſe.
Tranſit enim fulmen cæli per ſæpta domorum:
Clamor vt, ac voces: ferrum candeſcit in igne:
Diſſiliúntque fero, feruenti ſaxa vapore:
Conlabefactatus rigor auri ſoluitur æſtu:
Tum glacies æris flamma deuicta liqueſcit:
Permanat calor argentum, penetraléque frigus,
Quando vtrunque, manu retinentes pocula ritè,
Senſimus infuſo lympharum rore ſupernè.
Vſqueadeò in rebus ſolidi nihil eſſe videtur.
Sed quia vera tamen ratio, naturáque rerum
Cogit, ades, paucis dum verſibus expediamus,
Eſſe ea, quæ ſolido, atque æterno corpore conſtent,
Semina quæ rerum, primordiáque eſſe docemus:
Vnde omnis rerum nunc conſtet ſumma creata.

ETSI DIFF. ESSE VID. CREDERE QVIDQ.) *ſic habent quattuor. lib. manuſcr. Bertinian. Faërn. Teſtian. Memm. & vulgati, Florentini. Vatica-*

nus autem, & vulgati Veneti vtrique, & Pariſienſ. & Vicet. & vtrique Lugdun. videtur fors ita quicquam. quam ſcripturam ſi quis probabit, fors, accipiendum erit pro forſitan, vt particula, ita, coniungatur cum voce, ſolido. neque verò aſſentior ijs, qui forſita poſitum volunt pro forſitan.

TRANSIT ENIM FVLM.) *ſic lib.6. Tranſit enim validè fulmen per ſepta domorũ. Cur autẽ hoc fiat, docebit lib. 2. ibid. Perfacile'ſt iã animi ratione, &c.*

CLAMOR VT, AC VOCES) *ſic legendum, & ita habent codices emẽdati. neque tamen reijcienda eſt ſcriptura alterorum Venetorum. Clamor item, ac voces. ſic lib.6. Clamor vt, ac voces: tranſit per ſaxa, per æra.*

DISSILIVNTQVE FERÒ, FERVENTI S. V.) *quattuor codices manuſcripti habent, Diſsiliũtque fero, feruẽti ſaxa vapore: quæ ſcriptura ſi probabitur, duo erunt epitheta ἀσυνδέτως poſita: quod eſt vſitatum & Homero, & alijs poëtis. Horat. ſat. 3. lib. 1. habeare inſuauis, acerbus. Idem alibi, Confidens, tumidus, adeò ſermonis amari, &c. Memmianus autem, Diſsiliũtque fere feruẽtia ſaxa vaporè. Vnde licet legere, Diſsiliũtque fero feruentia ſaxa vapore.*

CONLABEFACTATVS RIGOR) *rigor auri, id eſt durities auri, æſtu, i. calore, labefactatus, ſoluitur. Sic autem legendum, non vt vulgò. Quin labefactatus, &c. conlabefactatus autem, id eſt, victus, vt lib.4. Omnia quòd cõtrita, quòd igni conlabefacta quamquam hîc quidam legunt, concalefacta. Virg. Æn.8. Intrauit calor, & labefacta per oſſa cucurrit.*

TVM GLACIES ÆRIS) *ſic reſtitui; ſecutus quinque librorum manuſcriptorum auctoritatem: neque verò dubium eſt, quin hæc ſit recta, & vera ſcriptura: vulgata contrà, deprauata, & mendoſa. Nam quid ineptius, quàm propoſito exemplo vno de auro, deinde altero de argento, inculcare tertio loco exemplum de glacie? præſertim cùm glacies non modò ſine acriore flamma, verùm, quauis flamma, & vel frigore remiſſo, vel ſolis tepore liqueſcere ſoleat? Nunc autem quemadmodum paullo antè dixerat, rigor auri. ſic hoc loco glaciem æris per tranſlationem ſermonis poſuit. qua de re lege Adr. Turneb. Aduerſ. lib. VI cap. 14.*

PENETRALEQVE FRIGVS) *Virg. Georg 1. penetrabile frigus adurat. & Æneid lib.10. Aſpice num mage ſit noſtrum penetrabile telum. Lucret. hoc eod. lib. Nec penetralem ignem.*

VTRVNQVE) *calorem, & frigus. huius loci hæc ſententia eſt. Calor & frigus per argentum permanant, quoniam nos poculum argenteum manu tenentes, aqua frigida, aut calida infuſa, ſtatim vtrunque ſentire ſolemus. Adhibebant autẽ frigidam veteres, atque adeò niuem ad refrigerandum vinũ: calidam, ad tepefaciendũ. Iam, vtrunq;, legitur in quattuor codicibus manuſcriptis, & item in vulg. Pariſ. vtriſque Venetis, Florent. Lugdun. in alijs, vtrinq;, minus rectè. ſic lib.6. Frigus item tranſire per æs, calidúmque vaporem Sentimus: ſentimus item tranſire per aurum, Atque per argentum, cum pocula plena tenemus.*

LYMPHARVM RORE) *aquis calidis, aut frigidis minutim & guttatim roris inſtar infuſis: vel rorem lympharum tranſlatè dictum intellige.*

VSQ. ADEO) *epiphonema, ſeu acclamatio.* VERA RATIO) ἀληθὴς λόγος.

ADES) *animo. ſic. Cic. pro Milone. adeſte animis, iudices, & timorem, ſiquem habetis, deponite. Idem pro Sylla, adeſtote animis, qui adeſtis corporibus. admonendus eſt autem lector minus in litteris exercitatus, mendosè legi in quibuſdam lib. vulgatis. naturáque rerum Cognita de paucis, cum ſit legendum ita, vt habent ma-*

bent manuſcripti, Cogit, ades, paucis, & cet.

Principiò quoniam duplex natura duarum
Diſſimilis rerum longè conſtare reperta'ſt,
Corporis, atque loci, res in quo quæque geruntur:
Eſſe vtramque ſibi per ſe, purámque neceſſe'ſt.
Nam quacunque vacat ſpatium, quod inane vocamus:
Corpus eà non eſt. quà porrò cumque tenet ſe
Corpus, eà vacuum nequaquam conſtat inane.
Sunt igitur ſolida, ac ſine inani corpora prima.
Prætereà quoniam genitis in rebus inane'ſt:
Materiam circùm ſolidam conſtare neceſſe'ſt:
Nec res vlla poteſt vera ratione probari
Corpore inane ſuo celare, atque intus habere,
Si non, quod cohibet, ſolidum conſtare relinquas.
Id porrò nihil eſſe poteſt, niſi materiaï
Concilium, quod inane queat rerum cohibere.
Materies igitur, ſolido quæ corpore conſtat,
Eſſe æterna poteſt, quom cetera diſſoluantur.

CORPORIS, ATQVE LOCI) *ſic habent libri manuſcripti, & itẽ impr. Pariſ. Veneti antiq. Florent. Alij excuſi, Veneti recentiores, Lugdun. Vicetini, Corporum, atque loci, quæ lectio non eſt reijcienda, vt ſuprà oſtendimus.*

RES IN QVO QVÆQVE GERVNTVR) *videtur etiam hoc loco genuntur legendum, non geruntur. genuntur autem, id eſt gignuntur, vt ſuprà diximus. infrà paucis pòſt verſib. Præterea quoniam genitis in rebus inane eſt, &c. Verumtamen receptam ſcripturam, geruntur, non cenſeo loco mouendam.*

ESSE VTRAMQVE, &c) *quoniam duæ naturæ repertæ ſunt multùm inter ſe diſsimiles, corpus & inane, in quo inani corpora prima ſunt & mouentur, & res quæque gignuntur, ſeu geruntur: neceſſe eſt, hanc vtramque naturam eſſe per ſe meram, & puram: id eſt & corpora prima, quæ dicimus eſſe principia rerum, eſſe inanis expertia: & contrà inane eſſe incorporeum, & ab omni corpore vacuum. Sed dicet aliquis, in inani feruntur, & mouentur corpora prima: ergo non eſt vllũ purum inane. reſpondeo, ea ratione inane ſua natura, & per ſe purum, ac merum intelligi, quod ſedem, & locum, & viam præbet corporibus: Quòd ſi aliter eſſet, id eſt, ſi nullum eſſet inane per ſe, & à corporea natura ſeparatum: corpora prima non haberent vbi conſiſterẽt, aut quà mouerentur. quòd autẽ corpora prima in inani, ſeu per inane moueantur, non iccircò minus inane purum intelligitur. Quin eò ipſo, quòd in inani corpora prima mouentur, ipſius inanis natura pura declaratur. Hoc enim vacui, atque inanis proprium eſt, corporibus locum, & viam ſuppeditare, & corpora in ſe recipere, & corporibus cedere: contrà corporum proprium eſt obſtare, nullúmque aliud corpus in ſe recipere.*

CORPVS EA NON EST) *corpus ea quidem parte non eſt, qua parte eſt inane: ſed tamen nihil vetat, quo minus per inane ferantur corpora prima. hæc igitur verba, Corpus eà non eſt, ſic intellige, ea parte, qua parte eſt inane, non eſt corpus, nempe ſpectata ipſius inanis natura per ſe, & ſeparatim, vt principio ſeparato. Pergit autem, & conatur oſtendere hoc argumento Lucretius, corpora prima eſſe ſimpliciſſima, & ſolidiſſima, vt pote inani carentia: quemadmodum inane alterũ principium, molliſſimum eſt: vtpote corporis omnis expers, & corporibus omnibus cedens.*

SVNT IGITVR SOLIDA, &c.) *Ergo (inquit) corpora prima, quæ ſunt primordia rerũ ab inani ſeparata, eique planè aduerſa, ab inani ſunt plane vacua.*

SINE INANI) *id eſt, ἀμιγῆ κενοῦ, ſeu inanis expertia.*

PRÆTEREA) *altera ratio, per quam probat, corpora prima eſſe inanis expertia. Res genitæ (inquit) habent in ſe incluſum inane: alioqui non interirent, neque diſſoluerẽtur. Quòd ſi ob id intereunt, quia in eis eſt inane, materiam igitur aliquam ſolidam, & inanis expertem conſtare neceſſe eſt, ne res omnes ad nihilum redigantur.*

NEC RES VLLA POTEST &c.) *id eſt nemo eſt, qui vera ratione probare poſſit, vllam rem ſuo corpore inane continere & celare, niſi id, quod continet & celat ipſum inane, ſolidum eſſe fateatur. At hoc ſolidum nihil aliud eſſe poteſt, quàm primorum corporum congreſſus.*

QVOD COHIBET) *id, quod continet ipſum inane in ſe incluſum.*

QVOD INANE QVEAT RERVM COH.) *ſecutus eram olim libros excuſos Pariſienſeis, Venet. recẽtiores, Florent. Lugdunenſeu, in quibus ſcriptum eſt, quod inane queat tectum cohib. Nunc manuſcript. omneis, quibuſcum cònſentiunt Veneti antiq. & Vicet. qui habent, quod inane queat rerum cohibere, ſequi malui: cuius ſcripturæ rationem exputare non poſſum, niſi forte dicamus, inane rerum dici à Lucretio, alterã naturam rerum, quæ appellatur inane. ſuprà enim dixit, duas eſſe naturas duntaxat in rebus, corpus & inane: & quæ iis accidunt. inane rerum igitur, id eſt, id principium, ſeu eam naturam, quæ eſt in numero rerum: vel inanitatem rerum, quomodo vſurpauit Perſius, quantum eſt in rebus inane? vel potius inane, quod eſt in omnibus rebus genitis, vt ſuprà, non longè, quoniam genitis in rebus inane eſt. Non placet autem quòd ſycophanta quidam, & germanus Zoilus, inane rerum, ſic explicat, inane, in quo res geruntur, id eſt, feruntur, ſeu mouentur, inquit ille.*

CONCILIVM) *cœtus, congreſſus, συμπίλησις.*

MATERIES IGITVR, &c.) *id eſt corpora igitur prima æterna eſſe poſſunt, cùm cetera, nempe genita omnia, intereãt, aut diſſòluantur. Sic Diogen. Laërt.* ταῦτα δὲ τὰ σώματά ἐστιν ἄτομα, καὶ ἀμετάβλητα, εἴπερ μὴ μέλλει πάντα εἰς τὸ μὴ ὂν φθαρήσεσθαι. *id eſt, hæc autem corpora, ſunt indiuidua, & immutabilia, niſi velimus, omnia in id, quod non eſt, interire.*

CVM CETERA DISSOLVANTVR) *vel dicendum eſt verſum eſſe ſpondiacum, vel fieri διαίρεσιν, hoc modo, diſſoluantur.*

Tum porrò ſi nil eſſet, quod inane vacaret:
Omne foret ſolidum. niſi contrà corpora cæca
Eſſent, quæ loca complerent, quæcunque tenerent:

Omne, quod eſt, ſpatium vacuum conſtaret inane.
Alternis igitur nimirum corpus inani
Diſtinctu'ſt: quoniam nec plenum nauiter exſtat:
Nec porrò vacuum. ſunt ergo corpora certa,
Quæ ſpatium pleno poſſint diſtinguere inane.
Hæc neque diſſolui plagis extrinſecus icta
Poſſunt: nec porrò penitus penetrata retexi:
Nec ratione queunt alia tentata labare:
Id quod iam ſuperà tibi paullo oſtendimus antè.
Nam neque conlidi ſine inani poſſe videtur
Quicquam, nec frangi, nec findi in bina ſecando:
Nec capere humorem, neque item manabile frigus,
Nec penetralem ignem, quibus omnia conficiuntur:
Et quàm quæque magis cohibet res intus inane,
Tam magis his rebus penitus tentata labaſcit.
Ergo ſi ſolida, ac ſine inani corpora prima
Sunt, ita vti docui: ſint hæc æterna neceſſe'ſt.

CERTA) *ſi legemus, corpora cæca, vt habent omnes libi vulgati, cæca interpretabimur ſub aſpectum non cadentia, & oculorum obtutum effugientia, ἀόρατα. Sin, vt manuſcripti, Vaticanus, & Bertin. & Memm. corpora certa (quam lectionem nunc magis probo) dicemus, corpora finita non numero ſed ratione.*
QVÆ LOCA COMPLERENT) *quæ complerent ſpatia, ſeu διαστήματα à ſe occupata, & poſſeſſa.*

OMNE QVOD EST, SP. VAC. CONST.) *parum admodum réfert, vtro modo diſtinguas, hócne modo, omne, quod eſt, ſpatium vac. conſt. inane: an illo, Omne, quod eſt ſpatium vacuum, &c. ego tamen priore modo malo. Nam per omne, ſignificare videtur τὸ πᾶν, id eſt vniuerſum, Omne igitur, quod eſt, inquit, id eſt vniuerſum, eſſet ſpatium vacuum, atque inane. neque præter inane quicquam eſſet in natura rerum Hæc eſt huius loci ſententia, quãtumuis reclamē[illegible]licet ſimioli.*

ALTERNIS) *alternatim.* QVONIAM NEC PL. N.) *quoniã nec plenum eſt duntaxat in natura rerum, nec inane.*

NAVITER) *prorſus, ἀκριβῶς. Sed ne quis erret, non dicit Lucretius, id, quod eſt plenum, id eſt corpus ſolidiſsimum, & ναστὸν, non eſſe nauiter plenũ. nam contrà ſuprà probatum eſt, & id, quod eſt corpus, ſeu plenum, eſſe ſine inani. & merum corpus: & inane, eſſe merum inane, ac ſine corpore: ſed docet, hoc vniuerſum neque eſſe prorſus plenum, & corpus merum, nec viciſsim prorſus inane, ſed corpore, & inani diſtinctum. Nam & in inani corpora prima aſsiduè mouentur: & inane corporibus locum præbet, vbi moueantur. Vel hoc dicit, nihil eſſe genitum, quod vel prorſus plenum, vel prorſus inane ſit.*

HÆC NEQVE DISSOLVI, &c.) *res omnes genitæ diſſoluuntur, atque intereunt vel iniuria externa, & ictibus extrinſecus inflictis, vel interno aliquo vitio. Corpora prima autẽ (inquit Lucretius) neutro modo diſſolui, aut labefactarĩ,*

aut perfringi poſſunt,neque vllo alio modo. RETEXI) *ἀναλύεσθαι,reſolui.*

TENTATA) *ſic dicimus Latinè, morbo tentari. idem lib.6. Attide tentantur greſſus, oculique in Achæis Finibus. Idem hoc eod lib. Quæ nondum clueant vllo tentata periclo. Horat. epiſt 6. lib 1. Si latus, aut renes morbo tentantur acuto.*

ID QVOD IAM SVPERA) *id eſt ſuprà. ſic autem habent quattuor libri manuſcripti, quibuſcum conſentiunt Pariſienſes.* CAPERE) *δέχεσθαι, recipere.*

MANABILE FRIGVS) *quod Virgil. dixit, penetrabile: id eſt, quod facile in parteis intimas penetrat. ſed mirum nomen, manabile, à verbo manandi, cùm ſit abſolutum. tale eſt interibile, ab interire, apud Arnob. lib.2. quòd & illis argumenta ſunt præſtò, quibus eas paßiuas, atque interibileis inuenitur, & his contrà non deſunt, quibus eſſe diuinas, immortaleiſque monſtratur.*

NEC PENETR. IGN.) *id eſt, qui in res omneis, quibuſcumque adhæſerit, ſeſe citò inſinuat.* ET QVAM QVÆQVE MAGIS) *ſic eſt legendum reclamantibus omnibus exemplaribus, & libr. vulgatis. Sic enim loquuntur Latini: quo magis, hoc, vel eo magis: quanto magis, tanto magis, vel tam magis: quàm magis, tam magis, ſeu tanto magis, Itaque cùm hoc loco ita ſcriptum eſſet: Et quo quæque magis, &c. Tam magis &c. ego & ab aliis locis admonitus, & conſuetudinis Latinorum memor, ſcripturã vulgatam emendaui. Lucret. lib.2. nam quàm magi' merſimus (al. vrſimus) altè Directa, &c. Tam cupidè ſurſum reuomit magis. Idem lib.4. & quanto plus aëris antè agitatur, Et noſtros oculos perterget longior aura, Tam procul eſſe magis res quæque remota videtur. Licet & alia ex hoc ſcriptore exempla colligere. ſic Virg. Æneid.7. Tam magis illa fremens, & triſtibus effera flammis, Quàm magis effuſo crudeſcunt ſanguine pugnæ. quem Virgilij locum Quintilianus ait eſſe ex illo verſum, Quàm magis ærumna vrget, tam magis ad malefaciendum viget. Idem Virg. lib.3. Georgic. Quàm magis exhauſto ſpumauerit vbere mulctra, Læta magis: quo in proximo exemplo ſubintelligitur, tam. Terent. Adelph. Niſi quia quàm miſerè hoc cupio eſſe verum, tam vereor magis. Plaut. Bacch. quàm magis id repeto, tam magis vror. Idem Pœnulo. Quàm magis aſpecto, tam magis eſt nimbata, & nugæ meræ.*

Præterea, niſi materies æterna fuiſſet:
Antehac ad nihilum penitus res quæque rediſſent,
De nihiloque renata forent, quæcumque videmus.
At quoniam ſuprà docui nil poſſe creari
De nihilo, neque quod genitu'ſt, ad nil reuocari:
Eſſe immortali primordia corpore debent,
Diſſolui quò quæque ſupremo tempore poſſint,
Materies vt ſuppeditet rebus reparandis.
Sunt igitur ſolida primordia ſimplicitate,
Nec ratione queunt alia ſeruata per æuum
Ex infinito iam tempore res reparare.

PRÆTEREA, NISI MAT.) *Præterea (inquit) niſi materia fuiſſet æterna: res omnes genitæ ad nihilum redactæ eſſent: & quæcumque videmus, ex nihilo renata eſſent.* DE NIHILOQVE RENATA) *ſic reſtitui à co-*

dicibus manuſcript. ad hanc ſcripturam quaſi manu ductus: in quibus ſcriptum eſt partim, De nihilóque rata: partim, que ranta: partim, que nata. ex qua poſtrema ſcriptura alij fecerunt, de nihilo quæſita, vt habent omnes ferè vulgati codices: alij de nihilo quoque nata: quæ tamen probabilis lectio eſt. alius neſcio quis, in cod. Bertiniano repoſuerat, De nihilóque creata. ſunt & qui legunt, De nihilóque parata forent. ſed ita legendum eſſe, vt excudendum curaui, euincit locus ſimilis infrà eod. lib. De nihilóq; renata vireſcat copia rerũ. Quòd autem quidam ſycophanta negat ex illo loco hunc ſic eſſe ſcribendum, ego mendaci, & periuro non credo.

DISSOLVI QVO) *id eſt, in quæ primordia res quæque genitæ ſui interitus tempore diſſolui queant.*

SVPREMO) *vltimo. Horat. epiſt. ad Torq. Supremo te ſole domi Torquate manebo. Idem ad Alb. Tib. Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremum.*

SVPPEDITET) *ſuppetat, ſatis ſit, ἐπαρκῇ: vel parata ſit. nam, ſuppeditet, hoc loco abſolutè accipiendum eſt, vt ſæpe alibi.*

SVNT IGITVR SOLIDA) *concludit hunc locum hoc modo. Conſtant igitur corpora prima ſolida ſimplicitate, id eſt, ſunt ſolidiſsima, & ſimpliciſsima: atque ita ſunt æterna. quòd ſi non eſſent ſolidiſsima, interirent tandem, neque æterna eſſent. ſi corpora prima interirent: vel non haberent res naturales, ſemel peremtæ, vnde reficerentur, vel ex nihilo reficerentur: quod fieri non poſſe probatum eſt.*

Denique ſi nullam finem natura paraſſet
Frangendis rebus: iam corpora materiaï
Vſque redacta forent, æuo frangente priore,
Vt nihil ex illis à certo tempore poſſet
Conceptum, ſummum ætatis peruadere finem.
Nam quiduis citius diſſolui poſſe videmus,
Quàm rurſus refici. quapropter longa diei
Infinitæ ætas anteacti temporis omnis,
Quod fregiſſet adhuc diſturbans, diſſoluénſque,
Numquam id relliqüo reparari tempore poſſet.
At nunc nimirum frangendi reddita finis
Certa manet, quoniam refici rem quamque videmus,
Et finita ſimul generatim tempora rebus
Stare, quibus poſſint æui contingere florem.

DENIQVE SI NVLLAM FINEM) *Scio, hos quattuordecim verſus, qui deinceps ab hoc numerati ſequuntur, in codicibus vulgatis ordine conuerſo infra verſum, cuius principium eſt, Innumerabilibus plagis, &c. collocari. Ego tamẽ, quem ordinem in quinque codicibus manuſcriptis, & in Venetis antiquis, in Pariſ. in Vicetinis reperi, ſeruaui.* NVLLAM FINEM) *ſic habent libri manuſcripti. ſententia autem huius loci hæc eſt: ſi non eſſent aliqua corpora ſolidiſsima, quæ numquam vlla vi frangerẽtur: & ſi non eſſet tum rerum frangendarum finis, cùm ad ea corpora peruentum eſſet: iam corpora prima, id eſt primordia rerum ita ad nihilum eſſent redacta, vt nihil ex illis conceptum, & concretum ad iuſtam ma*

gnitudinem peruenire poſſet, &c. PERVADERE FINEM) *quidam libri manuſcripti, & nonnulli typis excuſi habent, peruadere finem: quos ego ſequor. florem tamen, quod in alijs libris reperitur, non improbo. ſic enim ſæpe alibi, vt infra ſtatim, quibus poßint æui contingere florem & lib. 3. cupitum ætatis tangere florem. & 5. Nec potuere cupitum ætatis tangere florem. florem autem, id eſt ἀκμὴν, iuſtum & perfectum vigorem.*

NAM QVIDVIS CITIVS DISS.) *Facilius eſt diruere, quàm ædificare. ſententia vulgata. Sic Iſocr. πρὸς Φίλιππον. εἰδὼς, ὅτι συστῆσαι μὲν ἐστιν ἅπαντα χαλεπόν, διαλῦσαι δὲ ῥᾴδιον. id eſt, ſcientes, componere quidem in rebus omnibus eſſe difficile, diſſoluere verò, & diruere, facile. Plutarch. περὶ τοῦ ἀκούειν. ὥσπερ ὁ Λακεδαιμόνιος ἀκούσας, ὅτι Φίλιππος Ὄλυνθον κατέσκαψεν, ἀλλ᾽ οὐκ ἀναστῆσαί γε τοιαύτην, ἔφη, πόλιν ἐκεῖνος δυνήσεται. id eſt, quemadmodum Lacedæmonius ille, cùm audiſſet, Philippum Olynthum funditus euertiſſe: at talem vrbem (inquit) de integro excitare non poßit ille.*

ANTEACTI TEMPORIS OMNIS) *ſic habent libri manuſcripti.*

NVMQVAM ID RELLIQVO) *ſic habebant etiam noſtri libri veteres: quod cùm in prima editione non obſeruaſſem, admonuit me Adr. Turnebus. relliqüo porrò quattuor ſyllabarum, eſt.*

AT NVNC NIMIRVM) *concludit, certum finem eſſe rerum frangendarum, ad quem cùm peruentum fuerit, tum res frangi deſinant. Ex quo efficitur, vt ſint quædam corpora minima, & ſolidißima, inanis expertia, quæ numquam frangi poßint: ex quibus res quæque & reficiuntur, & ad ætatis florem, iuſtámq; magnitudinem perueniunt.* CONTINGERE) *conſequi, adipiſci.*

Huc accedit, vti, ſolidiſſima materiaï
Corpora cùm conſtant, poſſint tamen omnia reddi
Mollia, quæ fiant aër, aqua, terra, vapores,
Quo pacto fiant, & qua vi cunque genantur:
Admiſtum quoniam ſimul eſt in rebus inane.
At contrà: ſi mollia ſint primordia rerum,
Vnde queant validi ſilices, ferrúmque creari,
Non poterit ratio reddi. nam funditus omnis
Principio fundamenti natura carebit.
Sunt igitur ſolida pollentia ſimplicitate,
Quorum condenſo magis omnia conciliatu
Artari poſſunt, validáſque oſtendere vireis.
Denique iam quoniam generatim reddita finis
Creſcendi rebus conſtat, vitámque tuendi,
Et quid quæque queant per fœdera naturaï:
Quid porrò nequeant, ſancitum quandoquidem exſtat:
Nec commutatur quicquam, quin omnia conſtant,
Vſqueadeò, variæ volucres vt in ordine cunctæ
Oſtendant maculas generaleis corpori ineſſe:
Immutabile materiæ quoque corpus habere

Debent nimirum.nam ſi primordia rerum
Commutari aliqua poſſent ratione reuicta:
Incertum quoque iam conſtet,quid poſſit oriri,
Quid nequeat:finita poteſtas denique quoique
Quánam ſit ratione,atque altè terminus hærens:
Nec toties poſſent generatim ſæcla referre
Naturam,motus,victum,moréſque parentum.

HVC ACCEDIT) *Alia ratione probat, primordia rerum ſolidiſsima eſſe oportere, nempe quòd,quamuis ſint talia,poßint tamen in concilio,& congreſſu, id eſt in rebus gignendis,effici mollia, inanis interuentu, vt ita ex iis fiat aër, aqua, vapores,& ſimilia. at ſi eſſent ſua natura mollia,non poſſent ex iis fieri ſilices,ferrum,adamas, & ſimilia.*

CVM CONSTANT) *ſic legendum, & ita ſcriptum eſt in quattuor libris manuſcriptis: quibuſcum faciunt aliquot typis impreßi, vt Pariſienſ. Veneti antiq. Vicetini. quod annotaui,ne quis ſemidoctus putet reponendum, cum conſtent. illo enim modo potius loquebantur antiqui.*

QVO PACTO FIANT,&c.) *tmeſis.quocunq; modo fiant, & quacunque vi gignantur illa,nempe aër,aqua,terra,vapores: proinde quaſi dicat, non eſt enim huius loci docere,quomodo ex primordiis ſolidißimis fiant aër,aqua,& cetera mollia. mendosè in aliis libris legitur,qua vi quæque geranur. legendum enim, qua vi cunque genantur,quantumuis reclament quidam βδελυροὶ σοφισταί.*

VNDE QVEANT VALIDI) *hunc verſum producit teſte Nonius Marcell. in voce ſilex.*

NAM FVNDITVS OMNIS PRINCIPIO FVNDAM.) *fundamentum cuiuſque rei debet eſſe firmißimum,ac ſolidißimum. at ſi principia rerum eſſent mollia,fundamentum rerum naturalium eſſet infirmum,imbecillum,fragile, & caducum. Ergo primordia,ſeu principia rerum non ſunt mollia,ſed potius ſolidißima.* DENIQVE IAM QVONIAM) *in duobus cod. manuſcr. & in aliquot excuſis etiam hoc loco, ordine mutato, deinceps ſequebatur hic verſus, cum aliis ſex, Porrò ſi nulla'ſt frangendi redd. fin. ego ſecutus ſum pleroſque typis excuſos neque tamen meum eſſe puto hunc vel illũ ordinẽ probare,aut improbare.*

VITAMQVE TVENDI) *quidam libri habent, tenendi, minus rectè,quamuis non me fugiat,Latinè dici, vitam retinere, & ſimplex pro compoſito interdum vſurpari ſolere.*

NEC COMMVTATVR QVICQVAM) *& quando nulla res genita ſuam naſcendi condicionem mutat, aut à ſuo naturali ordine diſcedit, immo verò conſtantißime legem à natura deſcriptam, ratúmque ordinem ſeruat, vſque adeò, vt corui nigri ex coruis naſcantur, & cycni è cycnis candidi gignantur: nimirum dicendum etiam eſt,prima corpora, ex quibus cetera conſtant, & quidem multo magis,eſſe immutabilia. legendum autem eſt, quin omnia conſtant, potius quàm, vt vulgò,quando omnia conſtant.*

CONSTANT) *ſuam naturam,ſuúmque ordinem ſeruant, vſque adeò, vt variæ volucres,&c.* OSTENDANT) *ſic habent libri manuſcr. nam vulgati habent,oſtendunt,mendosè.*

MACVLAS GENERALEIS) *id eſt ſui cuiuſq; generis proprias. quidam legi volunt, genitaleis. i. à natura inſitas, atq; à primo ſtatim ortu tributas: nõ probo.*

CORPORI INESSE) *aliàs corpore ineſſe, id eſt, in corpore eſſe.*

REVICTA) *id eſt viciſsim victa, & ſuperata. ſic reſtitui ſecutus libros manuſcriptos, & nonnullos typis excuſos, in his Pariſ. Venet. antiq. Vicetin.*

ATQVE ALTE TERMINVS HÆRENS) *id eſt terminus firmus, ac ſtabilis, & qui nullis viribus conuelli poteſt. hic verſus, & ſuperior ſuprà poſiti ſunt non longè à principio.* SÆCLA) *id eſt animantium genera.*

NATVR. MOTVS, V.) *Quod fieri vſus docet, & iterum Lucretius lib. 4. non longè ab extr.*

Tum porrò, quoniam extremum quoiuſque cacumen
Corporis eſt aliquod, noſtri quod cernere ſenſus
Iam nequeunt: id nimirum ſine partibus exſtat:
Et minima conſtat natura: nec fuit vmquam
Per ſe ſecretum: neque poſthac eſſe valebit:
Alterius quoniam eſt ipſum pars: primáque & ima,
Inde aliæ, atque aliæ ſimiles ex ordine partes,
Agmine condenſo naturam corporis explent.
Quæ quoniam per ſe nequeunt conſtare: neceſſe'ſt
Hærere, vt nequeant vlla ratione reuelli.
Sunt igitur ſolida primordia ſimplicitate:
Quæ minimis ſtipata cohærent partibus artè,
Non ex vllorum conuentu conciliata,
Sed magis æterna pollentia ſimplicitate:
Vnde neque auelli quicquam, neque deminui iam
Concedit natura, reſeruans ſemina rebus.

TVM PORRO QVONIAM, &c.) *Hoc dicit, quoniam vſq; ad eum apicem, ſeu ad id punctũ, & cacumen quoduis corpus minui poteſt, vt id iam cernere nequeamus: nimirũ id cacumen, quod iam ſub aſpectum non cadit, partibus caret, & minimũ eſt, id eſt, non poteſt eſſe minus, quàm eſt. Verùm vt totius huius loci ſententiam vſque ad verſum, Quapropter qui materiam, &c. facilius conſequamur, ſciendum eſt, Peripateticos & Epicuréos cùm in alijs multis, quæ ad hanc diſputationẽ non pertinent, tum in his maximè inter ſe diſsidere: primùm quòd illi volunt omne corpus in parteis infinitas ſecari poſſe, neq; vllas corporis parteis vſque adeò paruas eſſe poſſè, vt non poſsint fieri minores: id eſt, infinitũ nihil eſſe quidem re, & vſu. ſeu functione, & (vt vulgò loquimur) actu: ſed τῇ δυνάμει, id eſt poteſtate: quod itẽ ſenſit Empedocles: Epicurei autẽ contrà, cuiuſq; corporis cenſent minimas eſſe parteis, id eſt eiuſmodi, quibus nullæ poſsint eſſe minores, ad quas cùm deuentũ ſit, diuiſioni nullus iam amplius ſit relictus locus: deinde quòd illi negant inane, vt & Empedocles, & tamen motum recipiunt: Epicurus autẽ & inane ponit, ac mordicus retinet, & ſine inani motum eſſe non poſſe contendit. Horum duorum verſuum ſcripturam vulgatam paullum immutaui, partim veterum codicum auctoritate fretus, partim coniectura ductus: quam adiuuat locus, qui ſequitur infrà ibi,*

Cùm

Cùm videamus, id extremum quoiuſque cacumen Eſſe, quod ad ſenſus noſtros minimum eſſe videtur. Sæpe autem in hac voce, &, quoius, &, quoi, peccatum à librariis eſt, cùm in hoc ſcriptore, tum in aliis. Venit nunc vnius loci in mentem, qui eſt hoc eodem in libro infrà non longe, ibi, Quoi quoniã ratio reclamat vera, &c. pro quo libri aliquot vulg. habent, Quod quoniam, &c.

NEC FVIT VMQVAM PER SE SECR.) *id eſt neque id corporis cacumen, quod iam oculi noſtri cernere nequeunt, fuit vmquam à ſuo toto ſecretũ, aut per ſe: neque poſthac eſſe poterit: quoniam ipſum, alterius pars eſt.*

ALTERIVS QVONIAM EST IPSVM PARS:) *ſecutus ſum cod. Bertin. & Memm. & quoſdam typis excuſos.*

PRIMAQVE ET IMA, &c.) *id eſt & prima, atque vltima, deinde aliæ, atque aliæ partes corpus conſtituunt.*

AGMINE COND.) *Quidam legi volunt, Augmine condenſo, &c.*

NECESSE'ST HÆRERE, VT NEQVEANT VLLA) *ſic reſtitui, primùm iniecta mihi mendi ſuſpicione ex veterum codicum ſcriptura, quæ eſt, Vnde queant vlla, cùm vulgati habeant, Vnde queant nulla: deinde coniectura auguratus ita eſſe legendum, vt ego excudendum curaui, cùm præſertim hanc ſcripturam ad oram codicis Memm. annotatam reperiſſem. ſententia autem verborum apertiſſima eſt. neceſſe eſt (inquit) ita hærere, vt nequeant, &c.*

QVÆ MINIMIS STIP.) *atqui ſtatim negabit, prima corpora vllis partibus eſſe prædita. Et certè ſi partibus conſtãt: ergo poſſunt diuidi. reſpondet ipſe huic obiectioni verſu proximo.*

NON EX VLLORVM) *eſt* διόρθωσις, *ſeu* ἐπεξερμήνευσις, *per quã declarat, quod ſuperiore verſu dixerat, proinde ac ſi ita dicat: ſed ne erres, audi quo pacto ſit hoc intelligendum, quod dixi, prima corpora minimis partibus ſtipata artè cohærere. non enim hoc ſentio, prima corpora ex vllarum rerum cœtu, atque congreſſu eſſe concreta, cùm ſint ſimpliciſſima: ſed hoc ſignificare volui, ea eſſe ſolidiſſima, & ita compacta, & ſtipata, vt neque frangi, neque diſſolui vllo modo poſſint.*

SED MAGIS) ἀλλὰ μᾶλλον, *ſed potius.* NEQVE DEMINVI IAM) *ſic cod. Bertin. & Memm. & Veneti antiq. quos ſecutus ſum. atque ita legendum.*

Præterea niſi erit minimum: paruiſſima quæque
Corpora conſtabunt ex partibus infinitis.
Quippe vbi dimidiæ partis pars ſemper habebit
Dimidiam partem, nec res perfiniet vlla.
Ergo rerum inter ſummam, minimámque quid eſcit?
Non erit, vt diſtent. nam quamuis funditus omnis
Summa ſit infinita: tamen, paruiſſima quæ ſunt,
Ex infinitis conſtabunt partibus æquè.
Quoi quoniam ratio reclamat vera: negátque
Credere poſſe animum: victus fateare neceſſe'ſt,
Eſſe ea, quæ nullis iam prædita partibus exſtent,
Et minima conſtent natura: quæ quoniam ſunt:
Illa quoque eſſe tibi ſolida, atque æterna fatendum.

Denique ni minimas in parteis cuncta reſolui
Cogere conſueſſet rerum natura creatrix:
Iam nihil ex illis eadem reparare valeret,
Propterea quia quæ multis ſunt partibus aucta,
Non poſſunt ea,quæ debet genitalis habere
Materies,varios connexus,pondera,plagas,
Concurſus,motus,per quæ res quæque geruntur.
Porrò ſi nulla eſt frangendis reddita finis
Corporibus,tamen ex æterno tempore quædam
Nunc etiam ſuperare neceſſe'ſt corpora rebus:
Quæ nondum clueant vllo tentata periclo.
At quoniam fragili natura prædita conſtant
Diſcrepat æternum tempus potuiſſe manere
Innumerabilibus plagis vexata per æuum.

MINIMVM) *id eſt aliquid,quo aliud minus eſſe non poßit.*

QVIPPE VBI)*id eſt, quippe cùm,ſeu,quippe quia.*

NEQVE R. PERFINIET VLLA)*Sic habẽt duo libri manuſcripti,quos ſequor,alij,præfiniet.* ERGO RERVM INTER SVMM.MIN. QVID ESCIT?)*ſecutus eram initiò lectionem vulgatam,quid eſſet?cuius hanc ſententiã eſſe ſcripſeram,Ergo quid intereſſet inter ſummam rerum;& minimam? nihil ſcilicet. sed cùm aliquot in lib.manuſcriptis ſcriptum reperiſſem, minimámque quid eſcit?atq; ſcripturam iudicio lectorũ ingenioſi permiſiſſem:eam non longo p(ſt tempore in editione ſecunda,quæ ſine commentariis prodiit, repræſentaui, & ſecutus ſum.eſcit autem,vt docet Feſtus,valet,erit. quemadmodum,ſupereſcit, eodem auctore.& doctore,ſupererit.Ennius,Dum quidem & vnus homo Romæ totæ ſupereſcit. Nonnulli tamen eſit,& ſupereſit,& c & .ſine,c.ſcribendum exiſtimant.*

NON ERIT, VT DISTENT)*in* οὐκ ἔσται ὅπως διαφέρωσι,*id eſt non poterit fieri,vt ſumma & minima res diſtent:non diſtabunt, niſi (inquit) erit aliquid minimum,nihil intererit inter rem ſummam,& minimam. nam ratione eorũ,qui quodnis corpus infinitè diuidi poſſe volunt,etiam res minima , æquè vt res maxima , in parteis infinitas diuidetur,& æquè ex partibus infinitis conſtabit.*

QVOI QVONIAM RATIO)*in vno cod,manu exarato reperi ſcriptũ, Qui quoniam,non ſine litura. nam audaculus aliquis ex voce, Quoi, conatus erat facere,Quod,vt eſt in pleriſque libris vulgatis,ita tamen vt adhuc appareant rectæ. & veræ ſcripturæ impreſſa veſtigia.*

NEGATQVE CREDERE POSSE ANIMVM: VICTVS,&c.) *cùm in quattuor codicibus calamo exaratis reperiſſem ſcriptum,negátque, conſentientibus quibuſdam excuſis,&.item in manuſcriptis,animum,non,vt in vulgatis, animi,ego ſic reſtitui,exiſtimans hanc eſſe veram,& germanam ſcripturam. Quòd ſi quis mutata diſtinctione,legi malet:negátque Credere poſſe: animi victus fateare neceſſe eſt,&c. non repugnabo. animi victus,autem ita dictum intelligetur , vt falſus animi,æger animi,excruciatus animi,ſaucius animi,& ſimilia. ſentẽtia autem horum verſuum hæc eſt, Cui(inquit)quia vera ratio reclamat,& quia negat ſe*

credere poſſe: neceſſe eſt, vt tu animi, ſeu animo victus fateare eſſe corpora quędā, quæ nullis partibus conſtent: vel, vt nos excudendum curauimus: Cui quia vera ratio reclamat, negátque animum credere poſſe, neceſſe eſt vt tu victus, &c.

DENIQVE NI MINIMAS) *Denique niſi (inquit Lucret.) natura res omneis creatas in parteis minimas (minimas autem parteis appellat eas, quibus aliæ non poſſunt eſſe minores, & ad quas cùm peruentum eſt, res diuidi poſſe deſinunt) diuidi ac reſolui cogeret: nihil ex illis partibus reparare poſſet. ratio eſt in promtu. nam ſi res creatæ in parteis infinitas ſecari poſſent, quælibet harum partium rurſus conſtaret ex partibus infinitis. at quæ multis, aut omnino aliquibus partibus conſtant, non poſſunt eas res habere, quas materies habere debet, plagas, pondera, connexus, &c. ni minimas autem repoſui, hanc ſcripturam ſententia ipſa poſtulante, cùm libri vulg. habeant, ſi minimas, planè mendosè. quam ſcripturam qui tuentur, cæcutiunt. Nam Epicurus, & eum ſecutus Lucretius volunt aliquid eſſe in rebus minimum. Itaque infrà paucis pòſt paginis, veteres philoſophos reprehendit Lucretius, primùm quòd motum conſtituant, exemto inani: deinde quòd faciant non eſſe finem rebus ſecandis, neque eſſe quicquam in rebus minimum.*

PROPTEREA QVIA QVÆ MVLTIS SVNT PARTIBVS) *Sic legendū eſt, reclamantibus omnibus exemplaribus, in quibus eſt, nullis ſunt partib. hoc enim ſignificat Lucretius: omnia in minimas parteis reſolui ſolent natura, non in infinitas. hæ autem partes minimæ, ſunt corpora prima, & primordia rerū, quæ in nullas iam amplius parteis ſecari poſſunt. Huiuſmodi autem corpora ad res gignendas ſunt aptiſſima. quòd contrà ſi eſſent multis partibus aucta, & ſi in multas parteis ſecari poſſent: ea quæ materies genitalis habere debet, habere nullo modo poſſent, videlicet varios connexus, pondera, plagas, &c. Licet etiam legere, Propterea quia quæ ſunt vllis partibus aucta &c. verumtamen, ſic, vt edidi, legi malo. Quòd autem φορηγῶται quidam legi volunt Propterea quia quæ vllis ſunt partib aucta, taleis verſus ſibi habeant: Lucretio verò politiſſ ſcriptori, ne affingāt.*

GERVNTVR) *id eſt à natura adminiſtrantur: vel vt videtur hîc legendū, genūtur, i. gignuntur, vt ſæpe aliàs.* PORRO SI NVLLA EST) *quod eſt falſum Epicureorū ſentētia. ſed Peripatetici volunt eſſe verū. Sciendum eſt autem, hæc duo, nullum eſſe finem rebus frangendis, & res in minimas parteis non reſolui, ratione, & ſententia vnum eſſe, vel ſe mutuò conſequi, atque inter ſe congruere. nam ſi res non reſoluuntur in minimas parteis: ergo nihil erit minimum. ſi nihil erit minimum: ergo erit aliquid minimo minus: ex quo conſequetur, vt res omneis in parteis infinitas diuidi poſſint.*

QVÆDAM) *ſic legendum, non, quæque, nec quæquam: quæ duæ ſcripturæ vitioſæ, natæ ſunt fortaſſe ex illa deprauata. quæquam: quæ reperitur in duobus manuſcriptis. deprauata eſt autem ex recta, quedam, cùm à librario d littera eſſet inuerſa. Sed huius loci ſententiam explicemus. Demus (inquit) nullum eſſe rerum frangendarum finem, quod tamen eſt falſum. verùm tamen demus. certè nihilo minus neceſſe eſt aliqua corpora ſuperare, id eſt ſupereſſe, & ὑπεῖναι ἐν rebus gignendis, quæ corpora nullo periculo fuerint tentata alioqui conſumta materia, & rebus ætate confectis, & corruptis, vel nihil renaſceretur, vel res ex nihilo reficerentur. quod eſt ἀδύνατον.*

AT QVONIAM) *argumentum eſt à repugnantibus. Si quis dicat, corpora prima eſſe fragili natura prædita, negétque eſſe ſolidiſſima: hæc pugnāt inter ſe, &*

illa eſſe fragilia, & eadem ab æterno tempore ad hunc diem integra, & ſalua remanere potuiſſe, cùm aſsiduis ictibus fuerint verberata, ac vexata. atqui ſalua, & incolumia remanſerunt: alioqui res ex nihilo reficerentur. ergo corpora prima, ſunt ſolidiſsima, neque fragili natura prædita. Eſt igitur in rebus aliquid minimum: & frangendarum rerum modus, & finis eſt aliquis.

Quapropter, qui materiem rerum eſſe putarunt
Ignem, atque ex igni ſummam conſiſtere ſolo:
Magnopere à vera lapſi ratione videntur:
Heraclitus init quorum dux prœlia primus,
Clarus ob obſcuram linguam magis inter inaneis,
Quamde graueis inter Graios, qui vera requirunt.
Omnia enim ſtolidi magis admirantur, amántque,
Inuerſis quæ ſub verbis latitantia cernunt:
Veráque conſtituunt, quæ bellè tangere poſſunt
Aureis, & lepido quæ ſunt fucata ſonore.
Nam cur tam variæ res poſſent eſſe, requiro,
Ex vno ſi ſunt igni, puróque creatæ.
Nil prodeſſet enim calidum denſerier ignem,
Nec rarefieri, ſi partes ignis eandem
Naturam, quam totus habet ſuper ignis, haberent.
Acrior ardor enim conductis partibus eſſet:
Languidior porrò diſiectis, díſque ſupatis.
Amplius hoc fieri nihil eſt, quod poſſe rearis
Talibus in cauſis: nedum varianria rerum
Tanta queat denſis, rariſque ex ignibus eſſe.

QVAPROPTER QVI) *Nunc, aliquot ſuis rationibus, quæ principiorum inſtar ſunt, confirmatis, ac ſtabilitis, incipit aliorum, eorúmque clariorum, philoſophorum opiniones refellere, ac labefactare: atque ab* Heraclito *initium facit: qui dicebat (vt ſcribit* Laërtius*)* πάντα ἐκ πυρὸς συνεστάναι, καὶ εἰς τοῦτο ἀναλύεσθαι· τὰ πάντα, ἀραιώσει, καὶ πυκνώσει γινόμενα, ῥεῖν τὰ πολλὰ ποταμοῦ δίκην· πυκνούμενον τὸ πῦρ ἐξυγραίνεσθαι καὶ ἀέρα γίνεσθαι· συνιστάμενον ἀέρα γίνεσθαι ὕδωρ· πηγνύμενον τὸ ὕδωρ, εἰς γῆν τρέπεσθαι, καὶ ταύτην ὁδὸν ἐπὶ τὸ κάτω εἶναι. πάλιν τε αὐτὴν τὴν γῆν χεῖσθαι, ἐξ ἧς τὸ ὕδωρ γίνεσθαι· ἐκ δὲ τούτου τὰ λοιπὰ ὁμοίως, &c. αὕτη δ' εἶναι ἡ ἄνω ὁδὸς, *id eſt omnia ex igne conſtare, & in ignem reſolui. Cùm autem omnia rarefactione, & condenſatione fiant, fluere magna ex parte fluminis inſtar: Ignem cùm denſatur, humeſcere, & ita aërem fieri: aërem cùm cogitur, & congregatur, aquam fieri: aquam concretam in terram verti: atque hanc eſſe viam ad locum infimum. contrà terram ipſam fundi: ex qua fieri aquam: ex aqua autem reliqua ſimiliter: & c. hæc autem via eſt ad ſupremum locum. De eodem ſic* Vitruu. lib. 2 ca 2 Heraclitus Epheſius, *qui propter obſcuritatem ſcriptorum à* Græcis σκοτεινὸς *eſt appellatus, ignem principium rerum poſuit. eadem ferè ſunt apud* Plutarch. *de* Heraclito *lib. 1.* περὶ τῶν ἀρεσκ. *quem locum mox teſtem*

producemus. CLARVS OB OBSCVRAM) *ex quo dictus eſt* σκοτεινὸς, *vt teſtatur* Vitruuius, *& item* M. Tull. *lib.* 2. *de Finibus, his verbis.* Epicurus *ita loquitur, vt non intelligatur. quod duobus modis ſine reprehenſione fieri poteſt: ſi aut de induſtria facias, vt* Heraclitus, *cognomento* σκοτεινὸς: *aut cùm rerum obſcuritas, non verborum, facit, vt non intelligatur oratio.* Idem lib. 3. *Sed omnia veſtri, Balbe, ſolent ad igneam vim referre,* Heraclitū, *vt opinor ſequētes: quem ipſum nō omnes interpretantur vno modo. qui quoniā quid diceret, intelligi noluit, eum omittamus.*

QVAMDE GRAVEIS INTER GRAIOS) *ſecutus ſum quinque librorum manuſcriptorum auctoritatem: quibuſcum conſentiunt nonnulli typis excuſi.* Denique *hanc ſcripturām agnoſcit* Pompeius Feſt. *his verbis: Quamde pro quàm vſos eſſe antiquos cùm multi veteres teſtimonio ſunt, tùm* Liuius *in primo.* Iupiter *vt muro fretus magi', quamde manu ſtat. & ſecundo: Quamde tuas omneis legiones, ac populareis:* Et Lucret. lib. I. *Clarus ob obſcuram linguam magis inter inaneis, Quamde graueis inter Graios, &c. Sententia autem hæc eſt.* Clarus *ob obſcuram linguam inter Græcos vanos, atque inaneis, magis, quàm inter graueis, eos dico, qui veri ſtudio ducuntur.*

INVERSIS QVÆ SVB VERBIS) *verba inuerſa, verba immutata: id eſt ab ea re, in qua propriè locum habent, ad aliam tranſlata. & ita, interdum obſcura. nam talis inuerſio parit ferè obſcuritatē.* Cic. Partit. *genus loquendi alterum ſua ſponte fuſum: alterum verſum, atque mutatū.* Idem *in* Bruto *huiuſmodi verborū immutationes* τρόπους *ait à Græcis appellari. alij per inuerſa verba ſignificari putant, verba præpoſterè pronuntiata, vt vola, lauo.* Terent. Heaut. *inuerſa verba tua, ceruices euerſas tuas. quem locum declarans* Turnebus, *inuerſa verba (inquit) id eſt inflexa, tropóque immutata. quibus plerumque amatores vti ſolent, verbi gratia, cùm amicam appellant, vitam, animam, cor, mel merum, delicias, & ſimilib. nominib.* ET LEPIDO QVÆ SVNT FVC. SON.) *tranſlatio ab oculorū ſenſu, ad auditū. Fucata enim oculis cernuntur: ſoni auditu ſentiuntur.* Virg. Georg. 4. *Mileſia vellera Nymphæ Carpebant hyali ſaturo fucata colore.*

EX VNO SI SVNT) *ſic legendum eſt potius, quàm vt vulgò.* Ex vero *ſi ſunt, &c. vno autem, id eſt ſolo, ſequitur deinceps, puróque, id eſt, meróque.*

NIL PRODESSET ENIM) *Hæc eſt huius argumēti vis. dicit* Heraclitus, *ignem eſſe principium rerum: hanc autem varietatem rerum ex condenſatione, & rarefactione exſiſtere. id fieri non poteſt, (inquit* Lucret.*) nam ignis cōdenſatus, ac rarefactus vel deſinit ignis eſſe, vel ignis naturam retinet ſi ignis eſſe deſinit, ignis igitur non eſt principium. ſin ignis naturam retinet: hoc tantum efficiet condenſatio, & rarefactio, quòd contractis partibus, ignis erit acrior: diſiectis, & diſſipatis, remiſſior. Itaque in natura rerum nihil erit præter ignem.*

DENSERIER) *ſic habent lib. manuſcr. & aliquot typis impreſſi. denſeri autem vſurpabant veteres pro denſari: & denſere pro denſare. quod ſuprà iam indicaui.* QVAM TOTVS HABET SVPER) *lib. vulgati habent, quam totus habet ſuus ignis: manuſcripti autem, quàm totus habet ſuper ignis: quam ſcripturam & in prima editione, & in ſecunda annotaui. hanc nunc ſequor. Super autem hic pro ſuperus, ſiue ſuperior accipi debet.*

CONDVCTIS PARTIBVS) *id eſt contractis, & congregatis.* συναχθέντων τῶν μερῶν, *vt ſuprà.*

DISQVE SVPATIS) *id eſt & diſſupatis, ſeu diſſipatis. tmeſis. ſic repoſui*

commotus ſcriptura primùm trium librorum veterum aliquantum illa quidem deprauata, ſed tamen germanæ, & rectæ proxima. ſic enim illi, diſiectis, díſque ſuperatis: deinde Bertiniani, & Memmiani: in quorum altero ſcriptum eſt planè, díſque ſupatis, in altero, déque ſupatis. Fuit tamen cùm putarem legendum, díſque paratis. diſparare autem idem fere valet, quod diducere, & diſiungere. Cæſ lib 7. de bello Gallico. diſparandos, diducendóſque ad ſuos curaret. Vitruu lib. 2. cap 2. Ex his ergo congruentibus cum res omnes coire, naſcique videantur, & eæ in infinitis generibus rerum, natura eſſent diſparatæ, &c.

NEDVM VARIANTIA RERVM.) *id eſt tantum abeſt, vt tanta rerũ variantia eſſe poßit. nedum negationem continet, & in extremo membro periodi, aut ſententiæ ponitur. variantia autem, id eſt varietas, nomen eſt ex participio factum, varians: cuius generis ſunt illa apud eundem, retinentia, repetentia: & apud M. Tull. decentia, negantia, repugnantia, cohærẽtia: & hæc omnibus vſitata, diſtãtia, affluentia, abundantia, conuenientia, &c.*

Atque hi ſi faciant admiſtum rebus inane:
Denſeri poterunt ignes, rarique relinqui.
Sed quia multa ſibi cernunt contraria, muſſant:
Et fugitant in rebus inane relinquere purum, &c,
Ardua dum metuunt, amittunt vera viaĩ:
Nec rurſum cernunt, exemto rebus inani,
Omnia denſeri, fieríque ex omnibus vnum
Corpus, nil ab ſe quod poſſit mittere raptim:
AEſtifer ignis vti lumen iacit, atque vaporem:
Vt videas non è ſtipatis partibus eſſe.
Quòd ſi fortè vlla credunt ratione poteſſe
Igneis in cœtu ſtingui, mutaréque corpus:
Scilicet ex vlla facere id ſi parte reparcent:
Occidet ad nihilum nimirum funditus ardor
Omnis, & ex nihilo fient quæcunque creantur.
Nam quodcunque ſuis mutatum finibus exit,
Continuò hoc mors eſt illius, quod fuit antè.
Proinde aliquid ſuperare neceſſe eſt incolume ollis,
Ne tibi res redeant ad nilum funditus omnes,
De nihilóque renata vireſcat copia rerum.

ATQVE HI SI FACIANT ADM.) *Sententia horum verborum perſpicua eſt. hoc enim ſignificat Lucret. Atqui ſi hi faciant, id eſt, ſi ponant, & ſtatuant, inane rebus admiſtum eſſe: procederet eis ex animi ſententia, quod volunt: & poſſent ignes nunc denſari, nunc rarefieri. Nunc autem cùm denſationem, & rarefactionem fingant ſine inani: longè aberrant à vero. nam, vt nihil rarum eſſe poteſt ſine inani: ita nihil denſari, quod careat inani.*

DENSERI) *ſic legendum, & ita habent libri veteres omnes.*

CONTRARIA, MVSSANT) *ſecutus ſum libros manuſcriptos, aut eo-*
um certè veſtigia: quorũ alij habent, contraria ineſſe: alij, muſſe: alij, mu: alij, muſ-
ant: quod retineo. muſſant autem: id eſt, tacent, muti ſunt, hærent, neque habent
uod dicant. eodem verbo vſus eſt idem ſcriptor lib. 6. muſſabat tacito medicina
more. & Virgil. 11. Æneid. Flent mœſti, muſsántque patres. Idem 12. muſſat rex
pſe Latinus. Idem valet apud Græcos μύζειν. *Homer.* ἰλ. δ. αἱ δ' ἐπέμυξαν Ἀθηναίη
s καὶ Ἥρη. *Eſt enim verbum natum, & factum ex littera* μῦ, *mutorum propria, vt-*
ote quam ſolum proferre poſſunt. ex eadem μύω, μυστήρια, *mutio, tis, tit, & pro-*
erbium, ne μῦ *quidem facere audere.*

ET FVGITANT) *ſic habent lib. manuſcripti. hoc verbo ſæpe vtitur, vt lib.*
fugitabant viſere ad agros. ARDVA DVM MET. AM. V. V.) *Sic*
ere M. Tull. Acad. lib. 4. alterum eſt, quòd fallacibus, & captioſis interrogationi-
us circumſcripti, atq; decepti quidam, cùm eas diſſoluere non poſſunt, deſciſcunt
veritate. Talis fere ſententia eſt apud Ariſt lib. η. ἠθικ. Νικομ. κεφ. β. *non longe ad-*
modum ab extr. VERA VIAI) *notauimus alibi hoc loquendi genus, vera*
viai, promta cæli, vltima naturai, &c. MITTERE RAPT.) *libri ſcripti*
abent partim, rapiis, partim, raptim: cum quibus concordant Veneti antiq. & Pa-
iſienſ. ceteri excuſi omnes, natum, præter Vicetinos, in quibus legitur, raptum. ego,
aptim, puto rectam eſſe ſcripturam, eámq; eſſe deprauatam ab imperitis librariis,
ui ſcripſerant raptiZ per Z, in extr. ſyllaba Z, pro m. ex quo factum eſt poſteà
aptu. ſi quis tamen malit, raptum, non reiicio, natum puto eſſe ſuppoſitũ, & adul-
erinum. raptim autem interpretor celeriter: quomodo & alibi vſurpatur.

LVMEN IACIT ATQVE VAP.) *lumen iacit & calorem. ſic lib. 2. de*
ole. At vaporis, quem ſol mittit, luménque ſerenum.

POTESSE) *poſſe. poteſſe autem, integrum eſt, & eo vtebantur veteres, vt*
lautus, & Ennius, & Lucilius, & ſimiles. vnius Lucilij verſus in præſenti pro-
eram, ex lib. 5. Nam ſi, quod ſatis eſt homini, id ſatis eſſe poteſſet: Hoc ſat erat: nunc
ùm hoc non eſt, qui credimus porrò Diuitias vllas animum mi explere poteſſe?

IGNEIS IN COETV STINGVI) *Secutus eram initio libros vulgatos,*
quibus ita impreſſum eſt, igneis in cœtus ſtringi, maſſaréque corpus, quæ ſic de-
larabam, igneis ſtringi, id eſt, denſeri, & contrahi, &, quod ſubſequitur, maſſare,
d eſt ſolidare, & conſtringere corpus. Dicebat autem Heraclitus, vt refert Plutar-
hus, ὅτι τὸ παχυμερέστατον τοῦ πυρὸς, εἰς αὑτὸ συστελλόμενον γίνεται γῆ· ἔπειτα διαχαλωμένην
ὑπὸ τοῦ πυρὸς, ὕδωρ ἀποτελεῖται· ἀναθυμιώμενον δὲ ὕδωρ ἀὴρ γίνεται, &c. id eſt, id ignis,
uod ſit craſsiſsimis particulis prædiuum, cùm in ſe contrahitur, terram fieri: deinde
rram cùm ab igni laxatur, aquam: exhalantem autem aquam, & extenuatam,
ërem. In ſecunda autem editione ſic excudendum curaui, Igneis in cœtu ſtingui,
utaréque corpus. quam ſcripturam nunc item amplector, & retineo. Eius autem
ntentia non eſt obſcura. Igneis in cœtu ſtingui, id eſt igneis in congreſſu, & con-
retione rei genitæ exſtingui, & corpus igneum mutare: &c.

FACERE ID.) *igneis mutare corpus.* REPARCENT) *dabunt, con-*
edent, probabunt. codices veteres hoc loco deprauatos eſſe initio putabam, in qui-
us lectori ſignificaram legi, reparcent: non etiam probaram, ſed fallebar. Itaque
& in ſecunda editione, reparcent, edendũ curaui: & nunc item hanc ſcripturam
robo, Turnebo aſſentiens. atque hoc verbo vtitur & Plautus in Truculento. Vti-
am à principio rei item parſiſſem meæ, vt nunc reparcis ſuauiis. Sic autem com-

poſitum eſt reparco, vt reſero, retego, recludo, reuelo, refigo, & ſimil. reparco enim idem valet, quod non parco, largior: vt reſero, aperio, &c.

NAM QVODCVMQVE) *hi duo verſus iterantur infrà eod. lib. & lib. 3.*

SVPERARE) *ſupereſſe, περιγίνεσθαι, vt ſuprà.*

OLLIS) *illis. ſic loquebantur antiqui, vt, olla centuria, &, ollus letho datus eſt, ex Varrone lib. 6. de ling. Lat. Virgil etiam vſurpat interdum. vt lib. 1. Olli ſubridens hominum ſator atque deorum, & M Tull. libris de Legibus.*

Nunc igitur, quoniam certiſſima corpora quædam
Sunt, quæ conſeruant naturam ſemper eandem:
Quorum abitu, aut aditu, mutatóque ordine, mutant
Naturam res, & conuertunt corpora ſeſe:
Scire licet non eſſe hæc ignea corpora rerum.
Nil referret enim quædam decedere, abire,
Atque alia attribui, mutaríque ordine quædam:
Si tamen ardoris naturam cuncta tenerent.
Ignis enim foret omni'modis, quodcumque crearent.
Verùm, vt opinor, ita'ſt: ſunt quædam corpora, quorum
Concurſus, motus, ordo, poſitura, figuræ
Efficiunt igneis: mutatóque ordine mutant
Naturam: neque ſunt igni ſimulata: neque vllæ
Præterea réi, quæ corpora mittere poſsit
Senſibus: & noſtros adiectu tangere tactus.

QVÆDAM DECEDERE, ABIRE) *ſic repoſui à tribus codicib. manuſcriptis, & excuſis Pariſienſib. & Venetis antiquis admonitus, atque adiutus: in quibus ſcriptum reperi, deſcendere, abire. decedere, abire, autem dictum eſt ἀσυνδέτως: cui opponitur id, quod ſtatim ſequitur, atque alia attribui: id eſt, alia accedere.*

SI TAMEN) *ſic emendaui fretus auctoritate duorum codicum manuſcrip. aliis inuitis, in quibus eſt, Si tantum: ſententia quidem hanc ſcripturam poſtulat. Hoc enim ſentit Lucret. Nil referret, id eſt, nil prodeſſet, ſeu nihil attineret, quædam ex igne decedere, & quædam ad eum accedere, & quorundam ordinem mutari, ſi nihilominus omnia naturam ignis retinerent.*

OMNI'MODIS) *id eſt, omnibus modis ignis eſſet. Atque ita legebat Turnebus noſter: & ita habent libri aliquot manuſcripti. alij, omnimodis, manente eadem ſententia. vulgati plerique habent, vnimodis: quibuſcum conſentit Memmianus. quæ lectio etiam probabilis eſt.* CREARENT) *nempe ignea corpora: quodcumque crearent corpuſcula, & primordia rerum ignea, id eſſet ignis omnimodis, ſeu vnimodis, ſeu omni'modis. id eſt omnino, & omnib. modis.*

NEQVE VLLÆ) *ſic habet codex Vaticanus. quam ſcripturam ſecutus ſum. ita enim loquebantur antiqui: Plaut. ex Varrone lib. 6. de ling. Lat. gannit odioſus totæ familiæ. Terent. Heaut. hoc ipſa in itinere alteræ dum narrat, forte audiui. M. Tull. de diuinat. lib. 2. ſed ſi eadẽ hora aliæ pecudis iecur nitidum atq; plenum eſt, aliæ horridũ, & exile, quid eſt quod declarari poßit habitu extorum? ſic idẽ Lucr. lib. 3.*

lib.3. Aut aliæ cuius deſiderium inſideat res. Idem lib.6. Et potius nullæ ſibi turpis conſciu' réi, &c. ADIECTV) *iactu ad ſenſus: appulſu, ſeu coniectu, qui ad noſtros tactus perueniat. nam adiicere telum, eſt plus quàm iacere: nempe ita iácere, vt ad eum locum, quem iaculatór petit, perueniat. Cæſ. lib.2. de bello Gall. Et quia non longius hoſtes aberant, quàm quò telum adiici poſſet, prælij committendi ſignũ dedit. Idem lib.4. Atq; ita montibus anguſtu mare continebatur, vt ex locu ſuperioribus telum in litus adiici poſſet. ſic Lucret. dixit, adiectum odoris. lib.4. Nunc age, quo pacto nareis adiectus odoris Tãgat, agam. & lumina adiicere lib.5. Nam quibus è ſpatiis cumq; ignes lumina poſſunt Adiicere, &c. & M. Tull. adiectas voces, lib.2 de nat. Deor. Extra autem eminent, quæ appellantur aures, & tegendi cauſa factæ tueantur ſenſus, & ne adiectæ voces laberentur atque errarent, priuſquàm ab his pulſus eſſet.* TANGERE TACTVS) *id eſt ad tactus noſtros peruenire, eóſque afficere. pulchrè dictum, tangere tactus.*

Dicere porrò, ignem res omneis eſſe, neque vllam
Rem veram in numero rerum conſtare, niſi ignem,
Quod facit hic idem: perdelirum eſſe videtur.
Nam contra ſenſus ab ſenſibus ipſe repugnat:
Et labefactat eos, vnde omnia credita pendent,
Vnde hic cognitus eſt ipſi, quem nominat ignem.
Credit enim, ſenſus ignem cognoſcere verè:
Cetera non credit, nihilo quæ clara minus ſunt.
Quod mihi cùm vanum, tùm delirum eſſe videtur.
Quò referemus enim? quid nobis certius ipſis
Senſibus eſſe poteſt, quo vera, ac falſa notemus?
Præterea quare quiſquam magis omnia tollat,
Et velit ardoris naturam linquere ſolam:
Quàm neget eſſe ignis, ſummam tamen eſſe relinquat?
Aequa videtur enim dementia dicere vtrumque.
Quapropter qui materiem rerum eſſe putarunt
Ignem: atque ex igni ſummam conſiſtere poſſe:
Et qui principium gignundis aëra rebus
Conſtituêre: aut humorem quicumque putarunt
Fingere res ipſum per ſe: terrámve creare
Omnia, & in rerum naturas vertier omneis:
Magnopere à vero, longéque erraſſe videntur.

DICERE PORRO, IGN.) *Porrò autem (inquit Lucr.) dicere vnum eſſe rerum principium, ignem, nihilque omnino in natura rerum eſſe præter ignem, quod idem Heraclitus facit, valde delirum eſſe videtur.*

CONTRA SENSVS) *contra eos ſenſus, qui alia ſentiunt præter ignem.*

AB SENSIBVS) *pro ſenſib. per quos ignem cognouit.*

VNDE OMNIA CR.) *id eſt, in quibus omnium rerum fides nititur, &*

fundatur, vt ſuprà dictũ eſt, & infrà plenius dicetur. QVEM NOMINAT IGNEM) *ſic habent tres libri manuſcripti, vatic. & Bertin. & Memm.*

CREDIT) *Heraclitus credit, ſenſum, verbi gratia, tactum, ignem cognoſcere: & in hoc non fallitur. quid enim me docuit ignem eſſe calidum? tactus.*

CETERA NON CREDIT) *non credit, ſenſum cetera cognoſcere, quæ nihilo minus perſpicua ſunt, quàm ignis: verbi gratia, aërem, aquam, terram: quæ etiam ſenſibus cognoſcuntur.* QVO REFEREMVS ENIM) *ſic habent quattuor libri manuſcrip. quibuſcum congruunt vulgati, veneti antiq. & Vicet. probabántque hanc ſcripturam Iouianus Pontanus, & Franciſc. Puccius. quô referemus enim, niſi ad ſenſus ſcilicet, tanquam arbitros & iudices? ſic ſuprà, Haud erit occultis de rebus quò referentes Cõfirmare animi quicquam ratione queamus. Libri vulgati autem ſic, Quid referemus enim, &c. mea ſententia minus rectè.*

QVAM NEGET ESSE IGNIS) *repete* ἀπὸ κοινοῦ, *naturam. Nonnulli tamen legi volunt, igneis, ſeu, ignis, in accuſandi caſu.*

SVMMAM TAMEN) *quidam legunt, aliam tamen: à quibus diſſentio.*

ÆQVA VIDETVR ENIM) *par dementia videtur, id eſt, æquè delirum, ac ſtultum videtur, ſolum ignem ponere & concedere, ceteris omnibus negatis ac ſublatis: atque ignem negare, ceteris omnibus rebus poſitis & conceſſis.*

ET QVI PRINCIPIVM GIGN. AERA) *vt Anaximenes Mileſius: de quo ſic M. Tull. in Lucullo. Anaximenes infinitum aëra dixit eſſe, ex quo omnia gignerentur. & Plutarchus,* περὶ τῶν ἀρεσκ. Ἀναξιμένης ὁ μιλήσιος ἀρχὴν τῶν ὄντων ἀέρα ἀπεφήνατο. ἐκ γὰρ τούτου τὰ πάντα γίγνεσθαι, καὶ εἰς αὐτὸν ἀναλύεσθαι: *id eſt, Anaximenes Mileſius principium rerum aërem pronuntiauit. Ex hoc enim oriri omnia, & in eum reſolui. Archelaus item Athenienſis aëra infinitum principium rerum dixit, vt refert Plutarchus eodem loco.* Ἀρχέλαος ὁ Ἀπολλοδώρου Ἀθηναῖος ἀέρα ἄπειρον καὶ τὴν περὶ αὐτὸν πυκνότητα, καὶ μάνωσιν.

AVT HVMOREM QVICVNQVE) *aut quicunque aquam putarunt eſſe principium rerum: vt Thales Mileſius: de quo M. Tull. lib. I. de natura Deor. & in Lucullo. & Vitruu. lib. 2. cap. 2. & proœm. lib. 8.*

TERRAMVE CREARE OMNIA) *Ariſtot. lib. I.* τῶν μετὰ τὰ φυσ. *ſcribit nullum ex phyſicis principium rerum terram poſuiſſe.*

LONGEQVE ERR.) *cod. duo manuſcr. habent, longe deerraſſe videntur.*

Adde etiam, qui conduplicant primordia rerum,
Aëra iungentes igni, terrámque liquori:
Et qui quattuor ex rebus poſſe omnia rentur,
Ex igni, terra, atque anima procreſcere, & imbri:
Quorum Acragantinus cum primis Empedocles eſt:
Inſula quem triquetris terrarum geſſit in oris:
Quam fluitans circum magnis amfractibus æquor,
Ionium glaucis aſpergit virus ab vndis:
Anguſtóque fretu rapidum mare diuidit vndis
Italiæ terraï oras à finibus eius:
Hîc eſt vaſta Charybdis: & hîc Aetnæa minantur
Murmura flammarum rurſum ſe conligere iras:

Faucibus eruptos iterum vis vt vomat igneis:
Ad cælúmque ferat flammaï fulgura rurſum.
Quæ cùm magna modis multis miranda videtur
Gentibus humanis regio,viſendáque fertur,
Rebus opima bonis,multa munita virûm vi:
Nil tamen hoc hábuiſſe viro præclarius in ſe,
Nec ſanctum magis,& mirum,carúmque videtur.
Carmina quin etiam diuini pectoris eius
Vociferantur,& exponunt præclara reperta:
Vt vix humana videatur ſtirpe creatus.
Hic tamen,& ſuprà quos diximus,inferiores
Partibus egregiè multis,multóque minores,
Quamquam multa bene,ac diuinitus inuenientes
Ex adyto tamquam cordis reſponſa dedêre
Sanctius,& multo certa ratione magis,quàm
Pythia,quæ tripode ex Phœbi,lauróque profatur:
Principiis tamen in rerum fecere ruinas:
Et grauiter magni magno cecidere ibi caſu:
Primùm quòd motus,exemto rebus inani,
Conſtituunt:& res molleis,raráſque relinquunt,
Aëra,ſolem,ignem,terras,animalia,fruges:
Nec tamen admiſcent in eorum corpus inane:
Deinde quòd omnino finem non eſſe ſecandis
Corporibus faciunt:neque pauſam ſtare fragori:
Nec prorſum in rebus minimum conſiſtere quidquam:
Cùm videamus id extremum quoiuſque cacumen
Eſſe,quod ad ſenſus noſtros minimum eſſe videtur:
Coniicere vt poſſis ex hoc,quod cernere non quis,
Extremum quod habent,minimum in conſiſtere rebus.

ADDE ETIAM QVI CONDVPL.) *verbi gratia,Archel. qui aërem & eam,quæ ei circumfuſa eſt,denſitatem, & eam,quæ circumdata eſt,raritatem, id eſt ignem,& aquam,vult eſſe principia rerum.* TERRAMVE LIQV.) *vt Parmenides.* ATQVE ANIMA) *atq; ex aëre.Virg.in Sileno.Nanq; canebat vti magnum per inane coacta Semina terrarúmq;,animæq;,maríſq; fuiſſent.*

QVORVM ACRAGANTINVS) *duo cod. manuſcript. habent, Agrigentinus.Bertin.& Memm. Agragantinus.Vatic.Agragentinus.Acragas fluuij,& oppidi nomen eſt.dictum autem oppidum à fluuio eſt.*

TRIQVETRIS) *Siculus.Sicilia enim dicta eſt Triquetra à tribus promuntoriis,Peloro,Pachino, Lilybæo. Triquetram dictam eſſe quaſi Triquedram à tribus ſedibus indicat Quinctilianus lib.1.cap.6. dicitur & Θρινακία à Græcis,quaſi*

Τρινακρία: ſeu à Thrinaco quodam Siciliæ tyrãno. Horat. ſaty. 6. lib. 2. militibus promiſſa, Triquetra Præmia Cæſar, an eſt Itala Tellure daturus?

AMFRACTIBVS) circuitionibus fractu. Cicero, longo amfractu circumſcripta oratio. idem, ſolis amfractu. Virg. lib. 11. Eſt longo amfractu valles accommoda fraudi. am enim in iunctura ſignificat plerunque circum, vt anquirere, ambire, ambuſtus, ancilia, hoſtiæ ambaruales.

IONIVM GLAVCIS ASP. VIRVS AB.) hic verſus variè ſcriptus eſt in veteribus exemplaribus, & vulgatis codicibus. Nam libri Faer. & Tett. & Bertin. habẽt, Ioniũ glaucis aſpergit virus ab vndis, aut, in vndis. Vatic & Memm. litus ab vndis. quibuſcum conſentiunt Ald. antiq. Pariſ. Vicetini. Veneti autem recentiores, & vtrique Lugdunenſes, & Florentini, Ionio & Libycis aſpergit litus ab vndis. ego hanc ſcripturam proximam adulterinam eſſe puto. illam ſuperiorem, germanam: eámque iam in ſecunda editione ſecutus ſum. Virus autem ſignificat cuiuſque rei humorem & virtutem naturalem, vt docet Nonius.

ANGVSTOQVE FRETV) producit hunc verſum teſtem Priſc. lib. 1. aitq; fretu, poſitum eſſe pro freto: vt Acherunta, pro Acheronta, & frundes pro frondes. & ita M. Tull. Verr. 5. Sicilia perangusto fretu diuiſa. Sicilia autem erat olim Italiæ continens, & agro Brutio annexa: pòſt vi maris, quod nunc Siculum dicitur, abſciſſa, atque abrupta eſt ad Rhegium: quod à verbo ῥήγνυμι, id eſt frango, dictum eſt. Sed tamen fretus, us, in vſu eſt. idem Lucr. lib. 6. Nam fretus ipſe anni permiſcet frigus, &c. Arnob. lib. 1. aduerſ. gent. Et tamen, ô iſti, qui pollutas res noſtras vitiorum criminamini: ſtribiligines & vos iſtas libris illis in maximis atque admirabilib. non habetis? Nónne aliud hæc viria, aliud dicitis hos vtres? cælus, & cælum? non item filus & filum? non item crocus & crocum? non item fretus & fretũ? &c.

ITALIÆ TERRAI ORAS) ſic videtur legendum, non, Italiæ terrarum. ſic enim loquuntur Latini, Italia terra, Campania terra, Gallia terra, &c. Verumtamen alteram ſcripturam non damno.

VASTA CHARYBDIS) quæ fuit aquarum vorago. Homer. ὀδ. μ. δῖα χάρυβδις ἀναρροιβδεῖ μέλαν ὕδωρ. Virg. lib. 3. ter gurgite vaſtos ſorbet in abruptũ fluctus.

ÆTNÆA MIN.) de Ætna, & de ignibus, ac murmuribus Ætnæ, lege lib 6. Lucretij ibi. Nunc ratio quæ ſit, &c.

RVRSVM SE CONL.) nam Ætna aliquando vicinas vrbeis cineribus & fauillis obruiſſe dicitur: aliquando tantam vim cineris, & fauillarum eieciſſe, vt vicini biduum tenebris ſepulti viderentur. M. Tull. de nat. Deor. lib. 2. Nos autem tenebras cogitemus tantas, quantæ quondam eruptione Ætnæorum ignium finitimas regiones obſcuraſſe dicuntur, vt per triduum nemo hominem homo agnoſceret: cùm autem tertio die ſol illuxiſſet, tum vt reuixiſſe viderẽtur. iccirco dixit rurſum, Alij legunt, ſurſum. quibuſcum non pugnabo.

FAVCIBVS) crateribus: ſic enim eas fauceis appellant Græci. idẽ Lucret. lib. 6. In ſummo ſunt ventigeni crateres, vt ipſi Nominitant, nos quas fauceis perhibemus, & ora. ERVPTOS) emiſſos. notandum participium, eruptos, ab abſoluto verbo, erumpo. FVLGVRA) fulgores. nam apud hunc poëtã, fulgur & fulgor pro eodem ponuntur. MAGNA MODIS MVLT. MIRANDA) magna, miranda, duo epitheta ἀσυνδέτως poſita.

VIDETVR) ſic legendum, non vt in in vulgatis, videntur.

NIL TAMEN HOC HABVISSE) vide apud Diog. Laërt. multa de

mped. quæ hoc loco referre longum ſit. Non poſſum tamen mihi temperare, quin erſus eius grauiſſimos, quibus poëtas inſectatur, qui membra humana diis affin- erunt, ponam, à me apud Ammonium repertos, commentario περὶ ἑρμηνείας, τμήμ. . vbi oſtendit, deos eſſe meras energias natura, & eſſentia ſua, non ex poteſtate, r habitu proficiſcenteis, vt humanas. ſic autem ille tandem. διὰ ταῦτα δὲ ὁ ἀκρα- γαντῖνος σοφὸς ἐπιρραπίζων τοὺς περὶ θεῶν, ὡς ἀνθρωποειδῶν ὄντων, παρὰ τοῖς ποιηταῖς λε- γομένους μύθους, ἐπήγαγε προηγουμένως μὲν περὶ Ἀπόλλωνος, περὶ οὗ ἦν αὐτῷ προσεχῶς ὁ λό- γος, κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ περὶ τοῦ θείου παντὸς ἁπλῶς ἀποφαινόμενος·

Οὔτε γὰρ ἀνδρομέῃ κεφαλῇ κατὰ γυῖα κέκασται,
Οὐ μὲν ἀπαὶ νώτων γε δύω κλάδοι ἀΐσσουσιν,
Οὐ πόδες, οὐ θοὰ γοῦν᾽, οὐ μήδεα λαχνήεντα,
Ἀλλὰ φρὴν ἱερὴ, καὶ ἀθέσφατος ἔπλετο μοῦνον,
Φροντίσι κόσμον ἅπαντα καταΐσσουσα θοῇσι.

id eſt Propter has cauſas Agrigentinus ſapiens inſectans & exagitans poëtarum fabulas, quæ de diis narran- r, tanquam humana forma præditis, ſubiecit præcipuè quidem de Apolline, de o inſtitutus ei erat ſermo, ſed eodem modo, de omni eſſentia diuina ſimpliciter, r abſolutè pronuntians. Οὔτε γὰρ, &c. Quorum verſuum hæc ferè ſententia eſt, os neque caput humanum habere, neque brachia ex humeris apta, neque pedes, que genua, neque inguina hirſuta, ſed mentem ſacram, & diuinam duntaxat, & gitationibus celeribus vniuerſum mundum mouere.

CARVMQVE) pluriſque faciendum: τιμιώτερον. repetendum enim ἀπὸ κοινοῦ, gu. alij libri habent, clariúmque. INFERIORES) Empedocle.

EX ADYTO TANQVAM CORDIS) ex animi receſſu: ex animi netralibus. ἄδυτον vox Græca, compoſita à priuatiua particula α. & δύω, quod let ingredior. ſunt enim ἄδυτα ea templi partes, quæ ſunt abſtruſæ, & quas in- re profanis non licet. Dixit autem, tanquam ex adyto, vt ſit εἰκών.

RESPONSA DEDERE) ſic M. Tull. lib. 2. de Finibus, loquens de Epicuro. alio libro, vbi breuiter comprehenſis grauiſſimis ſententiis quaſi oracula edidiſ- ſapientiæ dicitur.

TRIPODE EX PHOEBI, LAVROQVE) cod. Memm. habet, tripode dio. de tripode Apollinis, & de lauro, lege interpretem Ariſtoph. ad illum locũ, ἣν ὁ φοῖβος ἔλακεν ἐκ τῶν στεμμάτων· vbi ille, laurum (inquit) gerebat Pythia, & odes ipſi coronati erant. & Diodorum Siculum lib. 16. pag. 523.

FECERE RVINAS) ſic Ariſtot. lib. 1. φυσικ. ζητοῦντες γὰρ οἱ κατὰ φιλοσοφίαν πρῶ- τον τὴν ἀλήθειαν, καὶ τὴν φύσιν τῶν ὄντων, ἐξετράπησαν, id eſt, Primi illi philoſophi veri- m & naturam rerum quærentes, euerſi ſunt, ſeu grauiter ceciderunt.

PAVSAM) id eſt quietem, finem, παῦλαν, παῦσιν. Lucill. ſat. lib. 1. Hæc vbi di- dedit, pauſam facit ore loquendi. Ennius apud Varr. lib. 6. de ling. Lat. pau- fecere fremendi. Lucret. lib. 3. Inter enim iecta eſt vitai pauſa: & lib. 4. Parua rdoris violenti pauſa parumper. Plaut. Rudente. Aliquando oſculando melius xor pauſam fieri. Arnob. lib. V. aduerſ. gent. ſed quid terrenis obuoluiſſe vos ib. deûm loquimur matrem, cùm ab Iouis ipſius maledictis nullam pauſam fa- vel exigui temporis quiueritis? A. Gell. lib. IX. c. XIII. ex Qu. Claudio Qua- ario. Is maximè prælio commoto, atq; vtriſque ſummo ſtudio pugnantib. manu ficare cœpit, vtrique vt quieſcerent pugnare. pugnæ pauſa facta eſt.

RAGORI) id eſt frangendis corporibus.

NEC PRORSVM IN REBVS MINIMVM) *minimum intellige, quo nihil minus eſſe poteſt, & ad quod cùm peruentum ſit, tum fiat cuiuſlibet corporis ſecandi finis, vt ſuprà diximus. Ad hunc locum pertinent ea, quæ à Cicerone diſputantur ſub Varronis perſona lib. I. Acad. quæſt. Ex materia putant Peripatetici omnia eſſe expreſſa, atque effecta: quæ tota omnia accipere poßit, omnibúſque modis mutare, atque ex omni parte: eóque etiam interire non in nihilum, ſed in ſuas parteis, quæ infinitè ſecari, ac diuidi poßint, cùm ſit nihil omnino in rerum natura minimum, quod diuidi nequeat. Idem lib. 1. de Finibus diſputans aduerſus Epic. Ne illud quidem phyſici eſt, credere aliquid eſſe minimum, &c. Vult igitur Epicurus aliquid eſſe in rebus minimum, nempe corpora prima: quæ ſcilicet iam ſecari, aut diuidi non poſſunt, eorúmq; ſententiam nunc refellit Lucretius, qui negant quicquã in rebus eſſe minimum. lege, ſi tibi commodum eſt, quæ hac de re ſuprà diximus.*

CVM VIDEAMVS ID EXTREMVM) *confer hunc locum cum illo ſuperiore. Tùm porrò quoniam extremum quoiuſque cacumen, &c.*

CONIICERE VT POSSIS) *locus eſt aliquantùm obſcurus: quem ſic declaro. Coniicere vt poßis, ex hoc extremo cacumine, quod iam cernere non potes, & quod ad ſenſus noſtros videtur eſſe minimum, id extremum eſſe in rebus minimum, quod extremum ipſæ res habent. Secutus autem ſum ſcripturam duorum codicum manuſcr. cum quibus congruunt Pariſienſes, & Veneti antiq. Nam ceteri codices habent, Coniicere vt poßis ex hoc, quæ cernere non quis, &c. quam ſcripturam ſi quis probabit, ita erit explicanda. coniicere vt poßis ex hoc extremo, quod extremum habent ea, quæ cernere non quis, eſſe aliquid minimum in rebus.*

MINIMVM IN CONS. R.) *id eſt minimum conſiſtere in rebus, ſeu minimum eſſe in rebus. sic autem ſæpe loquitur Lucretius, κατ᾽ ἀναστροφὴν.*

Hûc accedit item, quòd iam primordia rerum
Mollia conſtituunt, quæ nos natiua videmus
Eſſe, & mortali cum corpore funditus. atqui
Debeat ad nihilum iam rerum ſumma reuerti:
De nihilóque renata vireſcere copia rerum.
Quorum vtrumque quid à vero iam, diſtet, habebas.
Deinde inimica modis multis ſunt, atque venena
Ipſa ſibi inter ſe. quare aut congreſſa peribunt:
Aut ita diffugient, vt tempeſtate coorta
Fulmina diffugere, atque imbreis, ventóſque videmus.
Denique quattuor ex rebus ſi cuncta creantur,
Atque in eas rurſum res omnia diſſoluuntur:
Qui magis illa queunt rerum primordia dici,
Quàm contrà res illorum, retróque putari?
Alternis gignuntur enim, mutántque colorem,
Et totam inter ſe naturam tempore ab omni.
Sin ita fortè putas, ignis, terræque coïre
Corpus, & aërias auras, rorémque liquorum,

Nil in concilio naturam vt mutet eorum:
Nulla tibi ex illis poterit res eſſe creata:
Non animans,non exanimo quid corpore,vt arbos.
Quippe ſuam quicque in cœtu variantis acerui
Naturam oſtendet:miſtúſque videbitur aër
Cum terra ſimul,atque ardor cum rore manere.
At primordia gignundis in rebus oportet
Naturam clandeſtinam,cæcámque adhibere,
Emineat ne quid,quod contrà pugnet,& obſtet,
Quo minus eſſe queat propriè quodcunque creatur.

HVC ACCEDIT ITEM, QVOD IAM) *Sic reſtituendum exiſtimaui certiſſimis coniecturis ductus. alij libri habent, quoniam primord.*

MOLLIA) *vt ignem,aërem,aquam,terram.* VIRESCERE) *ſic ſuprà, de nihilóque vireſcat copia rerum. non diſſimulabo tamen, in quibuſdam libris legi, vigeſcere.* QVID A VERO IAM, DISTET, HABEBAS) *ordo eſt, quorum vtrumque, nempe & rerum ſummam ad nihilum reuerti, & ex nihilo res gigni, aut renaſci, quantũ à vero diſtet, iam habebas, id eſt iam cognouiſti: vel paullo antè didiciſti. Sic autem reſtitui. mendosè enim legitur in vulgatis codicibus, & in nõnullis manuſcriptis, habebis. Eſt autem hic ſermo implicatus, Quorum vtrumque quid à verò iam, diſtet, habebas. ſic enim dictum oportuit, ſi verſus pateretur: quorum vtrumque quid à vero diſtet, iam habebas: vt paullo antè diximus. quo modo interdum etiam loquuntur Græci, & verò liberius, & ſæpius. Sophocles in Oedipo Tyr.* Μὴ νῦν ὀναίμην, ἀλλ' ἀραῖος, εἴ σέ τι Δέδρακ', ὀλοίμην, ὧν ἐπαιτιᾷ με δρᾶν. *Nam hoc ordine verba collocari debuerũt,* Μὴ νῦν ὀναίμην, ἀλλ' ἀραῖος ὀλοίμην, εἴ σέ τι δέδρακα ὧν ἐπαιτιᾷ κακῶν. *Sic iterum Lucr. lib. 2. Sed nihil omn. r. reg. viar. Declinare quis eſt qui poſſit cernere. ſeſe? Idem, lib. VI. Fecit, vt antè, cauam, docui, ſpiſſeſcere nubem.* DEINDE INIM. M. M. S. ATQVE VEN.) *deinde (inquit Lucret.) hæc, quæ Empedocles, & qui eius ſententiam ſequuntur, principia rerum eſſe volunt, ſunt inter ſe inimica, & quaſi venena, id eſt mortifera, & letalia. aqua enim cùm ſit humida, & frigidiſſ. cum igne maximè pugnat ſicco, & calidiſſimo: aër cùm ſit humidiſſimus, & calidus, cũ terra pugnat, aridiſſima, & frigida. præterea ignis cum aëre, & terra pugnat: aër cum aqua: aqua cum terra. Sic autem Catull. Rufum quendam vitæ venenum dixit.*

VT TEMPEST. COORTA) *ſic legendum, non coacta. nam ſic loquuntur Latini. M Tull. Verr. 3. tantæ ſubitò tempeſtates coortæ ſunt. Lucret. lib. 2. Sed quaſi naufragiis magnis, multíſque coortis. & lib. 4. Vſque adeò tetra nimborum nocte coorta. Cæſar lib. 4. non longè ab extr. Tanta tempeſtas ſubitò coorta eſt. idem lib. V. non longè à princip. qui nuntiarant, ſuperiore nocte maxima coorta tempeſtate propè omnes naueis afflictas. Idem eod. lib. maximo coorto vento.*

QVI MAGIS ILLA QV.) *mutat genus. dixit enim quattuor ex rebus, deinde, in eas res. nunc, Quî magis illa, id eſt illæ res, & illa elementa, ex quibus omnia naſci, & in quæ omnia diſſolui volunt Empedocles, & qui eum ſequuntur. Quòd ſi quis vocem, illa, referet ad voces, cuncta, & omnia, videbitur legendum, Quî minus, &c.*

NIL IN CONCIL. N. VT) *id eſt, vt nihil eorum in congreſſu naturam ſuam immutet.* ROREMQVE LIQVORIS.) *Sic habent tres lib. manuſcrip. alij, liquorum.* NON EXAN. Q. CORP.) *id eſt, non quicquam corpore exanimo conſtans, ſeu non quicquam exanimum.*

IN COETV VAR.) *id eſt in concilio, & congreſſu varij acerui. cœtus idē ſignificat quod coitus: immò verò coitus & cœtus idem ſunt.*

ATQVE ARDOR CVM RORE M.) *ſic repoſui non dubijs coniecturis ductus. nam libri omnes habent, & quodam cum rore man. planè mendoſè, ſententia autem perſpicua eſt. Si quattuor illæ res (inquit) ita congregabuntur, & coibunt, vt naturam ſuam non mutent: primùm nihil ex illis creari poterit, deinde videbitur aër cum terra confuſus, & ardor, id eſt ignis cum rore, id eſt cum aqua: quod natura non patitur. ſic ſuprà ardorem pro igni poſuit. Occidet ad nihilum nimirum funditus ardor. & infrà eod lib. Verùm ſemina ſunt ardoris multa. &c.*

CÆCAM) *id eſt latentem, & obſcuram. Idem lib. 2 Quòd tales turbæ motus quoque materiai Significant clandeſtinos, cæcóſque ſubeſſe.*

Quin etiam repetunt à cælo, atque ignibus eius:
Et primum faciunt ignem ſe vertere in auras
Aëris: hinc imbrem gigni, terrámque creari
Ex imbri, retróque à terra cuncta reuerti:
Humorem primùm, pòſt aëra, deinde calorem:
Nec ceſſare hæc inter ſe mutare, meare
De cælo ad terram, de terra ad ſidera mundi:
Quod facere haud vllo debent primordia pacto.
Immutabile enim quiddam ſuperare neceſſe'ſt,
Ne res ad nihilum redigantur funditus omnes.
Nam, quodcunque ſuis mutatum finibus exit,
Continuò hoc mors eſt illius, quod fuit antè.
Quapropter quoniam, quæ paullo diximus antè,
In commutatum veniunt: conſtare neceſſe'ſt
Ex aliis ea, quæ nequeant conuertier vmquam:
Ne tibi res redeant ad nilum funditus omnes:
Quin potius tali natura prædita quædam
Corpora conſtituas, ignem ſi fortè crearint,
Poſſe eadem, demtis paucis, paucíſque tributis,
Ordine mutato, & motu, facere aëris auras:
Sic alias aliis rebus mutarier omneis.

QVIN ETIAM REP. &c.) *Sic item Ariſt. ait enim elementa inter ſe commutari, & alterum ex altero gigni. Sed ea (vt dixi) appellat elementa, non principia. Inter principia autem & elementa multum vult intereſſe repetunt autem, id eſt initium ducunt.* CALOREM) *id eſt ignem, vt ſuprà ardorem dixit.*

HÆC INTER SE MVTARE, MEARE DE C. &c.) *ſic habent quinque*

quinque libri manuſcripti, quibuſcum vulgati conſentiunt, Pariſ. & Vicet. alij ha-bent, inter ſe mutando meare, &c. quam ſcripturam tamen non improbo: ſed anti-quam ei antepono. mutare inter ſe, autem ſic dictum, vt amare inter ſe, &c.

AD SID. MVNDI) *quidam libri habent, ad ſidera cæli: & ita Virg. Georg. 4. Hinc vbi iam emiſſum caueis ad ſidera celi Nare per æſtatem liquidam ſuſpexe-ris agmen, &c. Idem lib. 10. Æneid. cæli cui ſidera pârent.*

SVPERARE) *περιγίγνεσθαι, ſupereſſe, reliqua eſſe.*

NAM, QVODCVNQVE SVIS, &c.) *hic verſus cum eo, qui deinceps ſequitur, iam ſuprà poſitus eſt. Ad hunc autem locum, atque ad hanc ſententiã per-tinent, quæ ſcribit M. Tull. lib. 3. de nat. deor. his verbis. Præterea omnia hæc tum intereunt, cùm in naturam aliam cõuertuntur: quod fit cùm terra in aquam ſe ver-tit, & cùm ex aqua oritur aër, & cùm ex aëre æther, & cùm eadem viciſſim retrò commeant.* QVÆ PAVLLO DIX.) *ſic habent tres libri manuſcripti, non, vt alij, quod paullo dix. Sed quæ ſunt illa? ignis, aër, aqua, terra.*

IN COMMVTATVM VENIVNT) *id eſt, in commutationem. Venire autem in commutationem, nihil aliud eſt, quàm in naturam aliam conuerti poſſe, & eſſe commutabilia.* CONSTARE NECESSE'ST EX ALIIS EA, QVÆ) *ordo eſt. neceſſe eſt, ea, nempe ignem, aërem, aquam, terram, cõſtare ex alijs, quæ nunquam commutari poſſunt.*

QVIN POTIVS TALI, &c.) *hos quattuor verſus, qui deinceps ſequun-tur, quidam legunt cum interrogationis nota, hoc ordine, & ſenſu. Cur non potius conſtituas quædam corpora tali natura prædita, vt, ſi forte ignem crearint, poſſint eadem paucis detractis, paucíſque additis, &c. aërem facere? Sed fortaſſe præſtat ſine interrogatione pronuntiare, & coniungere cum verſu ſuperiore, hoc modo: Ne tibi res omnes ad nihilum redigantur, immò potius, vt quædam corpora tali natu-ra prædita, id eſt immutabilia, & quæ nequeant vllo tempore conuerti, conſtituas: id eſt ſtatuas & exiſtimes poſſe, ſi forte ignem crearint, eadem paucis demtis, id eſt detractis, & paucis tributis, id eſt additis, atque attributis, ordine & motu mutato facere aërem.* FACERE AERIS AVRAS) *ſic habent lib. manuſcripti, me-lius, quàm quidam vulgati, aëris auram. ſic & paullo pòſt, At manifeſta palam res indicat, inquis, in auras Aëris, &c.*

At manifeſta palàm res indicat, (inquis) in auras
Aëris è terra res omneis creſcere, alíque:
Et niſi tempeſtas indulget tempore fauſto
mbribus, & tabe nimborum arbuſta vacillant:
ólque ſua pro parte fouet, tribuítque calorem:
Creſcere non poſſint fruges, arbuſta, animantes.
cilicet & niſi nos cibus aridus, & tener humor
Adiuuat: amiſſo iam corpore, vita quoque omnis
Omnibus è neruis, atque oſſibus exſoluatur.
Adiutamur enim dubio procul, atque alimur nos
Certis ab rebus: certis aliæ, atque aliæ res.
Nimirum quia multa modis communia multis

Multarum rerum in rebus primordia miſta
Sunt, ideò variis variæ res rebus aluntur.
Atque eadem magni réfert primordia ſæpe,
Cum quibus, & quali poſitura contineantur:
Et quos inter ſe dent motus, accipiántque.
Namque eadem cælum, mare, terras, flumina, ſolem
Conſtituunt: eadem fruges, arbuſta, animanteis.
Verùm aliis, alióque modo commiſta mouentur.
Quin etiam paſſim noſtris in verſibus ipſis
Multa elementa vides multis communia verbis:
Cùm tamen inter ſe verſus, ac verba neceſſe'ſt
Confiteare & re, & ſonitu diſtare ſonanti:
Tantùm elementa queunt permutato ordine ſolo.
At rerum quæ ſunt primordia, plura adhibere
Poſſunt, vnde queant variæ res quæque creari.

AT MANIFESTA PALAM, &c.) *Alia obiectio. At res omnes (dicet aliquis) è terra creſcunt, & terra ipſa nihil fere gignere poteſt, niſi imbribus irrigetur, & ſolis calore foueatur.* Ergo *ignis, aër, aqua, terra, ſunt principia rerum.*

ET TABE NIMBORVM ARB. VACILLANT) *hanc ſcripturam agnoſcit* Priſcian. *lib. 7. cõfirmant quattuor codices manuſcripti,* Vaticanus, Faërn. Tettianus, Bertinianus. *quibuſcum conſentiunt* Veneti *antiq. &* Lugdunenſes *alteri: neque eſt quòd quiſquam putet legẽdum, tabi, veritus, ne ſecunda ſyllaba, tabe, breuis ſit.* Nam *fortaſſe eadem ratione producitur, qua ſecunda vocis, fame.* Virgil. *lib. 6.* Æneid. *medicatis frugibus offam* Obijcit: *ille fame rabida tria guttura pandens* Corripit. *tabe nimborum autem, id eſt liquore nimborum, quod totum valet, imbribus.* AMISSO IAM CORPORE) *ſic loquitur* M. Tull. *epiſt. quadã ad* Gall. *lib. 7. vireis & corpus amiſi. iterum* Lucret. *inf. eod. lib.* Nam *veluti priuata cibo natura animantum* Diffluit *amittens corpus, &c.*

NIMIRVM QVIA MVLTA MODIS, &c.) *ſic legendum, & ita ſcriptum eſt in duobus cod. manuſcriptis, non vt in vulgatis, multi' modis.* Cur *alius alijs animantibus ſit cibus, copioſè & ſuo loco diſputat lib. 4. ibi.* Nunc *alijs alius cur ſit cibus, &c.*

QVIN ETIAM PASSIM NOSTRIS IN VERSIBVS IPSIS) *vtitur eadem ſimilitudine, atque adeò iiſdem verſibus lib. 2.*

SONITV DISTARE SONANTI) *ſonitu ſonanti ſic dictum, vt lib.* III. *anxius angor (niſi forte ibi legendum eſt, anxius ægror) apud* Plautum *amœnitas amœna,* Captiuis: *pretio pretioſo,* Epidico: *nitoribus nitidis,* Caſina: *pulchram pulchritudinem,* Milite glor. *acrem acrimoniam, apud* Næuium *in* Lycurgo: *ex* Nonio.

TANTVM ELEMENTA QVEVNT) *ἐπιφώνημα, ſeu acclamatio.*

Nunc & Anaxagoræ ſcrutemur ὁμοιομέρειαν,
Quam Græci memorant, nec noſtra dicere lingua

Concedit nobis patrij ſermonis egeſtas.
Sed tamen ipſam rem facile eſt exponere verbis,
Principium rerum quam dicit ὁμοιομέρειαν.
Oſſa videlicet è pauxillis, atque minutis
Oſſibu' ſic & de pauxillis, atque minutis
Viſceribus viſcus gigni, ſanguénque creari,
Sanguinis inter ſe multis coëuntibu' guttis:
Ex auríque putat micis conſiſtere poſſe
Aurum, & de terris terram concreſcere paruis:
Ignibus ex ignem, humorem ex humoribus eſſe:
Cetera conſimili fingit ratione, putátque:
Nec tamen eſſe vlla parte idem in rebus inane
Concedit: neque corporibus finem eſſe ſecandis.
Quare in vtraque mihi pariter ratione videtur
Errare, atque illi, ſuprà quos diximus antè.
Adde quòd imbecilla nimis primordia fingit:
Si primordia ſunt, ſimili quæ prædita conſtant
Natura, atque ipſæ res ſunt, æquéque laborant.
Et pereunt: neque ab exitio res vlla refrenat.
Nam quid in oppreſſu valido durabit eorum,
Vt mortem effugiat leti ſub dentibus ipſis?
Ignis, an humor? an aura? quid horum? ſanguen, an oſſa?
Nil, vt opinor: vbi ex æquo res funditus omnis
Tam mortalis erit, quàm quæ manifeſta videmus
Ex oculis noſtris aliqua vi victa perire.
At neque reccidere ad nihilum res poſſe, neque autem
Creſcere de nihilo, teſtor res antè probatas.

NVNG ET ANAXAGORÆ) *Nunc contra Anaxagoram accingitur. naxagoras (vt ſcribit M. Tull. lib. 2. Acad. quæſt.) materiam infinitam dixit eſſe, è ua omnia gignerentur: eáque, particulas ſimileis inter ſe, minutas, primò onfuſas, poſtea in ordinem adductas à mente diuina. Hic librum ſuum ſic orſus ſt:* ὁμοῦ πάντα χρήματα ἦν, νοῦς δ' αὐτὰ διῆρε, καὶ διεκόσμησεν: *id eſt, Simul erant res omes. mẽs autem ea diſtinxit, & in ordinẽ redegit. Quæ videntur eſſe à Moſe ſumta.*
OMOIOMEPIAN) *hoc nomen ſcriptum eſt litteris Latinis in aliquot lib. anuſcriptis. nos vulgatos ſecuti, Græcis excudendum curauimus, non pugnatui, ſi quis Latinis ſcribat.* ὁμοιομερῆ *autem dicuntur, quorum partes appellãtur noine totius. vt os, ſanguis, lapis. Nam quamuis hæc ſint inter ſe diſſimilia, conant tamen ſingula partibus ſimilibus.* ὁμοιομέρειαν *igitur, quam Anaxagoras prinipium rerum eſſe dixit, licet interpretari vel ſimilium partium naturam, vel parium ſimilitudinem.*

PRINCIPIVM RERVM) *ſic reſtitui, cùm in omnibus libris vulgatis legeretur, Principio, &c. atque hoc idcirco nunc annotaui, quod Thraſo ille, quem ſ[illegible] deſcribo, meam emendationem ſecutus, tacitam præteriit. quamquam quid in hoc queror, cùm idem fecerit in aliis innumerabilibus?*

OSSIBV', SIC ET DE) *ſic habent duo cod. manuſcr. quæ ſcriptura perſpicuè recta eſt. Nam vulgati vitioſe habent, Oßibus, & ſic de, &c.*

SANGVENQVE CREARI) *profert hunc verſum Non. Marcell. in voce, ſanguen, & in voce, viſcus. profert & Fl. ſoſipater Chariſius lib. 1. his verbis, ſanguis maſculino genere dicitur: & facit, hunc ſanguinẽ. sed Cato de habitu ait, ſanguen demittatur. & Lucret. viſceribus viſcus gigni, ſanguénq; creari. vtitur eodem nomine & Ennius lib. 2. annalium. O pater, ô genitor, ô ſanguen diis oriundum. Et idem Ennius apud M. Tull. lib. 5. de finib. non refugiat timido ſanguen, atque exalbeſcat metu? teſtatur & Priſcianus lib. 7. Denique A Gellius lib. 3. cap. 7. hæc Catonis verba profert. Eúmque inter mortuos defatigatum vulneribus, ægréque ſpirantem, quòd ſanguen defluxerat, cognouere. Probus quoque grammaticus in Catholicis hunc locum ſpectauit, cùm ſcripſit, Lucretium poſuiſſe hoc ſanguen, nouo more, cùm ſit hic ſanguis. Iterum Lucret. paullo infrà, ſanguen, an oſſa?*

EX AVRIQVE PVTAT MICIS) *ſic hac de re Laërt.* Καθάπερ ἐκ τῶν ψηγμάτων λεγομένων τὸν χρυσὸν συνεστάναι, οὕτως ἐκ τῶν ὁμοιομερῶν μερῶν μικρῶν τὸ πᾶν συγκεκρῖσθαι, καὶ νοῦν ἀρχὴν κινήσεως, *&c. id eſt, quemadmodum ex auri micis, quæ appellantur, aurum cõſtare: ita ex multis partibus ſimilibus paruis vniuerſum concretum eſſe: & mentem, motionis principium eſſe.*

IGNIBVS EX IGNEM, HVM. EX HVMORIB. ESSE) *Admonueram in prima editione, verſum hunc, qui reperitur in omnibus libris vulgatis: Sic ignem inter ſe paruis coëuntibu' naſci, abeſſe ab aliquot lib. manuſcript. eum autem, qui deinceps ſequitur, ſic legi in nonnullis vulgatis, Ignem ex ignibus, humorem ex humoribus eſſe: in manuſcriptis autẽ ſic: Ignibus ex ignis, hum. ex hum. eſſe. Vnde ortam mihi ſuſpicionem, verſum, Sic ignem &c. non eſſe Lucretianum: proximum autem ſic eſſe legendum, Ignibus ex ignem, humorẽ ex humoribus eſſe. Itaque in ſecunda editione, verſu illo deleto, ſic edendum curaueram, Ignibus ex ignem, humorem ex humoribus eſſe. atque hanc ſcripturam ſycophanta omnium hominum impudentißimus, ſibi arrogauit, vt & alias innumerabileis. eam igitur ego nunc, vt meam, vindico. Sententia autem ita aperta eſt, vt declarationem non requirat. Iam verò, ignibus ex,* ἀναστροφὴ *eſt, pro, ex ignibus. Quòd ſi quis malet legi, vt in vulgatis, Ignem ex ignibus, hum. &c. equidem non pugnabo. ſed antiquã ſcripturam malo.*

QVARE IN VTRAQVE MIHI PARITER) *in vtraque ratione: nempe & in eo, quòd tollit inane, & in eo, quòd vult, corpora in parteis infinitas ſecari poſſe: pariter, atque illi, id eſt æquè, atque illi, ſeu ita vt illi, videtur errare.*

ADDE QVOD IMBECILLA) *cùm primordia rerum debeant eſſe validißima, atque ab omni iniuria tuta.*

SI PRIMORDIA SVNT) ἐπανόρθωσις, *ſeu* διόρθωσις.

IN OPPRESSV VALIDO) *in acri oppreßione.*

VT MORTEM EFFVG. LETI SVB DENTIBVS IPSIS?) *ſic habent libri manuſcripti. quæ ſcriptura ſi emendata eſt, tralatio ducta eſt à feris: quæ, quidquid inuadunt, dentibus dilacerant, & diſcerpunt. In pleriſque libris*

vulgatis legitur, leti ſub cœtibus ipſis. in nonnullis, leti ſubeuntibus ipſis. planè mendoſè. aſſenſus ſum aliquando viro cuidam doctiſsimo, qui putabat hoc loco legendum eſſe, leti ſub motibus ipſis. cuius coniecturam poſſum confirmare exemplo ex libro 2. Et *quaſi iam leti dominantem in corpore motum. Ego tamen à vetere ſcriptura diſcedere non ſum auſus. Confirmare eam poteſt* Arnobius *lib. 2. aduerſus genteis.* Hæc *cùm ita ſe habeant, & cùm ab ſummo traditum teneamus auctore, non eſſe animas longe ab hiatibus mortis & faucibus conſtitutas, &c. tale eſt illud* Ciceronis, *vrbs ex faucibus* Fati *erepta: & illud* Craßi, *eripite nos ex faucibus eorum. & iterum illud* Arnobij *eodem libro, ab* Orci *faucibus vindicari.*

QVID HORVM? SANGVEN, AN OSSA?) *mire corrupti ſunt hoc loco codices tum manuſcripti, tum typis excuſi: eorúmque omnium varietatem longum ſit proponere. alij enim habent, ſanguinis ad nos? alij, ſanguinis, an'ne os? alij, ſanguis omos? alij, ſanguis* ὁμοίως*? alij aliter.* Ego *eam ſcripturam ſecutus ſum, & quæ proxime accedit ad veterem, & quam reperi aſcriptam ad oram cuiuſdam libri manuſcripti.* M. Anton. Muretus *putabat eſſè legendum, quid horum? ſanguis, an oſſum? Oſſum autem ab antiquis vſurpatum eſt, pro eſſe, teſte* Soſipatro Chariſio *lib. 1. Oſſo.* Varro *ad* Ciceronem *13. Oliuo & oſſo. idem: oſſe ſcribebant, non oſſo, quamuis* Gell. *lib. 33. dixerit, Caluariæque eius ipſum oſſum expurgarunt, inaurarúntque.* Idem Muretus *exiſtimat apud* Terent. *in* Eunucho *legendum, viden', oſſum, & cibus quid faciat alienus? ſed non eſt ita. nam ex librorum manuſcript. veſtigiis legendum, vt coniecit* Langius, Viden *os ſuum, & cibus quid faciat alienus? os ſuum autem, cibus alienus* ἀντίθετος *eſt. Iam quod quidam hoc loco legi voluit, ſanguiſne, an'ne os?* παρ'φωται.

ALIQVA VI VICTA PERIRE) *vi victa: comploſio, vt apud* Virgilium *ſæpe.* Siliqua *quaſſante legumen. &, ruit* Oceano *nox. & neque te teneo, neque dicta refello. vel dic eſſè* παρήχησιν.

AT NEQVE RECCIDERE) *ſic legendum, non recidere, aut recedere. reccidere autem dictum eadem ratione, qua reppulit,* Virgil. *lib. 4. connubia noſtra* Reppulit. *rettulit, redducere, repperit, ſubbigit, & ſimil.* Cic. *in* Mario. Subbigit *ipſe feris transfigens vnguibus anguem. refferre apud* Horat. *pro referre, in* Epiſt. *ad* Piſon. Vnde *pedem refferre pudor vetat, aut operis lex: vbi vulgò legitur, proferre.* Vtebantur *enim hac machina veteres ad productionem breuium ſyllabarum, in verbis compoſitis, vt primam litteram verbi ſimplicis geminarent. reccidere autem ad nihilum, id eſt, vt alibi loquitur, reuerti ad nihilum. ſic locutus eſt &* M. Tull. Phil *7. in extr.* Hunc *tuum tantum apparatum, támque præclarum ne ad nihilum recidere patiare.*

Præatereà, quoniam cibus auget corpus, alitque:
Scire licet, nobis venas, & ſanguen, & oſſa,
Et neruos, alienigenis ex partibus eſſe.
Siue cibos omneis commiſto corpore dicent
Eſſe, & habere in ſe neruorum corpora parua,
Oſſáque, & omnino venas, parteíſque cruoris:
Fiet, vti cibus omnis, & aridus, & liquor ipſe,
Ex alienigenis rebus conſtare putetur,

Oſſibus,& neruis,veníſque,& ſanguine miſto.
Prætereà,quæcunque è terra corpora creſcunt,
Si ſunt in terris: terras conſtare neceſſe'ſt
Ex alienigenis,quæ terris exoriuntur.
Transfer item:totidem verbis vtare licebit.
In lignis ſi flamma latet,fumúſque,ciníſque:
Ex alienigenis conſiſtant ligna neceſſe'ſt,
Ex alienigenis quæ lignis exoriuntur.

PRÆT. QVON. CIB, &c.) *Talis eſt vis huius argumenti. Corpus cibo augetur,& alitur:cibus autem,quo alimur,non eſt vnus, neque vnius generis. alimur enim, verbi gratia,pane,carnibus,piſcibus,radicibus,caſeo, fructibus, & bacis arborum, aqua,& vino, & ſimilibus. atqui hæc ſunt alienigena, & diſſimilia inter ſe. ergo neque venæ, neque ſanguis, neque cetera ſingula conſtant partibus ſimilibus: cùm omnia hæc, atque adeò ſingula, cibis illis omnibus alantur,& creſcant. Quòd ſi dicant,cibos omneis conſtare corpore miſto:ergo alienigenis partibus conſtabunt.*

SCIRE LICET NOBIS) *hunc locum nimis audaciter corruperant arrogantes quidam homines, &,quod grauius eſt, verſum proximum,neſcio quibus cauſis adducti,ſuſtulerãt. Alij nuper exorti, improbiſſimi, & immaniſſimi barbari,hanc meam emendationem ſibi arrogarant,vt alias ferè omneis.*

ET NERV. ALIEN. EX PART. ESSE.) *quia conſtant ex iis rebus, quibus aluntur, & augeſcunt. At ea, quibus alimur, & augemur, non ſunt eiuſdem generis,neque ſimilibus inter ſe partibus conſtant.*

ET NERVIS, VENISQVE) *ſic legendum,non vt habent quidam vulgati, neruis,ſaniéque: quamuis Turnebus aliter ſentiat. Sic enim ſuprà, Scire licet, nobis venas, & ſanguen, & oſſa, &c.*

QVÆ TERRIS EXOR.) *quæ alienigena ex terris oriuntur.*

TRANSFER ITEM) *transfer ſimiliter ad alia.*

EX ALIENIGENIS CONSISTANT) *nempe flamma,fumo,cinere.*

EX ALIENIGENIS QVÆ LIGNIS) *quæ alienigena, nempe flamma, fumus, cinis exoriuntur è lignis: quæ ligna alio ſunt genere, quàm flamma, fumus, cinis. verſum, qui in lib. vulgatis deinceps ſequebatur, Prætereà tellus, quæ corp. cúmque al. aug. temerè inculcatum, ſuſtuli. Hunc quoque verſum, Ex alien. q lign. exor. Thraſo delendum cenſet, ὄνος πρὸς λύρας.*

Linquitur hîc tenuis latitandi copia quædam:
Id quod Anaxagoras ſibi ſumit,vt omnibus omneis
Res putet immiſtas rebus latitare:ſed illud
Apparêre vnum, quoius ſint pluria miſta:
Et magis in promtu,primáque in fronte locata:
Quod tamen à vera longè ratione repulſu'ſt.
Conueniebat enim,fruges quoque ſæpe minutas,
Robore cùm ſaxi franguntur,mittere ſignum

Sanguinis,aut aliûm,in noſtro quæ corpore aluntur:
Quom lapidi lapidem terimus,manare cruorem:
Conſimili ratione herbas quoque ſæpe decebat,
Et latices,dulceis guttas,ſimilíque ſapore
Mittere,lanigeræ quali ſunt vbera lactis:
Scilicet & glebis terrarum ſæpe friatis
Herbarum genera,& fruges,frundeíſque videri
Diſpertita,atque in terris latitare minutè:
Poſtremò in lignis cinerem,fumúmque videri,
Cùm præfracta forent,igneíſque latêre minutos.
Quorum nil fieri quoniam manifeſta docet res:
Scire licet non eſſe in rebus res ita miſtas:
Verùm ſemina multi'modis immiſta latêre
Multarum rerum in rebus communia debent.

LINQ. HIC TEN. LATIT.) *Habet(inquit) hoc loco latebram Anaxagoras,in qua delitescat,nempe id, quod dicit, res omneis in omnibus rebus eſſe miſtas,& cõfuſas:ſed illud vnum apparêre,cuius plura ſint miſta, & in prima fronte poſita.* PLVRIA) *ſic legendum. ſic enim loquebantur veteres. Terent. Adelph. Te pluria in hac re peccare oſtendam. Idem Phorm. multa aduenienti,vt fit, noua hîc compluria. Cato Origin. lib. 2. fana hoc loco compluria. M. Tull. Protag. Confirmandi genera compluria. Quin A. Gellius teſtimonio veterũ cõfirmat, pluria & compluria potius eſſe dicendum,quàm plura, & complura.*

MINVTAS) *quidam libri manuſcr. habent,minacis. minacis autem(vt cohæreat cũ voce, ſaxi) interpretor, duri,rigidi. tralatio eſt. in vno cod. manuſcr. legitur minaci,vt coniungatur cum voce,robore: in quo ineſt etiam tralatio. in quibuſdam impreſſis, fruges quoque ſæpe minutas. atque ita habet codex Memm. eámque puto eſſe rectam ſcripturam.*

SANGVINIS) *quia ex frugibus gignitur ſanguis in corpore humano.*

AVT ALIVM) *aut aliorum, ſignum, ſubintell. quæ in noſtro corpore aluntur, verbi gratia, venarum, neruorum, oſſium. aliûm: id eſt aliorum. Sic eſſe legendum ratio & veritas aduincunt. Hoc enim ſentit Lucretius: Si verum eſſet quod Anaxagoras ſibi ſumit: conueniebat, fruges quoq; minutas, cùm moluntur, ſignum ſanguinis mittere, aut aliarum rerum, quæ in noſtro corpore aluntur, verbi gratia, neruorum, venarum, oſſium, &c. Quòd autem quidam legentes, aut aliquid, vt eſt in libris vulgatis, & nõnullis manuſcriptis, ſubiiciũt, noſtra quo corpora aluntur, modis omnibus ineptum eſt. Conueniebat, inquiunt illi, fruges minutas, aut aliquid præter fruges, quo noſtra corpora aluntur, ſignum mittere ſanguinis. falſum. Poſſent enim ſignum mittere oſſium, aut neruorum, aut venarum, &c. Prætereà illud fruges minutas, nimis longè diſtat, ab hoc, aut aliquid. deinde quòd in, aliquid ſubintelligũt, præter fruges, fictum ad libidinem contra vſum Latini ſermonis. Poſtremò verſus inconcinnus eſt, noſtra quo corpora aluntur. Quid multa? omnia ipſo auctore digna, Lucretio indigna, ratione carentia, atque abſurda.*

CVM LAPIDI LAPIDEM TER.) *Hæc ſcriptura probabilis eſt, ſiue,*

lapidi,ſit dandi caſus, ſiue ſeptimi pro lapide, vt colli pro colle, contagi pro contage, & ſimil. apud hunc ſcriptorem.

CRVOREM) *Putabam ferri non poſſe hanc lectionem vulgatã, manare cruorem: (quamobrẽm enim conuentebat ex lapidibus inter ſe colliſis & contritis cruorem manare?) legendúmque eſſe, manare calorem: id eſt ignem, ſeu flammam, vt ſit hic Lucretij ſenſus, Conueniebat, ſi Anaxagoræ ſententia vera eſſet, ex lapidibus inter ſe contritis calorem, id eſt ignem manare: ſed Turneb. cui aſſentior, receptam lectionem retinet, & ait, verba illa, Cùm lapidi lapidem terimus, intelligenda eſſe de quodam molendi genere, in quo lapis lapidem terit, vt eſt apud Plaut. Aſinar. Num me illuc ducis, vbi lapis lapidem teris? vt ſit hæc ſententia: conueniebat, ex frugibus, cùm eæ lapidibus duobus & molis contritis, moluntur, cruorem effusè effluere. cùm autem ita ſemper ediderim quidam barbarus calumniatur me edidiſſe, manare calorem, ex eo, quòd in erratorum emendationibus, ſcriptum fuerat, manare calorem: quod errore librarij factum eſt, qui initio ediderat, manare calorem, pro manare cruorem, meo iniuſſu: ſtatim autem ſuo errore cognito, in omnibus exemplis manare cruorem reſtituerat, quod ego neſciens, iuſſeram in erratorum numerũ hoc referri. quod fecit. idque peruersè. nam cùm eſſet in contextu, manare cruorem, rectè: ille inter erratorum emendationes poſuit, manare calorem.*

ET LATICES) *ſic legendum: & ita habent tres libri manuſcripti: quibuſcum conſentiunt lib. Pariſ. Veneti antiq Vicetini. conſimili ratione (inquit) conueniebat, herbas, quibus paſeuntur pecudes: & latices, id eſt aquas, quas potant, guttas dulceis, & lactei ſaporis, mittere.*

LANIGERÆ QVALI SVNT VBERA LACTIS) *ſimili ſapore, quali ſapore eſt lac ouile. vbera lactis, id eſt lac: lanigeræ, id eſt ouis, ſeu oui. hunc locum reſtitui à tribus codicibus manuſcriptis adiutus, quorum in duobus ſcriptum reperi, quali ſunt vbere: in tertio, quales ſunt vbera. idem Lucret. lib. 2. Ad ſua quiſque fere decurrunt vbera lactis. ſic Varro Tithono περὶ γήρως, dixit, mammã lactis.*

PRÆFRACTA) *in prima fronte, & in ſummo quaſi cortice fracta. ex quo præfracti dicuntur per tranſlationem duri, contumaces, peruicaces. Cic offic. 3, Cato nimis præfractè videbatur mihi ærarium defendere.*

MVLTI'MODIS) *id eſt multis modis. vel multimodis vna vox eſt, & cohæret cum voce, rebus, verſu proximo, multimodis in rebus. multi' modis autem pro multis modis vſurpatum eſſe à veteribus teſtatur M. Tull. in perf. orat. Sed quid ego vocaleis? ſine vocalibus ſæpe breuitatis cauſâ contrahebant, vt dicerent, multi' modis, vaſ' argenteis, paſsi' crinibus, tecti' fractis.*

At ſæpe in magnis fit montibus, (inquis) vt altis
Arboribus vicina cacumina ſumma terantur
Inter ſe, validis facere id cogentibus Auſtris:
Donec fulſerunt flammaï flore coorto.
Scilicet. & non eſt lignis tamen inſitus ignis.
Verùm ſemina ſunt ardoris multa: terendo
Quæ quom confluxere, creant incendia ſiluis.
Quòd ſi tanta foret ſiluis abſcondita flamma:
Non poſſent vllum tempus celarier ignes:

Conficerent

Conficerent volgò ſiluas:arbuſta cremarent.
Iámne vides igitur,paullo quod diximus antè,
Permagni referre,eadem primordia, ſæpe,
Cum quibus,& quali poſitura contineantur?
Et quos inter ſe dent morus,accipiántque?
Atque eadem paullo inter ſe mutata creare
Igneis è lignis? quo pacto verba quoque ipſa
Inter ſe paullo mutatis ſunt elementis,
Quom ligna,atque igneis diſtincta voce notemus.
Denique iam quæcunque in rebus cernis apertis,
Si fieri non poſſe putas,quin materiaï
Corpora conſimili natura prædita fingas:
Hac ratione tibi pereunt primordia rerum:
Fier vti riſu tremulo concuſſa cachinnent,
Et lacrymis ſalſis humectent ora,genáſque.

AT SÆPE IN MAGNIS) *occupatio eſt,per quam aduerſarium ita facit* *diſputantem,atque argumentantem:Quæ ex rebus exprimuntur, atque eliciuntur,* *in illis inſunt.ignis ex arboribus inter ſe colliſis,& conflictis elicitur.ergo ignis in* *arboribus incluſus latet.* Etiam *fatetur* Thucydides *lib.2.incendium oriri in ſiluis,* *ſponte arboribus inflammatis ex conflictu, his verbis.* ἤδη γὰρ ἐν ὄρεσιν ὕλη τριφθεῖσ' ὑπ' ἀνέμων πρὸς αὑτὴν ἀπὸ ταὐτομάτου πῦρ καὶ φλόγα ἀπ' αὐτοῦ ἀνῆκε. *Id eſt* Iam *in montibus ſilua à ventis in ſeſe contrita,ſponte ſua ex ſe ignem & flammam* *ſurſum extulit.* DONEC FVLSER. FLAMMAI FLORE) *Hunc locũ* *vereor à me eſſe prætermiſſum,qui in libris vulgatis ſic legitur:*Donec *fulſerunt flã-* *e fulgore coorto,quem tamen in codice* Bertiniano,& *Vaticano ita planè ſcriptũ* *deram.*Sed *neſcio quo modo fugit me ratio,cum præſertim eundem mihi indicaſ-* Adr.Turnebus *paucis antè quàm excederet è vita,diebus.* Sic *igitur legendum,* *ille admonuit ex libris veteribus.Flammaï flore autem,tralatio eſt .ſic* Horatius *dixit,Virens in Ætnà flamma.&* Homer.*contrà* ἰλ.Υ. φλὸξ ἐμαράνθη,*id eſt flamma* *emarcuit.qua de re plura in commentariis*Horat.Non *diſsimile eſt illud eiuſdem* Lu*cretij, lib.*IIII. *Bina lucernarum florentia lumina flammis.*

SCILICET) *reſpondens* Lucretius,*concedit aduerſario,verum eſſe, ex arboribus inter ſe colliſis flammam excitari:non tamen iccircò in arboribus ignem inſitũ* *eſſe:ſed quædam ignis ſemina ineſſe:quæ vbi terendo concurrerunt,& congregata* *ſunt:ſiluas incendunt.*Scilicet,*hoc loco affirmat,aut comprobat,proinde ac ſi ita lo*q*uatur,verũ eſt iſtud, quod dicis,neq; tamen,&c. in quibuſdam libris legitur,*Sci*licet:at non eſt.* QVÆ CVM CONFLVXERE) *quidam libri typis impreſſi habent,*Quæ *tum cùm fluxere.quidam,* Quæ *cùm conflixere.*

IAMNE VIDES IGITVR,&c.) *hæc huius loci ſententia eſt:*Iámne *igitur perſpicuum eſt id,quod paulo antè dixi,multa in rebus eſſe communia rerũ primordia,quæ alio atque alio ordine locata, & aliter,atque aliter mota,res diſsimiles ex ſe creant?id oſtendit à ſimilitudine litterarum,quam & ſæpe alibi vſurpat.* *Vtitur item hoc eodem verſus principio , aliis locis, vt lib. 2.* Iámne *vides igitur,*

quamquam vis extima multos, &c. & eodem lib. hanc eandem ſententiam iterat iiſdem pæne verſibus. Iámne vides igitur magni primordia rerum Referre in quali ſint ordine quæque locata? & lib 5. Iámne vides igitur, &c.

ATQVE EADEM PAVLLO INTER SE MVTATA) *non eſt hoc ita accipiendum, quaſi primordia rerum mutentur, ſed ad ordinis, poſituræ, motionis mutationem referendũ: quod ſatis declaratur ipſo loquendi genere, inter ſe mutata. vel intellige. primordia rerum aliquantum inter ſe diſsimilia ac diuerſa, nempe aliis in aliorum locum ſubſtitutis, vel aliis detractis, aliis adiectis.*

QVO PACTO) *quemadmodum. ſic ſæpe alibi: vt lib. 2. Pluma columbarum quo pacto in ſole videtur, & ſup. Aulide quo pacto Triuiai virginis aram, &c.*

CVM LIGNA ATQVE IGNEIS) *quemadmodum (inquit) cùm res diſsimiles, nempe lignum, & ignem paullùm mutatis litterarum elemẽtis, aliis additis, aliis detractis, diſtincta voce notamus.* CONSIMILI NATVRA) *id eſt homœomeria, conſimilibus partibus, ſeu conſimilium partium principiis.*

FIET VTI RISV TREMVLO) *quidam putant, inter hunc verſum, & ſuperiorem, aliquot verſus deeſſe: ego non puto. Itaque hunc locum ſic explico. Si quis exiſtimabit, nihil eorũ, quæ cernuntur oculis, aliunde, quàm ex principiis conſimilibus naſci poſſe, hac ratione primordia rerum peribunt, neque iam erunt primordia, ſed res concretæ, & genitæ. atque etiam animatæ, & rationis participes. Nam cùm homines naſcantur ex aliquibus principiis, & cùm iidem interdum cachinnentur, interdum lacrymentur. fiet, vt ea principia, ex quibus homines conſtãt, cachinnari quoque & lacrymari poſsint. quod erit abſurdiſsimum,*

CACHINNENT) *cachinnos tollant. Vtitur hoc verbo, etiam lib. 4 in extr. Quam famulæ longè fugitant, furtímque cachinnant.*

Nunc age, quod ſupereſt, cognoſce & clarius audi.
Nec me animi fallit, quàm ſint obſcura: ſed acri
Percuſſit thyrſo laudis ſpes magna meum cor:
Et ſimul incuſſit ſuauem mi in pectus amorem
Muſarum: quo nunc inſtinctus, mente vigenti
Auia Pieridum peragro loca, nullius antè
Trita ſolo: iuuátque integros accedere fonteis,
Atque haurire, iuuátque nouos decerpere flores:
Inſignémque meo capiti petere inde coronam,
Vnde prius nulli velarint tempora Muſæ:
Primùm quòd magnis doceo de rebus: & arctis
Relligionum animos nodis exſoluere pergo:
Deinde quòd obſcura de re tam lucida pango
Carmina, Muſæo contingens cuncta lepôre.
Id quoque enim non ab nulla ratione videtur.
Sed veluti pueris abſinthia tætra medentes
Cùm dare conantur, prius oras pocula circùm
Contingunt mellis dulci, flauóque liquore,

Vt puerorum ætas improuida ludificetur
Labrorum tenus, interea perpotet amarum
Abſinthi laticem, deceptáque non capiatur,
Sed potius tali tactu recreata valeſcat:
Sic ego nunc, quoniam hæc ratio plerumque videtur
Triſtior eſſe, quibus non eſt tractata: retróque
Volgus abhorret ab hac: volüi tibi ſuauiloquenti
Carmine Pierio rationem exponere noſtram,
Et quaſi Muſæo dulci contingere melle:
Si tibi fortè animum tali ratione tenere
Verſibus in noſtris poſſem: dum perſpicis omnem
Naturam rerum, qua conſtet comta figura.

NEC ME ANIMI FALLIT) *Hunc locum imitatus eſt Virg. lib. 3. Georg. Nec ſum animi dubius, verbis ea vincere magnum Quàm ſit, & anguſtis hunc addere rebus honorem: Sed me Parnaſi deſerta per ardua dulcis Raptat amor: iuuat ire iugis, quà nulla priorum Caſtaliam molli diuertitur orbita cliuo. Iam hoc genus loquendi, animi fallit, ſimile illis eſt, victus animi, maturus æui, ſaucius animi, &c. ſic & lib. 5. princip. Nec me animi fallit, quàm res noua, miráque menti Accidat, &c. Sic ſuprà. Nec me animi fallit, Graiorum obſcura reperta, &c.*

SED ACRI PERCVSSIT THYRSO) *θυρσοπλῆγες, id eſt thyrſo percuſsi appellantur οἱ ἐν ταῖς βακχείαις ἐνθαζόμενοι. id eſt qui in ſacris Bacchi furore diuino concitantur: & Bacchi ſacerdotes thyrſos geſtabant in Orgiis. Sunt autē thyrſi, haſtæ pampinis inuolutæ, atque implicatæ. Horat. lib. 2. od. 19. euœ: parce Liber, Parce graui metuende thyrſo.*

INCVSSIT AMOREM) *incutere amorem dixit, vt incutere metum, bellū, & ſimil. ſic ſup. princip. Omnibus incutiens blandum per pectora amorem.*

QVO NVNC INSTINCTVS) *quo nunc incitatus, ac ſtimulatus, inſtinctuo compoſitum eſt à verbo ſtinguo, vt præſtinguo, reſtinguo, exſtinguo, diſtinguo.*

AVIA PIERIDVM, &c) *producit tanquam teſtem hunc locum Quintil. lib. 8 cap. 6. de tropis. & ait eſſe allegoriam. Et certe hanc eandem ſententiam lib. [5.] videtur Lucretius propriis verbis, & ſine tropo expreſsiſſe, ibi, Denique natura hæc rerum, ratióque reperta eſt Nuper: & hanc primus cum primis ipſe repertus Nunc ego ſum, in patrias qui poſsim vertere voces. Sic & Horat. epiſt. 19. lib. 1. Libera per vacuum poſui veſtigia princeps: Non aliena meo preſsi pede: qui ſibi fidit Dux, regit examen. & Virg. lib. 3. Geórg. primus ego in patriam, modò vita ſuperſit, Aonio rediens deducam vertice Muſas, Et viridi in campo templum de marmore ponam. idem ibidem. Sed me Parnaſsi deſerta per ardua dulcis Raptat amor, &c. nam paullo antè retulimus. & Oppianus Κυν. α. [illegible] ἔχετε, καὶ [illegible] [illegible] ἀταρπόν, Τὴν μερόπων οὔπω τις ἑῆς ἐπάτησεν ἀοιδαῖς id eſt Eia age, ſtemus deſerta per aſpera currum, Quà nondum proprio callem quis carmine triuit. ſic Euſebius non longè à principio hiſtoriæ Eccleſiaſticæ dicit, ſe primum ingreſſum tale argumentum, tanquam deſertam quandā viam, & à nemine tritam inire auſum eſſe, &c. verba eius hæc ſunt. Ἐπεὶ καὶ πρῶτοι νῦν τῆς ὑποθέσεως ἐπιβαίνοντες, οἷά τιν' ἐρήμην, καὶ ἀτριβῆ ἰέναι ὁδὸν ἐγχειροῦμεν, &c. Iterantur hi aliquot verſus initio lib. 4.*

PIERIDVM) *Muſarum. Pieria Bœotiæ mons, in quo Muſæ genitæ dicuntur.*

SOLO) *ſolea, pede. Itaque rectè apud Varr. lib. 4. de lingua Lat. legit Scaliger F. quæ ſolo teri poſſunt, ſola terræ.*

INTEGROS) *nondum à quoquam libatos, ſeu deguſtatos: vel ſinceros, illimos, & puros, εἰλικρινεῖς.* ATQVE HAVRIRE) *è fontibus integris. intellige autem, hos eſſe muſarum fonteis. Sic Lucill. Satyra XXX. ex Nonio. Quantum haurire animus muſarum è fontibus geſtit. Quidam tamen ſubintelligi volunt, illa eadem duo, integros fonteis, vt ſit, atque haurire integros fonteis: idque hyperbolicôs dictum intelligatur. Quorum ſententiam adiuuat verſus ille, qui eſt ſuprà, vt in quibuſdam libris legitur. Vſque adeò largos hauſtûs è fontibus amneis, &c. Nam hauſtos legi malo: vt habent libri emendatiores.*

INSIGN. Q. M. CAP. P.) *id eſt & ex ea re meo capiti coronam expetere, ex qua re muſæ neminem corona donarint.*

RELLIGIONVM) *videtur ſignificare, religionem dici à religando: quanquam M. Tull. ducit à relegendo. à quo diſſentit Lactantius lib IIII. de vera ſapientia. cap. XXVIII. probans à religando dici. Idem Lactantius lib. 1. de falſa ſap. Magnum hoc opus, & homine dignum: Relligionum animos nodis exſoluere pergo, (vt ait Lucret.) qui quidem hoc efficere non poterat, quia nihil veri afferebat. Noſtrum eſt hoc officium, qui & verum Deum aſſerimus, & falſos refutamus.*

PERGO) *cod. Bertin. porgo: & item Memmianus, mendosè, opinor.*

PANGO) *vt ſuprà, verſibus eſſe, Quos ego de rerum natura pangere conor.*

CONTINGENS) *tingens, non à verbo tingo ſeu tinguo, ſed à tango. Idem infrà. Et quaſi Muſæo dulci contingere melle. Itaque paullo pòſt malim legi, tali tactu recreata valeſcat, quàm, vt ſcriptum eſt in libris omnib. tali facto.*

LEPORE) *duo lib. manuſcr. habent, liquore.*

NON AB NVLLA RATIONE) *hoc loco, ab, non tollit, aut priuat, ſed adiungit, atque adiuuat, vt locus à frumento copioſus: & à vero ſenſu indicas. non ab nulla ratione igitur, id eſt ab aliqua ratione, quod valet οὐκ ἀλόγως, meritò, cum aliqua ratione, non temerè.*

SED VELVTI) *teſtem producit hunc verſum Non. Marcell. in voce, abſinthium, & in voce, tætra. Quintilianus porrò lib. 3 in princip. hunc locum reſpiciens ita ſcribit. In ceteris enim admiſcere tentauimus aliquid nitoris non iactandi ingenij gratia, &c. ſed vt hoc ipſo magis alliceremus iuuentutem ad cognitionem eorum, quæ neceſſaria ſtudiis arbitramur, &c. qua ratione ſe Lucretius dicit præcepta philoſophiæ carmine eſſe complexũ. Namque hac (vt eſt notum) ſimilitudine vtitur. Ac veluti pueris, &c. vtitur eadem ſimilitudine & Themiſtius in oratione quadam ad Nicomedenſeis, μιμητέον ἡμῖν τοὺς σοφωτέρους τῶν ἰατρῶν, οἳ τὰ πικρότερα τῶν φαρμάκων μέλιτι τὴν κύλικα περιχρίοντες, πίνειν διδόασι. quem locum Themiſtij protulit Muretus Var. lect. lib 6. cap. 3. Imitandi (inquit) Themiſt. nobis ſunt ſapientiores medici: qui medicamenta amariora ægris dant ebibenda, oris poculi melle circumlitis.*

TÆTRA) *id eſt amara, vt Non. Marcellus interpretatur.*

MEDENTES) *medici.* CONTINGVNT) *in quibuſdam lib. legitur Aſpergunt: in nonnullis, Aſpirant, & ita apud Quintilianum, ſed ſine dubio mendosè. Nam aſpirant factum ex aſpergunt. aſpergunt autem credibile eſt fuiſſe interpretationem verbi contingunt, ab aliquo litterarum ſtudioſo ad oram libri ad-*

ſcriptam: deinde poſtea in contextum tranſlatam. Contingunt enim, compoſitum verbum eſt à verbo ſimplici, tango, non à tinguo. ex contactu autem rerum, maximè liquidarum, & coloratarum, & ſimilium, contrahitur ſimilis liquor, & color, aliáue talis qualitas.

DVLCI FLAVOQVE) *epithetis vſus eſt valde accommodatis. mel enim dulce, & flauum eſt.*

DECEPTAQVE NON CAPIATVR) ὀξύμωρον. *quale eſt illud. cum tacent, dicunt. quomodo enim qui deceptus eſt, non capiatur? niſi dicamus, deceptam quidem eſſe puerorum ætatem labrorum tenus, ſed iccircò non capi, quia abſinthij ſucco perpotato conualeſcit.*

TALI TACTV RECR. VAL.) *Sic malo legi, tali tactu, inquam, id eſt tali contactu, quàm, vt vulgo legitur, tali facto recr. val. quia lib. V. vbi hi verſus iterantur, ita ſcriptum eſt, non, vt hoc loco, tali facto. valeſcat autem, id eſt conualeſcat, valida fiat.*

RETROQVE VOLGVS ABHORRET) *ſic habent omnes libri manuſcripti: neque video quamobrem hanc ſcripturam reijcere debeamus. nam retro abhorrere nihil aliud eſſe puto, quàm horrendo retro cedere, refugere, & reformidare, vt lib. 2. Æneid. Obſtupuit, retróque pedem cum voce repreßit: Improuiſum aſpris veluti qui ſentibus anguem Preßit humi nitens, trepidúſque repente refúgit, &c. Hom. ιλ. γ. παλίνορσος ἀπέστη. & paullo pòſt, Αψ ἀνεχώρησε. libri ferè omnes typis excuſi habent, ideóque Volgus, &c.*

ET QVASI MVSÆO DVLCI COMTINGERE) *quidam libri habent, continguere. Ego contingere magis probo, à verbo tango.*

QVA CONSTET COMTA FIGVRA) *comta, id eſt prædita, atque ornata. Atque ita ſcriptum eſt in quattuor libris manuſcriptis, & in Pariſ. Venetis antiquis, Vicetinis, & quibuſdam aliis impreßis. in vno ſcripto, & nonnullis excuſis, qua conſtet cuncta figura. Hoc autem, conſtet comta, tale eſt, quale illud ſuprà, priuata carerent.*

Sed quoniam docui, ſolidiſſima materiaï
Corpora perpetuò volitare inuicta per æuum:
Nunc age, ſummaï ecquæ'nam ſit finis eorum,
Nécne ſit, euoluamus: item, quod inane repertu'ſt,
Seu locus, ac ſpatium, res in quo quæque gerantur,
Peruideamus vtrùm finitum funditus omne
Conſtet: an immenſum pateat, vaſtéque profundum.
Omne, quod eſt igitur, nulla regione viarum
Finitu'ſt. namque extremum debebat habere.
Extremum porrò nullius poſſe videtur
Eſſe, niſi vltrà ſit quod finiat, vt videatur,
Quo non longius hæc ſenſus natura ſequatur.
Nunc, extra ſummam quoniam nihil eſſe fatendum eſt,
Non habet extremum: caret ergo fine, modóque:

Nec réfert quibus adſiſtas regionibus eius.
Vſqueadeò quem quiſque locum poſſidit, in omneis
Tantundem parteis infinitum omne relinquit.
Præthereà, ſi iam finitum conſtituatur
Omne quod eſt ſpatium: ſi quis procurrat ad oras
Vltimus extremas, iaciátque volatile telum:
Id validis vtrùm contortum viribus ire,
Quod fuerit miſſum, mauis, longéque volare:
An prohibere aliquid cenſes, obſtaréque poſſe?
Alterutrum fatearis enim, ſumáſque neceſſe'ſt.
Quorum vtrumque tibi effugium præcludit: & omne
Cogit vt exemta concedas fine patére.
Nam ſiue eſt aliquid, quod prohibeat, officiátque,
Quo minu', quo miſſu'ſt, veniat, finíque locet ſe:
Siue foras fertur: non eſt ea fini' profectò.
Hoc pacto ſequar: atque, oras vbicunque locaris
Extremas, quæram, quid telo denique fiat.
Fiet vti nuſquam poſſit conſiſtere finis:
Effugiúmque fugæ prolatet copia ſemper.

NVNC AGE SVMMAI ECQVÆNAM SIT FINIS EORVM, NEC'NE SIT, EVOLV. ITEM, QVOD INANE &c.) *Hunc locum in omnibus libris vulgatis deprauatum, in quibus eſt, Nunc age, ſumma audi, quæ nam ſit, &c. reſtitui germanæ ſcripturæ veſtigia ſecutus, in vetuſtis exemplaribus non leuiter impreſſa. Sic enim habet codex Vatic. Nec ſi te voluamus: Tertianus & Faern. Nec ſi te voluimus. Bert. & Memm. Nunc age ſumma quæ'nam ſit finis eorum, Nec ſit euoluamus. Ex his igitur vitioſis ſcripturis ad rectam, & veram quaſi manu ductus ſum: cuius hæc ſententia eſt. Nunc, age, explicemus, ecquæ, ſeu ecqua, id eſt vtrùm aliqua ſit finis ſummæ corporum primorum, nécne ſit.*

RES IN QVO QVÆQVE GERANTVR) *ſic omnes quidem habent libri vulgati: ſed videtur legendum, genantur, non gerantur. Verumtamen nihil mutandum cenſeo. ſimiliter (inquit) peruideamus, vtrùm inane, ſiue locus ac ſpatium, in quo res quæque geruntur ſeu gignuntur, ſit prorſus finitum, an infinitũ.*

AN IMMENSVM PATEAT VASTEQVE PROF.) *duo lib. manuſcripti habent, vel ad vſque prof. vt & vulgati. Vatic pateat ad vſque. Bertin. & Memm. pateat, vaſtéque. quam ſcripturam ſequor. nam vulgata, pateat vel ad vſque prof. ſuppoſititia eſt: quãuis eam nonnulli veteres confirmare videãtur. Nam ratio præter alios codices antiquos meliores, eam refellit. Quod enim patet, vſque ad profundum. finitum eſt. Nunc autem euoluere, & explicare parat, vtrùm ſumma rerum ſit finita, an pateat immenſum, & vaſtè profundum, id eſt, an ſit infinita. nam quod vaſtè eſt profundum, non habet fundum.*

OMNE, QVOD EST IGITVR) *Omne, quod eſt (inquit) id eſt. τὸ πᾶν, ſeu τὸ ὄν, ipſum vniuerſum, eſt infinitum, ſiue ſpectes magnitudinem, atque infini-*

tatem vacui. ſiue primorum corporum multitudinem infinitam. Cuius rei hanc rationem afferebat Epicurus. *Nam ſi inane quidem eſſet infinitum, corpora autem finita: numquam copulari, aut cohæreſcere poſſent: ſed perpetuò in infinito inani diſperſa, ac diſiecta ferrentur, cùm, vbi niterentur, aut quibus fulcirentur, aut vnde coërcerentur, plagis, & verberibus iteratis, non haberēt. ſin corpora quidem eſſent infinita, inane autem finitum: non haberent corpora infinita, vbi continerentur.* Ad *hunc locum pertinent quæ ſcribit* M. Tull. *lib* 2 *de* Diuinatione. *Videſne* Epicurū, *quem hebetem, & rudem dicere ſolent* Stoici, *quemadmodum quod in natura rerum omne eſſe dicimus, id infinitum eſſe concluſerit? Quod finitum eſt (inquit) habet extremum. Quis hoc non dederit? Quod habet extremum, id cernitur ex alio extrinſecus. ne hoc quidem negari poteſt. at quod omne eſt, id non cernitur ex alio extrinſecus nihil igitur cùm habeat extremum, infinitum ſit neceſſe eſt.* Verba Epicuri *hæc ſunt ex* Laërtio. Ἀλλὰ μὴν καὶ τὸ πᾶν ἄπειρόν ἐστι. τὸ γὰρ πεπερασμένον, ἄκρον ἔχει. τὸ δὲ ἄκρον παρ' ἕτερόν τι θεωρεῖται. ἀλλὰ τὸ πᾶν δ' οὐδέν ἐστι. ὥστε οὐκ ἄκρον ἔχει. τὸ δ' οὐκ ἔχον ἄκρον, πέρας οὐκ ἔχει. πέρας δ' οὐκ ἔχον, ἄπειρον ἂν εἴη. *id eſt,* At etiam omne, *infinitum eſt.* Nam *quod finitum eſt, extremum habet. extremum autem ex alio quodam, ſeu præter aliud cernitur. at præter omne nihil eſt. Quare extremum non habet. at quod non habet extremum, finem non habet. quod autem finem non habet, infinitum ſit oportet.* NAMQVE EXTREMVM DEBEBAT HAB.) *cod.* Bertin. *habet, nanquam. ex qua ſcriptura quidam vir doctus legendum putat Nam quà. quà autem id eſt aliqua in parte.*

NISI VLTRA SIT QVOD FINIAT.) *id eſt, niſi id, quod finiat, ſit vltra id, de cuius fine, aut infinitate quæritur. quidam legendum putant, extrà, pro vltra: quæ ſcriptura magis conſentanea eſſet cum verbis* Epicuri *&* M. Tullij.

VT VIDEATVR, QVO NON LONGIVS HÆC) *locus obſcurus, atque adeò corruptus. ſecutus ſum tamen ſcripturæ veteris auctoritatem: quam ſic interpretor: vt videatur, nempe id extremum, quod finiat: Quo longius, &c. id eſt vltra quod, hæc natura ſenſus; id eſt viſus, ſeu aſpectus, non ſequatur, id eſt, non poſſit vim ſuam explicare, atque expromere: ſeu non poſſit peruenire hæc ſenſus natura autem.* ἀκροτης. *Quidam viri docti legendum putant, Quoad non longius hoc: id eſt, vſque ad quod extremum, & non longius hoc, ſenſus natura, nempe viſus, perueniat. codices vulgati habent, Quod non longius hæc. quæ ſcriptura ſine dubio deprauata & corrupta eſt. Cùm hæc ſcripſiſſem anno* CIϽ IϽ. LXIII. *barbarus quidam* Zoilus *tribus annis pòſt hæc ſibi vindicauit, vt alia ſexcenta, atque adeò omnia mea, paucul is exceptis.*

NVNC EXTRA SVMMAM QVON.) *Nunc, hoc loco vim habet aduerſandi, vt ſæpe aliàs. ex hoc loco, extra ſummam, probabilis eſt eorum coniectura, qui putant paullo antè legendum, niſi extrà ſit quod finiat. iam verò mendoſè habent quidam libri, extra ſummum.*

NON HABET EXTREMVM: CARET ERGO, &c.) Ex Epicuro *ſunt hæc expreſſa.* οὐκ ἄκρον ἔχει. οὐδὲ δὴ πέρας ἔχει.

PRÆTEREA SI IAM) *liber vnus ſcriptus habet,* Præterea *ſic iam. ego tamen nihil muto.*

SI QVIS PROCVRRAT) *ſic habēt omnes ferè libri typis impreſſi. duo manuſcripti, &* Aldini *antiq cum* Pariſ. *percurrat.*

IACIATQVE VOLATILE) Virg *lib.* 4. *Æneid. liquitque volatile fer-*

rum Neſcius, &c. Idem lib. 8 Stuppea flamma manu, teliſque volatile ferrum ſpargitur. iaciat telum autem, ab oris extremis, aut certe ab eo loco, in quo finem conſtituerit. ID VALIDIS VTRVM, &c.) *ſic reſtitui, hanc ſcripturam efflagitante ſententia, & ipſa veritate. Id telum (inquit) vtrùm vis longè volare, magnis viribus, validiſq; lacertis contortum, an aliquid obſtare poſſe cenſes? Virg. lib. 2. validis ingentem viribus haſtam Contorſit. Qui, inualidis, retinent, quod eſt in libr. vulgatis, & valde validis interpretantur, πτύφλωνται, καὶ πτύφωνται.*

QVO FVERIT MISSVM) *eò volare & peruenire, quò fuerit miſſum. ſic autem legendum videtur, non, quod fuerit, vt eſt in aliis, quamquam etiam hæc lectio ferri poteſt. ſed enim ita vt edendum curaui, loquitur ſeptimo ab hinc verſu, infrà, ibi, Quò minus, quò miſſum eſt, veniat &c. volare autem, tranſlatè poſitum eſt. virg. lib. 9. volat Itala cornus Aëra per tenerum. Homer. ἰλια ε. ἀπὸ ἔπτατο πικρὸς ὀϊστός.* QVORVM VTRVMQVE TIBI EFF.) *id eſt, vtrumcumque ſumſeris, effugiendi viam tibi intercludit: vtrumcumque dixeris, elabi non potes, ita vt cogaris concedere & fateri omne eſſe infinitum, ſeu ſine fine in omneis parteis patêre.*

QVOD PROHIBEAT, OFFICIATQVE, &c.) *ſic legendum. prohibeat autem proceleumaticus eſt, vt, Genua labent: & alibi, Arietat in portas. licet etiã legere, proibeat, ſeu præbeat, τεκμάζωσι. officiat, id eſt obſtet.*

NON EST EA FINI' PROFECTO) *ſic reſtitui, Io. Aurato approbatore, atque adeò auctore. ſententia autem perſpicua eſt. Siue (inquit) obſtat aliquid telo, quo minus eò, quò miſſum eſt, perueniat, nempe ad finem: ſiue foras fertur: profectò non erat is finis, quem eſſe poſueras. Nam ſi quid obſtat, corpus eſt. at corpus eſt in vniuerſo, & eſt res genita. ſi nihil obſtat, non eſt finis. nam ſi finis eſſet, telum vltrà non volaret. natum autem mendum eſt ex nomine fini', in quo s. eliſum eſt, vt integrum ſit, finis: & ex voce profectò: quæ deprauata factum eſt ab imperitis & indoctis, profectum, & ex, ea, à. Solet autem Lucr. libenter hoc aduerbiũ, profectò, vſurpare, & in extremo verſu ponere, vt ſup. Tactus enim leti omnibus eſſet cauſa profectò. & inf. eod. lib. Nec quos quæque darent motus, pepigere profectò. & lib. 3. Nec, quod ſub magno ſcrutentur corpore, quicquam Perpetuam ætatem poterunt reperire profectò. ibidem. Hæc neque ſunt vſquam, neque poſſunt eſſe profectò.*

EFFVGIVMQVE FVGÆ PROLATET) *id eſt, & fiet, vt fugæ copia, id eſt ſpatij infinitas perpetuum telo effugiendi, atque euolandi locũ præbeat. prolatare, eſt amplificare, & porrotenus latius facere.*

Præterea, ſpatium ſummaï totius omne
Vndique ſi incluſum certis conſiſteret oris,
Finitúmque foret: iam copia materiaï
Vndique ponderibus ſolidis confluxet ad imum:
Nec res vlla geri ſub cæli tegmine poſſet:
Nec foret omnino cælum, neque lumina ſolis:
Quippe vbi materies omnis cumulata iacêret
Ex infinito iam tempore ſubſidendo.
At nunc nimirum requies data principiorum

Corporibus

Corporibus nulla'ſt:quia nil eſt funditus imum,
Quò quaſi confluere,& ſedes vbi ponere poſſint:
Semper,& adſiduo motu res quæque geruntur,
Partibus in cunctis,æternáque ſuppeditantur
Ex infinito cita corpora materiaï.
Poſtremò ante oculos rem res finire videtur:
Aër diſſæpit colleis,atque aëra montes:
Terra,mare:& contrà mare terras terminat omneis.
Omne quidem verò nihil eſt,quod finiat extrà.
Eſt igitur natura loci,ſpatiúmque profundi:
Quod neque clara ſuo percurrere flumina curſu,
Perpetuo poſſint æui labentia tractu:
Nec prorſum facere,vt reſtet minus ire meando.
Vſqueadeò paſſim patet ingens copia rebus,
Finibus exemtis,in cunctas vndique parteis.

PRÆTEREA, SPAT. SVMM.) *alind argumentum, quo probat, ſpatium eſſe immenſum,infinitum,& ,vt ſuprà locutus eſt, vaſtè profundum. Si ſpatium totius ſummæ finitum eſſet, & fundo aliquo terminaretur:corpora prima ſuo pondere ad imum confluxiſſent. quo facto,nihil amplius ſub cælo gigni poſſet. At videmus quotidie res gigni,&c. Ergo,&c.* CONFLVXET) *confluxiſſet: cuiuſmodi ſunt illa apud Virg. vixet, pro vixiſſet,exſtinxem,pro exſtinxiſſem, apud Horat.erepſemus, pro erepſiſſemus, diuiſſe, pro diuiſiſſe,euaſti,pro euaſiſti. apud hunc eundem,conſumſe,pro conſumſiſſe: & alia ſexcenta.*

NEC RES VLLA GERI) *legendum hîc videtur, geni, reclamantibus quidem omnibus codicibus: ſed peruincente veritatis voce. geni, autem valet gigni,vt ſæpe iam admonui. verumtamen ſi quis peruicax,geri,retineat,geri, (quod ſæpe iam ante dixi) tractum erit à re militari, & à munere imperatoris,qui res gerit. Nam hoc loco profectò non poteſt Thraſo interpretari, res geri, res ferri, niſi ſecum ipſe impudentia certare volet.*

SVB CÆLI TEGMINE) *ſub cælo. M. Tull. in Arato, Inde eſt ales auis lato ſub tegmine cæli.* QVIPPE VBI) *quippe quia.*

GERVNTVR) *id eſt adminiſtrantur à natura rerum: vel lege, genuntur: id eſt gignuntur: vel potius,cientur,id eſt,mouentur. Ego tamen geruntur retineo.*

SVPPEDITANTVR) πείζεται: *ſuggerũtur, & ſufficiũtur ad res gignẽdas.*

POSTREMO) *argumentum à diſsimili,noto, & confeſſo. aër quidem monteis terminat, & mõtes aëra, & ita de ceteris: ſed omne nulla re extrinſecus terminari poteſt,cùm extra omne nihil ſit: vel dic eſſe argumentum à ſimili,hoc modo: ſi omne eſſet finitum, neceſſe eſſet, id ab aliqua re externa terminari, quẽadmodum, quæ in promtu ſunt, aër monteis terminat,montes aëra finiunt, terra mare, & mare terram: ſed nihil eſt extrà,quod omne terminet: ergo omne eſt infinitum.*

PERPETVO POSS. ÆVI LAB. TR.) *tractu æui,id eſt,productione, & continuatione ætatis. ſic longos flammarũ tractus dixit lib.2. ſic lib.6.corporis tractum.* VT RESTET MINVS IRE MEANDO) *nec poſſunt fa-*

cere flumina meando,id eſt fluendo,& labendo, vt minus viæ reſtet. in quibuſd. codicib.legitur,percurrere fulmina curſu.quam ſcripturam non probo.

Ipſa modum porrò ſibi rerum ſumma parare
Ne poſſit,natura tenet:quia corpus inani,
Et quod inane autem'ſt,finiri corpore cogit:
Vt ſic alternis infinita omnia reddat.
Aut etiam alterutrum,niſi terminet alterum eorum,
Simplice natura & pateat tantum immoderatum:
Nec mare,nec tellus,nec cæli lucida templa,
Nec mortale genus,nec diuûm corpora ſancta
Exiguum poſſent horaï ſiſtere tempus.
Nam diſpulſa ſuo de cœtu materiaï
Copia ferretur magnum per inane ſoluta:
Siue adeò potius numquam concreta creaſſet
Vllam rem:quoniam cogi diſiecta nequiſſet.
Nam certe neque conſilio primordia rerum
Se ordine quæque ſuo,atque ſagaci mente locarunt:
Nec,quos quæque darent motus,pepigere profectò:
Sed quia multimodis, multis mutata per omne
Ex infinito vexantur percita plagis:
Omne genus motus,& cœtus experiundo,
Tandem deueniunt in taleis diſpoſituras,
Qualibus hæc rebus conſiſtit ſumma creata:
Et multos etiam magnos ſeruata per annos,
Vt ſemel in motus coniecta'ſt conuenienteis,
Efficit,vt largis auidum mare fluminis vndis
Integrent amneis,& ſolis terra vapore
Fota nouet fætus,ſummiſſaque gens animantum
Floreat,& viuant labentes ætheris ignes.
Quod nullo facerent pacto,niſi materiaï
Ex infinito ſuboriri copia poſſet,
Vnde amiſſa ſolent reparari in tempore quoque.
Nam veluti priuata cibo natura animantum
Diffluit amittens corpus:ſic omnia debent
Diſſolui,ſimul ac defecit ſuppeditare
Materies, recta regione auerſa viaï.
Nec plagæ poſſent extrinſecus vndique ſummam
Conſeruare omnem,quæcunque eſt conciliata.
Cudere enim crebrò poſſunt,partémque morari,

Dum veniant aliæ,ac ſuppleri ſumma queatur.
Interdum reſilire tamen coguntur, & vnà
Principiis rerum ſpatium,tempúſque fugaï
Largiri,vt poſſint à cœtu libera ferri.
Quare etiam atque etiam ſuboriri multa neceſſe'ſt.
Et tamen vt plagæ quoque poſſint ſuppetere ipſæ,
Infinita opus eſt vis vndique materiaï.

IPSA MODVM PORRO) *natura (inquit) impedit, quo minus ſumma rerum ſibi modum, ſeu finem comparare poßit, propterea quòd inane corpore, ſeu pleno, terminatur: corpus, ſeu plenum, inani. Nam (vt dicebat Epicurus)* τὸ πᾶν ἄπειρόν ἐστι τῷ τε πλήθει τῶν σωμάτων, καὶ τῷ μεγέθει τοῦ κενοῦ, *id eſt omne, ſeu vniuerſum, infinitum eſt & multitudine corporum, & magnitudine inanis.*

AVT ETIAM ALTERVTRVM, NISI TERMINET ALTERVM EORVM, SIMPL. NATVRA ET PATEAT TANTVM IMMOD) *Si quis locus eſt in hoc libro difficilis, & obſcurus, hic eſt: neq; fortaſſe mendo vacat. Ioannes Auratus, homo acerrimi iudicij, idémque amicus, & collega meus, putabat priorem quidem verſum ſic eſſe legendũ, vt legitur in vulgatis: Aut etiam alterutrum, niſi terminet alterum eorum: poſteriorem ſic: Simplice natura pateat totum immoderatum: (nam in vulg. legitur, tantum) vt per, totum, intelligamus* τὸ πᾶν, *quod aliàs appellat, omne: immoderatum autem ſimplice natura, id eſt infinitum vna natura, videlicet inani: Sed libri omnes manuſcripti habent, pateat tamen: neque habent copulationem, &, poſt vocem, natura: & ita vulgati Pariſ. Veneti, Vicetini. cuius ſcripturæ rationem explicare non poſſum, niſi quis dicat, ita legendum in priore verſu, Aut ſi, etiam alterutrum ſi terminet alterum eorum, Simplice natura pateat tamen immoderatum: hac ſententia, Aut ſi, etiam ſi alterutrum terminet alterum eorum, pateat tamen immoderatum ſimplice natura, id eſt, inane tamen ſit infinitum vnica natura, hoc eſt corpora prima non ſint infinita, ſed inane duntaxat ſit infinitum, &c. Sed quomodo ſi alterutrum ab altero vſque ad infinitum terminatur, poteſt eſſe alterũ duntaxat infinitum? Omnino locus eſt mihi quidem inexplicabilis, neque habeo, quod afferam, quicquam melius. ſcripturam igitur, quæ reperitur in omnibus libris vulgatis, quod ad priorem verſum attinet, videamus, eamq; ſic interpretemur: Aut etiam niſi alterutrum alterum eorum terminet, & ſi immoderatum ſimplice natura, id eſt ſpatium immenſum vnica natura tantummodo pateat, quod eſt dicere, ſi inane duntaxat ſit infinitum, corpora autem prima ſint finita: nec mare, nec, &c. Atque hanc huius implicatiſsimi loci explicationem probabat Muretus. cui hac tertia editione aſſenſus ſum. Sed velim copulationem, &, poni in fine verſus prioris, hoc modo, Aut etiam, alterutrum niſi terminet alterum eorum, & Simplice natura pateat tantùm immoderatum. Præterea poſterior verſus videtur mihi ſic eſſe explicandus. Et immoderatum ſimplice natura tantum pateat: id eſt ſi vel infinitum inane ſit tantum ſine corporibus infinitis: vel infinita corpora ſint tãtùm ſine inani infinito: ſi hoc ita ſit: Nec mare, nec tellus, &c. Hæc mihi nunc tandem huius obſcuriſsimi loci videtur eſſe ſententia. Sic autem vſurpauit vocem, immoderatum, M. Tull. lib. 2. de nat. Deor. Vides ſublime fuſum, immoderatum æthera, Qui tenero terram circumuectu amplectitur.*

NEC CÆLI LVCIDA TEMPLA) *Ennius apud M. Tull. lib. 2. de diuin. Quanquam multa manus ad cæli cærula templa Tendebam lacrymans.*

SIVE ADEO POTIVS) *διόρθωσις quid dixi, futurum fuiſſe, vt copia materiaï de ſuo cœtu & concilio depulſa, per inane immenſum differretur? immo verò nunquam quicquam congrediendo genuiſſet. ratio eſt in promtu: quoniam ſi inane duntaxat eſſet infinitum, prima autem corpora finita: nunquam illa congredi, nunquam cohærere potuiſſent, ſed per infinitum inane diſperſa vagarentur. tale eſt illud ſuprà, quæ, ſi non eſſet inane, Non tam ſollicito motu priuata carerent, Quàm genita omnino nulla ratione fuiſſent.*

QVONIAM COGI DISIECTA) *id eſt quoniam cùm materia eſſet diſſipata & diſtracta, in vnum conuenire, & conciliari non potuiſſet.*

NAM CERTE) *occupatio. diceret enim aliquis, at mens, aut Deus poſſet materiam diſſipatam colligere, & congregare, & ita res creare. hoc negat, & refellit Lucretius ex Epicuri ſententia.*

SE ORDINE QVÆQVE SVO, ATQVE SAGACI) *hanc ſcripturã traxi ex quattuor manuſcr. codicib. leui immutatione facta, lõge (opinor) vulgata meliorem, &, niſi fallor, veram, & rectam. Ordo autem verborum, & ſententia hæc eſt. nam certè neque conſilio atque ſagaci mente (conſilio autem, id eſt cõſultò) primordia rerum ſe quæque ordine ſuo locarunt, neque pepigere, &c. ſic autem habent lib. manuſcr. Ordine ſe ſuo quæque, atque ſagaci mente locarunt. Itaq; in hoc loco reſtituendo ordinem verborum tantùm mutaui: nihil de meo addidi, nihil detraxi. Sed non diſſimulabo lectori, mihi aliquando viſum eſſè ſic eſſe legendum, Se ordine ſo quæque, atque ſagaci mente loc. cùm putarem, ſuo, natum eſſe. ex interpretatione vocis, ſo, ad oram libri adſcripta, deinde, ſo, verſum in ſe, & ita factum, ſe ſuo: Se autem, quod erat in principio verſus, quaſi ſuperuacaneum deletum.*

VEXANTVR PERCITA PLAGIS) *Democritus dicebat, κινεῖσθαι τὰ σώματα κατ' ἀλληλοτυπίαν ἐν τῷ ἀπείρῳ, id eſt moueri corpora prima in infinito plagis mutuis ac reciprocis. Sic M. Tull. de Epicuro lib. I. de Finibus. Cenſet, in infinito inani, in quo nec ſummum, nec infimum, nec medium, nec vltimum, nec extremum ſit, corpora indiuidua ita ferri, vt concurſionibus inter ſe cohæreſcant: quem locũ ſuprà protuli. ſed non diſſimulabo, in codicibus duobus manuſcriptis, Faerni, Tettij, ſcriptum eſſe, verſantur perc. pl.* AVIDVM MARE) *Horat. auarum appellat.*

INTEGRENT AMNEIS) *ſic legendum: & ita ſcriptum eſt in quinque lib. manuſcr. nam vulgati quidam habent, integerent. mendosè. Accius apud Nonium. Nam huc venio, vt mea ope opes Troiæ integrem. Arnobius lib. 2 aduerſus genteis. virtutum omnium ſeruamus, atque integramus tenorem. Idem ibidem infrà. columba manu miſſa reuolare diſcit ad dominicas ſedes: canis cùm inuenerit prædam, cohibere & continere latratum: verba pſittacus & integrare, & nomina prorſus expromere.*

VAPORE) *id eſt calore, vt ſæpe aliàs: & ita Virg. & Horat. non ſemel.*

VIVANT) *tralatio eſt ab animatis ad ignem, admodum vſitata ſcriptoribus omnibus Græcis ac Latinis. Horat. od. 21. lib. 3. Viuæ que producent lucernæ, Dum rediens fuget aſtra Phœbus. Sic Græci, ſcintillam, ζώπυρον, id eſt ignem viuum, ſeu ignis vitam dicunt, & ζωπυρεῖν apud illos valet, ignem excitare.*

LABENTES) *ſuprà princip. cæli ſubter labentia ſigna.*

SVBORIRI) *in locum decedentium, aut pereuntium oriri, & quaſi ſubne-*

nire, atque in ſubſidium oriri. VNDE AMISSA SOLENT REP. IN TEMPORE QVOQVE) huius ſcripturæ ſententia non eſt obſcura. hoc enim per eam ſignificatur, materiæ copia in locũ eius, quæ defluit ex corporibus compoſitis, & rebus genitis, ſuboriente, in quoque tempore ea, quæ ſunt amiſſa, reparari, ac reſarciri. Proximè autem acceßi ad ſcripturam veterem. Nam in libris manuſcriptis ferè omnibus legitur partim, in tempore quæque: partim, in tempore quoq;: in plerìſque autem impreßis, in corpore quæque: ex qua lectione quidam legi volunt, in corpore quoque: id eſt in quaque re genita corporea. Quòd ſi quis malet legi, reparari corpora quæque, vt quidam vir doctus, non repugnabo. ego tamen vel eam, quam ſecutus ſum. & antiquã, tutiorem eſſe puto: vel hanc, in corpore quoq;.

AMITTENS CORPVS) ſic loquitur M. Tull. lib. 7. epiſt. ad Gallum. Ego hîc cogito commorari, quoad me reficiam. Nam & vireis, & corpus amiſi. Idem Lucret. ſuprà, amiſſo iam tempore vita quoque omnis Omnibus è neruis, atque oſſibus exſoluatur. DEFECIT) deſiit.

RECTA REGIONE AVERSA VIAI) ſic reſtitui, aliorum locorum ſimilium teſtimonio vſus lib. 2 Sed nihil omnino recta regione viaĩ Declinare quis eſt, qui poßit cernere, ſeſe? idem lib 4. Eicit enim ſulci recta regione, viáque Vomerem, atque locis auertit ſeminis ictum. ſic Virgil. lib. 2. Æneid. nota excedo regione viarũ. Idem lib. 7. Nec ſidus regione viæ, litũſque fefellit. ſic M. Tull. lib. V. accuſ. noſtræ accuſationis regio & via. ibid. Si quis tantulum de recta regione deflexerit.

NEC PLAGÆ POSSENT) ſic habent aliquot libri typis excuſi, & duo manuſcr. alij, poſſunt. ego, poſſunt, non improbo: & ita hi duo verſus pendebunt ex ſuperiorib. hoc modo. Nec ſimul ac materia defecit, plagæ poſſunt extrinſecus ſummam conſeruare. poſſent, etiam legere licet: eritque ſententia aperta hoc modo: nec plagæ poſſent, &c. niſi materiæ copia ſuboriri poſſet, id eſt, ſi materia deficeret.

PARTEMQVE MORARI) quidam libri habent, partimq́ue morari.

CONCILIATA) id eſt congregata, coacta, congreſſa.

SVPPLERI SVMMA QVEATVR) ſic loquebantur veteres. Plautus Satyrione. retrahi nequitur, quoquo progreſſa eſt ſemel. Cato lib. 1. Orig. fana in eo loco compluria fuere. ea exaugurauit, præterquàm, quod Termino fanum fuit, id nequitum exaugurari. Pacuu ſi qua poteſtur inueſtigari via. M. Tull. epiſt. lib. 9. ad Papir. qui primus Papiſius eſt vocari deſitus. Idem alibi: nunc de rep. conſuli cœpti ſumus. Virgil. lib. 7. Quod fieri ferro, liquidóve poteſtur electro. Idem Lucret. lib. 3. Quod tamen expleri nulla ratione poteſtur ſuppleri autem, id eſt aliis corpuſculis ſuccedentibus redintegrari, atq; expleri: ex quo verbo, ſupplementum natum eſt.

COGVNTVR) plagæ. VT POSSINT) principia rerum, & corpora prima. nõ enim omnia corpora prima cum omnibus cohærere & copulari poſſunt. ea igitur, quæ cum aliquibus cohærere non poſſunt, à cœtu & concilio libera feruntur, & vagantur, donec cũ aliis copulentur. Præterea ex rebus genitis quotidie, atq; adeò ſingulis horarum momentis corpora prima decedunt, neque perpetuò cum iis, quibus cum ſemel coiuerint, cohæreſcunt. A COETV) à congreſſu.

ET TAMEN VT) nam niſi corpora prima ſint infinita, perpetuæ plagæ ſuppetere nequeant. INFINITA OPVS EST VIS &c) opus eſt vis, genus loquendi bonis ſcriptoribus vſitatum. ſic lib. 3. Materies opus eſt, &c. & lib. 2. princip. Ergo corpoream ad naturam pauca videmus Eſſe opus omnino. eod. lib. Scire licet nil principiis opus eſſe colores.

Illud in his rebus longè fuge credere, Memmi,
In medium ſummæ (quod dicunt) omnia niti,
Atque ideò mundi naturam ſtare ſine vllis
Ictibus externis, neque quoquam poſſe reſolui
Summa, atq; ima, quòd in medium ſint omnia nixa,
Ipſum ſi quidquam poſſe in ſe ſiſtere credis:
Et quæ pondera ſunt ſub terris, omnia ſurſum
Nitier, in terráque retrò requieſcere poſta:
Vt per aquas quæ nunc rerum ſimulacra videmus.
Et ſimili ratione animalia ſubtu' vagari
Contendunt, neque poſſe è terris in loca cæli
Reccidere inferiora magis, quàm corpora noſtra
Sponte ſua poſſint in cæli templa volare:
Illi quom videant ſolem, nos ſidera noctis
Cernere, & alternis nobiſcum tempora cæli
Diuidere, & nocteis parileis agitare, diéſque.
Sed vanus ſtolidis hæc omnia finxerit error:
Amplexi quòd habent peruersè prima viaï.
Nam medium nihil eſſe poteſt, vbi inane, locúſque
Infinita: neque omnino, ſi iam medium ſit,
Poſſit ibi quicquam hac potius conſiſtere cauſa,
Quàm quauis alia longè regione manere.
Omnis enim locus, ac ſpatium, quod inane vocamus,
Per medium, per non medium concedat oportet
Aequè ponderibus, motus quacunque feruntur.
Nec quiſquam locus eſt, quò corpora quom venêre,
Ponderis amiſſa vi poſſint ſtare in inani:
Nec quod inane autem' ſt, illis ſubſiſtere debet,
Quin, ſua quod natura petit, concedere pergat:
Ne volucrum ritu flammarum, mœnia mundi
Diffugiant ſubitò magnum per inane ſoluta,
Et ne cetera conſimili ratione ſequantur:
Néve ruant cæli tonitralia templa ſupernè,
Terráque ſe pedibus raptim ſubducat, & omnes
Inter permiſtas terræ, cælique ruinas
Corpora ſoluentes, abeant per inane profundum,
Temporis vt puncto nihil exſtet relliquiarum,
Deſertum præter ſpatium, & primordia cæca.
Nam quacunque prius de parti corpora ceſſe

Conſtitues, hæc rebus erit pars ianua leti:
Hàc ſe turba foras dabit omnis materiaï.
Præterea quoque iam non omnia corpora fingunt
In medium niti, ſed terrarum, atque liquorum,
Humorem ponti, magníſque è montibus vndas,
Et quaſi terreno quæ corpore contineantur:
At contrà tenueis exponunt aëris auras,
Et calidos ſimul à medio differrier igneis,
Atque ideò totum circumtremere æthera ſignis,
Et ſolis flammam per cæli cærula paſci,
Quòd calor à medio fugiens ibi colligat igneis.
Quippe etiam veſci è terra mortalia ſæcla:
Nec prorſum arboribus ſummos frundeſcere ramos
Poſſe, niſi à terris paullatim quiſque cibetur.
Haud igitur poſſunt tali ratione teneri
Res in concilio, medij cuppedine victæ.
Hæc ſi pernoſces parua perfunctus opella,
(Namque alid ex alio clareſcet,) non tibi cæca
Nox iter eripiet, quin vltima naturaï
Peruideas, ita res accendent lumina rebus.

ILLVD IN HIS REBVS) *Peripateticorum, & veterum Academicorũ (quamquam Plato fortaſſe excipiendus eſt, de quo mox dicemus) & Stoicorum, & omnium denique, qui vnum mundum, eúmque finitum eſſe volunt, hæc ſententia eſt, omnia grauia in medium ferri, leuia à medio ad extremum. Epicurus autem, & ceteri, qui mundos cenſent eſſe innumerabileis, & omne, infinitum: neque extremum, neque medium eſſe concedunt. Ita eorum ratione neque grauia in medium, neque leuia ad extremum mouentur. M. Tull. lib. 2. de nat deor. Omnes enim partes mundi vndique medium locum capeſſentes nituntur æqualiter. maximè autẽ corpora inter ſe iuncta permanent, cùm quodã quaſi vinculo circumdata colligantur: quod facit ea natura, quæ per omnem mundum omnia mente & ratione conficiens funditur, & ad medium rapit, & conuertit extrema. Sed Plato quoque in Timæo videtur negare eſſe ſurſum ac deorſum, his verbis,* βαρὺ δὲ καὶ κοῦφον μετὰ τῆς κάτω φύσεως ἄνω τε λεγομένης ἐξεταζόμενον ἂν δηλωθείη σαφέστατα. φύσει δή τινας τόπους δύο εἶναι, διειληφότας διχῇ τὸ πᾶν, ἐναντίους, τὸν μὲν κάτω, πρὸς ὃν φέρεται πάνθ' ὅσα τινὰ σώματος ὄγκον ἔχει· τὸν δὲ ἄνω, πρὸς ὃν ἀκουσίως ἔρχεται πᾶν, οὐκ ὀρθὸν οὐδαμῇ νομίζειν. τοῦ γὰρ παντὸς οὐρανοῦ σφαιροειδοῦς ὄντος, ὅσα μὲν ἴσον ἀφεστῶτα τοῦ μέσου γέγονεν ἔσχατα, ὁμοίως αὐτὰ χρὴ ἔσχατα πεφυκέναι. τὸ δὲ μέσον, τὰ αὐτὰ μέτρα τῶν ἐσχάτων ἀφεστηκὸς, ἐν τῷ κατ' ἀντικρὺ νομίζειν δεῖ πάντων εἶναι. τοῦ δὴ κόσμου ταύτῃ πεφυκότος, τί τῶν εἰρημένων, ἄνω τις, ἢ κάτω τιθέμενος, οὐκ ἐν δίκῃ δόξει τὸ μηδὲν προσῆκον ὄνομα λέγειν. ὁ μὲν γὰρ μέσος ἐν αὐτῷ τόπος, οὔτε κάτω πεφυκὼς, οὔτε ἄνω λέγεσθαι δίκαιος, ἀλλ' αὐτὸ ἐν μέσῳ. ὁ δὲ πέριξ, οὔτε δὴ μέσος, οὔτε ἔχων διάφορον αὑτοῦ μέρος ἕτερον θατέρου μᾶλλον πρὸς τὸ μέσον, ἤ τι τῶν κατ' ἀντικρύ. &c. *id eſt graue autẽ & leue ſi cum ea natura, quæ deorſum, & ſurſum dicitur, perpenda-*

tur,planißimè declarari poßit. Eſſe igitur duo quædã loca natura inter ſe diuerſa, & cõtraria,quæ vniuerſum bifariã diremerint,vnũ deorſum, ad quẽ omnia, quæ molẽ aliquã,aut pondus aliquod habent,feruntur:alterũ verò ſurſum,ad quẽ omnia vi ſubigente rapiuntur: nullo modo exiſtimare oportet. Nam cùm totum cælum rotundum ſit,quæcumque à medio æqualiter diſtantia,extrema facta ſunt, ea ſimiliter extrema oportet eſſe nata. Medium autem cùm paribus interuallis ab extremis diſiunctum ſit,cùm ex aduerſo cum extremis comparatur,exiſtimandum eſt omnium eſſe. Cùm igitur mundus ita natura factus ſit,ſi quis eorum, quæ dicta ſunt, ſurſum aut deorſum ponat, iniuria videbitur nomen eis non conueniens imponere. Nam medius quidem qui in eo locus eſt,neque deorſum,neque ſurſum dici debet, ſed hoc ipſo nomine medius eſt appellandus. Qui autem ambit, neque medius eſt, neque habet ſui parteis alteram ab altera differentem magis, quàm alteram, quòd ad medium attinet,aut vllam,quæ ſit è regione,&c.

OMNIA) *grauia:nam ſic definit Ariſt graue lib.I.de cælo : quod ſuapte natura ad medium fertur:leue,quod à medio ad extrema.*

NITI) *incumbere,vergere.* NATVRAM) ὑσίας.

SVB TERRIS) *ſub medio terrarum puncto,quod centrum appellant.*

SVRSVM) *ad punctum medium:quod tamen Ariſtoteli eſt deorſum ferri.*

IN TERRAQVE RETRO REQVIESCERE POSTA) *ſic habẽt quinque lib.manuſcr. & ita legẽdum,nõ, vt in vulgatis, in terráque retro requieſſe repoſta.* RETRO) πάλιν, *contrà.*

ANIMALIA SVBTV' VAGARI) *magna eſt hoc loco ſcripturæ varietas.in alijs enim codicibus ſcriptum eſt,ſupra vagari, in aliis cuncta vagari, in aliis ſuapta,in alijs,ſuapte. ego ſubtu' repoſui: quæ lectio perſpicuè recta, & vera eſt. ſubtus autem,id eſt ſub pedibus noſtris,& ſub medio terræ puncto, in regione* ἀντιχθόνων, & ἀντιπόδων. RECCIDERE) *ſic habent lib.Pariſien.& Veneti antiquiores,à quibus non diſcrepant manuſcripti licet tamen etiam legere,Decidere,vt referamus ad antipodas,qui videantur eſſe ſuperiores.ea cæli parte,ſub qua habitant,ſi pars illa cæli ad nos referatur,tamquam illis antipodas.*

INFERIORA) *id eſt quæ loca ſunt nobis inferiora : ſed animalibus illis antichthonibus,atq; antipodibus ſuperiora.contendunt(inquit)ea animalia,quæ ſub pedibus noſtris viuũt,nihilo magis recidere poſſe in cælum,quod eſt nobis inferius, quàm nos poßimus ſponte noſtra in cælum noſtri hemiſphærij volare.*

CÆLI TEMPLA) *ſic ſuprà,nec cæli lucida templa.*

ILLI CVM VIDEANT SOLEM) *quattuor libri manuſcripti habent,illi. illi autem,ſi hæc ſcriptura placet,poſitum puto pro illic, vt apud Terent. Phorm. Interea dum ſedemus illi,interuenit adoleſcens quidam.ego tamen olim in prima editione vulgatam ſcripturam ſecutus eram, ſuſpicatus.c.litteram vocis antecedentis poſtremam à librario eſſe omiſſam propter ſimilem primam vocis ſubſequentis . quod ſæpe reperimus factum in libris manuſcriptis : cuiuſmodi eſt illud apud Horat ſaty 3.lib 2. Qui ſpecies alias veri, ſceleriſque tumultu Permiſtas capiet. vbi ego verißima & certißima coniectura ductus, reſtitui. Qui ſpecies alias veris,id eſt differẽteis à veris.Nunc,illi,magis placet,ſiue accipiatur,pro pronomine, ſiue pro aduerbio.nec quemquam vox,animalia, quæ antecedit, quaſi ea non poßit cohærere cum pronocabulo,illi,moueat. Sæpe enim ſcriptores mutant genus. licet igitur ita hunc locum declarare,Cùm illi, nempe antipodes : vel cum illa animalia,*

malia, quæ ſub pedibus noſtris habitant, videant, &c. hoc igitur ſentit Lucretius, *contendunt ij, de quibus loquimur, cùm homines, qui ſub pedibus noſtris viuũt, ſolem vident, id eſt cum eis dies eſt, nos ſidera cernere, id eſt nobis eſſe noctem.*

ET NOCTEIS PARILEIS AGITARE, DIESQVE) *ſic omnes ferè vulgati, & nonnulli manuſcripti habent, plures tamen item manuſcripti, parileis agitare diebus: quibuſcum congruunt* Pariſienſes. *ego tamen alteram ſcripturã potius ſecutus ſum, quia videtur hoc dicere* Lucret. *eos homines, qui ſub pedibus noſtris habitant, dies & nocteis nobis, ſeu noſtris diebus ac noctibus, pareis atque æqualeis agere.* Si *quis tamen alteram ſcripturam magis probabit, cum eo non pugnabo.*

SED VANVS STOL. HÆC OMN. FINXERIT ERROR) *ſic habent tres lib. manuſcrip: vulgati autem ferè omnes, parturit error. quæ lectio conficta, & ſuppoſita eſt. à duobus alijs manuſcriptis abſunt ſex verſus, qui deinceps ſequuntur. finxerit autem interpretor, fingendi anſam & cauſam præbuerit, & præbuiſſe credibile eſt.*

AMPLEXI QVOD HABENT) *id eſt quia amplexi ſunt, & tenent perverſè prima elementa, & primas vias naturæ inueſtigandæ: quia ſtatim ab initio non ſunt ingreßi veram naturæ cognoſcendæ viam, ſed longè diuerſam.* Iam *verò amplexi habent, ſic dictum, vt à* Virgil. *lib. 2.* Æneid. *& diuûm amplexæ ſimulacra tenebant: & ab ipſo* Lucret. *lib. 6.* Semina *habent ignis tedæ, ſtuppæque tenentes. & à* M. Tullio *pro* Sylla. *illud erat genus hominum horribile & pertimeſcendum, qui tanto amore ſuas poſſeßiones amplexi tenebant, vt ab his membra diuelli citius, ac diſtrahi diceres.* Idem *lib. 11. de nat. deor. quocirca ſapientem eſſe mundum neceſſe eſt, naturámque eam, quæ res omneis complexa teneat.* Neque *enim probo lectionem vulgatam,* Amplexi *quod hebent, &c. prima viaĩ autem, ſic dictum, vt vltima naturaĩ, abdita templi, acuta belli, abdita terraĩ, cærula cæli, & ſimilia.*

NAM MEDIVM NIHIL) μέσον *(inquit* Ariſt *lib. 4. de cælo)* ὂν ἐναντίον τῷ ἐσχάτῳ, *id eſt medium contrariũ vltimo eſt. itaq; ſi non eſt extremũ, nec medium eſt.*

QVAM QVAVIS AL. L. REGIONE) *nec ſi demus eſſe medium, (inquit) propter hauc cauſam in medio potius, quàm in quouis alio loco quicquam conſiſtere queat. corruptè habent libri quidam typis excuſi, alia longè ratione.*

CONCEDAT OPORTET ÆQVE) *concedat, id eſt cedat. æquè, id eſt æqualiter. malè autem in vulgatis libris legitur,* Æquis *ponderibus.* Nam *præter auctoritatem veterum codicum, ex illo loco, qui eſt lib. 2. intelligere licet, hîc quoque legendum,* Æquè, *non æquis.* Omnia *quapropter debent per inane quietum Æquè ponderibus non æquis concita ferri.*

MOTVS QVAC. FER.) *quidam vir doctus putat legendum, ponderibus motis quacunque feruntur. feruntur autem, videlicet pondera. quidam, motu quacunque feruntur.*

NEC QVISQVAM,) *id eſt nec quiſquam locus inanis eſt, ad quẽ cùm corpora peruenerunt, poßint in eo inani ſtare, tanquam pondere ſpoliata: nec verò inane corporibus ſubſiſtere vllo modo poteſt.*

SVBSISTERE,) *id eſt fundamenti loco eſſe, fundamenti vicem præbere,* ὑφίστασθαι. *ſic lib. 2.* At *contrà nulli de nulla parte, nec vllo* Tempore *inane poteſt vacuũ ſubſiſtere reij.*

QVIN SVA QVOD NAT. PETIT,) *id eſt, quin potius ſemper conce-*

dat, id eſt, cedat, & viam ac locum det corporibus: quod ipſius natura petit ac poſtulat. vel dic, quin ſua quod nat. &c. id eſt vt non pergat concedere, & dare locũ corporibus, id quod ſua natura petit, & poſtulat.

NE VOLVCRVM RITV) *totus hic, qui deinceps ſequitur, locus, miſerabilem in modum perturbatus & confuſus erat, ex qua ordinis perturbatione, ita obſcurus erat, vt nulla ex ea probabilis ſententia elici poſſet. Ego autem verſibus in ſuum ordinem reſtitutis, eadem opera eorum ſententiam declaraui, atq; explicaui.*

MOENIA MVNDI,) *id eſt ambitus mundi. metaphora.*

CONSIMILI RATIONE SEQVANTVR) *ſecutus ſum fidem quattuor librorum manuſcriptorum, quibuſcum faciunt cod. Veneti antiquiores, & Pariſienſes. nam ceteri vulgati habent, ferantur.*

TONITRALIA) *ſic habent quattuor libri manuſcripti: quos ſecutus ſum. nam vulgati habẽt, penetralia. tonitralia autem interpretor loca, in quibus fit tonitru: βροντεῖα Græci nominant: vel in quibus habitat is, qui tonat, Deus, vel quæ obſeruantur ab Etruſcis, & haruſpicibus.*

RAPTIM,) *id eſt rapientium in modum, ſeu celeriter, vt ſuprà, nil ab ſe quod poßit mittere raptim. Horat. epiſt. 2 lib. 2. Exiguo, gratóque fruatur tempore raptim.*

SVBDVCAT) *ſubtrahat. Virgil. Menalca. Et ſuccus pecori, & lac ſubducitur agnis. idem lib. 3. Æneid. Tollimur in cælum curuato gurgite, & iidem Subducta ad maneis imos deſcendimus vnda.*

ET OMNES INTER PERM. TERRÆ, CÆLIQVE) *hunc locum reſtitui coniectura ductus, ab vno tamen codice vetere adiutus, in quo vox, rerum, erat aliena manu ſcripta, & tota in litura merſa. ſententia autem verborum hæc mihi videtur eſſe: & ne omnes homines ſoluẽtes inter cæli, & terræ ruinas, corpora prima, ex quibus conſtãt, id eſt in ſua principia reſoluti, abeant per inane profundũ: quidam tamen, ſoluẽteis, legũt caſu quarto, vt coniungatur cum voce, ruinas. vulgata autem ſcriptura, rerum, cælique, mihi nullo modo probatur. nam rerum appellatione etiam cælum continetur.*

DE PARTI CORPORA CESSE) *ſic reſtitui ab vno codice manuſcripto admonitus: in quo ſcriptum erat, corpora adceſſe, non ſine litura: ſuſpicatus primùm ſcriptorem librarium peccaſſe, quòd vocalem a. bis ſcripſerit, hoc modo, corpora aceſſe, deinde ſupra litteram c. ab homine, qui vocem, aceſſe, Latinam non eſſe videret, ſed mendam tollere nequiret, d. poſitum eſſe: vt legeretur, adeſſe: deinde ex verbo illo corrupto, aceſſe, ſeu adeſſe, ſeu adceſſe, factum, deeſſe, cum eſſet potius, ceſſe, reponendũ: quod nos fecimus. Iam hoc, ceſſe. coniungo cum præpoſitione, de, quæ antecedit, vt ſit deceſſe, pro deceßiſſe. ſic infrà lib. 2. Propterea quia, quæ decedunt corpora quoique, Vnde abeunt, minuunt. & lib. 3. Aut aliquo cum iam ſuccus de corpore ceßit.*

IANVA LETI,) *id eſt cauſa interitus. metaphora eſt. ſic lib. 3 Haud igitur leti præcluſa eſt ianua menti. & lib. 5. Haud igitur leti præcluſa eſt ianua cælo. Virgil. Æneid. 2. patet iſti ianua leto. ſic Arnob. lib. 2. aduerſus genteis. Omnis enim paſſio, leti atque interitus ianua eſt, &c.*

HAC SE TVRBA DABIT) *hàc ſe eiiciet, vel hàc erumpet.*

PRÆTEREA QVOQVE IAM, &c.) *ſi quis hunc locum vſque ad extremum attentè legeret, vt erat initio ſcriptus, & vt in libris vulgatis legitur, non*

eſſet ei fortaſſe facile, quò referatur, & quam quaſi ἀντιπόδων habeat, videre. Nunc autem, in ordinem verſibus reſtitutis, & mendo ex hoc verſu ſublato, vt legamus, Præterea quoque iam, non, vt vulgo, Præterea quoniam, &c. omnia erunt ſatis plana, expedita, & facilia.

SED TERRARVM ATQVE LIQVORVM) *tres lib. manuſcripti habent, ſed terrarum, atque liquoris, vt legendum fortaſſe ſit, ſed terrai, atq; liquoris.*

EXPONVNT) *dicũt.* DIFFERRIER) *diſsipari, diſpergi, vt lib. 2. Scintillas agere, & latè differre fauillam.*

CÆLI CÆRVLA) *lib. 5. cærula ponti. & ibid. cærula mundi.*

PASCI) *ſup. vnde æther ſidera paſcit? & lib. 5. Quò quoiuſque cibus vocat, atque inuitat eunteis.*

QVIPPE ETIAM) *quidam putant eſſe Lucretij verba, oſtendentis, philoſophos illos etiam in eo errare, quòd non omnia corpora fingant in medium niti, ſed corpora terrarum, atque aquarum duntaxat. nam etiam corpora grauia (inquit Lucret.) videmus quodammodo ſurſum ferri, quando animalia mortalia è terra veſcuntur, &c. Sed videtur potius eorum philoſophorum eſſe ratio, per quam dicunt leuia corpora, vt flammas & vapores, ſurſum ferri, iiſque ſolem & ſidera paſci Omnino hic locus eſt aliquantum difficilis, atque obſcurus.*

NISI A TERRIS PAVLL. QVISQVE CIBETVR) *ſic viſus eſt mihi tandem hic locus reſtituendus, idque ex veſtigijs ſcripturæ veteris: quam in prima editione non ſatis conſideraram. quiſque autem, videlicet arboris ramus. cibetur porrò, id eſt alatur.*

HAVD IGITVR) *non poſſunt igitur res in concilio & cœtu conſtare & permanere tali ratione, nempe quòd medij cupiditate affectæ ſint.*

IN CONCILIO) *id eſt in congreſſu, in cœtu.*

CVPPEDINE) *id eſt cupidine, cupiditate.*

HÆC SI PERNOSCES PARVA PERF. OPELLA, &c.) *hæc ſi perſpecta, & percepta habebis, non magna opera inſumta, neque magno admodum labore ſuſcepto, &c. Cùm in omnibus libris & vulg. & manuſcr. legatur, parua perductus opella, ego certa coniectura ductus, ſic reponi iuſsi, parua perfunctus opella. atque hæc eſt ſine dubio vera, & germana ſcriptura, à me reſtituta. ita enim Latini loquuntur, perfungi opera, labore, periculo. Iam vox, opella, ab opera deminutum eſt: Horat. epiſt. ad Mæcen. 2. lib. 1. & opella forenſis Adducit febreis,*

ALID) *aliud, vt ſuprà.*

NON TIBI CÆCA NOX ITER ER.) *non tibi ignoratio cauſarum eripiet aditum ad vltimam cognitionem totius naturæ rerum.*

VLTIMA NATVRAI) *vltima naturaï, vt prima viaï, ſuprà. vltima autem naturæ intellige vltimas, ſeu primas naturæ cauſas.*

DIONYS. LAMBINVS P. RONſardo, poëtarum Gallicorum principi.

CVM primum T. Lucretij Cari librum de natura rerum Errico Memmio propter grauiſſimas, & iuſtiſſimas cauſas dicauiſſem, Ronſarde, hũc ſecundum me tibi donare debere non leuioribus cauſis adductus iudicaui. Primùm enim poëtarũ Gallicorũ ſine controuerſia princeps & es, & haberis. Deinde, quemadmodum Lucretius noſter Latinorum primus naturã, & philoſophiam (mitto dicere, quam: do etiam, deliram, & in multis impiam) Latinis verſibus, iíſque ornatiſſimis, ac politiſsimis illuſtrauit: ita tu per amœniſsima omnium poëtarum Græcorum, ac Latinorum nemora diu peruagatus, atq; ex eorum liquidiſsimis, & puriſsimis fontibus infinita rerum noſtris hominibus inauditarum vbertate hauſta, ea poëmata ſermone Gallico in vulgus edidiſti, quæ Homeri, Heſiodi, Pindari, Anacreontis, Apollonij, Theocriti, Callimachi, Virgilij, Horatij, Tibulli, Propertij, Ouidij, & ceterorum ληκύθους, & μυροθήκια redolerent. Hũc accedit, quòd ego, paullo te natu grãdior, te adoleſcentem (vt probè meminiſſe potes) ad Græcarum litterarũ ſtudia, quamuis currentem, incitaui: tibi etiam (vt ipſe prædicare ſoles) in ſcriptoribus Græcis ac Latinis verſanti, quaſi lumẽ ſæpe prætuli. Deinde tu me elegantiſsimo quodã, & propè diuino carmine, quod immortale cum ceteris tuis ſcriptis, futurum eſſe confido, ampliſsimè ornaſti, memoriæque ſempiternæ commendaſti. Poſtremò amicitiam noſtram ex optimis initiis ortam, & profectam cùm abſente me, aſsidua mei recordatione aluiſti: tùm poſt lõginquas, & diuturnas peregrinationes meas patriæ reddito, plurimis, & illuſtribus amoris ſignis, ſummíſq; erga me ſtudiis amplificaſti, atque auxiſti. His igitur cauſis impulſus hunc ſecũdum librum, in quo de primorum corporum motu, de figuris eorum variis, & tamen finitis, numero infinito, natura ſimpliciſsima, omniúmq; colorum, atque adeò omnium primarum qualitatum experte, de mundis innumerabilibus, qui fortuito illorum corpuſculorũ concurſu (rideamus licet Epicuri deliria) & oriuntur, & intereũt, diſputatur: hunc (inquam) librum amicitiæ noſtræ teſtem futurum ſempiternum, tibi libens, atque ex animo dono. Vale.

T. LVCRETII CARI DE RERVM NATVRA, LIBER II.

SVaue, mari magno turbātibus æquora vētis,
E terra magnum alterius ſpectare laborem:
Non quia vexari quemquam'ſt iucunda voluptas,
Sed, quibus ipſe malis careas, quia cernere ſuaue'ſt.
Suaue etiam belli certamina magna tueri,
Per campos inſtructa, tua ſine parte pericli:
Sed nil dulcius eſt, bene quàm munita tenere
Edita doctrina ſapientum templa ſerena:
Deſpicere vnde queas alios, paſſimq; videre
Errare, atque viam palanteis quærere vitæ:
Certare ingenio, contendere nobilitate:
Nocteis atque dies niti præſtante labore
Ad ſummas emergere opes, rerúmque potiri.
O miſeras hominum menteis, ô pectora cæca:
Qualibus in tenebris vitæ, quantiſque periclis
Degitur hoc æui, quodcunque eſt! nónne videre,
Nil aliud ſibi naturam latrare, niſi vt, cùm
Corpore ſeiunctus dolor abſit, mente fruatur
Iucundo ſenſu, cura ſemota, metúque?
Ergo corpoream ad naturam pauca videmus
Eſſe opus omnino, quæ demant quemque dolorem.
Delicias quoque vti nullas ſubſternere poſſint:
Gratius interdum neque natura ipſa requirit.
Si non aurea ſunt iuuenum ſimulacra per ædeis,
Lampadas igniferas manibus retinentia dextris,
Lumina nocturnis epulis vt ſuppeditentur,
Nec domus argento fulget, auróque renidet,
Nec citharis reboant laqueata, aurataque templa:
At tamen inter ſe proſtrati in graminę molli,
Propter aquæ riuum, ſub ramis arboris altæ
Non magnis opibus iucundè corpora curant,
Præſertim cùm tempeſtas arridet, & anni

Tempora conſpergunt viridanteis floribus herbas.
Nec calidæ citius decedunt corpore febres,
Textilibus ſi in picturis, oſtróque rubenti
Iactaris, quàm ſi plebeia in veſte cubandu'ſt.

SVAVE MARI MAGNO, &c.) *videntur hæc ex illis Menandri ſumta,* Ὡς ἡδὺ τὴν θάλατταν ἀπὸ τῆς γῆς ὁρᾶν, ὦ μῆτερ, ἐστὶ, μὴ πλέοντα μηδαμῶς: *id eſt, quàm ſuaue eſt, mater, procul è terra mare cernere, non nauigantem. non diſsimile eſt illud Oppiani* βιβλ. ε ἁλιευτ. ἀλλὰ θάλασσα Χαῖρέ μοι ἐκ γαίης, ἑκάθεν δέ μοι ἤπιος εἴης: *id eſt, At mare ſalue Ex terra mihi, longè autem mihi propitium ſis. Eodem pertinent illa M. Tull. lib. 2 epiſtol. ad Attic. Nunc verò cùm cogar exire de naui non abiectis, ſed ereptis gubernaculis, cupio iſtorum naufragia ex terra intueri: cupio, vt ait tuus amicus Sophocles,* καὶ ὑπὸ στέγῃ πυκνῆς ἀκοῦσαι ψακάδος εὑδούσῃ φρενί. *quem Sophoclis locum profert Stobæus ex Tympaniſtr. paulo integriorẽ,* ἢ τοῦδε χάρμα μεῖζον ἂν λάβοις ποτὲ Τοῦ γῆς ἐπιψαύσαντα δ' ὑπὸ στέγῃ πυκνῆς ἀκοῦσαι ψακάδος εὑδούσῃ φρενί; *id eſt, quam maiorem animo lætitiam percipere queas, quàm terra potientem ſub denſo tecto imbrem crebrum audire, mente quieta, & tranquilla?*

E TERRA MAGNVM ALT.) *hũc verſum teſtẽ producit Nonius Marcell.*

TVA SINE PARTE PERICLI) *ſecutus ſum ſcripturam quattuor librorum manuſcriptorum, quibuſcum conſentiunt libri Pariſienſes, Aldini & Vicetini: atque hanc lectionem longè anteponunt vulgatæ viri doctiſsimi: in his M. Antonius Muretus. vulgati autem habent, tui ſine parte pericli.*

BENE QVÀM) *ordo verborum eſt: quàm tenere edita templa, bene munitã, &c. id eſt altas arceis benè munitas ſapientum doctrina. tralatio eſt perpetua.*

DESPICERE VNDE) *ex quibus templis, ſeu arcibus, poſsis deorſum aſpicere, &c. hoc enim propriè valet verbum, deſpicere: Virgil. lib. 1. Æneid. Deſpiciens mare veliuolum, terráſque iacenteis. Et deſpectare, idem Virgil. lib. 10. Ille ſedens victor flammas deſpectat ouanteis. ſic & deſpectus, eſt è loco ſuperiore aſpectus. Cæſ. lib. 2. de bello Gall. quod oppidum cùm ex omnibus in circuitu partibus altiſsimas rupeis, deſpectúſque haberet, &c.* PALANTEIS) *vaganteis. palantis enim non patrij caſus eſt, ſed accuſandi, numeri multitudinis.*

O MISERAS HOM.) *Lutatius, ſeu Lactantius Firm. profert hos verſus lib. 1. inſtit. ſed legit, O ſtultas hominnm, &c.* DEGITVR HOC ÆVI) *apud Nonium Marcellum ſic legitur hic verſus, Degimus hoc æui, &c.*

NONNE VIDERE, &c.) *omnes lib. vulg. habẽt, nónne videtis. veter. autẽ, & manuſcr. ferè omnes, nónne videre, quos ſequor. nónne videre, autem, oratio eſt præciſa, & decurtata: quali vti ſolẽt in perturbationibus & indignationibus. proinde ac ſi dixiſſẽt, itáne ſunt cæci, vt nõ videãt, nihil aliud naturã latrare, i. poſcere, niſi vt, &c.* LATRARE) *i. poſcere. Feſtus. Latrare Ennius pro poſcere poſuit.*

NISI VT CVM CORPORE SEIVNCTVS, &c.) *hæc eſt recta & germana ſcriptura, quam partim coniectura, partim ex auctoritate trium librorum manuſcriptorum reſtitui. Ordo autem & ſententia horum verborum eſt, non videre homines, id eſt, itáne cæcos oportet eſſe homines, vt non videant, naturam nihil aliud ſibi latrare, hoc eſt poſcere, niſi vt, cùm dolor abſit à corpore, etiam mente fruatur iucundo ſenſu, id eſt voluptate, ſemota (ipſa natura videlicet) ab omni cura, & metu? Omnes igitur libri manuſcripti habent, mente, ſine vlla varietate:*

quibuſcum congruunt nonnulli typis excuſi, vt Pariſienſes, Veneti antiq. Vicetini. in eo autem diſſentiunt & hi ab illis, & illi inter ſe, quòd alij habent, niſi vt qui: alij, niſi vt cui: alij, niſi vtque. ego ex, cui, feci, cum. Iam participium, ſemota, refero ad vocem, natura. Quòd ſi quis contendet, legendum eſſe, niſi vt cui, quemadmodum habent nonnulli typis impreſſi, & Vaticanus, & Memmianus, non pugnabo: ſed participium, ſemota, quò ſit referendum non video. nam cum voce, natura, non facile poterit cohærere, propter relatiuum, cui, & propter eius antecedẽs, quod ſubintelligitur, hoc modo, niſi vt is, cui abſit dolor, à corpore ſeiunctus fruatur, &c. Itaque qui hanc ſcripturam probabit, neceſſe etiam habebit ex participio, ſemota, facere, ſemotus, aut ſemotu', quod quibuſdam viris doctis non diſplicet. Iam qui ſe hanc lectionem coniectura ductos probaſſe dicunt, triennio poſtquàm hæc à me ſcripta ſunt, impudentiſſimè, & confidentiſſimè mentiuntur. refellit enim eos ipſa prima editio. Sed infinitum ſit toties lectorem admonere, quoties faciunt. Nam vbi non faciunt? Docet autem hoc loco Lucretius, finem bonorum eſſe frui voluptate, & dolore carere. quod probabat Epicurus, vt appâret ex M. Tull. lib. 1. de Finib. vbi Torquatus oſtendit, Epicureos non eam ſolam ſequi voluptatem, quæ ſuauitate aliqua naturam ipſam mouet, & cum iucunditate quadam percipitur ſenſibus, ſed maximam illam eis videri voluptatem, quæ percipitur omni dolore detracto: iiſdem placuiſſe nihil eſſe medium inter dolorem, & voluptatem: eúmque, qui dolore careat, ſumma voluptate perfrui: denique omnis doloris priuatione ſummam voluptatem terminari.

PAVCA VIDEMVS ESSE OPVS) *pauca videmus eſſe vtilia ac neceſſaria. vt ſup lib. 1. Infinita opus eſt vis vndique materiaï.*

QVÆ DEMANT QVEMQVE DOLOREM) *vulgatos codices ſecutus ſum. nam manuſcripti, & Pariſienſes, & Veneti antiquiores habent, quæ demant cumque dolorem. quam lectionem ſi quis probabit, cumque, interpretandum erit, quandocunque, & quouis tempore. vel dicemus eſſe* τμῆσιν. *quæ demãt cumque, pro quæcunque demant. Ego ſic, vt edidi, legi malo.*

DELICIAS QVOQVE VTI NVLLAS) *ſic legendum, non, vt in nonnullis libris eſt, multas, neque vt in aliis, haud multas, neque, vt habebat Pontani codex, molleis. ſententia autem hæc eſt. quanuis etiam nullas delicias, nulláſque voluptates ſuperuacaneas adhibere poſſint, & quaſi ſubſternere: tamen ne natura quidem quicquam gratius deſiderat.*

SI NON AVREA SVNT) *hunc locum imitatus eſt Virgil. in Culice. Si non Aſſyrio fuerint bis lauta colore Attalicis opibus data vellera: ſi nitor auri Sub laqueare domus animum non tangit auarum, Picturæque decus, lapidum nec fulgor in vlla Cognitus vtilitate manet, nec pocula gratum Alconis referunt, Bœtique toreuma, nec Indi Conchea baca maris pretio eſt: at pectore puro Sæpe ſuper tenero proſternit gramine corpus, Florida cùm tellus gemmanteis picta per herbas Vere notat dulci diſtincta coloribus arua, &c. Et Georg. 2 Si non ingentem foribus domus alta ſuperbis Manè ſalutantum totis vomit ædibus vndam, Nec varios inhiãt pulchra teſtudine poſteis, Illuſáſque auro veſteis, Ephyreiáque æra, Alba nec Aſſyrio fucatur lana veneno, Nec caſia liquidi corrumpitur vſus oliui: At ſecura quies, & neſcia fallere vita. Diues opum variarum: at latis otia fundis, Speluncæ, viuíque lacus: at frigida Tempe, &c. Notauit Macrob. lib. 6. cap. 2. apud quem admonendus eſt lector, legi, auratáque tecta, pro, auratáque templa.*

LAMPADAS IGNIFERAS MANIBVS) *huiuſmodi ſimulacra aurea, in ædibus diuitum, candelabrorum locum & vicem obtinent.*

LVMINA NOCTVRNIS) *ſumtuoſiores, & apparatiores cenæ apud veteres noctu factitabantur, & totam noctem producebantur.* Horat. od. 21. lib. 3. ad Amphoram. *Te Liber, &c. ſi læta aderit Venus, Segnéſque nodum ſoluere gratiæ, Viuæque producent lucernæ, Dum rediens fuget aſtra Phœbus. ad quẽ locũ plura.*

NEC DOMVS ARGENTO FVLGET) *ſecutus ſum quinque libros manuſcriptos, quibuſcum conſentiunt Vicetini. neq; verò eſt quòd quemquam moueat ſyllaba poſtrema breuis in verbo, fulget. hanc enim licentiam ſibi interdum permittunt poëtæ, vt iambum pro ſpondéo ponant: vt Virg. lib. 5. Oſtentans artem pariter, arcúmque ſonantem. idem lib. 12. princip. Congredior. fer ſacra pater, & concipe fœdus.* Horat. ſaty. 3. lib. 2. *amator Excluſus quid diſtat, agit vbi ſecum, eat, an non? &c.* Lucret lib. 4. *Ater init oculos.*

REBOANT) *reſonãt.* Virg. lib. 3 Georg *reboant ſiluæq;, & magnus Olympus.*

ATTAMEN INTER SE) *hanc ſcripturam reperi adſcriptam ad oram libri typis impreſſi, quem mihi commodauerat* Vincentius Laureus Calaber: *eámque ſecutus ſum, reiecta vulgata, Cùm tamen: ex qua probabilis ſententia elici non poteſt. quidam docti legi volunt, Tum tamen, propius accedentes ad vulgatam. Ad hunc locũ pertinet illud Varronis* Ἀνθρωπόπ. *Non fit theſauris, non auro pectu' ſolutum:* Non demunt animis curas, nec relligiones Perſarum montes, non atria diuiti Craſſi.

ARRIDET) *idonea, & opportuna eſt. tranſlatio.*

NEC CALIDÆ CITIVS) *ſic* Horat. epiſt. ad Loll. 2. lib. 1. *Non domus, aut fundus, non æris aceruus, & auri Ægroto domini deduxit corpore febreis,* Non animo curas, &c.

OSTROQVE RVBENTI) *veſtibus ſtragulis purpureis.*

Quapropter quoniam nil noſtro in corpore gazæ
Proficiunt, neque nobilitas, neque gloria regni:
Quod ſupereſt, animo quoque nil prodeſſe putandum:
Si non fortè tuas legiones per loca campi
Féruere cùm videas belli ſimulacra cienteis,
Féruere cùm videas claſſem, latéque vagari:
His tibi tum rebus timefactæ relligiones
Effugiunt animo pauidæ, mortíſque timores:
Tum vacuum pectus linquunt, curáque ſolutum.
Quòd ſi ridicula hæc, ludibriáque eſſe videmus:
Re veráque metus hominum, curæq; ſequaces
Nec metuunt ſonitus armorum, nec fera tela:
Audactérque inter reges, rerúmque potenteis
Verſantur: neque fulgorem reuerentur ab auro:
Nec clarum veſtis ſplendorem purpureaï:
Quid dubitas, quin omne ſit hoc rationis egeſtas,
Omnis cùm in tenebris præſertim vita laboret?
Nam veluti pueri trepidant, atque omnia cæcis

In tenebris

In tenebris metuunt:ſic nos in luce timemus
Interdum,nihilo quæ ſunt metuenda magis,quàm
Quæ pueri in tenebris pauitant,fingúntque futura.
Hunc igitur terrorem animi,tenebráſque,neceſſe'ſt
Non radij ſolis,neque lucida tela diei
Diſcutiant,ſed naturæ ſpecies,ratióque.

GAZÆ) *ingentes diuitiæ, & Perſicæ.*

SI NON FORTE TVAS LEGIONES) *εἰρωνεία niſi forte (inquit) curæ, & religiones, & mortis formidines perterritæ legionibus, & turmis equitum, effugiunt ex animo: quod nunquam futurum eſt.*

FERVERE CVM VIDEAS.) *Nonius Marcell. teſtẽ producit verſum ex hoc libro, huiuſmodi, Féruere cùm videas claſſem, latéque vagari: quem cùm ego nuſquam reperiſſem, ei hîc locum eſſe exiſtimaui. Perierat autem in exemplaribus manuſcr. errore librariorum, propterea quòd duorum verſuum idem principium eſſet. Habet verò hæc ἐπανάληψις venuſtatem non iniucundam. Quòd autem ſimius quidam impudentiſſimus triennio pòſt quàm hæc ſcripſeram, ita ſe ex Nonio ſcripſiſſe dixit: Féruere cùm videas claſſem, latéque vagari, Ornatámque armis, belli ſimulacra cientem, deleto verſu, Feruere cùm videas belli ſimulacra cienteis: in eo declarat, ſe eſſe & furem impudentiſſimum, & barbarum. Feruere autem à verbo feruo, quo ſæpe vtitur & Virg. vt Georg. 1. Omnia tunc pariter vento, nimbiſq; videbis Feruere. Idem lib. 4. Æneid. cùm litora feruere latè Proſpiceres. Lucilius etiam indicatiuo, feruit. Feruit aqua, & feruet: feruit nunc: feruet ad annum.*

HIS TIBI TVM REBVS TIMEFACTÆ) *ſic legendum, non vt in vulgatis quibuſdam, tumefacto. nam vt omittam, quòd libri manuſcripti habent, timefactæ, ſententia ipſa hanc lectionem flagitat. hoc enim ſentit Lucretius, diuitias, nobilitatem, imperia, potentiam, nihil neque corpori noſtro prodeſſe, neque animo: niſi forte timores, religiones, curæ, & ceteræ animorum peſtes, perterritæ armorum ſonitu, & telorum horrore, ex animis effugiunt. quod longe aliter eſt. vſus eſt eodem verbo M. Tull. de off. 2. Quamuis enim ſint demerſæ leges alicuius opibus, quamuis timefacta libertas, &c. ſic enim habent libri veteres, vbi vulgati, tremefacta.* TVM VACVVM PECTVS) *libri quidem veteres habent, vacuum tempus: quod ſi probemus, tempus, accipiendum pro capite, vt apud Cornificium, qui lib 4 ad Herennium, eadem voce vtitur, ad extr. ibi, percuſſit tempus: & apud Virgil. lib. 9. it haſta Tago per tempus vtrumque: ſed libris omnibus reclamantibus, pectus, legẽdum arbitror. nam etiam ſi, tempora, ſcriptum eſſet à Lucretio pro capite, tamen ne hoc quidem ferri poſſet. Pectus enim, non caput, ex omnium philoſophorum ſententia perturbationum ſedes eſt. Quin rationem ipſam Epicurus in pectore, non in capite collocat. Sic enim Lucret. hoc eodem libro infrà tamen eſſe in pectore noſtro Quiddam, quod contrà pugnare, obſtaréque poſſit. & lib III Conſilium, quod nos animum, mentémque vocamus: Idque ſitum media regione in pectoris hæret Hîc exſultat enim pauor, & metus, &c. & eod. lib Denique cur animi numquam mens, conſiliúmque Gignitur in capite?*

QVOD SI RIDICVLA HÆC) *Quid ſi hæc omnia, nempe gazas, gloriam regni, legiones, ridicula eſſe videmus, & ſi re vera metus & curæ non metuunt armorum ſonitus, &c.*

RE VERAQVE) *ſic Horat. od. 1 lib. 3. ſed timor & minæ Scandunt eôdem, quò dominus: neque Decedit ærata triremi, & Poſt equitem ſedet atra cura. Idem od. 16. lib. 2. Scandit æratas vitioſa naueis Cura, nec turmas equitum relinquit, &c.*

QVIN OMNE SIT HOC RAT. EG.) *cod Bertin. habet, quin omni' ſit hæc rationis egeſtas.*

NAM VELVTI IN TENEBRIS) *iterantur hi quinque verſus, qui deinceps ſequuntur, & lib 3. & princ. ſexti. Sed quod hîc dicit, pueros in tenebris timere: idem ferè accidit omnibus: neque id temere. Nam cùm videndi ſenſus omnium ſenſuum ſit præſtantiſſimus, oculúſque tanquam corporis dux in capite ſit collocatus: in tenebris autem ſuo munere fungi non poſſit: fit vt in tenebris quaſi eo, quo maxime nitimur & confidimus, præſidio nudati, & ab omni ope derelicti, paueamus. Huc pertinent illa Senecæ epiſt. CXI. lib. XIX. Itaque res falſa & inanis habet adhuc fidem, quia non coarguitur. Tanti putemus oculos intendere. iam apparebit quàm breuia, quàm incerta, quàm tuta timeantur. Talis eſt animorum noſtrorum confuſio, qualis Lucretio viſa eſt, Nam veluti pueri trepidant, atque omnia cæcis In tenebris met. ita n in l. tim. Quid ergo? Non omni puero ſtultiores ſumus, qui in luce timemus? Sed falſum eſt, Lucreti. non timemus in luce: Omnia nobis fecimus tenebras, nihil videmus, nec quid noceat, nec quid expediat. tota vita incurſitamus: nec ob id reſiſtimus, aut circumſpectius pedem ponimus. Vides autem quàm ſit furioſa res in tenebris impetus. At me Hercule id agimus, vt longius reuocandi ſimus: &, cùm ignoremus quò feramur, velociter tamen illò quò intendimus, ire perſeueramus. Sed luceſcere, ſi velimus, poteſt. Vno autem modo poteſt, ſi &c.*

HVNC IGITVR TERROREM, &c.) *hi tres verſus, qui deinceps ſequuntur, poſiti ſunt ſup. lib. 1.*

Nunc age quo motu genitalia materiaï
Corpora res varias gignant, genitáſque reſoluant,
Et qua vi facere id cogantur, quæ ve ſit ollis
Reddita mobilitas magnum per inane meandi,
Expediam: tu te dictis præbere memento.
Nam certè non inter ſe ſtipata cohæret
Materies: quoniam minui rem quamque videmus:
Et quaſi longinquo fluere omnia cernimus æuo,
Ex oculíſque vetuſtatem ſubducere noſtris:
Cùm tamen incolumis videatur ſumma manere,
Propterea, quia, quæ decedunt corpora quoique,
Vnde abeunt, minuunt: quo venêre, augmine donant:
Illa ſeneſcere, at hæc contrà floreſcere cogunt:
Nec remorantur ibi. ſic rerum ſumma nouatur
Semper: & inter ſe mortales mutua viuunt:
Augeſcunt aliæ gentes, aliæ minuuntur:
Inq; breui ſpatio mutantur ſæcla animantum,
Et quaſi curſores vitaï lampada tradunt.

Si ceſſare putas rerum primordia poſſe,
Ceſſandóque nouos rerum progignere motus:
Auius à vera longè ratione vagaris.
Nam, quoniam per inane vagantur cuncta, neceſſe'ſt
Aut grauitate ſua ferri primordia rerum,
Aut ictu auferri alterius. nam cita supernè
Obuia cùm flixêre: fit vt diuerſa repente
Diſſiliant. neque enim mirum, duriſſima quæ ſint,
Ponderibus ſolidis, neque quicquam à tergis obſtet.

NVNC AGE) *Nunc aggreditur ad diſputationem de motu. Eſt autem motus apud Epicurum triplex. motus deorſum, omnium corporum, & ponderum proprius, ad lineam, ſeu ad perpendiculum: motus per plagam: motus per declinationem: de quibus mox plura dicemus.*

OLLIS) *illis, vt ſuprà, & ſæpe alibi.*

REDDITA) *attributa ſic ſæpe alibi.*

QVONIAM MINVI REM) αἰτιολογία ἀπολογίας. *Vt probet eſſe motum, ſumit, quod ſuprà probatum eſt, materiam non eſſe inter ſe ſtipatam, ſed rebus admiſtum eſſe inane. materiam autem non cohærere inter ſe ſtipatam, ex eo intelligere licet, quòd res augentur, & minuuntur.* αὔξησις *autẽ &* φθίσις *ſunt motus* κατὰ ποιόν.

FLVERE) *ſic lib 4. Vſque adeò omnibus ab rebus res quæque fluenter Fertur, & in cunctas dimittitur vndique parteis. & lib. 6. Nec mora, nec requies inter datur vlla fluendi.*

QVÆ DECEDVNT CORPORA QVOIQVE) *ſic legendum putabam, non, corpora cunque: quanuis quidam docti, in his Turnebus, & Muretus, & Paſſeratius probent, vt ſit tmeſis, pro, quæcunque.*

VNDE ABEVNT, MINVVNT) *id, vnde abeunt, minuunt.*

QVO VENERE, &c.) *id, quò acceſſerunt, augent.*

SIC RERVM SVMMA NOVATVR SEMPER) *quia quod ex vno decedit, alteri accedit: & ortus vnius, alterius eſt interitus. ita quædam æternitas, quoad eius fieri poteſt, per ſucceſſionem rerum conſeruatur Itaque Homerus* ἰλ. ζ. *hominum ætatem cum foliorum ortu & natura comparat.* οἵη περ φύλλων γενεὴ, τοίη καὶ ἀνδρῶν: *id eſt, Non alius multo eſt hominum ortus, quàm foliorum. Idem* ἰλ. φ. *de hominibus.* Οἳ φύλλοισιν ἐοικότες ἄλλοτε μέν τε ζαφλεγέες τελέθουσιν, ἀρούρης καρπὸν ἔδοντες, ἄλλοτε δ' αὖ φθινύθουσιν ἀκήριοι, *id eſt, Qui foliis ſimiles interdum munere terræ veſcentes, florent: interdum lumine caſsi Intereunt. Sic & Mimnermus.* Ἡμεῖς δ' οἷά τε φύλλα φύει πολυανθέμος ὥρη Ἔαρος, ὅτ' αἶψ' αὐγῇ αὔξεται ἠελίου. *id eſt, Nos autem, qualeis frondeis fert floriferum ver, Solis fulgor eas quando alit, atque fouet. Cum his congruunt & illa Lucretiana lib. 5. Sic voluenda dies commutat tempora rerum: Quod fuit in pretio, fit nullo denique honore. Porrò aliud ſuccèdit, & è contemtibus exit. Idem lib. 3 Cedit enim rerum nouitate extruſa vetuſtas. Idem hoc eodem libro infrà Nunc hîc, nunc illic ſuperant vitalia rerum, Et ſuperantur item. miſcetur funere vagor, Quem pueri tollunt viſentes luminis orás. Nec nox vlla diem, neque noctem aurora ſecuta eſt, Quæ non audierit miſtos vagitibus ægris Ploratus mortis comites, & funeris atri.*

MVTVA) id eſt mutuò. & ita ſæpe aliàs. ET QVASI CVRS.) ſumtum à ludis, quos faciebãt Athenienſes, quóſq; ἀγῶνας λαμπαδούχους appellabant: in quibus is, qui currebat, lãpada tenebat, & curſu cõfecto, ei, qui poſtea curſur⁹ erat, lãpada tradebat. ſignificabatur autẽ per hãc lampadẽ, & curſum, vitæ humanæ breuitas. qua de re vide Ariſtophanis ſcholiaſten. Vſurpat hoc & Plato lib 6. de legib φυτεύοντες ἢ ἐκτρέφοντες παῖδας καθάπερ λαμπάδα τὸν βίον παραδιδόντες ἄλλοις ἐξ ἄλλων: id eſt gignentes & alentes liberos, vitam tamquam lampada aliis ex aliis tradentes. Perſius. ſat. V I. Qui prior es, cur me in decurſu lampada poſcis? Huc pertinet illud Cornificij, lib. IIII. rhetoric. Non enim, quẽadmodũ in palæſtra qui tædas ardẽteis accipit, celerior eſt in curſu cõtinuo, quàm ille, qui tradit: ita melior imperator nou⁹, qui accipit exercitum, quàm ille, qui decedit: propterea quòd defatigatus curſor integro facẽ, hîc peritus imperator imperito exercitũ tradit Et illud Varronis lib. III. de re ruſt. Sed ô Merula, Axius noſter ne dũ hæc audit, phyſicã addiſcat quod de fructu nihil dixi, curſu lãpada tibi trado. Cõmemorat hos ludos Harpocratio in voce λαμπάδιον, his verbis. τρεῖς, (al. τεῖς) ἄγουσιν Ἀθηναῖοι ἑορτὰς λαμπάδος· παναθηναίοις, ἡφαιστίοις, προμηθείοις, Πολέμων φησὶν ἐν τῷ περὶ τῶν ἐν τοῖς προπυλαίοις πινάκων. Ἴστρος δ' ἐν πρώτῃ τῶν ἀτθίδων εἶπεν, ὡς ἐν τῇ τῶν ἀπατουρίων ἑορτῇ ἀθηναίων οἱ καλλίστας στολὰς ἐνδεδυκότες, λαβόντες ἡμμένας λαμπάδας ἀπὸ τῆς ἑστίας, ὑμνοῦσι τὸν Ἥφαιστον, θύοντες, ὑπόμνημα τοῦ κατανοήσαντα τὴν χρείαν τοῦ πυρὸς, διδάξαι τοὺς ἄλλους, id eſt Tres (al. ter) dies feſtos Lãpadis agitãt Athenienſes: Panathenæis, hoc eſt quinquatribus, Hephæſtijs, id eſt die feſto Vulcani, Prometheis, vt ait Polemo libro de tabulis, quæ in tẽplorũ veſtibulis poſitæ ſunt. Iſtér verò in primo Atticarũ tradidit, die feſto Apaturiorũ, eos ex Athenienſibus, qui pulcherrimis veſtibus ornati ſunt, ſumtis lãpadibus accẽſis ex vrbis foco, Vulcanum laudare, eíque ſacrificare, ad memoriam illius in mortaleis beneficij, prodendam, quòd ignis vſum intellectum alios docuit. Commemorat & Iſæus hunc ludũ ἐν τῷ περὶ τοῦ Φιλοκτ. κλήρου, ſub extr. ibi, γεγυμνασιαρχηκὼς δὲ λαμπάδι. Eodẽ pertinet illud ἐν τῷ ὑπὲρ τοῦ Ἀπολλ. κλήρ. γεγυμνασιαρχηκότα εἰς Προμήθεια. vbi vulgo legitur προμήθειαν, mendoſe. Nam Προμήθεια, Promethei dies feſti ſunt: quibus etiã hi ludi Lampaduchi fiebant, vt diximus. Admonet me huius loci apud Iſæum emendatio, vt ſignificem lectori Græcarũ litterarũ ſtudioſo, me propediẽ decẽ rhetores editurum plus decies mille locis emendatos, & ſcholijs vtiliſsimis illuſtratos.

NECESSE EST AVT GRAVITATE, & cet.) loquitur hîc de duobus motibus duntaxat: quorum alter omnium ponderum eſt proprius, vocatúrque motus deorſum, ad perpendiculum & ad lineam: alter fit per ictum, ſeu plagam, vocatúrque motus ſurſum. Eſt & tertius motus κατ' ἔγκλισιν. id eſt per declinationem, quem infrà commemorabit Lucretius: qui quamobrem ab Epicuro ſit excogitatus, docent M. Tull. & Plutarchus multis locis. M. Tull de fato. Sed Epicurus declinatione atomi vitari fati neceſsitatem putat. Ita tertius quidam motus oritur extra pondus, & plagam cùm declinat atomus interuallo minimo. id appellat ἐλάχιστον. quam declinationem ſine cauſa fieri, ſi minus verbis, re cogitur confiteri. Sed de hac declinatione dicemus ſuo loco. de motu autem, qui fit deorſum. ſic idem M. Tull. lib. I. de finib. bonor. & malor. Cenſet enim eadem illa indiuidua, & ſolida corpora ferri ſuo deorſum pondere ad lineam hunc naturalem eſſe omnium corporum motum: Deinde ibidem homo acutus, cùm illud occurreret, ſi omnia deorſum è regione ferrentur, &, vt dixi, ad lineam, nunquam fore, vt atomus altera alteram poſſet attingere: ita attulit rem commentitiam: declinare dixit atomum perpaullum. quo nihil poſſet fieri minus: ita effici complexiones,

& copulationes, & adhæſiones atomorum inter ſe: ex quo efficeretur mundus, omnéſque partes mundi, quæque in eo eſſent. Plutarchus item lib. 1. περὶ τῶν ἀρεσκόντ. duos motus duntaxat ab Epicuro poſitos eſſe refert, motum ad lineam, ſeu motũ deorſum è regione: & motũ per declinationẽ. Sed dicendũ eſt, Plutarchũ, & M. Tull. in illo 1. libri de finibus loco, prateriiſſe motũ, qui fit ſurſum per ictũ, ſeu plagã, vtpote violentũ, miniméq; naturalẽ. Diogenes autẽ Laërtius triplicẽ atomorum motũ ab Epicuro poſitũ eſſe nõ obſcurè tradidit his verbis: κινεῖσθαι δὲ τὰ ἄτομα κάτω τοτὲ μὲν κατὰ στάθμην, τοτὲ δὲ κατὰ παρέγκλισιν. τὰ δ' ἄνω κινούμενα κατὰ πληγὴν καὶ παλμόν. id eſt moueri autẽ corpora indiuidua nũc ad lineã, nunc per declinationẽ: ea autẽ, quæ ſurſum mouentur, ictu quodã, & palpitatione, ſeu cõcuſſione quadã moueri.

AVT ICTV AVFERRI ALTERIVS) *ſic habent veteres aliquot codices. alij, & maxime vulgati, aut ictu forte alterius. ego illos ſequor. vulgatam lectionem tamen, Aut ictu forte alterius, non damno, ſed alteram lectionem ei antepono.* NAM CITA SVPERNE OBVIA CVM FLEXERE, FIT VT DIV.) *huius ſcripturæ ſententia perſpicua eſt. flixere autem, id eſt per concurſum ſe mutuò contigerunt, & concuſſerunt. Vtitur eodem verbo, aut certe eiuſdem verbi ſupino lib. VI. pulſaréq; flictu Ferrea texta ſuo, &c. Sic enim ibi legendũ cẽſent, non vt vulgò, fluctu. Virg. lib. 9 Dant ſonitum flictu galeæ: pugna aſpera ſurgit. in quibuſdam libris manuſcriptis reperi ſcriptum, nam concita ſæpe Obuia conflixere ita, vti diuerſa repente Diſſiliant, &c. quæ ſcriptura etiam probabilis eſt.*

DIVERSA REPENTE DISSIL.) *hunc motum κατὰ πληγὴν. & κατὰ παλμὸν appellabat Epicurus: id eſt motum, qui fit per plagam & palpitationem.*

NEQVE QVICQV. A TERGIS OBST.) *ſic legendum, nõ, tergibus. Eſt enim verſus ſpõdiacus, habens non ſolùm in quinta ſede ſpondeum, verùm etiã in quarta, vt hi Virgiliani lib. 7. Aut læues ocreas lento ducũt argẽto. & Georg. 3. Saxa per, & ſcopulos, & depreſſas cõualleis. & Hom. ἰλ. α. Πρός τε θεῶν μακάρων, πρός τε θνητῶν ἀνθρώπων, & in catalogo, Οἳ τ' εἶχον Ἀγνόχλα βίην ἐσχατόωσαν. Lucre. ſup. lib. 1. & incultis præſtare videmus Culta loca. & manibus meliores reddi fœtus.*

Et quo iactari magis omnia mareriaï
Corpora peruideas: reminiſcere totius imum
Nil eſſe in ſumma: neque habere, vbi corpora prima
Conſiſtant: quoniam ſpatium ſine fine, modóque'ſt,
Immenſúmque patere in cunctas vndique parteis,
Pluribus oſtendi, & certa ratione probatu'ſt.
Quod quoniam conſtat, nimirum nulla quies eſt
Reddita corporibus primis per inane profundum:
Sed magis adſiduo, varióque exercita motu,
Partim interuallis magnis contuſa reſultant,
Pars etiam breuibus ſpatiis nexantur ab ictu.
Et quæcunque magis condenſo conciliatu,
Exiguis interuallis connexa reſultant,
Endopedita ſuis perplexis ipſa figuris:
Hæc validas ſaxi radices, & fera ferri
Corpora conſtituunt, & cetera de genere horum

Paucula,quæ porrò magnum per inane vagantur,
Et cita diſſiliunt longè,longéque recurſant
In magnis interuallis:hæc aëra rarum
Sufficiunt nobis,& ſplendida lumina ſolis.
Multáque prætereà magnum per inane vagantur,
Conciliis rerum quæ ſunt reiecta,nec vſquam
Conſociare etiam motus potuere recepta.
Quoius,vti memoro,réi ſimulacrum,& imago
Ante oculos ſemper nobis verſatur,& inſtat.
Contemplator enim,quom ſolis lumina cumque
Inſertim fundunt radios per opaca domorum:
Multa minuta modis multis per inane videbis
Corpora miſceri radiorum lumine in ipſo,
Et velut æterno certamine prœlia,pugnáſque
Edere turmatim certantia,nec dare pauſam,
Conciliis,& diſcidiis exercita crebris:
Coniicere vt poſſis ex hoc,primordia rerum
Quale ſit in magno iactari ſemper inani.
Duntaxat rerum magnarum parua poteſt res
Exemplare dare,& veſtigia notitiaï.

REMINISCERE TOTIVS) *repete(inquit)memoria,nihil eſſe imum in ſumma totius,id eſt in omni,ſeu in vniuerſo,ἐν τῷ παντί. Suprà enim libro primo docuit,nihil eſſe extremum,nihil medium,nihil primum, ibi. Omne,quod eſt igitur, nulla regione viarum Finitum eſt,&c.*

CONSTAT,) *id eſt ſine controuerſia eſt.* REDDITA) *attributa, vt ſæpe alias.* CONTVSA RESVLTANT) *ſic repoſui, partim coniectura ductus, partim veteris ſcripturæ veſtigia ſecutus, cùm libri manu ſcripti habeant,partim conſulta,partim conflicta,partim conſulta. licet & legere conflicta,vt olim edidi. Fuit & cùm putarem legi poſſe, conſuta, vt reſpondeat illi.quod ſtatim ſequitur, connexa reſultant. conſulta autem,à verbo conſilio, quod barbarus quidam probat,ineptum eſt,& ſuo auctore dignũ. nam neque conſilio, is,it,in tota lingua Latina reperitur,neque ſi reperiretur,conſultus, participium ab eo fingi poſſet.Omnino,conflicta,aut,contuſa, legendum videtur. nam corpora prima ex conflictu, aut contuſione reſultare probabile eſt.*

INTERVALLIS MAGNIS CONTVSA RESVLTANT) *Μακρὰν διΐςανται. Sic enim Epicurus (vt refert Laërtius) αἱ μὲν εἰς μακρὰν ἀπ' ἀλλήλων διΐςανται, αἱ δὲ αὐτὸν τὸν παλμὸν ἴσχουσιν, ὅταν τύχωσιν εἰς τὴν περιπλοκὴν κεκλεισμέναι, ἢ στεγαζόμεναι ὑπὸ τῶν πλεκτικῶν, id eſt,aliæ atomi magnis interuallis inter ſe diſtant,aliæ palpitationem cohibent, cùm caſus ita tulerit,in concilium, & copulationem concluſæ,aut ab atomis perplexis, & hamatis retentæ.* NEXANTVR AB ICTV) *id eſt copulantur,& cohæreſcunt per plagam & ictum. quidam libri manuſcripti tamen habent,vexãtur:quos non ſum ſecutus.ne illud quidem diſſimulabo,in vno*

ſcriptum eſſe, vexătur à victu: quod idcircò adſcripſi, vt meminerint ſtudioſi litterarum homines, librarios illos ſcriptores ſæpe u, pro b, poſuiſſe, & contrà b, pro u. quis enim non videt, à victu, pro, ab ictu, eſſe mendoſè ſcriptum? atque hic locus me admonet mendorum illorum apud Non. Marcellum in nominibus, proluuium & proluuidinem, vbi legendum, prolubium, &, prolubidinem.

ET QVÆCVNQVE MAGIS CONDENSO) ſic habent duo libri manuſcripti, Vaticanus & Bertinianus, & impreßi omnes. Sed Faërni & Scipionis, & impreßi Florentini, contenſo. quam ſcripturam agnoſcit Priſcianus lib 10. eo loco, vbi docet, à verbo, tendo. fieri tenſum, & tentum. Ego, condenſo, non improbo. ſic & lib. 1. Quorum condenſo magis omnia conciliatu Arctari poſſunt.

EXIGVIS INTERVALLIS CONNEXA) ſic legendũ potius, quàm coniecta, aut, conuecta. nam ex, connexa, vera ſcriptura, factum, connecſa: ex quo conuecta. Connecta, autem, nullo modo ferri poteſt.

ENDOPEDITA) impedita, atque implicata.

PERPLEXIS) id eſt inter ſe connexu, & colligatis. Feſtus, plexa, colligata ſignificat ex Græco: cui nos etiam præpoſitionem aducimus, cùm dicimus perplexa. Terent. Eunucho: pergin ſceleſta perplexè loqui? Virgil. lib. 9. Æneid. perplexum iter omne reuoluens Fallacis ſiluæ. verbum perplexabile, apud Plaut. Aſinar. Et in vocabulo Latinogræco, manuſcripto, quod mihi commodauit Cl. Puteanus, ita ſcriptum eſt, perplexus, πεπλεγμένος.

ET CETERA DE GENERE HORVM PAVCVLA.) ſic diſtinguendum & interpungendum, vt ſit hic Lucretij ſenſus: ea corpora indiuidua, quæ exiguis interuallis connexa, & ſuis perplexis figuris impedita reſultant, ſaxa, & ferrum, & cetera huius generis paucula conſtituunt.

QVÆ PORRO MAGNVM, &c.) id eſt ea porrò, quæ magnum per inane mouentur, & vagantur, & cita dißiliunt longè, longéque reſiliunt: ea creant aëra, & ſolē, & ſimilia.

MAGNVM PER INANE) Virg. in Sileno. Namque canebat vti magnũ per inane coacta Semina terrarúmq;, animæq; maríſq; fuiſſent.

ET CITA DISSILIVNT) ſic legendum, non, vt vulgò legitur, Cetera diſsiliunt: quod mendum natum eſt ex indoctorum hominum arrogantia, aut certè inſcitia, ac ſtultitia, qui hunc locum non intelligentes, corruperũt. Quidam vir doctus putabat legi etiam poſſe, Citáque. quod non diſplicet. Cùm hæc ſcripſiſſem, triennio pòſt Thraſo ille hanc emendationem ſibi arrogans, ſcripſit, ita eſſe legendum, vt edidi, & in vulgatis mendoſe legi, Cetera. quid flagitioſius? quid impudentius? SVFFICIVNT) ſuppeditant.

MVLTAQVE PRÆTEREA, &c.) & præter illa corpora, quæ vel magnis interuallis, vel exiguis feruntur, ita tamen vt connectãtur, & copulentur, ſunt alia, quæ nondum congredi, neque connecti potuerunt.

CONCILIIS RERVM QVÆ SVNT REIECTA) id eſt, quæ cohærere & conciliari, & conſociari non potuerunt.

CONTEMPLATOR ENIM) ſic idem lib. 6. Contemplator enim cùm montibus aßimilata Nubila portabunt, &c. mutuatus eſt & Virg. lib. 1. Georgic. Contemplator item cùm ſe nux plurima ſiluis Induet in florem. idem lib. 4. Contemplator: aquas dulceis, & frondea ſemper Tecta petunt.

CVM SOLIS LVMINA CVMQVE, &c.) id eſt quandocunque ſolis

lumina, &c. sic Ariſtot. *lib.* 2. *de* Animo. ὥσπερ τὰ καλούμενα ἐν τῷ ἀέρι ξύσματα, ἃ φαίνεται ἐν ταῖς διὰ τῶν θυρίδων ἀκτῖσιν: *id eſt, vt, quæ appellantur in aëre ramenta, quæ cernuntur in iis, qui per feneſtras tranſeunt, radiis.*

PER OPACA DOMORVM, *per parteis domus opacas. quidam legendũ cenſent, per aperta domorum: ſed errant, meo quidem iudicio. Illud admonendus eſt lector, in vno cod. manu ſcripto ita legi.* Inſerti fundunt radij: *quam ſcripturam tamen minus probo.* Hunc locum *ſpectauit* Seruius *cùm adſcripſit ad illum locum* Virg. in Sileno. Namque canebat vti, &c Omne enim quod eſt, aut continet, aut cõtinetur. & *corpus volunt eſſe* ἀτόμους, *id eſt quaſdam minutiſsimas parteis, quæ* τομὴν, *id eſt ſectionem non recipiunt. vnde &* ἄτομοι *dictæ ſunt. quas* Lucretius *minutiores dixit illis corpuſculis, quæ infuſis per feneſtram radiis ſolis videmus.*

NEC DARE PAVSAM) *nec ipſa ceſſare, nec aliis ceſſandi facultatem dare.* Pauſa *nomen eſt à* Græco *verbo* παύεσθαι *deductum: quod quietem, & ceſſationem ſignificat. vtitur eodẽ & lib* 3 Inter enim iecta eſt vitai pauſa, vagéque Deerrarũt paſſim motus ab ſenſibus omnes. *ibid.* Frigida quem ſemel eſt vitai pauſa ſecuta: *& item alibi, &* Lucill. Hæc vbi dicta dedit, pauſam facit ore loquendi. Ennius. *pauſam facit ore fremendi. ſuprà lib.* I *neque pauſam ſtare fragori.*

CONCILIIS, ET DISCIDIIS) *Sic legendum ex auctoritate trium librorum manuſcriptorum, & nonnullorum impreſſorum diſcidiũ autem, quid ſit, ſuprà diximus. Præter ea porrò, quæ ibi diximus, nõ pigebit me lectorem admonere, ſic eſſe ſcriptam hanc vocem in vocabulario illo* Cl. Puteani, *eíque hanc continuo interpretationem ſubiungi: diſcidium,* χωρισμός. *diſcidium, inquit, id eſt ſeparatio, & deuortium.* Nam *diſcidium etiam pro diuortio inter virum & vxorem vſurpatur.* EXERCITA) *fatigata, agitata. ſic* Nonius *in voce, exercitum.* Terent. Eunuch. *Ego te hodie exercebo, ſilicernium.* virgil. *lib.* 3. Æneid. *nate Iliacis exercite fatis.* suetonius *de* Tiberio, *pueritiam habuit laborioſam, & exercitam, al. exercitatam.* CONIICERE VT POSSIS EX HOC) *vt poſsis ex hoc paruorum corpuſculorum concurſu, & conflictu, quæ per opacas domorũ parteis ſolis radiis illuſtratas, infuſis per feneſtras, iactantur, quo pacto primordia rerũ per inane iactentur.* EXEMPLARE) *exemplar, ſpecimen.*

ET VESTIGIA NOTITIAI) *& veſtigia, quibus ad eorũ, quæ de primordiis rerum dicimus, intelligentiam, & cognitionem peruenire poſsis.*

Hoc etiam magis hæc animum te aduertere par eſt
Corpora, quæ in ſolis radiis turbare videntur:
Quòd tales turbæ, motus quoque materiaï
Significant clandeſtinos, cæcóſque ſubeſſe.
Multa videbis enim plagis ibi percita cæcis
Commutare viam, retróque repulſa reuerti
Nunc huc, nunc illuc, in cunctas denique parteis.
Scilicet hic à principiis eſt omnibus error.
Prima mouentur enim per ſe primordia rerum:
Inde ea, quæ paruo ſunt corpora conciliatu,
Et quaſi proxima ſunt ad vireis principiorum,

Ictibus

Ictibus illorum cæcis impulſa cientur:
Ipſáque, quæ porrò paullo maiora, laceſſunt.
Sic à principiis aſcendit motus, & exit
Paullatim noſtros ad ſenſus, vt moueantur
Illa quoque, in ſolis quæ lumine cernere quimus:
Nec quibus id faciant plagis, appâret apertè.

HOC ETIAM MAGIS HÆC) *Sic legendum, & ita ſcriptum eſt in tribus libris calamo exaratis. neque verò eſt, quòd quiſquam hoc loquendi genus improbet, vt inſolens, aduertere animum hæc, pro, aduertere animum ad hæc. ſic enim loquebantur antiqui: cuiuſmodi illa ſunt, adigere arbitrum, &, adigere iuſiurandum, pro, adigere ad arbitrum, &, adigere ad iuſiurandum. tale eſt illud Horatianum epiſt. 18. lib. 1. Propugnat nugis: id eſt, pugnat pro nugis. ad quem locum, ſi tibi commodum eſt, lege quæ annotauimus.*

TVRBARE) *id eſt, turbas excitare, tumultuari. nam turbare hoc loco abſolutum eſt. ſic Virgil. lib. 6. Et ſeptem gemini turbant trepida oſtia Nili. Et Terent. Phorm. dum ne reducam, turbent porrò quàm velint. turbent (inquit Donatus) id eſt, errent, & tumultuentur. Lucret. eod. lib. infr. Aut ex offenſu cum turbant corpore in ipſo Semina. ex quo illud imperſonale apud Virg. Tityro, vndique totis vſque adeò turbatur agris. vbi alij malè ſcribunt, turbantur.*

CÆCOS) *obſcuros, & latenteis. Virg. Æneid. 6. Cæca regens filo veſtigia. M. Tull. lib. 2. de orat. ad Qu. fratr. res cæcas & ab aſpectus iudicio remotas. Idem Lucret. infrà proximo verſu. plagis ibi percita cæcis. & ita ſæpe.*

IN CVNCTAS DENIQVE PARTEIS) *quidam lib. ſcripti manu, habent, in cunctas vndique parteis.* SCILICET HIC A PRINCIP.) *id eſt, ſcilicet hoc modo iactantur, & errant cetera omnia, ducto à principiis, ſeu à corporibus primis, motionis initio: vel ſic. hic vagus motus corpuſculorum omnium, quæ ſub ſenſus noſtros cadunt, à primordiis, & corporibus primis naſcitur. hæc mihi videtur huius vulgatæ ſcripturæ, quæ etiam in codicibus antiquis reperitur, ſententia. Quidam autem ſic legi volunt. Scilicet hic & principiis eſt omnibus error, vt ſit hæc ſententia. Quippe etiam principia, id eſt corpora prima, hoc modo iactātur, & vagantur, quo modo minuta illa corpuſcula, quæ in ſolis radiis inter ſe certare, & depræliari videntur.* PARVO SVNT CONCILIATV) *id eſt, parua mole conſtant: paucorum primordiorum congreſſu concreta ſunt.*

IPSAQVE, QVÆ PORRO) *id eſt, & hæc ipſa, ea dico, quæ ſunt ab alijs icta, & impulſa, laceſſunt ea, quæ deinceps paullo ſunt maiora. in duobus libris manuſcriptis reperi ſcriptum, Ictáque, quæ, &c. quam ſcripturam non ſum ſecutus, interpretationem verborum Lucretianorũ eſſe ſuſpicatus, ab aliquo ſtudioſo lectore aſcriptam: deinde ab imperito librario in locum rectæ ſuppoſitam. Nam, ipſa, intelligenda ſunt ea corpora, quæ ictibus aliorum impulſa cientur, ſeu, vt tribus verbis dicam, corpora ab illis icta.* ET EXIT PAVLL. NOSTR.) *vt motum illum oculis cernamus, alióue ſenſu percipiamus.* NEC, QVIBVS ID FACIANT PL.) *Sic habent noſtri libri veteres. quod ſi aliter haberent, tamen ſic legẽdũ eſſet. Hoc eò adſcripſi, quòd Thraſo dicat ſcriptũ eſſe in ſuis lib. veterib. Ne: idque approbans, ait poſitum pro, non. quo nihil ad hunc locum ineptius eſſe poteſt.*

Nunc, quæ mobilitas ſit reddita materiaï
Corporibus, paucis licet hinc cognoſcere, Memmi.
Primùm aurora nouo cùm ſpargit lumine terras:
Et variæ volucres nemora auia peruolitantes
Aëra per tenerum liquidis loca vocibus opplent:
Quàm ſubitò ſoleat ſol ortus tempore tali
Conueſtire ſua perfundens omnia luce,
Omnibus in promtu, manifeſtúmque eſſe videmus.
At vapor is, quem ſol mittit, luménque ſerenum,
Non per inane meat vacuum: quo tardius ire
Cogitur: aërias quaſi dum diuerberat vndas:
Nec ſingillatim corpuſcula quæque vaporis,
Sed complexa meant inter ſe, cónque globata.
Quapropter ſimul inter ſe retrahuntur, & extrà
Officiuntur, vti cogantur tardius ire.
At, quæ ſunt ſolida primordia ſimplicitate,
Cùm per inane meant vacuum, nec res remoratur
Vlla foris, atque ipſa ſuis è partibus vnum,
Vnum, in quem cœpere, locum, connixa feruntur:
Debent nimirum præcellere mobilitate,
Et multo citius ferri, quàm lumina ſolis:
Multipléxque loci ſpatium tranſcurrere eodem
Tempore, quo ſolis peruolgant fulgura cælum.
Nam neque conſilio debent tardata morari:
Nec perſcrutari primordia ſingula quæque,
Vt videant, qua quidque geratur cum ratione.

NVNC QVÆ MOBILITAS) *Nunc docere parat, quãta mobilitate prædita ſint prima corpora: idque argumento, ſeu comparatione à minori.*

REDDITA) *id eſt attributa, vt ſuprà hoc eodem lib. nimirum nulla quies eſt* Reddita corporibus *ibid. non longe à principio, quæ ve ſit ollis* Reddita mobilitas. *& infrà eodem lib.* Præterea ſi nulla coloris principiis eſt Reddita natura. *& lib.1.* Si non, materies quia rebus reddita certa eſt Gignũdis *ibid.* Denique iam quoniam generatim reddita finis Creſcendi rebus conſtat, *&c. ibidem.* Porrò ſi nulla eſt frangendis reddita finis Corporibus. *& lib.3.* Si non certa loca ad naſcendum reddita cuique Sunt. *& lib.5.* Non (inquam) ſimplex his rebus reddita cauſa eſt.

PRIMVM AVRORA NOVO, &c.) *hunc locũ mutuatus eſt Virg. lib.4. Æneid.* Et iam prima nouo ſpargebat lumine terras Tithoni croceũ linquens aurora cubile. NEMORA AVIA PERVOLIT.) *etiam hunc locum mutuatus eſt lib.8. Æneid. in princip.* Omnia peruolitat latè loca, iámque ſub auras Erigitur. *Iterum Lucret. infrà.* Et quæ peruolgant nemora auia peruolitantes.

CONVESTIRE) *translatio. ſic poëta quidam vetus apud M. Tull. Tuſcul.3.*

herbis prata conueſtirier. OMNIBVS IN PROMTV) *ante oculos omnium poſitum, omnibus apertum:* ἐπιπολῆς ὄν. AT VAPOR) *vapor, id eſt calor, vt ſæpe aliàs. argumentum eſt, vt dicebã, à minori. hoc modo. ſi calor. & lumen ſolis, quæ ipſa conſtant ex corporibus primis, tam citò meant per ſpatium, quod non eſt inane: quanto citius credibile eſt, corpora prima per inane deorſum moueri? ad hanc autem ſententiam pertinent illa, quæ ſunt lib. 6.* Et tempeſtates terra, cæloq; coortæ E cælo emotæ, terráque, repente faceſſunt. *Præterea quod dicit hîc Lucretius vaporem, & lumen à ſole mitti, idem fere dicitur infrà, aliis verbis.* Sol etiam ſummo de vertice diſſupat omneis Ardorem in parteis, & lumine conſerit arua. *idémque de igne ſuprà lib. 1.* Æſtifer ignis vti lumen iacit, atque vaporem.

AERIAS QVASI DVM DIVERB.) *Tres libri manuſcrip. & aliquot typis impreſſi: vtrique Aldini, Pariſienſes, vtrique Lugdunenſes, habent, quòd ſol diuerb. vndas. Pontanus legebat, aërias quaſi dum. atque hæc ſcriptura reperitur in cod. Bertin. & Memm. ex qua, ſi coniecturam facere liceret, ego exiſtimarem legendum, aërias quaſi tum diuerberet vndas. Verumtamen eam, quam ſecutus ſum, ſcripturam, rectam & veram eſſe puto: cuius ſententia non eſt obſcura. hoc enim ſignificat. vapor, id eſt calor, quem ſol mittit, non tranſit per inane vacuum. iccircò tardius ire cogitur, interea dum vndas aërias, id eſt humidum & caliginoſum aërem, permeando, quaſi diuerberat.*

CORPVSCVLA QVÆQVE VAPORIS) *ſic legendum, non, vapores, vt habẽt omnes ferè codices vulgati, & nonnulli veteres. ſed veritas & ratio, vaporis, efflagitant.* COMPLEXA) *compoſitum nomen eſt à con, & plexa: vt perplexa, implexa, non participium à verbo, complector.*

SIMVL INTER SE RETRAHVNTVR) *ſic legendum eſt, ſi auctoritatem quattuor librorum manuſcriptorum, quibuſcum conſentiunt impreſſi Pariſ. Veneti antiquiores, ſequimur. denique hanc ſcripturam agnoſcit Priſcianus lib. 8. Sed ego, & libris omnibus repugnantibus, & Priſciano, ſi hîc mendo caret, reclamante, tardantur, legendum puto, ſententia longe planiore, & concinniore. Quin Priſcianum, & libros Lucretianos corruptos eſſe arbitror: & à Lucretio, ac Priſciano, tardantur, ſcriptum eſſe exiſtimo. Verumtamen iudicent hac de re eruditi.*

OFFICIVNTVR) *mirè ex verbo abſoluto, officio, patiens fecit, officior. id quod notat Priſcianus eo, quem dixi, libro: hinc participium offectus. Lucret. lib. 5.* Quóve modo ſoleant offecto lumine obire. *officiuntur autem valet, obſtando, & officiendo impediuntur. ſic M. Tull. à verbo, obſtrepo, fecit, obſtrepor. ſic enim ille Orat pro M. Marcello. aut dum leguntur, obſtrepi clamore militum videntur.*

SVIS E PARTIBVS VNVM) *id eſt, effecta vnum corpus, atque vnum totum è ſuis partibus. hoc dicit, non quòd ſignificare velit, corpora prima partibus conſtare, ſed vt oſtẽdat eſſe infracta, ac ſolidiſſima. ſic ſuprà lib. 1.* Quæ minimis ſtipata cohærent partibus arctè: Non ex vllorũ conuentu conciliata, Sed magis æterna pollentia ſimplicitate. CONNIXA) *ſic legendum, non, connexa. quanquã reclamantibus omnibus lib. manuſcript. & impreſſis, præter Venetos recentiores.*

MVLTIPLEXQVE LOCI SPATIVM) *cod. Vaticanus habet,* Multiplicéſque: *ex qua ſcriptura ſuſpicari poſſit aliquis, legendum,* Multiplicíſque loci ſpatium: *ego tamen vulgatam lectionem retineo.*

PERVOLGANT) *celebrant, complent.* SOLIS FVLGVRA) *ſolis fulgores, ſeu lumina. nam fulgur, & fulgor idem valent, præſertim apud Lucr.*

CONSILIO) τῷ προαιρέτῳ. mendosè in quibuſdam libris legitur, Concilio. ſignificat enim, non eſſe προαίρετον, id eſt, conſilium, in corporibus primis, neque illa conſultò aut moueri, aut tardari. Sic ſuprà lib. I. Nam certe neque conſilio primordia rerum Se ordine quæque ſuo, atque ſagaci mente locarunt.

NEC PERSCRVT. PRIM.) i. nec primordia debēt ſingula quæq; perſcrutari, vt videãt, &c. In nonnullis libris vulgatis, & antiquis legitur, Nec perſectari.

GERATVR) adminiſtretur à natura. vel lege, genatur: id eſt gignatur. Quòd autē Thraſo hoc loco geratur, interpretatur, gignatur, procudatur, ſeu producatur, primùm veritate victus fatetur tacitè legendum eſſe, genatur: deinde facit intelligēdo, vt nihil intelligat: poſtremò ſuā linguæ Latinæ inſcientiā indicat, ac declarat.

At quidam contra hæc, ignari, materiaï
Naturam non poſſe, deûm ſine numine, rentur
Tantopere humanis rationibus, ac moderatis
Tempora mutare annorum, frugéſque creare:
Et iam cetera, mortaleis quæ ſuadet adire,
Ipſáque deducit dux vitæ dia voluptas,
Vt res per Veneris blanditim ſæcla propagent:
Ne genus óccidat humanum. quorum omnia cauſa.
Conſtituiſſe deos cùm fingunt, omnibu' rebus
Magnopere à vera lapſi ratione videntur.
Nam quamuis rerum ignorem primordia quæ ſint:
Hoc tamen ex ipſis cæli rationibus auſim
Confirmare, aliiſque ex rebus reddere multis,
Nequaquàm nobis diuinitus eſſe creatam
Naturam mundi, quæ tanta eſt prædita culpa.
Quæ tibi poſterius, Memmi, faciemus aperta.

AT QVIDAM) Hæc diſputantur in Platonem, & in Stoicos: qui mundum à Deo creatum eſſe, & eius prouidentia gubernari volunt, non, vt Epicurus, qui ex atomorum concurſione fortuita hunc mundi pulcherrimum ornatum eſſe perfectū, & ſine vlla diuina prouidentia, aut opera æquabilem & ratum, & immutabilem rerum omnium ordinem conſeruari exiſtimat. quam Epicuri ſententiam ſic inſectatur & refellit M. Tull. lib. 2. de nat. deor. An cùm machinatione quadam moueri aliquid videmus, vt ſphæram, vt horas, vt alia permulta, non dubitamus, quin illa opera ſint rationis: cùm autem impetum cæli admirabili cum celeritate moueri, vertique videamus, conſtantiſsimè conficientem viciſsitudines anniuerſarias cum ſumma ſalute, & conſeruatione rerum omnium, dubitamus, quin ea non ſolùm ratione fiant, ſed etiam excellenti quadam, diuináque ratione? Idem eod. lib. paullo ſuperius. Iſti autem quemadmodum aſſeuerant ex corpuſculis non colore, non qualitate aliqua, quam ποιότητα Græci vocant, non ſenſu præditis, ſed concurrentibus temerè, & caſu, mundum eſſe perfectum, vel innumerabiles potius in omni puncto temporis alios naſci, alios interire? Quòd ſi mundum efficere poteſt concurſus atomorum: cur porticum, cur templum, cur domum, cur vrbem non poteſt? quæ ſunt minus operoſa, & multo quidem faciliora? Heraclitus autem, κόσμον (inquit) οὔτε

τις θεῶν, οὔτε τις ἀνθρώπων ἐποίησεν, id eſt mundum neque quiſquam deorum, neque quiſquam hominum effecit. Quaſi metueret (inquit Plutarch.) ne à deo re abiudicata, id eſt hoc iudicato, Deum non eſſe mundi opificem, ſuſpicari poſſet aliquis, hominem eſſe eius effectorem. Sed præſtat nos (inquit ille) Platoni fidem habenteis & prædicare, & canere, hunc mundum a Deo eſſe cónditum. Mundus enim omnium, quæ ſunt, pulcherrimum quiddam eſt: Deus omnium cauſarum efficientium, cauſa eſt optima. AC MODERATIS) *ordo verborum eſt, rentur materiæ naturam non poſſe annorum tempora mutare, frugéſque creare ſine deorum numine, rationibus tantopere humanis, id eſt tam humanis, támque prope ad rationem humanam accedentibus, & tam moderatis, id eſt tam temperatis, conſtantibus, ratis, & certis. ſic autem hunc locum reſtitui, cùm vulgò legatur, ac moderatè, veterũ códicum auctoritate fretus, & tamen nonnihil etiam coniectura ductus.*

ET IAM CETERA MORTALEIS, &c) *id eſt iam etiam cetera, ad quæ diua voluptas homines quaſi manu ducit, nempe vt per res venereas genus ſuum propagent, ne genus humanum funditus intereat, repete ἀπὸ κοινοῦ, rentur illi materiam efficere, aut conſequi non poſſe ſine deorum nutu, voluntate, ac prouidentia. Quidam legendum putant. Nec iam cetera, ſubintelligentes, rentur naturam materiæ poſſe, &c. Quæ ſcriptura eodem récidit.*

DVX VITÆ D. VOL.) *Voluptas, quam homines, atque adeò omnes animantes ducem ſequuntur, aut certè ſequi debent. Volunt enim Epicurei omnia in hac vita ad voluptatem, tanquam ad finem, eſſe referenda.*

RES PER VENERIS) *per complexum Venereum. ſic loquitur infrà eod. lib. Aut iuuat egrediens genitaleis per Veneris res. ibid. Inter ſeſe vllam rem gignere conueniendo per Veneris res, &c. & lib. 5. Nec reperire cibum, nec iungi per Veneris res.* BLANDITIM) *id eſt blandiendo. blanditim dictum, vt exſultim, inſertim, curſim, raptim. blanditim autem eſſe legendum conieci ex ſcriptura, quæ reperitur in vno vetuſtiſs. codice, blanditir. blanditir enim factum ex blanditiZ: quod valet blanditim, vt ſuprà, raptis, ex raptim. reperi & in alio, blanditum.*

QVORVM) *in nomine poſſeſsiuo, humanum, primitiuum incluſum eſt, hominum, vt ſit genus humanum, pro genus hominum: & ita conueniet prouocabulum relatiuum, quorum.* CVM FINGVNT) *ſic nunc edendum curaui, codicem Bertinianum, & Memmian. & Vatic. ſecutus, in quibus ſcriptum eſt, confingunt. ſententia autem & ordo verborum eſt: quorum (hominum) cauſa cùm fingunt deos omnia conſtituiſſe: omnibus in reb. magnopere videntur à vera ratione aberrare.*

NAM QVAMVIS RERVM) *etiam lib. 5. hi qui deinceps ſequuntur, ſex verſus ponuntur.* EX IPSIS CÆLI RATIONIBVS) *ſic loquitur lib. 1. Nam tibi de ſumma cæli ratione, Deûmque, diſſerere incipiam.*

REDDERE) *ἀποδιδόναι, oſtendere, ob oculos ponere, colligere.*

NEQVAQVAM NOB. DIVINIT. &c.) *ſic lib. 3. in princip. Nam ſimul ac ratio tua cœpit vociferari Naturã rerũ haud diuinitus eſſe coortã, &c. al. creatã.*

Nunc id quod ſupereſt de motibus, expediemus.
Nunc locus eſt (vt opinor) in his illud quoque rebus
Confirmare tibi, nullam rem poſſe ſua vi
Corpoream ſurſum ferri, ſurſúmque meare.
Nec tibi dent in eo flammarum corpora fraudem:

Surſus enim vorſus gignuntur,& augmina ſumunt.
Et ſurſum nitidæ fruges,arbuſtáque creſcunt:
Pondera,quantum in ſe eſt,quom deorſum cuncta ferantur:
Nec quom ſubſiliunt ignes ad tecta domorum,
Et celeri flamma deguſtant tigna,trabeíſque:
Sponte ſua facere id ſine vi ſubigente putandum eſt.
Quod genus,è noſtro quom miſſus corpore ſanguis
Emicat exſultans altè,ſpargítque cruorem.
Nónne vides etiam,quanta vi tigna,trabeíſque
Reſpuat humor aquæ? nam quàm magi' merſimus altùm
Directa,& magna vi multi preſſimus ægrè:
Tam cupidè ſurſum reuomit magis,atque remittit:
Plus vt parte foras emergant,exſiliántque.
Nec tamen hæc,quantu'ſt in ſe,dubitamus,opinor,
Quin vacuum per inane deorſum cuncta ferantur.
Sic igitur debent flammæ quoque poſſe per auras
Aëris expreſſæ ſurſum ſuccedere,quanquam
Pondera,quantum in ſe eſt,deorſum deducere pugnent.
Nocturnáſque faceis cæli ſublime volanteis
Nónne vides longos flammarum ducere tractus,
In quaſcunque dedit parteis natura meatum?
Non cadere in terram ſtellas,& ſidera cernis?
Sol etiam ſummo de vertice diſſipat omneis
Ardorem in parteis,& lumine conſerit arua.
In terras igitur quoque ſolis vergitur ardor:
Tranſuerſóſque volare per imbreis fulmina cernis:
Nunc hinc,nunc illinc abrupti nubibus ignes
Concurſant:cadit in terras vis flammea volgò.

NVNC ID QVOD S.) *hic verſus videtur ſuperuacaneus,miniméq; Lucretianus.* NVNC LOCVS EST) *nunc conatur docere,omnia corpora,ſua vi,& natura deorſum ferri: quòd ſi qua ſurſum interdum ferantur,eum motum eſſe violentum,atque ab ipſorum natura alienum. Sed videtur hîc legendum, Nunc opus eſt. &c. Verumtamen nihil auſim mutare.*

NEC TIBI DENT IN EO F.) *id eſt nec te in eo inducant,nec tibi ſint fraudi,& cogant te credere,non omnia corpora ſua ſponte deorſum ferri.*

IN EO F.) *ſic legendum eſt, non, vt vulgo, timeo, quam ſcripturam in ſecunda editione repræſentauimus à Turnebo admoniti,cùm eam in libris noſtris veterib repertam,in prima per imprudentiam,& aliud agentes prætermiſiſſemus.*

AVGMINA SVM.) *i.augeſcunt.* ET SVRSVM NIT) *Solutio eſt.reſpōdet autē hoc modo.quid tū poſteà,ſi flāmæ ſurſum mouētur? Etiā fruges & arbores ſurſum creſcūt,cùm tamē omnia corpora,quātū in ipſis eſt,deorſum moueātur.*

NITIDÆ FR.) ſup.lib.1.At nitidæ ſurgunt fruges,&c.

SVBSILIVNT) ſurſum ſaliunt.Itaque malim legi.ſusſiliunt. ſusſum enim dicebant antiqui pro ſurſum:& deoſſum pro deorſum.

DEGVSTANT) tranſlatio eſt. depaſcuntur, abſumunt, lambunt, vt loquitur Horat.ſaty.5 lib.1.Nam vaga,per veterem dilapſo flamma culinam Vulcano,ſummum properabat lambere tectum.

SINE VI SVBIGENTE) ſic reſtitui ab vno codice manuſcripto adiutus, cùm in aliis omnibus libris legeretur,ſine vi ſubiecta, planè mendoſè, quod homo barbarus probat,cùm ſyllaba poſtrema vocis,ſubiecta,longa ſit.Quid eſt autem tam peruerſum, aut inſcitum, quod non probet ac recipiat ſtupor cùm impudentia & arrogantia coniunctus? QVOD GENVS) id eſt quale eſt, ſeu cuius generis eſt. ſic ſæpe alibi loquitur,exempli gratia,lib.3.Quod genus, aut Bacchi cùm flos euanuit,aut cùm,&c.ibid.Quod genus,in noſtris membris, & corpore toto Miſta latens animi vis eſt,animæque poteſtas.ibid.Quod genus,in ſomnis ſopiti vbi cernimus alta Exhalare vapore altaria.ibid. Quod genus eſt, animo malefactum cum perhibetur.lib.4.Quod genus illa foris quæ verè tranſpiciuntur,Ianua cùm per ſe tranſpectum præbet apertum.& lib 5.Quod genus in nobis quædam licet in ſtatione Membra manere tamen,cùm ſint ea,quæ moueantur. & M.Tull.lib. 2.de Inuẽt. Id faciet,ſi oſtendet aliqua eius nota,& communia officia: quod genus in parẽteis, cognatos,amicos,&c.Idẽ ibid.Nam eſt quiddã,quod ſua vi nos alliciat ad ſeſe,non emolumento captans aliquo,ſed trahens ſua dignitate:quod genus, virtus,ſcientia. Lucill.ſat.lib.6.Crebræ vt ſcintillæ in ſtricturis:quod genus olim Feruẽti ferro,&c.

NO'NNE VIDES ETIAM,&c.) delectatus videtur Lucretius hoc verſuum principio,vt eadem pagina.Nónne vides, longos flammarum ducere tractus? & lib.4 in extr.Nónne vides,etiam guttas in ſaxa cadenteis,&c.& lib.5. Nónne vides etiam quàm latè paruus aquai Prata riget fons interdum, campíſque redundet?ibid.Nónne vides,etiam diuerſis nubila ventis, Diuerſas ire in parteis, inferna ſupernis?& lib.6.Nónne vides etiam terra quoque ſulfur in ipſa Gignier?&c,

NAM QVAM MAGI' MERSIMVS ALTVM) ſic reſtitui partim ex auctoritate veterum codicũ,partim ex coniectura.quàm magis,tam magis.ſic loquebãtur politi illi ſcriptores,vt ſuprà admonuimus. iam hoc merſimus altùm,ſeu altè, ſignificanter & propriè dictũ. itaque quæ merſa hìc dicuntur,mox dicuntur emergere. Atque hoc totũ barbarus homo ſequitur,& probat, quaſi ſuum. vulgata antẽ ſcriptura,vrguimus,inepta eſt.alij,vrſimus,reponunt,quod,ſicubi reperitur, natum eſt ex merſimus. REVOMIT) alibi ſcriptum eſt,remouet.minus recte.

SIC IGITVR DEBENT,&c.) quemadmodum (inquit) ligna ſponte quidem ſua deorſum feruntur,ſed per expreſſionem quandam, & vi ſubigente, ſurſum mouentur,& in aquam merſa,reuomuntur,ac reijciuntur: ita dicẽdum eſt, flammas non ſuapte natura,ſed vi aliqua expreſſas.per auras ſubuolare.debẽt ſuccedere,id eſt credibile eſt ſuccedere:quod eſt ſurſum cedere:& ſurſum moueri.

EXPRESSÆ) ἐκθλιφθεῖσαι,per expreſſionem emiſſæ.

QVANTVM IN SE EST) ſua vi. DEDVCERE) deprimere & deferre flammas. PVGNENT) contendant.tranſlatio eſt.

SVBLIME VOLANTEIS) ſic habent omnes libri tùm manuſcripti, tùm typis excuſi.quod eò dico,ne quis putet legẽdum ſublimia:quod ſcio quoſdam conatos eſſe,verenteis ne ſyllaba vltima,longa ſit.quod longe aliter eſt. ſic enim idem

lib.4. Quæ multis formata modis ſublime feruntur. & lib. 6. Propterea quia concurrunt ſublime volantes Ætheriæ nubes. & item Virgil. lib. Georg.3. Iámque humiles, iámque elati ſublime videntur. Idem lib.10. Æneid. Sed ſublime volans nubi ſe immiſcuit atræ. NON CADERE, &c.) *Virg. ſuadéntque cadentia ſidera ſomnos. atqui ſtellæ in terram non decidunt, ſed ſicci quidam halitus, ſolis & ætheris ignibus accenſi.* DISSVPAT,) *id eſt diſſipat, & diſpergit. Vtitur & M. Tull. in Lælio. ea contrahere amicitiam, diſſupare diſcordiam. talia ſunt illa, ſimilare, ſimulare: recuperare, reciperare: exſulium, exſilium. quamquam exſulium, non etiam exſilium dici poſſe arbitror.* ET LVMINE CONSERIT ARVA) *tranſlatio. conſerit enim poſitum tranſlatè pro complet, & colluſtrat.*

VERGITVR) *propendet, profunditur. Virg. lib.6. Æneid. inuergit vina ſacerdos. ad quem locum notat Seruius, veteres in ſacris inferorum, vinum ita libare ſolitos, vt patera in partem læuam conuerteretur: quod vergere dicebant. Plaut. Curculione. ipſum expeto tangere, inuergere in me liquores tuos Sino ductim. quidam tamen legunt, ſpargitur ardor.*

TRANSVERSOSQVE VOLARE, &c.) *quemadmodum globi ferrei exprimuntur ex fiſtulis æneis.*

ABRVPTI NVBIBVS IGNES) *ſic Virg lib.3. Æneid ingeminant abrupti nubibus ignes. Sic Græci, πῦρ ἀπόῤῥωγὸς dicunt, id eſt ignem abſciſſum, & qui nubibus ſciſſis erupit. quod notat Turnebus Aduerſ. lib. V. cap. XXVII. Ne quis autem hoc loco legendum putet, abruptis, teſtificor, in quattuor libris manuſcriptis, & in pleriſque excuſis legi, abrupti, nõ, abruptis. Et quòd vulgò in codicib. Virgilianis legitur eo, quem ſupra teſtem produxi, loco, abruptis, antiqua exemplaria docent legendum, abrupti.*

Illud in his quoque te rebus cognoſcere auemus:
Corpora cùm deorſum rectum per inane feruntur
Ponderibus propriis: incerto tempore firmè,
Incertiſque locis, ſpatio ſecedere paullum,
Tantùm quòd momen mutatum dicere poſſis.
Quòd niſi declinare ſolerent: omnia deorſum,
Imbris vti guttæ, caderent per inane profundum:
Nec foret offenſus natus, nec plaga creata
Principiis. ita nil vmquàm natura creaſſet.
Quòd ſi forrè aliquis credit grauiora poteſſe
Corpora, quo citius rectum per inane feruntur,
Incidere è ſupero leuioribus: atque ita plagas
Gignere, quæ poſſint genitaleis reddere motus:
Auius à vera longè ratione recedit.
Nam per aquas quæcunque cadunt, atque aëra deorſum,
Hæc pro ponderibus caſus celerare neceſſe'ſt,
Propterea, quia corpus aquæ, naturáque tenuis
Aëris haud poſſunt æquè rem quamque morari:

Sed citius

Sed citius cedunt grauioribus exſuperata.
At contrà nulli de nulla parte, neque vllo
Tempore, inane poteſt vacuum ſubſiſtere reij,
Quin, ſua quod natura petit, concedere pergat.
Omnia quapropter debent per inane quietum
Aequè ponderibus non æquis cóncita ferri.

ILLVD IN HIS QVOQVE) *Nunc incipit diſputare de motu tertio, qui fit per declinationem, ſeu κατ' ἔγκλισιν: quam excogitauit Epicurus duas ob cauſas: Primùm quòd ſi corpora prima ſuapte natura ad perpendiculum mouerentur duntaxat, neq; paullùm declinarent: numquam inter ſe copularentur, numquam cohærerent, numquam confligerent: & ita numquam quicquam gignerēt: deinde, vt fati neceßitatem vitaret. qua de re ſic M. Tull. lib. 1. de nat. Deorum. Cùm videret Epicurus, ſi atomi ferrētur in locum inferiorem ſuopte pondere, nihil fore in noſtra poteſtate, quòd eſſet earum motus certus & neceſſarius, inuênit quo modo neceßitatē fati effugeret. quod videlicet Democritum fugerat ait, atomum, cùm pondere & grauitate directò deorſum feratur, declinare paullulū. hoc dicere turpius eſt, quàm illud, quod vult, non poſſe defendere. Sed proprius huius diſputationis locus eſt infrà ibi. Denique ſi ſemper motus connectitur omnis, Et vetere exoritur ſemper nouus ordine certo, Nec declinando faciunt primordia motus Principium quoddam, quod fati fœdera rumpat, &c. ad quem locum plura dicemus.*

COGNOSCERE AVEMVS) *non celabo lectorem, quod leue ac nugatorium fortaſſe cuipiā videatur: ſed ei tamen, qui verſatur in lectione librorum calamo exaratorum, magni ſit momenti: in quattuor libris manuſcriptis legi, cognoſcere habemus: perſpicuè mendosè. quod eo conſilio notaui, vt ſciat lector minus tritus in huiuſmodi libris, primùm in eis aſpirationis notam ſæpe eſſe superuacaneam: & contrà ſæpe deſiderari: deinde ſæpe b. pro u. & u pro b ſcriptum reperiri: quemadmodum & ſuprà breuiter admonui, nullo exemplo propoſito. Itaque nunc duo exēpla huius rei inſignia afferam: vnum eſt in oratione Cluentiana, quæ vulgò inſcribitur, pro A. Cluentio Habito: in quáque paßim, A Cluentius Habitus cognomento appellatur, cùm &, pro A. Cluētio Auito legendum ſit, & A. Cluentius cognomēto Auitus ſit appellandus. alterum eſt, in Catone maiore, vbi vulgò legitur, Audire te arbitror, Scipio, hoſpes tuus habitus Maſſaniſſa, quæ faciat hodie, &c. cùm legendum ſit, hoſpes tuus auitus: de quibus locis me admonuit Petr. Faber Toloſanus, vir doctiß. cùm vnà Romæ eſſemus: idque ſe à Cuiacio, iuriſconſulto ætatis noſtræ clarißimo accepiſſe addidit. Sic infrà in principio lib. 3 cod. Vaticanus habet. Quod te imitari habeo quid enim contendat hirundo Cycnis? cùm perſpicuum ſit, legendum eſſe, aueo. Sic contrà ouire pro obire. & multa ſimilia in eiſdē libris ſæpe reperimus.*

PONDERIBVS PROPRIIS) *innata grauitate.*

FIRME) *ſic habent libri veteres, de qua ſcriptura iudicet lector ingenioſus. nam ex vulgatis alij habent, fermè: alij, ferri.*

SPATIO SECEDERE PAVLLVM) *omnes, quos vidi, libri manuſcripti habent, ſpatio ſe pellere: Pariſienſes. & Veneti antiquiores, & Vicetini, depellere: quos non ſum ſecutus. decedere, non reiecißem, cùm præſertim quidam teſtentur ſcriptum reperiri etiam in exemplaribus antiquißimis, quemadmodum legitur in*

Florentinis & Venetis recentioribus, niſi pluris feciſſem cuiuſdam docti viri coniecturam, qui exiſtimat legendum, ſecedere, ex antiqua ſcriptura, ſepellere. quam tamen ipſam verbis Ciceronis confirmare poßim ex lib. I. de natura deorum. Omnis autem iſta rerum effigies quomodo ex indiuiduis corporibus oritur? quæ etiam ſi eſſent, quæ nulla ſunt, pellere ſe ipſa tamen, & agitari inter ſe concurſu fortaſſe poſſent: formare, figurare, &c, non poſſent. Quare, ſe pellere, ſcriptura, ſit fortaßis omnium optima, & rectißima, cùm præſertim in omnibus libris antiquis reperiatur expreſſa, vt in prima iam editione indicaui.

TANTVM QVOD MOMEN MVTATVM DIC. POSS) ſic repoſui, ſecutus antiquæ ſcripturæ veſtigia. Nam tres quidem manuſcripti codices habent, Tantum quod momen mutare dicere poßis Bertinianus autem, & Memm. ſine vlla litura, aut diſſenſione, ita vt excudendum curaui. Tantum quod momen mutatum dicere poßis: quibuscum congruunt Florentini vulgati. Adr. Turnebus autem legi volebat. Tantum quod momẽ mutatus dicere poßit. Et, mutatus, interpretabatur, mutationis, vt ſit hæc ſententia: vix dicere poßis leuem mutationem eſſe factam. Iam verò momen idem valet, quod momentum, id eſt exiguus motus, ῥοπή. quidam docti putant legendum, Tantum quoad momen, &c. alij quidam, Tantum quòd minimum momentum dicere poßis. Appellabat enim minimum illud ſpatium ἐλάχιστον, vt teſtatur M. Tull. lib. de Fato. Tantum quòd, autem, locutio veteribus vſitata, Plauto, Terentio, M. Tullio, ceteris: quæ idem ferè valet, quod, niſi quòd, hoc tãtum, non amplius quàm quòd. de quo ſatis multa in commentar. ad Æmil. Prob.

NEC FORET OFFENSVS NATVS,) id eſt nec corpora prima vmquam inter ſe offendiſſent, & conflixiſſent: non eſſet nata occurſatio, aut offenſio atomorum. offenſus, id eſt, vt Græci appellant, ἀντίτυπος. vtitur eodem vocabulo infrà eod. lib. Aut ex offenſu cùm turbant corpore in ipſo. & lib. 4 Cogit hebeſcere enim crebris offenſibus aër. & lib. 6 Nõ igitur multis offenſib. in remorãdo Hæſitat.

QVOD SI FORTE) Occupatio eſt. Si quis (inquit) forte exiſtimat, grauiora corpuſcula, quo citius directò per inane feruntur, eo magis incidere poſſe in ea, quæ ſunt leuiora, & ita plagas quaſdam gignere, quæ motus genitaleis reddere queant, errat. Nam ſi non eſſet inane, per quod mouerentur corpora prima, ſed omne eſſet plenum, & in eo pleno mouerentur principia rerum: valeret hæc ratio, & diceret aliquid, qui ea niteretur, cùm perſpicuum ſit, aquam & aërem facilius cedere corporibus grauioribus, quàm leuioribus. nunc autem cùm probauerimus, corpora prima per inane moueri: dicendum eſt, æquè celeriter moueri corpora prima leuißima, atque ea, quæ ſunt grauißima.

POTESSE) antiquum & tamen integrum, pro poſſe, à verbo, potiſſum, quod valet, poſſum, vt ſuprà diximus.

INCIDERE E SVPERO LEVIORIBVS,) id eſt incidere in corpora leuiora, & propter leuitatem tardiora. ſic loquitur infrà paucis pòſt verſibus. Haud igitur poterunt leuioribus incidere vmquam Ex ſupero grauiora, neque ictus gignere per ſe.

ATQVE ITA PLAGAS GIGNERE) ſic reſtitui, reclamantibus codicibus omnibus, in quibus legitur, plagis gignere, veritate ipſa hanc ſcripturam flagitante. hoc enim ſignificat, verendum eſſe, ſi omnia corpora prima æquè celeriter per inane ferantur, ne numquam alia aliis incidant: atque ita plagas, ſeu ictus non gignant, ex quibus ictibus motus genitales oriantur. meam conjecturam adiu-

est ſimilis ille locus, quem paullo antè teſtem produxi. neque ictus gignere per ſe, Qui varient motus. per quos natura gerat res.

PRO PONDERIBVS, *pro ratione ponderum, id eſt pro vt grauiora, aut leuiora ſunt.* NATVRAQVE TENVIS) *in voce, tenuis, duæ ſyllabæ breues habentur pro vna longa: vel u. fit conſonans: quod item fit locis innumerabilibus.*

HAVD POSSVNT ÆQVE REM QVANQVE) *haud æquè, id eſt non æqualiter, non ſimiliter. nam aqua magis ſubſiſtit corporibus, quàm aër. hinc fortaſſe fit, vt homines natare poßint, qui didicerint: volare nũquam: quod aues poſſunt: lignum in aqua exſtet, neq; mergatur: in aëre non exſtet, neque quieſcat, ſed deorſum feratur in terram.*

QVIN SVA QVOD NATVRA PETIT, &c.) *vſurpauit hunc verſum, ſuprà in extremo primo libro. Quin autem, id eſt, vt non.*

ÆQVE PONDERIBVS NON ÆQVIS) *ex hoc verſu emendaui illũ, qui eſt in libro primo, eo, quem modò commemoraui, loco.*

Haud igitur poterunt leuioribus incidere vmquàm
Ex ſupero grauiora, neque ictus gignere per ſe,
Qui varient motus, per quos natura gerat res.
Quare etiam, atque etiam paullum clinare neceſſe'ſt
Corpora, nec plus quàm minimum, ne fingere motus
Obliquos videamur, & id res vera refutet.
Namque hoc in promtu, manifeſtúmque eſſe videmus,
Pondera, quantum in ſe'ſt, non poſſe obliqua meare,
Ex ſupero cùm præcipitant, quod cernere poſſis.
Sed nihil omnino recta regione viaï
Declinare, quis eſt, qui poſſit cernere, ſeſe?
Denique ſi ſemper motus connectitur omnis:
Et vetere exoritur ſemper nouus ordine certo:
Nec declinando faciunt primordia motus
Principium quoddam, quod fati fœdera rumpat,
Ex infinito ne cauſam cauſa ſequatur:
Libera per terras vnde hæc animantibus exſtat,
Vnde eſt hæc, inquam, fatis auolſa voluntas,
Per quam progredimur, quò ducit quemque voluptas?
Declinamus item motus nec tempore certo,
Nec regione loci certa, ſed vbi ipſa tulit mens.
Nam dubio procul his rebus ſua quoique voluntas
Principium dat: & hinc motus per membra vagantur.
Nónne vides etiam patefactis tempore puncto
Carceribus, non poſſe tamen prorumpere equorum
Vim cupidam tam deſubitò, quàm mens auet ipſa?
Omnis enim totum per corpus materiaï

Copia conquiri debet, concita per artus
Omneis: vt ſtudium mentis connexa ſequatur.
Vt videas initum motus à corde creari:
Ex animíque voluntate id procedere primùm:
Inde dari porrò per totum corpus & artus.

PER QVOS NATVRA GERAT RES) *id eſt, adminiſtret res. ſed vi-detur hoc etiam loco legendum, genat, non, gerat. nam quos paullo antè motus genitaleis dixit, per eos motus nunc ait naturam res gignere: quæ idem valent. verum tamen nihil muto.* PAVLLVM CLINARE) *libri vulgati, & nonnulli manuſcrip. habent, inclinare in vno libro manuſcripto legitur planè, clinare: quam ſcripturam probo: eámque puto eſſe corruptam ab eo, qui putaret, verbum clinandi, non eſſe Latinum, cùm ab eo naſcatur vox, clinamen, qua infrà vtitur ibi, Id facit exiguum clinamen principiorum.*

NEC PLVS QVA'M MINIMVM) *id appellabat Epicurus, ἐλάχιστον, vt teſtantur Laertius, & M. Tull lib de Fato. verba M. Tullij ſunt hæc. tertius motus, cùm declinat atomus interuallo minimo. id appellat ἐλάχιστον.*

NE FINGERE MOTVS) *huc pertinent illa M. Tullij lib. 1. de Finib. Nam & ipſa declinatio ad libidinem fingitur. ait enim declinare atomos ſine cauſa: quo nihil turpius phyſico & illum motum naturalē omnium ponderum è regione inferiorem locum petentiū, ſine cauſa eripuit atomis. Nec tamen id, cuius cauſa hæc finxerat aſſecutus eſt Nam ſiue omnes atomi declinabunt, nullæ vnquā cohæreſcent: ſiue aliæ declinabunt, aliæ ſuo nutu rectè ferētur: primùm erit hoc quaſi prouincias atomis dare, quæ rectè, quæ obliquè ferantur: deinde eadem illa atomorum, in quo etiā Democritus hæret, turbulēta cōcurſio, hunc mundi ornatū efficere non poterit.*

SED NIHIL OMNINO, &c.) *ordo eſt, ſed quis eſt, qui poßit cernere, corpora prima nihil omnino ſe de recta regione declinare? implicata oratio: qualis illa eſt. Quorum vtrumque quid à vero iam diſtet, habebas. Verbū, declinare, hoc loco iungitur cum quarto caſu, & eſt ἐνεργητικὸν, vt apud Virgil. lib. Æneid. 4. nec dulci declinat lumina ſomno. & apud M. Tull. de Fato. Quæ ergo noua cauſa in natura eſt, quæ declinet atomum?*

QVOD FATI FOED. RVMP.) *id eſt, quod tollat fatum, ſeu fati neceßitatem. Hac de re ſic M. Tull. lib. de Fato. Sed Epicurus declinatione atomi vitari fati neceßitatem putat. Itaque tertius quidam motus oritur extra pondus & plagam, cùm declinat atomus interuallo minimo: id appellat ἐλάχιστον. Quā declinationem ſine cauſa fieri, ſi minus verbis, re cogitur confiteri. non enim atomus ab atomo pulſa declinat. nam qui poteſt pelli alia ab alia, ſi grauitate feruntur ad perpendiculum corpora indiuidua rectis lineis, vt Epicuro placet? Sequitur enim, vt, ſi alia ab alia numquā depellatur, ne contingat quidem alia aliā. Ex quo efficitur, etiam ſi ſit atomus, eaq; declinet, declinare ſine cauſa. hanc rationē Epicurus induxit ob eā rem, quòd veritus eſt, ne, ſi ſemper atomus grauitate ferretur naturali ac neceſſaria, nihil liberum nobis eſſet, cùm ita moueretur animus, vt atomorum motu cogeretur. Legito, ſi vacas, cetera, quæ ſequūtur. Huc eodem pertinet locus ille ex lib. 1 de nat. Deor. quem paullo antè teſtem produximus. Velut Epicurus cùm videret, ſi atomi ferrentur in locū inferiorem ſuopte pōdere, nihil fore in noſtra poteſtate, quòd eſſet earū motus certus & neceſſarius, inuēnit quo modo neceßitatē fati effugeret, &c.*

Eadem de re ſic Plutarch. lib. πότερα τῶν ζώων φρονιμώτερα. οὐδὲ γὰρ αὐτοὶ τῷ Ἐπικούρῳ διδόασιν ὑπὲρ τῶν μεγίστων, σμικρὸν οὕτω πρᾶγμα καὶ φαῦλον, ἄτομον, παρεγκλῖναι μίαν ἐπὶ τοὐλάχιστον, ὅπως ἄστρα καὶ ζῷα, καὶ τύχη παρεισέλθῃ, καὶ τὸ ἐφ' ἡμῖν μὴ ἀπόληται) id eſt, neque enim ipſi (Stoici) dant Epicuro rerum maximarum cauſa, rem tam paruam & leuem, atomum vnam, declinare minimo interuallo, vt aſtra & animalia, & fortuna recipiantur: & vt ne libera voluntas, ac poteſtas nobis pereat.

EX INFINITO NE CAVSAM) atque ita ſit fatum. nam fatum nihil aliud eſt, quàm εἱρμὸς, ſeu συμπλοκὴ αἰτιῶν τεταγμένη: id eſt ſeries, ſeu connexio cauſarum ordinata, ſeu cauſarum inter ſe nexarum æternitas. Iam qui introducunt cauſarum ſeriem ordinatam, ac ſempiternam, ij mentem hominis libera voluntate ſpoliatam, fati neceſsitate deuinciunt, vt ſcribit M. Tull. de Fato.

FATIS AVOLSA VOLVNTAS) id eſt, fatu non alligata. Sic autem legendum hoc loco, non, vt in vulgatis, auolſa voluptas: vt contrà proximi verſus ſcriptura recta eſt. Per quam progredimur, quò ducit quemque voluptas. tale enim eſt illud Virgilianum in Alex. trahit ſua quemque voluptas.

NAM DVBIO PROC. HIS R. S. QVOIQVE VOL.) Voluntas eſt principium motus in nobu. ſic Ariſtot. Phyſic.

ET HINC MOTVS PER MEMBRA VAGANTVR) omnes libri typis excuſi, quos quidem viderim, habent, per membra rigantur: quam ſcripturam ſi probabimus, erit tranſlatio: & hunc locum ſic explicabo. hinc, id eſt à voluntate, motus rigantur, id eſt complentur, aluntur, amplificantur, & propagantur. lib. 5. Quod maria, ac terras omnes, cælúmque rigando Compleat. In duobus lib. manuſcrip ſcriptum eſt, per membra vagantur: cuius ſcripturæ ſentētia plana eſt: eámq;, ne quid diſsimulem, ceteris antepono. quidam legendum cenſent, per membra reguntur, atque ita legitur in cod. Memmiano, & Tettiano. ex qua ſcriptura, ſi coniecturæ locus eſt, libenter facerem, genuntur, id eſt, gignūtur quaſi diceret Lucretius, in nobu à voluntate motus proficiſci, atque oriri. quod quidem idem valet, atque id, quod & paullo antè dictum à nobu eſt, & Ariſtoteles item tradidit, voluntatem eſſe principium & originem motus in nobis. fuit autem lapſus procliuis, vt ex, genuntur, fieret, geruntur: deinde ex, geruntur modò, reguntur, modò rigantur. Sic autem loquitur alibi vt ſuprà eod. lib. Ceſſandóque nouos rerum progignere motus. Qui autem, geri motus, pro, creari, Latine dici poſſe putant, in lingua Latina ſunt hoſpites ne quid grauius dicā. gerere dicitur proprie & nutrix, aut mater alūnum, aut filium. & baiulus onus, & qui veſtitus eſt, veſtem: & coloratus, colorē, & ſimilia tranſlatè. Imperator bellum, & magiſtratus perſonam publicam, & negotiorum geſtor, ſeu procurator, & ſimilia. gerere motus verò, pro creare, aut gignere motus, ſcio Latine dici nullo modo poſſe, quicquid blaterent Thraſones.

NONNE VIDES ETIAM PATEF. TEMP. P.) Virg. Georgic. I. Vt cùm carceribus ſeſe effudêre quadrigæ, &c.

TAM DESVBITO) idem lib. 3. Sæpe ita deſubitò permiſta cæde calenteis. Ennius. Cum deſubitò me orat mulier, lacrymánſque ad genua accidit. Plautus Bacch. Quid ſi apud te veniat deſubitò prandium, aut potatio? &c.

QVAM MENS AVET IPSA) profert hunc locum Nonius, ſed corruptè. ſcriptū eſt enim in exemplu Nonij, quàm mens habet ipſa b pro u, cum aſpiratione ſuperuacanea quæ duo ſæpe peccantur in codicib. manuſcrip vt ſuprà diximus.

CONQVIRI DEBET) in quibuſd. lib. manuſcr. ſcriptū eſt, cōciri. quod nō

temere admoneo, ſed vt ſciant ſtudioſi lectores, ſæpe à librariis illis poſitum reperiri c, pro qu. vt aca, pro aqua, delica, pro deliqua, & ſimil. niſi quis dicat, conciri, eſſe rectum, & integrum. de quo iudicent eruditi. Omnino, conquiri, magis probo.

CONNEXA SEQVATVR) *ſic habent omnes libri vulgati: quidam ſcripti, connixa.* VT VIDEAS INITVM MOTVS, &c.) *ſic habent cod. Aldini recentiores, & Pariſ. & Lugdunenſ. vtrique. & manuſcrip. Bertin. Memm. Tettian. initum autem interpretor, ingreſſum, ſeu introitū, vt lib. 1. Significāt initum perculſæ corda tua vi. alij habent, initiū, vt manuſcript Vaticanus, & excuſi, Vicetini ac Florētini: quā poſteriorem ſcripturā ſi recipimus, in voce, initiū, i, & u, coëūt in vnā ſyllabā. ſic idē lib. 3. & mobilis illa Vis, initū motus ab ſe quæ diuidit ollis.*

DARI PORRO) *dari porro, id eſt amplificari, ac dilatari, ſeu permanare, diſtribui, didi. ſic ferè ſuprà dixit, dare ſe foras, ad extr. lib. 1.*

Nec ſimile'ſt, vt cùm impulſi procedimus ictu,
Viribus alterius magnis, magnóque coactu.
Nam tum materiam totius corporis omnem
Perſpicuum'ſt nobis inuitis ire, rapíque,
Donicum eam refrenauit per membra voluntas.
Iámne vides igitur, quamquam vis extima multos
Pellit, & inuitos cogit procedere ſæpe,
Præcipiteíſque rapit: tamen eſſe in pectore noſtro
Quiddam, quod contrà pugnare, obſtaréque poſſit:
Quoius ad arbitrium quoque copia materiaï
Cogitur interdum flecti per membra, per artus:
Et proiecta refrenatur, retróque reſidit?
Quare in ſeminibus quoque idem fateare neceſſe'ſt,
Eſſe aliam præter plagas, & pondera cauſam
Motibus: vnde hæc eſt nobis innata poteſtas:
De nihilo quoniam fieri nil poſſe videmus.
Pondus enim prohibet, ne plágis omnia fiant,
Externa quaſi vi. ſed ne mens ipſa neceſſum
Inteſtinum habeat cunctis in rebus agendis:
Et deuicta quaſi cogatur ferre, patíque:
Id facit exiguum clinamen principiorum,
Nec regione loci certa, nec tempore certo.

NEC SIMILE 'ST, &c) *quia hoc fit ab inuitis: illud ſponte, & voluntate noſtra. Vide Ariſtot. lib. 3. Ἠθικ. Νικομ. vbi diſputat περὶ ἑκουσίου καὶ ἀκουσίου.*

VIRIBVS ALTERIVS) *ſignificat id, quod Ariſtoteles eo, quem modò dixi, loco, βίαιον, id eſt violentum nominat: quod ſic definit ille: βίαιον, οὗ ἀρχὴ ἔξωθεν, μηδὲν συμβαλλομένου τοῦ πράττοντος. i. violentū eſt id, cuius principium eſt extrinſecus, nihil adiuuante eo, quod agit. ſumſit autem partem ἀκουσίου, id eſt eius, quod fit inuitè. nam ἀκούσιον, diuiditur εἰς τὸ δι' ἄγνοιαν, ἐπίλυπον ὂν καὶ ἐν μεταμελείᾳ, καὶ εἰς τὸ βίαιον,*

id eſt in id, quod fit per ignorantiam, quod poſteà moleſtum ſit, cuiúſque pœniteat: & in violentum. DONICVM EAM) *eam, nempe materiam. nonnulli libri habent, Donec clauſa refr. vnde legendum exiſtimaui, Donicum eam. Nam vulgati habent, Donec eam, &c.*

VIS EXTIMA) *nonnulli libri habẽt, extera.* COGIT) βιάζεται, ἀναγκάζει. QVIDDAM,) *nempe voluntatem fati neceſſitate ſolutam.*

ET PROIECTA REFR.) *& profuſa reprimitur, & retro quieſcit?*

ESSE ALIAM PRÆT. PL. ET POND. CAVS.) *nempe declinationem. Perſpicue igitur hoc loco Lucretius ex Epicuri ſententia tertium genus motus, qui fit per declinationem, ponit.* PRÆTER PLAGAS) *per quas fit motus ſurſum.* PONDERA) *ex quibus oritur motus deorſum, qui proprius eſt omniũ corporum.* VNDE HÆC EST NOBIS) *à qua declinatione nata eſt in nobis libertas agendi, fati neceſſitate ſoluta. M. Tull. lib. 1. de nat. deor. Epicurus cùm videret, ſi atomi ferrentur in locum inferiorem ſuo pondere, nihil fore in noſtra poteſtate, quòd eſſet earum motus certus, & neceſſarius, inuênit quomodo neceſſitatem effugeret. Legẽdum eſt autem, vt excudendum curauimus, nobis innata poteſtas, vt ſcriptum eſt in codice manuſcr. Vaticano & Memmiano: non, vt habent plerique libri excuſi, ollis innata poteſtas.*

DE NIHILO QVONIAM, &c.) *at de nihilo eſſet hæc nobis innata quidlibet agendi poteſtas, ſi non eſſèt atomorum declinatio.*

PONDVS ENIM) *per quod corpora deorſum mouentur per ſe, & ſua ſponte: & cùm æquali celeritate moueantur, numquam alterum ab altero tangi poteſt.*

SED NE RES IPSA) *ſic omnes quidem habent libri. ſed legendum puto, mens ipſa, vel reclamantibus libris omnibus, ratione hanc ſcripturam efflagitante.*

NECESSVM INTESTINVM) *neceſſitatem inteſtinam, cuius cauſa efficiens eſſet motus atomorum naturalis certus & neceſſarius, qui fit deorſum.*

EXIGVVM CLINAMEN) *id eſt minuta declinatio atomorum. clinamen autem à verbo clino, as. ex quo acclinis. Horat. ſaty. 2. lib. 2. Acclinis falſis animus, &c. Sic enim legendum eſſe indicauimus, cùm vulgò legeretur, Acclinus, &c.*

Nec ſtipata magis fuit vmquam materiaï
Copia, nec porrò maioribus interuallis.
Nam neque adaugeſcit quicquam, neque deperit inde.
Quapropter, quo nunc in motu, principiorum
Corpora ſunt, in eodem anteacta ætate fuere:
Et poſthac ſemper ſimili ratione ferentur:
Et quæ conſuerunt gigni, gignentur eadem
Condicione: & erunt, & creſcent, inq; valebunt,
Quantum quoique datum eſt per fœdera naturaï.
Nec rerum ſummam commutare vlla poteſt vis.
Nam neque quò poſſit genus vllum materiaï
Effugere ex omni, quicquam'ſt: neque rurſus, in omne
Vnde coorta queat noua vis inrumpere, & omnem
Naturam rerum mutare, & vertere motus.

NEC STIP. MAG. FVIT VMQ.) *id eſt neque contractiora inter ſe, & denſiora vnquam principiis fuerunt, neque rariora, & diductiora, quàm hodie ſunt.* ET QVÆ CONSVERVNT) *ſic legendum, & ita habent duo libri manuſcripti: alij con uertnt. Ridiculè autem Thraſo putat legendum, Et qua conſuerunt. &c. vt ſit hæc ſententia, & qua condicione prima corpora conſuerunt gigni, eadem condicione gignentur: quaſi verò primordia rerum gignantur, & nō res omneis gignant. vel certè ex iis res omnes gignantur.*

EADEM CONDICIONE) *eadem lege, eodem pacto.*

ET POSTHAC SEMPER) *al. Et poſthoc ſemper, &c.*

INQVE VALEBVNT) *& invalebunt, ſeu invaleſcent.* τμῆσις. *vt Virgil. lib. 9 Æneid. Inque ſalutatam. & Lucret. cónque globata, inque pedita, díſque ſupatis, ſéque gregari, & ſimil. ſexcenta.*

QVANTVM QVOIQVE DAT. EST) *verbum, eſt, quod aberat à pleriſque vulgatis, repoſui auctoritate manuſcr codicum, & aliorū vulgatorū fretus.*

NEC RERVM SVMMAM, &c.) *id eſt nec* τὸ πᾶν, *id eſt vniuerſum, ſeu omne, vt ſæpe ipſe appellat, vis vlla commutare poteſt longe igitur aliud eſt omne, quàm mundus. Nam mundus interibit etiam ex ſententia Epicuri. immò verò idem ſentit, infinitos quotidie mundos & oriri, & interire. lib 5. Quod ſupereſt, ne te in promiſſis plura moremur: Principio maria, ac terras, cælúmque tuére: Horum naturam triplicem, tria corpora Memmi, Treis ſpecies tam diſſimileis, tria talia texta Vna dies dabit exitio, multóſque per annos Suſtentata ruet moles, & machina mundi. idem eodem libro infrà. quapropter maxima mundi Cùm videam membra, ac parteis conſumta regigni, Scire licet cæli quoque idem, terræque fuiſſe Principiale aliquod tempus, cladémque futuram.*

EX OMNI) *ex ſumma, ex vniuerſo,* ἐκ τοῦ παντός. *vt paullo antè diximus.*

NEQVE RVRSVS, IN OMNE VNDE) *ordo eſt. neque rurſum quicquam eſt, vnde, id eſt ex quo, noua vis coorta in omne irrumpere queat.*

IN OMNE) εἰς τὸ πᾶν.

Illud in his rebus non eſt mirabile, quare,
Omnia cùm rerum primordia ſint in motu:
Summa tamen ſumma videatur ſtare quiete,
Præterquàm, ſi quid proprio dat corpore motus.
Omnis enim longè noſtris ab ſenſibus infrà
Primorum natura iacet. quapropter vbi illa
Cernere iam nequeas, motus quoque ſurpere debent:
Præſertim quom quæ poſſimus cernere, celent
Sæpe tamen motus, ſpatio diducta locorum.
Nam ſæpe in colli tondentes pabula læta
Lanigeræ reptant pecudes, quò quamque vocantes
Inuitant herbæ gemmantes rore recenti:
Et ſatiati agni ludunt, blandéque coruſcant.
Omnia quæ nobis longè confuſa videntur:
Et veluti in viridi candor conſiſtere colli.

Præterea magnæ legiones cùm loca curſu
Camporum complent, belli ſimulacra cientes:
Et circumuolitant equites, medióſque repente
Tranſmittunt valido quatientes impete campos:
Fulgur ibi ad cælum ſe tollit, totáque circùm
Ære renideſcit tellus, ſubtérque virùm vi
Excitur pedibus ſonitus, clamoréque montes
Icti reiectant voces ad ſidera mundi:
Et tamen eſt quidam locus altis montibus, vnde
Stare videtur, & in campis conſiſtere fulgur.

ILLVD IN HIS REBVS) *ἀνθυποφορά. non eſt, inquit, mirum, ipſum vniuerſum, atque ipſam ſummam rerum videri ſtare & quieſcere, cùm principia rerum perpetuo motu agitentur.* PRÆTERQVÀM SI QVID) *vt cælum, aër, aqua, &c.* LONGÈ NOSTRIS AB SENSIBVS INFRA) *videtur legendum, noſtris ab ſenſibus ipſa. verum tamen nihil mutare auſim.*

QVAPROPTER VBI ILLA) *cùm in duobus libris calamo exaratis ſcriptum reperiſſem, vbi illum: ego ex voce, illum. feci, illa, vt intelligamus corpora prima. quòd ſi quis malet legi, illam, vt ſubintelligamus primorum naturam, non magnopere repugnabo. ſed tum verſu proximo legendum erit, ſurpere debet.*

SVRPERE) *pro ſurripere. ſic Horat. od. 12. lib. 4. quid habes illius, illius, Quæ ſpirabat amores: Quæ me ſurpuerat mihi?*

PRÆSERTIM CVM QVÆ) *argumentum ductum à rebus, quæ videndi ſenſu percipiuntur: cuius argumẽti hæc vis eſt. Si earum rerum, quas cernere poſſumus, motus, aſpectum noſtrum fugiunt propter longum locorum interuallum: quãto veriſimilius, & magis cum ratione conſentaneum eſt, principiorum, quæ ſub ſenſum oculorum non cadunt, motus non cerni?*

IN COLLI) *in colle. ſic alibi, parti, voci, cõtagi, &c. pro, parte, voce, cõtage, &c. ponere ſolet.* TONDENTES PAB. L) *tondentes, id eſt depaſcentes. ſic Virgil. Georg. 1. princip. Tercentum niuei tondent dumeta iuuenci. & Æneid. 3. Quatuor hîc primum omen, equos in gramine vidi Tondenteis campum latè, candore niuali. Eadem ratione dictum eſt ab cod. lib. VI. roſtróque immanis vultur obunco Immortale iecur tondens. ſic enim legendum, non, vt vulgò, tundens.*

REPTANT) *tranſlatio. Horat. etiã ad homines tranſtulit epiſt. ad Tibull. lib. 1. An tacitum ſiluas inter reptare ſalubreis, &c.*

GEMMANTES) *id eſt rore perfuſæ, & ita gemmarum ſpeciem præ ſe ferentes. idem lib. 5. Aurea cùm primùm gemmanteis rore per herbas, &c.*

BLANDEQVE CORVSCANT) *ſecutus fuerã iam in prima editione cod. manuſcriptos, Vaticanum & Bertinianum, & typis excuſos, Florentinos. in quibus plane legitur, coruſcant. nam ceteri vulgati ferè omnes habent, partim, chroniſcant, partim, croniſcant, partim, coniſcant. coruſcant autem interpretabar, dimicant, cornibus ſcilicet: cornibus ſe mutuò petentes coruſcationem quandam referunt. Sic ferè Virgil. niſi quòd ἀρχαϊκῶς vſurpauit Æneid. 12. Cunctanti telum Æneas fatale coruſcat. idem lib. 8. duo quiſque Alpina coruſcat Gæſa manu. vel ſimpliciter coruſcant, trepidant, huc & illud mouentur, ſaltitant ſic ferè Plautus Rud. Equidem*

ſ

me ad velitationem exerceo. Nam omnia coruſca præ tremore fabulor. Neque verò quemquam mouere debet, quòd Virgilius in eis exemplis, quæ ſuprà poſui, hoc verbum ἀνεργητικῶς *vſurpat. nam nihilo magis eſt actiuum, quàm vibrandi verbum. At cum dicantur ignes, & flammæ, & linguæ vibrare, abſolutè. vt alibi notauimus: dicimur tamen etiam vibrare enſem, haſtam, venena, &c. actiue. Sic igitur coruſcare propriè abſolutū eſt, quamuis & actiuè interdum vſurpetur. Virg Georg. 4. Tum trepidæ inter ſe coëunt, pennisque coruſcant. ibid. elucent alæ, & fulgore coruſcant, Ardentes auro. Hæc igitur ſcriptura mihi videtur probabiliſsima, & mehercule tutiſsima: eámque hac tertia editione retinui. Verumtamen etiam mihi venit in mentem, fortaſſe, coruſſant. eſſe legendum, aut coruſſunt, à verbo Græco* κορύσσω, *ex quo fit* κορύσσω *communiter creatbile enim eſt hinc Lucretiū finxiſſe, coruſſo, as, aut coruſſo, is. eſt autem* κορύπτω, *ſeu* κορύττω, *cornibus dimico, & cornibus peto. quo verbo vtitur Theocr. & Plato. De ſcriptura autem illa, quæ in nonnullis item libris veterib. reperitur, coniſcant, quærendum.*

BELLI SIMVLACRA CIENTES) *Virg. lib. 5. Quà ludo intentus bello ſimulacra ciebat. ibid. pugnæque cient ſimulacra ſub armis.*

ET CIRCVMVOLITANT EQVITES) *hos duos verſus aliò tranſlatos, in ſuum locum reſtitui.* TRANSMITTVNT VALIDO) *libri manuſcr. duo & Aldini antiqui habent, Tramittunt, hunc locum profert Macrob. lib 6. Saturn. vbi oſtendit, hinc effictum, atque imitatum eſſe illud Virgilianum lib. 4 Æneid. alia de parte patenteis Tranſmittunt curſu campos, &c. ſic & Valer. Flaccus lib. 3. iámque ipſe recenti Stat tumulo placida tranſmittens agmina lauro.*

IMPETE, *id eſt impetu: qua voce pluribus locis vtitur, vt lib. 4. Deſpectum præbet ſub terras impete tanto, &c. & lib. 5. Aut hominem tanto membrorum eſſe impete natum. & lib. 6. Extructis aliis alias ſuper impete miro. quod item nomen indicat A. Gellius lib. 19. cap. 6 à Næuio poeta eſſe vſurpatum.*

FVLGVR) *i. fulgor: ſic itē infrà ſexto verſu. videtur enim Lucret. altero pro altero promiſcuè, &* ἀδιαφόρως *vti. vt lib. 4 Et quaſi protelo ſtimulatur fulgore fulgur. & ſup. hoc eod lib. neq, fulgorē reuerētur ab auro. & lib. 5. nullo qui ſit fulgore notatus.* FVLGVR IBI AD CÆL. SE T. *Hom. in β.* ἕκαθεν δέ τε φαίνεται αὐγή· Ὣς τῶν ἐρχομένων ἀπὸ χαλκοῦ θεσπεσίοιο Αἴγλη παμφανόωσα δι' αἰθέρος οὐρανὸν ἷκε.

RENIDESCIT) *ſplendore armorū perfuſa hilaritatem quandā præ ſe fert, & quaſi riſu diffundit ſpectatorē.* SVBTERQVE, *& ſubter pedes, ſub pedibus.*

REIECTANT VOCES) *referunt voces. in quibuſdam cod manuſcriptis reperi ſcriptum, clamor quoque montes Icit, & eiectat voces ad ſidera mundi.*

Nunc age iam deinceps cunctarum exordia rerum
Qualia ſint, & quàm longè diſtantia formis,
Percipe, multigenis quàm ſint variata figuris:
Non quòd multa parum ſimili ſint prædita forma,
Sed quia non volgò paria omnibus omnia conſtant.
Nec mirum. nam cùm ſit eorum copia tanta,
Vt neque finis (vti docui) neque ſumma ſit vlla:
Debent nimirum non omnibus omnia prorſum
Eſſe pari filo, ſimilíque affecta figura.

Præterea genus humanum, mutæque natantes
Squammigerûm pecudes, & læta arbuſta, feræq;,
Et variæ volucres, lætantia quæ loca aquarum
Concelebrant circum ripas, fonteiſque, lacúſque:
Et quæ peruolgant nemora auia peruolitantes:
Horum vnum quoduis generatim ſumere perge:
Inueniẹs tamen inter ſe diſtare figuris.
Nec ratione alia proles cognoſcere matrem,
Nec mater poſſet prolem: quod poſſe videmus,
Nec minus, atque homines, inter ſe nota cluere.
Nam ſæpe ante deûm vitulus delubra decôra
Turicremas propter mactatus cóncidit aras,
Sanguinis exſpirans calidum de pectore flumen.
At mater virideis ſaltus orbata peragrans,
Linquit humi pedibus veſtigia preſſa biſulcis,
Omnia conuiſens oculis loca, ſi queat vſquam
Conſpicere amiſſum fætum: complétque querelis
Frundiferum nemus adſiſtens, & crebra reuiſit
Ad ſtabulum, deſiderio perfixa iuuenci.
Nec teneræ ſalices, atque herbæ rore vigentes,
Fluminâque vlla queunt ſummis labentia ripis
Oblectare animum, ſubitámque auertere curam.
Nec vitulorum aliæ ſpecies per pabula læta
Deriuare queunt animum, curáque leuare:
Vſqueadeò quiddam proprium, notúmque requirit.
Præterea, teneri tremulis cum vocibus hædi
Corrigeras norunt matres, agníque petulci
Balantum pecudes. ita, quod natura repoſcit,
Ad ſua quiſque ferè decurrunt vbera lactis.
Poſtremò quoduis frumentum, non tamen omne
Quodque ſuo in genere inter ſe ſimile eſſe videbis,
Quin intercurrat quædam diſtantia formis.
Concharúmque genus parili ratione videmus
Pingere telluris gremium, quà mollibus vndis
Litoris incurui bibulam lauit æquor arenam.
Quare etiam atque etiam ſimili ratione neceſſe'ſt,
Natura quoniam conſtant, neque facta manu ſunt
Vnius ad certam formam primordia rerum,
Diſſimili inter ſe quædam volitare figura.

NVNC AGE IAM.) Hinc incipit docere, primùm atomos formis, ſeu figuris inter ſe differre: deinde oſtendet, figurarum diſsimilitudines eſſe finitas: poſtremò ſingularum figurarum corpora prima, eſſe infinita.

NON QVOD MVLTA PARVM) non quòd parum multa ſint corpora ſimili figura nata (nam tãtum abeſt, vt pauca ſint, vt etiam ſint infinita) ſed quia omnia corpora non ſunt ſimili inter ſe figura prædita.

VT NEQVE FIN. VTI D. NEQ.) id eſt vt primordiorũ neque finis, neque numerus ſit vllus. Nam τὸ πᾶν dicebant Democritus & Epicurus eſſe infinitũ & magnitudine ſpatij infiniti, & multitudine atomorum.

ESSE PARI FILO) ſimili textura. tranſlatio à tela. ſic dicimus poëma & orationem eſſe tenui filo, craſſo filo, ſubtili filo. Lucretius lib. 4. Quæ volgò volitant ſubtili prædita filo. filum ſignificat etiam interdum extremum cuiuſque rei lineamentum, vt lib. 5. Perparuum quiddã interdum mutare videtur Alterutrã in partem filum. idem lib. V. Forma quoque hinc ſolis debet filúmq; videri. Plautus Mercat. ſatis ſcitum filum mulieris. Arnob. lib. 3. aduerſus gent. At verò vos deos parum eſt formarum quòd amplectimini menſione, filo etiam atterminatis humano. Apuleius lib. de deo Socr. loquens de dæmonum corporibus: ſed fila corporum poſsident rara & ſplendida & tenuia vſque adeò, vt radios omneis noſtri tuoris & raritate tranſmittant, & ſplendore reuerberent, & ſubtilitate fruſtrentur. A. Gellius lib. XIIII. cap. IIII. Facit quippe imaginem Iuſtitiæ. fierique ſolitam eſſe dicit à pictoribus, rhetoribúſque antiquioribus ad hunc ferè modum: forma atque filo virginali, aſpectu vehementi, &c.

PRÆTEREA GENVS HVMANVM, &c) argumentum ab effectis. animantes ipſæ, quæ conſtant ex atomis, animantes, inquam, eiuſdem generis, & ſpeciei, differunt inter ſe figura. non enim omnes equi, non omnes tauri, non omnes canes, (& item de ceteris ſentiendum) ſimili ſunt figura prediti. Nam ſi ita eſſet, mater prolem non agnoſceret. at mater prolem agnoſcit, vt equa ſuos equuleos, canis ſuos catulos, cerua ſuos hinulos, & contrà: ergo atomorum non vna eſt figura. hunc verſum cum eo, qui proximè ſequitur, citat Non. Marcellus in voce. pecudes, probans, non ſolùm quadrupedes, verùm etiam piſceis, pecudes appellari.

MVTÆQVE NATANTES) duo epitheta maximè piſciũ propria, mutæ, & natantes. Ita Græci πλωτοὶ ἰχθύος ϗ ἄφωνοι dicunt. ſed tamen non omneis piſceis eſſe mutos tradiderunt Ariſtoteles, & alij nonnulli. lege, ſi vacas, quæ annotauimus in commentariis noſtris Horatianis ad illum locum od. 3 lib. 4 O mutis quoque piſcibus Donatura cycni, ſi libeat, ſonum. Squammigerûm autem, pro ſquammigerorum poſitum ſic infrà eod. lib ſic denique mutas Squammigerûm pecudes.

ET VARIÆ VOLVCRES) vel diſsimiles, vel varij coloris, & ποικίλαι. Idem lib. 4. Tum variæ fugiunt volucres, &c.

LÆTANTIA) Quid ſibi velit hoc lætantia, non ſatis diſpicio. Quid ſi legendum dicamus, fluitantia? quid ſi lactantia? id eſt inuitantia?

CONCELEBRANT) colunt, celebria reddunt: vt lib. 1. quæ terras frugiferenteis Concelebras.

INVENIES TAMEN INTER SE DIST FIGVRIS) duo libri manuſcripti habent, diſtare figuras Bertinianus autem, differre figuris: & ita Mẽm. alij, diſtare figuris. quos ſequor. etiam differre figuris. probo.

NOTA CLVERE) nota apparere, nota eſſe.

ANTE DEVM DELVBRA) *id eſt ante deorum ſimulacra & ſtatuas. nam delubrum dictum eſt quaſi delibrum. éſtque fuſtis delibratus: id eſt lignum, cui cortex detractus eſt: quod venerabantur pro deo Feſtus.*

TVRICREM. PR. M. C.) *Virg. lib. 4 Vidit turicremis cùm dona imponeret aris, &c. Macrob. lib. 6.*

AT MATER VIRID. SALT.) *hunc affectum maternum, matrum omnium communem, ac naturalẽ erga fœtus ſuos, etiã Oppianus* Ἁλιευτ. α. *deſcribit ſub finem his verbis.* Οἷον δ' ἑλκομένας περὶ πέτρας ἀχαλόωσι Μητέρες, οὐκ ἀπάτερθε χαμαικλίων στενάχουσι Κωκυτῶν, αὐτοὺς δ' συναγχιόωσι νομῆας: *&c. nam ſatis eſt mihi locum indicaſſe. & item apud Ouid. lib. 4. Faſtorum, Ceres amiſſam filiam lamẽtabili voce requirens, cum vacca vitulum ſuum raptum gemente comparatur: Vt vitulo mugit ſua mater ab vbere rapto, Et quærit fœtus per nemus omne ſuos, &c.*

BISVLCIS) διχήλοις, *bifidis.* ET CREBRA REVISIT) *crebrà, id eſt crebrò. Virg. Georg. 3. & pede terram Crebra ferit. idem lib. 4. nec ſera comantem Narciſſum. ſic apud Hom* κραιπνὰ *pro* κραιπνῶς. *& ſimilia.*

AD STABVLVM) *reuiſit ad ſtabulum, honeſtè dictum, vt illud Terent. Hecy. nunc ad eam viſam. idem Lucret. lib. 6 Nam quicumque ſuos fugitabant viſere ad ægros, &c. Plautus Menæchm. Nunc ad eum inuiſo. idem Trucul. Nunc ad amicam decimo menſe pòſt, Athenas Atticas viſo.*

PERFIXA) *tralatio à iaculatoribus. Sic infrà lib. III. Nec gelidi torpet telis perfixa pauoris.* NEC TEN. SA. ATQVE H. RORE VIGENTES) *quæ ex rore vigorem, & vires colligunt. nonnulli tamen legi malunt, virẽtes. non admodum diſſimile eſt illud ſuprà, Inuitant herbæ gemmantes rore recenti. cum hoc loco congruit ille Virg Georg. 3. Non vmbræ altorum nemorum, non mollia poſſunt Prata mouere animum, nec qui per ſaxa volutus Purior electro campũ petit amnis, &c.* DERIVARE QVEVNT ANIM.) *ſic omnes quidam fere habent libri manuſcr. & vulg. quæ ſcriptura ſi recta eſt, deriuare, poſitum videtur trãſlate pro auocare, & auertere. Sed locus eſt mihi valde ſuſpectus. Itaque olim in prima editione cùm in duobus libris manuſcriptis reperiſſem ſcriptum. Deriuare queunt aio, cúmque ſæpe me anteà hic locus cruciaſſet, quòd putabam Latinos ita loqui nõ ſolere deriuare animum, pro auocare animum à moleſta aliqua cogitatione, aut cura: exiſtimaram hac ſcriptura attentè conſiderata legendum, vt ego in prima & ſecunda editione imprimendum curaui, Deriuare queunt aliò. neque me meæ coniecturæ ne nunc quidem pœnitet. deriuare aliò autem, hoc eſt cõuertere aliò, quo modo loquitur lib. 4 ſub extr. atque aliò conuertere mentem: vel traducere aliò, quo modo ibid Aut alio poſſis animi traducere motus. Deriuare enim aliò, ſeu in aliam rem, ſeu in aliam perſonam, vſitatum bonis ſcriptoribus. Terent. Phorm. atque ex crimine hoc Antiphonem eripiam, atq; in me omnem iram deriuem ſenis? M. Tull. lib. 1. accuſat. aliò reſponſionem ſuam deriuauit. idem pro Milone: Dicam enim non deriuandi criminis cauſa, ſed vt factum eſt. idem lib. accuſ 4. Quid eſt quamobrem putes te tuam culpam non modò deriuare in aliquem, ſed communicare cum altero poſſe.* CVRAQVE LEVARE) *ſic habent libri veteres: alij, curámque leuare quamquam parum réfert vtro modo ſcribatur.*

AGNIQVE PETVLCI) *petulantes & petulci appellantur (inquit Feſtus) qui proteruo impetu, & crebrò petunt lædendi alterius gratia. Virg. Georg 4. neque oues, hædíque petulci Floribus inſultent. citat Macrobius lib. 6.*

BALANTVM PECVDES) *ouis.ſic autem eſſe legendum, non,vt habent libri vulgati,Balatum pecudis,arguunt veteres codices.ſic Virg.lib.1.Georg. Balãtúmque gregem fluuio merſare ſalubri.Idem lib.3 Quin etiam ima dolor balantum lapſus ad oſſa.Putaueram tamen olim legendum Balanteis pecudes.ſic enim ferè idem Lucretius loquitur lib.VI. etiam pecudis balantibus ægror..Sed nunc, balantum,malo.propius enim ad ſcripturam antiquam accedit.*

QVOD NATVRA REPOSCIT) *quidam docti legendũ cenſent,quoad natura repoſcit.præterea quidam libri vulgati habent,quod natura pepoſcit.*

VBERA LACTIS) *vbera lactea ſuprà lib.1.lanigeræ quali ſunt vbera lactis.* POSTREMO QVODVIS) *ſic Stoici.M Tull.lib.2.Acad.Stoicum eſt id quidem,nec admodum credibile,nullum eſſe pilum omnibus rebus talem,qualis ſit pilus alius:nullum granũ.hæc refelli poſſunt:ſed pugnare nolo.ad id enim, quod agitur.nihil intereſt,omnibús ne partibus viſa res nihil differat,an internoſci non poßit,etiam ſi non differat.Idem ibid. Vidés ne vt in prouerbio ſit ouorum ſimilitudo?tamen hoc accepimus,Deli fuiſſe complureis,ſaluis rebus illis,qui gallinas alere ſolerent.hi cùm ouum inſpexerant,quæ id gallina pepeperiſſet,dicere ſolebant.*

PINGERE) *variare, ornare. tranſlatio.*

TELL. GREM.) *Virgil.lib. 2.Georg Coniugis in gremium lætæ deſcendit.*

MOLLIBVS) *molles vndæ dicuntur,quia facile cedunt aliis corporibus.Virg. Æneid.10. Accepit venientem, & mollibus extulit vndis.ſic iterum Lucret. lib. 1. Quàm cùm mollis aquæ fertur natura repente Flumine abundanti,&c.*

LITORIS INCVRVI) *hunc verſum profert Nonius in voce lauit, vt probet,hoc verbum à veteribus vſurpatum eſſe in tertia coniugatione. quod item admonuimus in comm. Horatianis ad. Oden.3.lib 2.Verumtamen in cod. Bertin. & Vaticano,ſcriptum eſt,bibulam pauit æquor arenam. Atque ita hic reponẽdum eſſe cenſeo,reclamante atque inuito Nonio.pauire autem,eſt ferire. M. Tullius lib 2. de diuinatione.ſed quia cùm paſcuntur, neceſſe eſt aliquid ex ore cadere, & terram pauire, terripauium primò,pòſt terripudium dictum eſt,&c.Quòd ſi hæc ſcriptura,quam ſecutus ſum,Nonij auctoritate & teſtimonio non niteretur, ego eam reiecißem. quanquam,vt dicam quod ſentio,& iam antea ſatis oſtendi, Nonij auctoritas non ſemper,neque vbiuis mihi grauis eſt:vt neque hoc loco.*

BIBVLAM ARENAM) *Virgilius Georg.1.Collectum humorem bibula deducit arena.*

VOLITARE) *moueri,ferri.tranſlatio.*

Perfacile eſt iam animi ratione exſoluere nobis,
Quare fulmineus multo penetralior ignis,
Quàm noſter fluat è tedis terreſtribus ortus.
Dicere enim poſſis,cæleſtem fulminis ignem,
Subtilem magis è paruis conſtare figuris:
Atque ideò tranſire foramina,quæ nequit ignis
Noſter hic è lignis ortus,tedáque creatus.
Præterea lumen per cornu tranſit:at imber
Reſpuitur. quare? niſi luminis illa minora

Corpora ſunt, quàm de quibus eſt liquor almus aquarum?
Et quamuis ſubitò per colum vina videmus
Perfluere. at contrà tardum cunctatur oliuum,
Aut quia nimirum maioribus eſt elementis:
Aut magis hamatis inter ſe, pérque plicatis.
Atque ideò fit, vti non tam deducta repente
Inter ſe poſſint primordia ſingula quæque,
Singula per quoiuſque foramina permanare.

PERFACILE EST IAM) *ſic excudendum curaui, cùm à vulgatis abſit particula, iam. quod & alij κατόπιν pòſt ſecuti ſunt, quaſi vulgatum.*

RATIONE ANIMI) *id eſt intelligentia. ſuprà lib.* I. Nec, *ratione animi quam quiſquam poßit apiſci.* M. Tull. *lib.* I. *de inuent. rhet.* Nec *ratione animi quicquam, ſed pleraque viribus corporis adminiſtrabant.*

PENETRALIOR IGNIS) *ſic habet cod.* Bertinianus & Memm. *vulgati autem, penetralius, mēdoſè. penetralis autē actionem ſignificat, vt aliàs notauimus.*

E TEDIS) *teda ſextum genus eſt arborum cognatarum, quæ picem, & reſinam gignūt. ſunt enim hæ ſex, pinus, pinaſter, abies, picea, larex, teda. lege* Plin. *lib.* 16. *cap.* 10. CÆLESTEM FVLMINIS IGNEM) *cod.* Bertinian. & Memmian. *habent, cæleſtis fulminis ignem.*

NOSTER HIC E LIGNIS) *ſic reſtitui ſecutus codices* Ald. *antiquos,* Vicetinos, Pariſienſ. Lugdunenſ. *quibuſcum conſentiunt manuſcripti.* Bertinian. & Memm. *iam, hic, pronomen quin breue ſit, non dubium eſt.* Virg *lib.* 4 Æneid. *Solus hic inflexit ſenſus, &c.* PER CORNV TRANSIT) *ſic habent lib. manuſcripti tres: quibuſcum congruunt vtrique* Aldini, *vicet.* Pariſ. Floren. *Sed codex* Bertinian. *cornum. per cornu autem, ſiue cornum, laternam corneam intellige.*

ET QVAMVIS SVBITO) *id eſt, quantumuis ſubitò.*

PER COLVM) *colum, vas ad colandum aptum, ex lapide, aut argilla.*

AVT MAGIS HAMATIS) *quæ ἀγκιστροειδῆ nominat* Epicurus.

PERQVE PLICATIS) & *valde perplexis. tmeſis: vt, inq; peditis, cónq; globatus, & ſimil.* NON TAM DEDVCTA) *ſic legendum. non, diducta. atque hanc ſcripturā confirmant codices, vatic.* Bertin & *excuſi* Vicetini *ac* Pariſ. *deducta autem interpretor, ſubtilia, atque attenuata.* Virg. *deductum dicere carmen.* Afran. *reſpondit voce deducta* Pompon. *vocem deducas oportet, vt mulieris videantur verba. lege* Macrob. *lib.* 6 Saturn. *Alij, diducta, probant: & interpretantur, diſtracta. quam ſcripturam, tanquam mendoſam, reiicio: neque eorum, qui eam tuentur, me monet auctoritas, quia vt hanc ſcripturam ſcio eſſe veram, & rectam: ita illos exploratum habeo pingueis eſſe, atque hebetes, &, quod peius eſt, quódq; vel optima ingenia, & ſubtiliſſima iudicia corrumpit, maleuolentia, & liuore ſuffuſos.* SINGVLA QVÆQVE, SINGVLA) *παλιλλογία, vt apud* Virg. Sileno. *timidíſque ſuperuenit Ægle, Ægle naïadum pulcherrima.*

Huc accedit, vti mellis, lactíſque liquores
Iucundo ſenſu linguæ tractentur in ore.

At contrà tetra abſinthi natura, feríque
Centauri fœdo pertorquent ora ſapore.
Vt facilè agnoſcas, è læuibus, atque rotundis
Eſſe ea, quæ ſenſus iucundè tangere poſſunt:
At contrà quæ amara, atque aſpera cumque videntur,
Hæc magis hamatis inter ſe nexa teneri,
Proptereáque ſolere vias reſcindere noſtris
Senſibus, introitúque ſuo perrumpere corpus.
Omnia poſtremò bona ſenſibus, & mala tactu,
Diſſimili inter ſe pugnant perfecta figura:
Ne tu fortè putes ſerræ ſtridentis acerbum
Horrorem conſtare elementis læuibus æquè,
Ac muſæa mele, per chordas organici quæ
Mobilibus digitis expergefacta figurant:
Neu ſimili penetrare putes primordia forma
In nareis hominum, cùm tætra cadauera torrent,
Et cùm ſcena croco Cilici perfuſa recens eſt,
Aráque Panchæos exhalat propter odores:
Néve bonos rerum ſimili conſtare colores
Semine conſtituas, oculos qui paſcere poſſunt:
Et qui compungunt aciem, lacrymaréque cogunt:
Aut fœda ſpecie turpes, tætríque videntur.
Omnis enim, ſenſus quæ mulcet, cauſa, iuuátque,
Haud ſine principiali aliquo læuore creata'ſt:
At contrà quæcunque moleſta, atque aſpera conſtat,
Non aliquo ſine materiæ ſqualore repetta'ſt.

HVC ACCEDIT, VTI M.) *aliis argumentis ab effectis, ſeu exemplis potius, docet, prima corpora non iiſdem figuris omnia eſſe prædita.*

TETRA ABSINTHI NAT.) *ſuprà lib. 1. Sed veluti pueris abſinthia tetra medentes, Cùm dare conantur, &c.* F. RIQVE CENT.) *& feri centaurij natura: id eſt centauréum, ſeu centaurium productis iis ſyllabis, quæ ſunt ante vltimas. Ferum autem appellat propriè, reſpiciens Chironẽ Cẽtaurum partim equũ, partim hominem: & ita immanem, agreſtem, & non humanum. Centaurium (inquit Feſtus) medicamentum à Chirone centauro inuentum. Virgil Georgic. 3 graue olentia centauréa. Lucret. lib. 4. Abrotoníque graues, & triſtia centauria.*

PERTORQVENT ORA) *id eſt efficiunt, vt, qui ea guſtat, ac mandit, os diſtorqueat: quemadmodum aiunt, eos, qui herbam Sardoã deguſtarint, ore diſtorto mori: vnde riſus ſardonius Hom. ὀδυσ. Σαρδόνιον δ' ἐγέλασσε.*

QVÆ AMARA) *in voce, quæ, diphthongus æ, corripitur, neq; eliditur. quod ſæpe fieri ſolere admonuimus in comment. Horat. quæ amara, &c. cumque, pro quæcumque amara, &c. tmeſis.* VIAS RESCINDERE) *ſic habent duo cod. manuſcr.*

cod. manuſcr. & typis excuſi Pariſ. Florent. vni Lugdun. al. reſtringere.

SERRÆ STRID. ACERB. HORR.) *acerbum horrorem, tralatio eſt à guſtandi ſenſu, ad auditum. Nam acerba ſunt, quæ ſunt linguæ & palato ingrata propter inſitam immaturitatem: ſerræ horror autem non guſtatum, ſed auditum offendit. M. Tull. lib. 5. Tuſcul. ſurdi vocem citharœdi non audiunt: ne ſtridorem quidem ſerræ audiunt, tum cùm acuitur.* MVSÆA MELE) *cantilenas muſicas. ſic cycnéa mele dicit ſexta abhinc pagina: Et cycnéa mele, Phœbeáq; Dædala chordis. μέλη, vox Græca, vnde poëtæ melici, qualis Simonides. Plin. lib. 7. cap. 24. inuenta memoria eſt à Simonide melico. de quo Quintil. lib. 11. cap. 2. videntur autem hi poëtæ, melici appellati, quòd eorum carmina non ad lyram, ſed ad alia organa muſica canerentur. Idem Lucret. lib. 5. modò organici melicos peperere ſonores.*

ORGANICI) *qui digiti pulſantes organorum chordas, ſeu neruos, ſuaueis inde eliciunt ſonos. Idem lib. 5. modò organici melicos peperere ſonores. quem locum iam iam protuli.* MOBILIBVS DIGITIS) *ſic legendum, non, nobilibus.*

EXPERGEFACTA) *excitata.* FIGVRANT) *conformant, διαδέκνουσι.*

SCENA) *ſcio, hoc nomen paſſim in veteribus marmoribus & membranis ſcribi cum diphthongo æ, ſcæna: verumtamen vſum ſecutus ſum, præſertim cùm ſit Græcum σκηνή: η, autem vertatur in e, longum.*

CROCO CILICI) *crocum Cilicium laudatur, vt oleum Venafranum, vinum Falernum. Ouid. Faſt. 4. Térque lauet noſtras ſpica Ciliſſa comas. Plin. lib. 27. cap. 6. prima nobilitas eſt croco Cilicio in Coryco, &c. perfundebatur autem ſcena croco. Horat. epiſt. ad Auguſt. Rectè, nécne crocum, floréſque perambulet Attæ Fabula, ſi dubitem, clament periiſſe pudorem, &c.*

PANCHÆOS) *Arabicos. Virg. Georg. 4. Panchæis adoleſcunt ignibus aræ.*

PASCERE) *hoc eſt delectare. tralatio. ſic Terent. Phorm. reſtabat aliud nihil, niſi oculos paſcere, ſectari, in ludum ducere, & reducere. Virg. lib. 4 Æneid. atque animũ pictura paſcit inani. Lucr. lib. 1. Paſcit amore auidos inhians in te dea viſus.*

TVRPES, TETRIQVE VID.) *nonnulli legunt, fœdi, turpéſque: in quibuſdam libris ſcriptum eſt, turpes, olidiq;. ſed hoc, olidi, deprauatũ eſſe puto: alibi, cæli. ego ex hac vitiata ſcriptura libenter fecerim, turpes, fœdique.*

OMNIS ENIM, SENSVS QVÆ MVLCET CAVSA, IVVATQVE) *in eo codices manuſcrip. ſecuti ſumus, quòd, mulcet, reiecto illo, multat, excudendum curauimus: (quamquam nonnulli habent, mulcat.) quibuſcum conſentiunt vulgati Veneti antiq. Vicetini, Pariſienſ. in hoc non ſum ſecutus, quòd habent, cumque videntur, vitioſè, non, vt legendum eſt, cauſa, iuuátque.*

HAVD SINE PRINC. AL. LÆVORE) *ſic legebat hunc verſum Pontanus, & ita habent cod. Aldini antiq. & Pariſienſ. ita denique emendatum eſt ad oras codicum Lugdunenſium: læuorem principialem, intellige, læuorem primorum corporum, ſeu principiorum, vt contrà ſtatim dicet, materiæ ſqualorem. vſus eſt eadem voce lib. 5. Scire licet cæli quoque idem, terræque fuiſſe Principiale aliquod tempus, cladémque futuram.*

AT CONTRA, QVÆCVMQVE) *ſic legendum, & ita habent cod. Aldini, & Vicetini antiq. & Pariſ. & aliquot manuſcripti. Poſt verſum proximum in omnibus vulgatis libris, (Aldinos, & Vicetinos excipio) reperiuntur duo verſus inepti, & ſuperuacanei. Itaque eos reieci, præſertim cùm abſint à manuſcript. & in codice Iouiani Pontani deleti ſint. Cùm hoc ſcripſiſſem, triennio pòſt barba-*

rus homo idẽ ſe feciſſe, hoc eſt, hos verſus deleuiſſe dicit. Potéſtne vlla deſcribi maior impudentia? ſed quid queror de hoc loco? vbi non eſt ſui ſimilis?

Sunt etiam quæ iam nec læuia iure putantur
Eſſe, nec omnino flexis mucronibus vnca:
Sed magis angululis paullùm proſtantibus: & quæ
Titillare magis ſenſus, quàm lædere poſſunt:
Fæcula iam quo de genere eſt, inulæque ſapores.
Denique iam calidos igneis, gelidámque pruinam,
Diſſimili dentata modo compungere ſenſus
Corporis, indicio nobis eſt tactus vterque.
Tactus enim, tactus, (prò diuûm numina ſancta,)
Corporis eſt ſenſus, vel cùm res extera ſeſe
Inſinuat, vel cùm lædit, quæ in corpore nata'ſt:
Aut iuuat egrediens genitaleis per Veneris res:
Aut ex offenſu cùm turbant corpore in ipſo
Semina, confundúntque inter ſe concita ſenſum:
Vt ſi forte manu quamuis iam corporis ipſe
Tute tibi partem ferias, æquè experiare.
Quapropter longè formas diſtare neceſſe'ſt
Principiis: varios quæ poſſint edere ſenſus.
Denique quæ nobis durata, ac ſpiſſa videntur,
Hæc magis hamatis inter ſeſe eſſe neceſſe'ſt,
Et quaſi ramoſis altè compacta teneri.
In quo iam genere in primis adamantina ſaxa
Prima acie conſtant, ictus contemnere ſueta:
Et validi ſilices, ac duri robora ferri,
Æráque, quæ clauſtris reſtantia vociferantur.
Illa autem debent ex læuibus, atque rotundis
Eſſe magis, fluido quæ corpore liquida conſtant.
Nec retinentur enim inter ſe glomeramina quæque:
Et procurſus item in procliue volubilis exſtat.
Omnia poſtremò, quæ puncto tempore cernis
Diffugere, vt fumum, & nebulas, flammáſque, neceſſe'ſt,
Si minus omnibu' ſunt è læuibus, atque rotundis:
At non eſſe tamen perplexis endopedita,
Pungere vti poſſint corpus, penetraréque ſaxa.
Nec tamen hærere inter ſe: quod quiſque videmus
Senſibus eſſe datum: facilè vt cognoſcere poſſis
Non è perplexis, ſed acutis eſſe elementis.

Sed quòd amara vides eadem, quæ fluuida conſtant:
Sudor vti maris eſt: minimè id mirabile habendum.
Nam quod fluuidum eſt, è læuibus, atque rotundis
Eſt: at læuibus, atque rotundis miſta doloris
Corpora: nec tamen hæc retineri hamata neceſſum'ſt.
Scilicet eſſe globoſa, tamen cùm ſqualida conſtent:
Prouolui ſimul vt poſſint, & lædere ſenſus.
Et quo miſta putes magis aſpera læuibus eſſe
Principiis, vnde eſt Neptuni corpus acerbum:
Eſt ratio ſecernundi, ſeorſúmque videndi.
Humor dulcet, vbi per terras crebrius idem
Percolatur, vt in foueam fluat, ac manſueſcat.
Linquit enim ſuperà tætri primordia viri
Aſpera: quo magis in terris hæreſcere poſſunt.

SVNT ETIAM, QVÆ) *Etiam corpuſcula quædam eſſe dicit media inter læuia, & aſpera.* ANGVLVLIS) *in libris vulgatis, & manuſcrip. ſcriptum reperi partim angellis, partim angululis, quod idem valet.*

TITILLARE) γαργαλίζειν. *tralatio. nam titillare eſt certæ partis corporis humani contactu, nempe eius, quæ ſub alis eſt, riſum vel inuito excitare. itaque ſolus homo titillatur. hîc autem tranſlatè poſuit pro eo, quod eſt, contactu neque prorſus iucundo, neque planè aſpero, & moleſto, ſenſus hilarare, & quaſi diffundere.*

FÆCVLA IAM QVO DE G.) *Horat. ſatyr. 8. lib. 2. acria circùm Rapula, lactucæ, radices: qualia laſſum Peruellunt ſtomachum: ſiſer, alec, fæcula Coa.*

INVLÆQVE SAPORES) *ſic reſtitui ex auctoritate duorum cod. manuſcript. tametſi Bertinianus habeat, inuiæ: Memmianus, initiæ, non, inulæ. ſed culpa eſt ſcriptorum librariorum, qui ſcribebant interdum l, pro i, & contrà, i, pro l. Inulam Horatius & Plinius dicunt amaram. Horat. ſatyr. 8. lib. 2. Erucas virideis, inulas ego primus amaras Monſtraui incoquere. duo alij item manuſcripti habent, viciæque ſapores. vicia leguminis genus. Virgil. Georgic. 1. Aut tenues fœtus viciæ, triſtiſque lupini. vulgati ferè omnes habent, viníque ſapores.*

DISSIMILI DENTATA) *ſic habẽt quinque lib. manuſcr. & ita legendũ, non, vt vulgò, tentata.* TACTVS VTERQVE) *tactus ignis, & pruinæ. quidam doctus legendum putat, tactus vtrique, id eſt tactus vtriuſque.*

TACTVS ENIM, TACT.) ἐπαναφορά, *vt ſup. prin. lib. 1. Te, Dea, te fugiũt vẽti.*

PRO DIVVM NVMINA SANCTA) *prò dij immortales, pro diuûm atque hominum fidem. his exclamationibus vti ſolemus in indignationibus, quaſi hominibus diffiſi ad Deos confugientes. M. Tull. in Lælio. Nam quis eſt, prò Deûm fidem, atq; hominum, qui velit, vt neque diligat quemquam, neq; ipſe ab vllo diligatur, circumfluere omnibus copiis, &c. innumera ſunt alia apud Plaut. & Terẽt. exempla. ſic idem Lucret. inf. eod lib. Nam prò ſancta Deûm tranquilla pectora pace, Quæ placidum degũt æuum, vitámq; ſerenam, &c. Quòd autem ad huius loci ſentẽtiam attinet, ſuprà lib 1 docuit, tactum, ſenſum eſſe maximè corporis propriũ, ibi. Tangere enim & tangi, niſi corpus, nulla poteſt res: contrà inane neque facere*

quicquam, neque pati poſſe, ſed duntaxat motionem, ſeu motionis facultatem corporibus præbere: quod his verbis docuit Epicurus, τὸ δὲ κενὸν οὔτε ποιῆσαι, οὔτε παθεῖν δύναται, ἀλλὰ κίνησιν μόνον δι' ἑαυτοῦ τοῖς σώμασι παρέχεται.

AVT EX OFFENSV) *ſic legendum, & ita habent quattuor libri manuſcripti. vſus eſt eadem voce ſup* Nec foret offenſus natus, nec plaga creata.

CVM TVRBANT) *id eſt turbas excitant, vt accipiamus abſolutè, quomodo & ſup.* Corpora, quæ in ſolis radiis turbare videntur. *ad quem locum lege, quæ annotata ſunt vel coniunge cum voce, ſenſum, quæ ſequitur, hoc modo: cùm ſemina turbant & confundunt ſenſum, vt ſit* ἀπεργάζωνται.

VAR. EDERE SENS.) *Amicus quidam meus legi poſſe putabat, varios reddere ſenſus. Ego nihil muto, lædere ſenſus autem planè mendoſum eſt.*

HAMATIS) *M. Tull. lib. 2. Acad. vt ille, qui aſperis, & læuibus: hamatis, vncinatíſque corporibus concreta hæc eſſe dicat, interiecto inani.*

ET QVASI RAMOSIS) *ſic reſtitui ſecutus codicem Bertinianum, & alios duos manuſcriptos. nam ceteri vet. & vulgati, habent per ramos.*

ICTVS CONTEMNERE SVETA) *ſic Plin. de adamantib. lib. 37. cap. 4. incudibus deprehenduntur, ita reſpuentes ictum, vt ferrum vtrinque diſſultet, &c. Virgil lib 6.* Porta aduerſa ingens, ſolidóque adamante columnæ, Vis vt nulla virûm, non ipſi exſcindere ferro Cælicolæ valeant. *Itaque adamas ex re dictus, quòd nulla vi domari, hoc eſt vinci, aut frangi poßit: à verbo* δαμάζω, *ſeu* δαμνάω, *quod domare ſignificat: & particula priuante,* α.

ROBORA FERRI) *tralatio eſt, ab inanimo ad aliud inanimum. nam robur propriè de quercu dicitur. ſic ſup.* Robore cum in ſaxi franguntur.

CLAVSTRIS RESTANTIA) *vectibus, aut clauibus reſiſtentia, ſonitum edunt. quidam legunt, quæ clauſtris exſtantia, & interpretãtur, æra, quibus portæ ſunt inductæ, atque opertæ. Sed præſtat lectionem receptam tueri: & per æra intelligere vel cornices, quibus fores pulſantur, vt placet Adr. Turnebo (κορώνας appellant Græci) vel cardines ahenos, quod ille magis probat.*

ILLA AVTEM DEBENT) *ſic legendum, non, illa quidem.*

ESSE MAGIS, FLVIDO QVÆ CORPORE LIQ. C.) *ſic habent omnes fere vulgati, quibuſcum conſentiũt duo manuſcripti. ſed cod. Scip. Tertij, & Faerni habent:* Eſſe magis, liquido quæ corpore fluuida conſtant.

NEC RETINENTVR ENIM) *inter hunc verſum & ſuperiorem interpoſitus fuerat à neſcio quibus hominibus verſus & illepidißimus, & ab huius loci ſententia alienißimus,* Nanque papaueris hauſtus item eſt facilis, quod aquarũ. *eum ego deleui. ſententia autem huius loci hæc eſt. ea (inquit) ex læuibus, & rotundis principiis conſtent oportet, quæ ſunt liquida, & fluida. cui rei argumento eſt, quòd eorum glomeramina quæque, id eſt corpuſcula globoſa, & rotunda, ſeu particulæ glomeris in morem globoſæ, non retinentur inter ſe, id eſt non cohærent inter ſe, neq; manent conſtipatæ, aut compactæ.* ET PROCVRSVS ITEM) *id eſt, & curſus eorum productus, & porrotenus continuatus, item, id eſt ſimiliter, in procliuem. & pronum locum volubilis eſt. ſimiliter autem, nempe vt glomeramina inter ſe non retinentur. procurrere eſt porrò currere, vt progredi, proferre, &c. porrò gradi, & porrò ferre, ſeu in publicum gradi, & in publicum ferre. in quibuſdam libris tamen ſcriptum reperi:* Et percurſus item. *Ne hoc quidem reticebo, à codice Bertiniano abeſſe præpoſitionem, in, quæ eſt ante nomen, procliue. quæ ſcriptura ſi cui place-*

bit, procliue, erit aduerbium. neq; eſt quòd quemquam moueat ſyllaba vltima. nam breuem eſſe licet cuius modi eſt in his, ſublime volantes, ſuperne guberna, & ſimil.

PVNCTO TEMPORE) *id eſt breuiſſimo tempore. puncto, participium eſt. alij legunt, puncto tempori. ego nihil muto. Sic ſuprà eod. libro. Nonne vides etiam patefactus tempore puncto Carcerib &c. & lib. 4 Iámne vides igitur, quàm puncto tempore imago Ætheris ex oris ad terrarum áccidat oras?*

SI MINVS OMNIBV' SVNT) *Muretus legendum putat, Si minus omnibu' ſunt: non, vt vulgò, Si minus omnia ſunt. cui aſſentior. Nam ſuprà dixit, Omnia poſtremò, vt hîc iterare eandem vocem, ſit ταυτολογεῖν.* PVNGERE VTI) *in quibuſdam libris ſcriptum eſt, Pandere: in nonnullis impreſſis, pangere: vtrumque mendosè.* NEC TAMEN HÆRERE, &c.) *hûc verſum, & duos, qui deinceps ſequuntur, ὀβελίζω, ac delendos cenſeo, tanquam inculcatos, adulterinos, neque Lucretianos germanos quod cur ita ſentiam, cùm poſſim pluribus aliis argumentis firmiſſimis probare, his tribus contentus ſum: quorum, hoc eſt primum, quòd ſint ſuperuacanei: alterum quòd ſententiam corrumpãt: tertium, quòd horum verſuum ſcriptor dicat cognoſci poſſe, res illas fumum, nebulas, flammas, & ſimil. conſtare ex acutis elementis, cùm dicere debeat, ex læuibus & rotundis. nam acuta elementa in iis rebus locum non habent.* SED QVOD AMARA) *occurrit tacitæ obiectioni. poterat enim quiſpiam dicere: ſi, quæ fluuida ſunt, ea conſtant primordiis læuibus, & rotundis: amara autem, & cetera, quæ lædunt ſenſus, ex aſperis, hamatis, & ſqualidis, quid aqua marina fiet, quæ liquida eſt ſimul, & amara?*

SVDOR VTI MAGIS EST) *Sudor maris, id eſt, aqua marina. Empedoclis eſt hoc. Nam Empedocles dicebat, mare eſſe ſudorem terræ, vt teſtatur Ariſtot. lib. 2. μετεωρ. cap 3. eum reprehendens, his verbis, ὁμοίως δὲ γελοῖον καὶ εἴ τις εἰπὼν ἱδρῶτα τῆς γῆς εἶναι τὴν θάλατταν, οἴεταί τι σαφὲς εἰρηκέναι, καθάπερ Ἐμπεδοκλῆς· πρὸς ποίησιν γὰρ οὕτως εἰπὼν, ἴσως εἴρηκεν ἱκανῶς ἡ γὰρ μεταφορὰ, ποιητικόν· πρὸς δὲ τὸ γνῶναι τὴν φύσιν, οὐχ ἱκανῶς, id eſt ſimiliter autem ridiculum eſt etiam, ſiquis, cùm dixerit terræ ſudorem eſſe mare, exiſtimet ſe plani & manifeſti aliquid dixiſſe: quemadmodum Empedocles. Nam ad poëſin quidem ita locutus, ſatis dixit: ſed ad cognoſcendam maris naturam, parum.* MINIME ID MIRABILE HABENDVM) *ſic habent plerique codices typis excuſi: quos ſecutus ſum. nam manuſcripti hoc loco deprauati ſunt. ex quibus quidam cum aliis vulgatis congruentes, habent, mirabile cuiquam: alij. mirabile debet. ex qua ſcriptura vitioſa, facere auſim, mirari debes.* NAM QVOD FLVVIDVM EST) *hîc, m. non eliditur qua de re ſuprà diximus lib. 1. Reſpondet autẽ iis, quæ obiecta fuerant, hoc modo. non eſt quòd quiſquam miretur, eadem interdum eſſe & amara, & fluida: quamuis dixerimus fluida conſtare è læuibus, & rotundis elementis: amara, ex aſperis, ſqualidis, & moleſtis. Nam in his, quæ ſunt amara ſimul & liquida, dicendum eſt primordiis rotundis, politis, & læuibus eſſe admiſta quædam doloris & moleſtiæ corpora, id eſt horrida, aſpera, & ſqualida· quo fit vt prouolui poſſint ſimul, & ſenſus lædere.*

DOLORIS CORPORA) *id eſt aſpera, & ſqualida.*

NEC TAMEN HÆC RETINERI HAMATA) *id eſt nec tamẽ hæc, hamata, inter ſe retineri, & hærere neceſſe eſt. ſic ſuprà locutus eſt. Nec retinentur enim inter ſe glomeramina quæque.*

SCILICET ESSE GLOBOSA, TAMEN CVM SQVAL. CONS.) *ſic habent omnes libri & manuſcr. & typis excuſi: neque eſt quòd quiſquam du-*

bitet de integritate ſcripturæ. ſcilicet autem, poſitum pro ſcire licet: vt apud Terent. Heaut. ſcilicet facturum me eſſe. ibid. Continuò iniece ſſe verba tibi Dromonem ſcilicet. ſic apud Plautum, videlicet, pro, videre licet, in Rudente. Videlicet parcum illum fuiſſe ſenem, qui dixerit. ibidem paullo pòſt. Videlicet illum fuiſſe nequam adoleſcentem, qui illico, &c. ſic idem Lucret. ſup. Eſſe videlicet in terris primordia rerum: Quæ nos, &c. Ita totius huius loci hæc ſententia eſt. Scire licet, ea principia, ex quibus conſtat aqua marina, eſſe globoſa, cùm tamen conſtent, id eſt ſint, ſqualida. debet autem diſtinctionis nota ſcribi poſt vocem, globoſa, vt, tamen cùm, ſic intelligamus, quaſi dictū ſit, cùm tamē. VNDE) a quibus, nempe principiis aſperis. EST NEPT. CORP. ACERB) id eſt, aqua marina, ſalſa, & amara eſt. infrà eod lib. Hîc ſi quis mare Neptunum, Cererémque vocare Conſtituet fruges, & Bacchi nomine abuti Mauult, quàm laticis proprium proferre vocamen: Concedamus, vt, &c. Arnobius lib. III. aduerſus genteis, traditum eſſe à veteribus ſcribit, Neptunum eſſe appellatum ex eo quòd aqua nubat terrā. Cicero verò lib. 2. de nat. deorum, à nando. acerbum impropriè poſuit, pro amaro: vel acerbum intellige, linguæ iniucundum, ingratum, ac moleſtum, vt ſup.

EST RAT. SECERN.) id eſt ratio & via eſt aliqua ſecernendi eius, quod dulce eſt, ab eo quod eſt amarum. HVM. DVLCET, VBI, &c.) ſi vulgatā, & receptam ſcripturam tuebimur, humor dulcis, hic erit ordo: ita (ſubintellige) vt humor dulcis in foueam fluat, & manſueſcat, vbi idem humor, nempe dulcis, crebrò percolatur, id eſt permanat, & pertranſit, vt, &c. Sed videtur legendum, Humor acerbus: vt ſit hic ordo, vbi humor acerbus percolatur crebrius ita, vt, &c. vel, vt quidam exiſtimat male de me meritus, Humor dulcit, vbi &c. vel, Humor dulcet. dulcet autem, ſeu dulcit, id eſt, dulceſcit, vt idem ille notat. cur enim cuiquam, quantumlibet improbo atque iniuſto. ſuum eripiam? niſi forte hoc quoque illi alienum eſt, non ſuum. humor porrò, nempe ſalſus, & marinus. Licet etiam, vt mihi videtur, legere, Percolatus, vt ſit hic ordo verborum Eſt ratio ſecernundi humoris ſalſi, ab eo, qui dulcis eſt, vbi, id eſt, quando, humor, (marinus ſcilicet) crebrius idem percol.tius, ita, vt in foueam fluat, & māſueſcat, dulcit, ſiue dulcet, id eſt dulceſcit. quod ſi cui placebit. ſic erit diſtinguendum, ſeorſúmq; videndi: Humor dulcit vbi, per terr. crebrius idem Percolatus, &c. LINQ. EN. SVP. TÆT. &c.) Nā aqua marina, inquit, ſuperà, id eſt in ſuperiore parte terræ, linquit primordia tætri viri, id eſt humoris naturalis marini Ita autem legendum eſſe quemadmodum excudendum curauimus, vincunt lib. tres manuſcr. & Ald. antiq & Pariſ. niſi quòd in Pariſ. & vno manuſcr. legitur, Liquit enim tætri ſuperà prim. Priſc autem lib. 6. hunc verſum paullo aliter profert ſic enim ille, Liquit enim ſuperà tætri veſtigia viri. ſed vel aliud agebat Priſc. vel ſcriptoris librarij peccatum eſt.

Quod quoniam docui, pergam connectere rem, quæ
Ex hoc apta fidem ducit, primordia rerum
Finita variare figurarum ratione.
Quòd ſi non ita ſit: rurſum iam ſemina quædam
Eſſe infinito debebunt corporis auctu.
Namque in eadem vna quoiuſquoius breuitate
Corporis, inter ſe multùm variare figuræ

Non poſſunt.fac enim minimis è partibus eſſe
Corpora prima:tribus,vel paullo pluribus auge.
Nempe vbi eas parteis vnius corporis omneis
Summa atque ima locans,tramutans dextera læuis,
Omni'modis expertus eris,quam quiſque det ordo
Formai ſpeciem totius corporis eius:
Quod ſupereſt,ſi fortè voles variare figuras:
Addendum parteis alias erit.inde ſequetur
Adſimili ratione,alias vt poſtulet ordo,
Si tu fortè voles etiam variare figuras.
Ergo formaï nouitatem, corporis augmen
Subſequitur.quare non eſt vt credere poſſis,
Eſſe infinitis diſtantia ſemina formis,
Ne quædam cogas immani maximitate
Eſſe,ſuprà quod iam docui non poſſe probari.
Iam tibi Barbaricæ veſtes,veſtes,Melibœáque fulgens
Purpura,Theſſalico concharum tincta colore:&
Aurea pauonum ridenti imbuta lepôre
Sæcla,nouo rerum ſuperata colore iacérent:
Et contemtus odor myrrhæ,mellíſque ſapores,
Et cycnéa mele,Phœbéaque dædala chordis
Carmina,conſimili ratione oppreſſa ſilerent.
Namque alijs aliud præſtantius exoreretur.
Cedere item retrò poſſent in deteriores
Omnia ſic parteis,vt diximus in meliores.
Namque aliis aliud retrò quoque tætrius eſſet
Naribus,auribus,atque oculis,oríſque ſapori.
Quæ quoniam non ſunt in rebus reddita,certa &
Finis vtrinque tenet ſummam:fateare neceſſe'ſt
Materiem quoque finitis differre figuris.
Denique ab ignibus ad gelidas,hiemíſque pruinas,
Finitu'ſt,retróque pari ratione remenſu'ſt.
Finit enim calor,ac frigus,mediíque tepores
Inter vtrumque iacent, explentes ordine ſummam.
Ergo finita diſtant ratione creata:
Ancipiti quoniam mucrone vtrinque notantur,
Hinc flammis,illinc rigidis inſeſſa pruinis.

EX HOC APTA FIDEM DV.) *ex hoc apta,id eſt pendens,& αἰωρουμένην,vel huic connexa:etiam ex hoc ipſo fidem,hoc eſt argumentum & probationẽ,*

ducit. Ita hoc totum, ex hoc, bis ſumo. quod eſt frequens apud ſcriptores.

FINITA VARIARE FIGVRARVM RATIONE) *ſic legitur hic verſus in quinque lib. manuſcriptis, niſi quòd in vno ſcriptum eſt, variata, non, variare. In codicibus autem Aldinis antiq. Vicet. Pariſienſ. & ceteris vulgatis, Finitas variare figurarum rationes. quarum lectionum vtra ſit potior, iudicet lector. verbũ variare quidem neminem mouere debet, ſi hoc loco abſolutè poni præter morem videatur. nam etiam alibi eodẽ modo vſurpatur, vt infrà eod. libro, quinto abhinc verſu. Nunc ad huius loci ſententiam veniamus. Poſteaquàm docuit, primorũ corporum figuras, diſsimileis eſſe, ac diſpares: docet iam, eas ipſas figurarum diſsimilitudines ac varietates, finitas eſſe. qua de re ſic Laërt. ex ſententia Epicuri.* Πρὸς δὲ τούτοις τὰ ἄτομα τῶν σωμάτων καὶ μεστὰ, ἐξ ὧν καὶ αἱ συγκρίσεις γίνονται, καὶ εἰς ἃ διαλύονται, τῇ ἐνεργείᾳ ἀπερίληπτά ἐστι ταῖς διαφοραῖς τῶν σχημάτων. οὐ γὰρ δυνατὸν γενέσθαι τοσαύτας διαφορὰς ἐκ σχημάτων ἐνεργείᾳ περιειλημμένων, *&c. id eſt Præterea corpora indiuidua, & plena, ex quibus res compoſitæ, concretæque gignuntur, & in quæ diſſoluuntur, comprehendi non poſſunt re, & vſu: figurarum autem differentiis poſſunt. Non enim fieri poteſt, vt tot rerum naturalium differentiæ ex figuris re comprehenſis naſcantur. In vnaquaque autem figuratione ſimpliciter infinita ſunt corpora indiuidua: differentiis autem non ſunt infinita, ſed eò tantum, quòd re comprehendi non poſſunt, infinita. Sic propemodum Plutarch.* περὶ τῶν ἀρεσκόντων τοῖς φιλ. εἶναι δὲ τὰ σχήματα τῶν ἀτόμων ἀπερίληπτα, οὐκ ἄπειρα. *id eſt figuras autem atomorum re comprehendi non poſſe: non tamen eſſe infinitas.*

QVOD SI NON ITA SIT) *tale eſt argumentum Lucretij. Si eſſent infinitæ atomorum figuræ, eſſent aliquæ atomi immani & immẽſa magnitudine: hoc falſum: ergo & illud. minorem propoſitionem ſic probat.*

NAMQVE IN EADEM VNA QVOIVSQVOIVS BREVITATE) *ſecutus ſum in hoc verſu religioſe codices veteres, niſi quòd ex, quoiuſuis, feci quoiuſquoius, id eſt cuiuſque, vt quicquid pro quicque vſurpari ſolet & apud hunc poëtam, & apud alios ſcriptores: quoiuſuis autem, aut cuiuſuis, ferri non poteſt in hoc verſu.* FAC ENIM) *ſic habet cod. Bertinianus, quem ſecutus ſum. alij, face enim.* OMNIMODIS EXPERTVS ERIS) *libri manuſcrip. ſic habent. alij Omnimode expertus fueris. omnĭ modis autem, id eſt omnib. modis.*

FORMAI SPEC.) *formarum ſpeciem habet ſecunda mea editio: ſed primæ editionis lectionem, Formai, hîc aſſero.*

ADDENDVM PARTEIS ALIAS ERIT,) *id eſt parteis alias addere oportebit: quod loquendi genus notauimus ſuprà lib. 1. ad illum verſum. Æternas quoniam pœnas in morte timẽdum, & item ad illum, Multa nouis verbis præſertim cùm ſit agendum. ſic Varro lib. 8. de lingua Latina. Sic omneis repudiandum arteis, quòd in medicina, & in muſica, & in aliis multis diſcrepant ſcriptores.*

ADSIMILI RATIONE) *ſic reſtitui, librorum manuſcriptorum auctoritate fretus. Virgil. lib. 6. Quos ſuper atra ſilex iamiam caſura, cadentique Imminet aſſimilis.* QVARE NON EST VT CRED. P.) οὐκ ἔστιν ὅπως πιστεύῃς, *id eſt non poteſt, vel non debet fieri, vt credas.*

IMMANI,) *id eſt ingenti, vt apud eundem, immania templa.*

MAXIMITATE) *vox rara, maximitas, quam vt probet eſſe Latinam, hunc verſum profert Nonius Marc. Vtitur Arnobius lib. 6. aut verò in vaſtis porrigere ſe longius, atque in maximitate producere.*

BARBAR. VEST.) *id eſt Babylonicæ. idem lib. 4. Cùm Babylonica magnifico ſplendore rigantur. veſtes ſunt purpureæ textiles, aut acu pictæ, ex Babylonia auectæ. vel dic, Phrygias ſignificari.*

MELIBOEA QVE) *Feſtus. Melibœa purpura à nomine inſulæ, in qua tingitur, eſt dicta Virg lib. 5. Æneid Purpura Mæandro duplici Melibœa cucurrit. Melibœa autem Theſſaliæ eſt vrbs, de qua Strabo lib 9. & item Stephanus de vrbib.*

TINCTA COLORE, ET AVREA) *aberat à vulgatis omnibus copulatio, &, poſt vocem, colore, quam reſtitui coniectura ductus, cùm reperiſſem ſcriptum in duobus cod. manuſcr. coloret.*

AVREA PAV. RIDENTI IMB. COL. &c.) *ſic habent cod. manuſcripti, & ita legendum. quod item iampridem admonuit P. Victorius annotat. in epiſt. 19. lib. 15. ſæcla autem, id eſt genera. vulg. Sedula, quæ rerum, &c.*

CYCNEA MELE) *cantiones cycnorum. cycnos traditum eſt moribundos ſuauiſſimè canere. Plato in Phædone* Κύκνοι ἀποθανούμενοι τότε δὴ μάλιστα ᾄδουσι, γεγηθότες ὅτι μέλλουσι παρὰ τὸν θεὸν εἰσιέναι, οὗ εἰσὶ θεράποντες: *id eſt cycni morituri tum maximè canunt, lætantes quòd ad Deum ituri ſunt eum, cuius ſunt miniſtri.* μέλη *autẽ Græcum eſt. ſic ſuprà. Ac Muſæa mele, &c.*

DÆDALA CHORDIS) *variata,* πολυμελῳδία *chordis: quæ varios ſonos reddunt chordis: vel varietate grata, & iucunda. Phœbéa autem intellige, quæ cithara canuntur. Nam poëtæ Phœbum cithara canẽtem faciunt. Hom.* ἰλ. α. οὐ μὲν φόρμιγγος περικαλλέος, ἣν ἔχ' Ἀπόλλων. *Et Mercurius Phœbo pro virga, quam ab eo accepit, lyram ei viciſſim donaſſe dicitur.*

QVÆ QVON. N. S. IN REB. REDD.) *id eſt quæ quoniam in rebus locum non habent: vel non ſunt rebus attributa, vel in rebus non reperiuntur, &c.*

CERTA ET FINIS) *& quoniam certa finis, &c. alij legunt, certáque finis, vt fit verſus hypermeter. ſed errant.*

VTRINQVE) *& ab ijs rebus, quæ ſenſus vehementer offendunt, & ab ijs, quæ magnopere delectant: vel à duobus extremis contrariis.*

AB IGNIBVS) *à caloribus æſtiuis.* FINITVM EST) *ſpatium.*

RETROQVE) *à frigoribus hibernis ad calores æſtiuos.*

FINIT ENIM) *declarat id, quod obſcurius dixerat. finit autem legendum, non finis. Sed aliter hac de re M. Tull. lib. 6. de rep. & Virgil. & ceteri. quamquam Lucret. de ſumma rerum agit, ſeu de omni. M. Tull. de mundo. Epicurei enim non vnum mundum, ſed plureis, & innumerabileis eſſe volunt. ſic igitur M. Tull. Cernis autem terram quaſi quibuſdam redimitam & circumdatam cingulis: è quibus duos maximè inter ſe diuerſos, & cæli verticibus ipſis ex vtraque parte ſubnixos obriguiſſe pruina vides: medium autem illum, & maximum ſolis ardore torreri. Virgil. Georg. 1. Quinque tenent cælum Zonæ, quarum vna coruſco, &c.*

ANCIPITI QVON. MVCRONE) *hinc calore, illinc frigore dominante. mucrone, id eſt fine, vt interpretatur Adr Turnebus.*

INSESSA PRVINIS) *ſi hanc ſcripturam recipimus, vt rectam, & germanam, inſeſſa, interpretabimur obſeſſa & circumfuſa, aut obtecta: atque ita habent libri ferè omnes vulgati, præter Aldinos antiq in quib. impreſſum eſt, inferſa. In manuſcriptis autem alius ſcriptum reperi, inſenſa, & ita habet Vicetini: in alio, infiſſa: quæ ſcripturæ varietas facile declarat, locum eſſe corruptum (ego aliquando exiſtimaui legẽdum, infeſta pruinis. ſic enim loquuntur Latini. viæ latrociniis infeſtæ, ar-*

V

aliorum libidine infeſta: mare prædonibus, ſeu piratis infeſtum, pro infeſtatum. ſed Adr. Turn. cuius iudicium plurimi, vt debeo, facio, ait, ſcripturam antiquorum codicum defendi poſſe, ſi intelligamus, infeſſa pruinis, dictum pro feſſa in pruinis. i. deſinentia in pruinas: ſeu finita pruinis, ſeu fatigata pruinis. quod concoquere non poſſum.

Quod quoniam docui, pergam connectere rem, quæ
Ex hoc apta fidem ducit, primordia rerum,
Inter ſe ſimili quæ ſunt perfecta figura,
Infinita cluere. etenim diſtantia cùm ſit
Formarum finita, neceſſe'ſt, quæ ſimiles ſint,
Eſſe infinitas, aut ſummam materiaï
Finitam conſtare: id quod non eſſe probaui.

EX HOC APTA FIDEM DVCIT) *ſic ſuprà, non longè admodum, Quod quoniam docui, perg. conn. rem, q. Ex h. apta fid. ducat, pr. r. Finita var. &c. & M. Tull. Tuſc. lib. 5. Fulgentem gladium è lacunari ſeta equina aptum demitti iuſſit. idem Acad. lib. 2. mundus vndique ex ſe aptus. Idem de Fini lib. 4. ordo rerũ conſeruatus, & omnia inter ſe apta, & connexa. Ab hoc loco incipit docere, cuiuſque figuræ primordia inter ſe ſimilia, eſſè infinita, quod hoc modo probat. diſſimilitudo, ſeu diſtantia figurarum. finita eſt, vt antè probatum eſt. at ſi ſimiles principiorũ figuræ, erunt etiam finitæ: fiet, vt ſumma materiæ ſit finita. hoc falſum (cõtrarium enim ſuprà probatum eſt) ergo & illud.*

ETENIM DISTANTIA, &c.) *nõ adſcripſiſſem in hac tertia editione hoc quiddam leue, ſic eſſe ſcriptum in tribus lib. manuſcriptis, Vaticano, Memm. & Bertiniano, niſi homo barbarus, &, quod grauius eſt, inſignitè impudens, & contumelioſus, poſt meas duas editiones, contendiſſet, hunc verſum ita legendum & ſcribẽdum, Infinita cluêre. enim diſtantia cùm ſit, &c. cui neminem doctum & ſanum crediturum puto. Eſt enim verſus ipſo quidem planè digniſſimus, Lucretio verò indigniſſimus. Quòd autem ait, à Marullo factum, etenim, ex, enim: quod erat in manuſcriptis: magnum, & impudens mendacium. nam, vt de aliis taceã, liquet mihi deierare, ita ſcriptum eſſe hunc verſum, vt edidi, in cod. Bertiniano: quem ſcio nunquam in Marulli manus incidiſſe. quid eſt eſſe ſycophantam, ſi hoc non eſt, ea conferre & ementiri in alterum, præſertim doctum, & clarum virum, (mitto dicere, mortuum, quo quid ſceleratius?) quæ perſpicuè falſa ſunt?*

Quod quoniam docui, nunc ſuauiloquis, age, paucis
Verſibus oſtendam, corpuſcula materiaï
Ex infinito ſummam rerum vſque tenere,
Vndique protelo plagarum continuato.
Nam quòd rara vides magis eſſe animalia quædam,
Fæcundámque minus naturam cernis in illis:
At regione, locóque alio, terríſque remotis,

Multa licet genere eſſe in eo,numerúmque repleri·
Sicuti quadrupedum cum primis eſſe videmus
In genere anguimanos elefantos,India quorum
Milibus è multis vallo munitur eburno,
Vt penitus nequeat penetrari:tanta ferarum
Vis eſt:quarum nos perpauca exempla videmus.
Sed tamen id quoque vti concedam:quamlubet eſto
Vnica res quædam natiuo corpore ſola,
Quoi ſimilis toto terrarum non ſit in orbe:
Infinita tamen niſi erit vis materiaï,
Vnde ea progigni poſſit concepta:creari
Non poterit:neque,quod ſupereſt,procreſcere,aliq̃ue.
Quippe etenim ſumant oculi,finita per omne
Corpora iactari vnius genitalia réi:
Vnde,vbi,qua vi,& quo pacto congreſſa coibũt
Materiæ tanto in pelago,turbáque aliena?
Non(vt opinor)habent rationem conciliandi:
Sed quaſi naufragiis magnis,multíſque coortis
Diſiectare ſolet magnum mare,tranſtra,guberna,
Antemnas,proram,malos,tonſáſque natanteis,
Per terrarum omneis oras fluitantia apluſtra
Vt videantur,& indicium mortalibus edant,
Infidi maris inſidias,vireiſque,dolúmque
Vt vitare velint:néve vllo tempore credant,
Subdola cùm ridet placidi pellacia ponti:
Sic tibi ſi finita ſemel primordia quædam
Conſtitues:æuum debebunt ſparſa per omne
Diſiectare æſtus diuerſi materiaï:
Numquàm in concilium vt poſſint compulſa coirè:
Nec remorari in concilio,nec creſcere adaucta.
Quorum vtrumque palàm fieri manifeſta docet res:
Et res progigni,& genitas procreſcere poſſe.

QVOD QVONIAM DOC. NVNC SVAVIL.) *Nunc incipit docere, infinita materiei corpuſcula,ab æterno tempore vſque continuata plagarum impulſione,ſummam rerum continere, & ita res omneis naturaleis ſingulareis ab æterno vſque tempore progignere,& procreare.* PROTELO,) *id eſt impulſu,ſeu teno re, vt interpretatur* Donatus *in* Phorm. *vbi hunc verſum* Lucret *profert ad illum locum,Ne te iratus ſuis ſæui dictis protelet. docétq; protelum dictũ eſſe vel à* πρὸ τοῦ ἐλᾶν, *vel ab aßiduo telorum iactu. Vtitur eadem voce idem* Lucretius *libro 4.*

Et quaſi protelo ſtimulatur fulgure fulgur. Eſt autem hîc, vt opinor, aduerbium, ſignificátque, longè. productè, perpetuò, & continuo tenore. protelare longe propellere (inquit Feſtus) ex Græco videlicet, τῆλε, quod ſignificat longè. Turpill. apud Nonium. *Propter peccatum pauxillum indigniſſime patria protelatum eſſe, ſæuitia patris. lege &* Nonium *in verb. protelare: vbi hos verſus Lucilij profert, Quem neque Lucanis oriundi montibu' tauri Ducere protelò validu ceruicibu' poſſent. Sic* Catull. *ad Catonem: hunc ego, ſi placet Dionæ, Protelò rigida mea cecidi.*

NAM QVOD) ἀνθυποφορὰ. *Dicet aliquis (inquit) eſſe quædam animalia alia aliis rariora, verbi gratia, elefantos, monocerôtes, phœnices: Cum igitur elefanti rari ſint, debent eorum corporum primorum, ex quibus conſtant, figuræ eſſe raræ & finitæ: ergo quædam corporum primorum figuræ ſunt finitæ. hæc eſt ὑποφορὰ, ſeu obiectio.* FÆCVNDAMQVE MINVS) *ſic neceſſariò legendum, non vt vulgo, Fæcundámque magis. Loquitur enim de animalibus raris duntaxat, in quibus natura ſit minus fæcunda.*

AT REGIONE, LOCOQVE ALIO) *hæc eſt ſolutio obiectionis.*

MVLTA LICET GENERE ESSE IN EO) *id eſt, poſſunt eſſe multa: vel nihil obſtat, quo minus multa ſint animalia ſingularia in eo genere, alio in loco, etiamſi apud nos pauca, & rara ſint. genere autem, legendum, non, genera. ſic ſtatim, Sicut quadrupedum cum primis eſſe videmus In genere anguimanos, &c. & infrà. Eſſe igitur genere in quouis primordia rerum, &c.*

ANGVIMANOS) *quibus manus eſt tortilis, flexilis, lubrica, volubilis ſerpentis in morem.* M. Tull. *lib. 2. de nat. Deor. manus etiam data elephantis, &c. Iterum Lucret. lib. 5. Inde boues Lucas turrito corpore tætros Anguimanos belli docuerunt volnera Pœni Sufferre, &c. Elefanto autem pro manu eſt proboſcis. Sed de elefantis lege Plinium libro 8. cap. 10.*

INDIA QVORVM MIL. E' MVLT.) *nam (vt ſcribit Plin. lib. 8.) poſtium vicem in domiciliis præbent dentes elephantorum: ſæpciſque in iis, & pecorum ſtabulis pro palis fieri ex his dentibus Polybius tradidit.*

SED TAMEN ID QVOQVE) *Huius loci hæc ſententia eſt. verùm eſto, demus, vnam rem vnius generis in toto orbe terrarum eſſe natam. niſi erunt tamen infinita materiæ corpora ſimilia, & eiuſdem formæ, ex quibus ea res conflata in lucem proferri queat: neque creari, neque creata procreſcere, & ali poterit.*

IN ORBE) *nihil mutaui, quanuis libri duo manuſcripti habeant, in orbi. Satis eſt mihi admonuiſſe lectorem, vtrunque vſurpatum eſſe à veteribus.*

OMNE) τὸ πᾶν. VNIVS GENITALIA REI) *quæ ad vnam rem gignendam valeant.* MATERIÆ TANTO IN PELAGO) *id eſt in tanta atomorum multitudine, & copia, &, vt verius dicam, infinitate.*

TVRBAQVE ALIENA) *id eſt in turba atomorum diſſimilis figuræ.*

RATIONEM CONCILIANDI) *lib. Vaticanus habet, conciliari. ego tamen nihil muto.* SED QVASI, &c.) *id eſt, Sed quemadmodum, &c. Sic ſæpe alibi poëta noſter, exempli cauſa, lib. 3. Et quaſi cùm caput, atque oculus, tentante dolore, Læditur, &c. Idem lib. 4. Et quaſi multa breui ſpatio ſummittere debet, &c. Sic &* M. Tullius *in* Catone *maiore. Et quaſi poma ex arboribus, ſi cruda ſunt, auelluntur: ſi matura, & cocta, decidunt: ſic vitam adoleſcentibus vis aufert, ſenibus maturitas.*

MAGNIS, MVLTISQVE COORT.) *ſic repoſui, ſecutus libros omneis*

manuſcriptos, cùm in vulgatis legatur, ventiſq; coortis: quæ ſcriptura, quamuis videatur ſpecioſa, & probabilis: ſic enim locutus eſt lib. 6. Ventus vbi, atque animæ ſubitò vis maxima quædã Aut extrinſecus, aut ipſa ab tellure coorta eſt, &c. placet tamen mihi magis antiqua. TRANSTRA, GVBERNA;) *ſic reſtitui, ſecutus veſtigia veteris ſcripturæ. nam cùm reperiſſem in tribus libris manuſcriptis, tranſtra, cauerna, in vno, tranſtra curua carina: ſtatim conieci, cauerna, corruptum fuiſſe ex, guberna: atque ex, guberna, factum eſſe, guuerna, u, pro b: deinde, cuuerna: deinde, cauerna: poſtremò, carinas, quod poſtremum eſt in libris vulgatis. quam meam coniecturam ſpero doctos viros, eóſque maximè, qui verſati ſunt in lectione membranarum antiquarum, probaturos. vſus eſt Lucret. eadem voce lib. 4. & recta ſuperne guberna. guberna, autem idem valet, quod gubernacula. qua de voce plura ad illum locum dicemus.* ANTEMNAS.) *antemna, (vt ſcriptum eſt in vocabulario Cl. Puteani) κέρας πλοίου: id eſt, cornu nauigij.*

TONSASQVE NATANTEIS) *id eſt remos fluctuãteis. Virg. lib. 7. Æneid. & in lento luctantur marmore tonſæ. Ennius: Pone petunt: exin referunt ad pectora tonſas. Idem, Poſte recumbite, veſtráque pectora pellite tonſis. Tonſa (inquit Feſtus) remus, quòd quaſi tondeatur ferro. Tonſæ, vt interpretatur auctor vocabularij Latinogræci, κῶπαι.* APLVSTRA) *Apluſtra (inquit Feſtus) nauium ornamenta, quaſi ampluſtria, quia erant amplius, quàm eſſent vſu neceſſaria. ſcriptum eſt in vocabulario Latinogræco Cl. Puteani, Apluſtrum, τὸ ὄπισθεν πλοίου, ὡς Ευνιος, καὶ ἄκρον τῆς πρώρας. Cic. in Arato, Nauibus abſumtis fluitantia quærere apluſtra. quemadmodum autem Lucretius, & M. Tull. dixerunt, fluitantia apluſtra: ſic Virgilius lib. 10. fluitantia tranſtra.* INFIDI MARIS INS.) *Itaque Herodotus in Polyhymn. ex perſona Perſarum regis, mare δολερὸν ποταμὸν appellat. & Pittacus vnus è ſeptem dicere ſolebat, πιστὸν γῆ, ἄπιστον δὲ θάλασσα: id eſt fida res, terra: infida, mare.* PELLACIA) *id eſt, fallacia à pelliciendo. Vtitur eadem voce etiam libro 5. Nec poterat quemquam placidi pellacia ponti Subdola pellicere in fraudem, ridentibus vndis. Pellicere (inquit Feſtus) in fraudem inducere. idem alibi in verbo, Lacit, Lax fraus eſt. Virgil. lib. 2. Æneid. inuidia poſtquàm pellacis Vlyſſei. (Haud ignota loquor) ſuperis conceſſit ab oris. Arnobius libro 4. aduerſus genteis. Quis eſt, inquam, qui credat, ad humanas accubuiſſe Deûm menſas, interemtum auaritiæ cauſa, feſelliſſe ſupplices ambiguitate reſponſi? præcellere in furum ordine? adulteraſſe? ſeruiſſe? vulneratum eſſe? & adamaſſe? & per omneis libidinum formas inceſtarum, cupiditatúmque circumegiſſe pellaciam?*

ÆVVM DEBEBVNT SPARSA PER OMNE) *quidam libri ſcripti habent, æuum debebunt ſparſa per omnem.*

IN CONCILIVM, VT POSSINT COMP. COIRE) *in concilium coire: id eſt conciliari, congregari.*

Eſſe igitur genere in quouis primordia rerum
Infinita palam'ſt, vnde omnia ſuppeditantur.
Nec ſuperare queunt motus vtique exitiales
Perpetuò, neque in æternum ſepelire ſalutem:
Nec porrò rerum genitales, auctificíque
Motus perpetuò poſſunt ſeruare creata.

Sic æquo geritur certamine principiorum
Ex infinito contractum tempore bellum:
Nunc hîc,nunc illîc ſuperant vitalia rerum:
Et ſuperantur item:miſcetur funere vagor,
Quem pueri tollunt viſentes luminis oras.
Nec nox vlla diem,neque noctem aurora ſecuta'ſt,
Quæ non audierit miſtos vagitibus ægris
Ploratus,mortis comites,& funeris atri.

ESSE IGITVR GENERE) *concludit, cuiuſque generis primordia eſſe infinita.* GENERE IN QVOVIS) *vel ex hoc loco appâret, ſuprà legendum,* Multa *licet genere eſſe in eo, &c.*

NEC SVPERARE QVEVNT MOT. VTIQ. EXITIALES) *id eſt, nec vtique motus exitiales, & peſtiferi, res genitas ſuperare, & funditus perimere poſſunt, quin exſtinctæ aliquando renaſcantur: nec genitales, & ad gignendum vtiles, & ſalutares, queunt eaſdem in perpetuum ſeruare. mendoſè in omnibus lib. ſcriptum & impreſſum eſt, exitialeis. legẽdum enim, exitiales, in recto caſu.*

SIC ÆQVO GERITVR, &c.) Sic *æquâli (inquit) principiorum certamine, ſeu prælio bellum geritur ab æterno tempore.* Nam *neque res genitæ manent æternæ, neque in perpetuum intereunt: ſed & res, quæ genitæ ſunt, intereunt: & quæ interierunt, renaſcuntur.* Ita *fit, vt ſumma rerum ſit æterna, cùm res ſingulares quotidie naſcantur, & moriantur: oriantur & óccidant.*

CONTRACTVM) Sic *idem* lib. 4. *Nautæ cum ventis contractum cernere bellum.* VITALIA RERVM) *id eſt res vitales. quemadmodum apud* Horat *epiſt. ad* Scæuam, *tu poſcis vilia rerum: id eſt res vileis: quem locum nos in omnibus libris corruptum, reſtituimus ex auctoritate codicum manuſcript.* Res *vitaleis autem intellige, quæ ad vitam aliquid conferunt, & adiuuant.*

VAGOR.) *vagitus.* Feſtus, *vagorem pro vagitu poſuit* Ennius *lib. 16.* Qui *clamorem oppugnatis vagore volanti.* Et Lucr *lib. 2.* Et *ſuperãtur item, miſcetur, &c. producit teſtem hunc eundem* Lucretij *verſ.* Nonius, *ſed corruptum.*

VISENTES LVMINIS ORAS) *naſcentes. lib. 1. dias in luminis oras* Exoritur. NEC NOX VLLA D. &c.) *id eſt, neque nox vlla diei ſucceſsit, neque dies vllus noctem excepit, quo non ab altera parte, puerorum naſcentium vagitus, auditus ſit: ab altera, vox eorum, qui mortem amicorum, aut propinquorum lamentantur, ac deplorant.* Atque, *vt breuius complectar: eodem die, & eadem nocte, alius naſcitur: alius diem obit ſupremum.*

Illud in his obſignatum quoque rebus habere
Cónuenit,& memori mandarum mente tenere,
Nil eſſe in promtu,quorum natura tenetur,
Quod genere ex vno conſiſtat principiorum:
Nec quicquam,quod non permiſto ſemine conſtet.
Et quàm quicque magis multas vis poſſidet in ſe,
Atque poteſtates:ita pluria principiorum

In ſeſe genera,ac varias docet eſſe figuras.
Principiò tellus habet in ſe corpora prima,
Vnde mare immenſum voluentes flumina fontes
Adſiduè renouent:habet,ignes vnde oriantur.
Nam multis ſuccenſa locis ardent ſola terræ.
Eximiis verò furit ignibus impetus Aetnæ.
Tùm porrò nitidas fruges,arbuſtáque læta,
Gentibus humanis habet vnde extollere poſſit:
Vnde etiam fluidas frundeis,& pabula læta
Montiuago generi poſſit præbere ferarum.

ILLVD IN HIS REB.) *Nunc docet,nullam rem genitam vno primordiorum genere conſtare.* OBSIGNATVM) *id eſt memoriæ mandatum, in pectore cónditum. tranſlatio ducta à tabulis obſignatis. ea enim obſignare ſolemus,quæ ab aliis videri nolumus,quæque diligentiſſimè cuſtodienda eſſe putamus. ſic Arnobius loquitur libro 3. aduerſ. genteis,quia fornicem Lucilianum,& Marſyam Pomponij, obſignatum memoria continetis.*

ET MEM. M. M.) *declarat quod obſcurius dixerat,* καθ' ἑρμηνείαν.

NIL ESSE,&c.) *nihil eſſe in promtu poſitum, nihil natum,nihil genitũ,quod ex vno genere principiorum,aut quod ex omnibus vnius figuræ, & ſimilibus principiis conſtet.nil eſſe in promtu autem,ſubintell. eorum,quorum &c.*

QVORVM NATVRA TENETVR,) *id eſt quæ nota ſunt,ſeu quorum natura nota eſt. Porrò autem ſic habent libri manuſcripti: vulgati , quorum natura videtur.* ET QVAM QVICQVE MAGIS MVLTAS VIS,&c.) *Priſc. hunc verſum profert lib. 6. (quamuis eum paullo aliter legat,) docens,vis,à Lucr. numero multitudinis vſurpatum eſſe: vt etiam à Salluſt. lib. 3. hiſtor. Malo iam aſſuetum ad omneis vis controuerſiarum. vtitur eadem voce in eodem numero & lib 3. Et quaſi multæ vis vnius corporis exſtant. Animaduertat autem litterarum ſtudioſus,etiam vſitatum fuiſſe bonis ſcriptoribus hoc loquendi genus,quàm magis, ita magis: quàm magis, ita plura. nam vſitatius illud, de quo alibi diximus, quàm magis,tam magis. Sic autem citatur hic verſus à Priſc. Et quàm multarum rerum vis poſſidet in ſè.* ITA PLVRIA) *ſic legendum. Nam ſic reperio veteres eſſe locutos. quod quidam ſemidocti, & arrogantes non videntes,ſuppoſuerunt hoc loco,plurima. Idémq; & alibi fecerunt.* DOCET) *oſtendit,declarat. tralatio eſt.*

VNDE MARE IMM. VOLV.) *id eſt,ex quibus fontes flumina volubilia & delabentia in mare effundentes,mare redintegrent: quod partim à ventis, partim à ſole minuitur,partim à terra,dum per terrarum meatus dimanans, ad caput amnium reuertitur: vt idem Lucretius ait lib. V. ibi: Quod ſupereſt,humore nouo mare,flumina,fonteis Semper abundare,& latices manare peremneis,Nil opus eſt verbis: magnus decurſus aquarum Vndique declarat,&c.*

ADSIDVE RENOVENT) *ſic legendum. & ita ſcriptum eſt in lib. manuſcriptis: niſi quòd Vaticanus librarij culpa habet,remouent.*

HABET, IGNES VNDE) *habet corpora,ex quibus ignes oriantur.*

EXIMIIS VERO) *ſic habent omnes lib. manuſcripti. omnes ferè vulgati, Ex imis. quos non ſum ſecutus. Eximiis autem interpretor,egregiis, inſignibus, non.*

vulgatis, neque vſitatis. IMPETVS ÆTNÆ) *ſic puto impetum Ætnæ dictũ eſſe, vt impetum cæli lib. 5. Principio quantum cæli tegit impetus ingens. De Ætnæ autem ignibus copioſè diſputabis lib. 6.*

TVM PORRO NIT.) *Porrò autem habet primordia in ſe incluſa, vnde fruges, & arbores hominibus efferre, & pabula mutis animantibus, ac feris ſubministrare poßit.*

NITIDAS) *ſuprà lib. 1. At nitidæ ſurgunt fruges, ramique vireſcunt, &c. & infrà eodem libro, in extr. Præterea nitidas fruges, vinetáque læta, &c.*

Quare magna deûm mater, matérque ferarum,
Et noſtri genetrix hæc dicta'ſt corporis vna.
Hanc veteres Graiûm docti cecinere poëtæ
Sublimem in curru biiugos agitare leones:
Aëris in ſpatio magnam pendêre docentes
Tellurem, neque poſſe in terra ſiſtere terram.
Adiunxere feras: quia quamuis effera proles
Officiis debet molliri victa parentum.
Muraliq; caput ſummum cinxere corona:
Eximiis munita locis quòd ſuſtinet vrbeis.
Quo nunc inſigni per magnas prædita terras
Horrificè fertur diuinæ matris imago.
Hanc variæ gentes antiquo more ſacrorum
Idæam vocitant matrem, Phrygiáſque catervas
Dant comites, quia primùm ex illis finibus edunt,
Per terrarum orbem fruges cœpiſſe creari.
Gallos attribuunt, quia numen qui violarint
Matris, & ingrati genitoribus inuenti ſint,
Significare volunt indignos eſſe putandos,
Viuam progeniem qui in oras luminis edant.
Tympana tenta tonant palmis, & cymbala circùm
Concaua, rauciſonóque minantur cornua cantu:
Et Phrygio ſtimulat numero caua tibia menteis:
Teláque præportant violenti ſigna furoris:
Ingratos animos, atque impia pectora volgi
Conterrere metu quæ poſſint numine diuæ.
Ergo cùm primùm magnas inuecta per vrbeis
Munificat tacita mortaleis muta ſalute:
Ære atque argento ſternunt iter omne viarum,
Largifica ſtipe ditantes, ningúntque roſarum
Floribus, vmbrantes matrem, comitúmque cateruas.
Hîc armata manus (Curetas nomine Graij

Quos

Quos memorant Phrygios) inter ſe forte catenas
Ludunt, in numerúmque exſultant ſanguine læti.
Terrificas capitum quatientes numine criſtas,
Dictæos referunt Curetas: qui Iouis illum
Vagitum in Creta quondam occultaſſe feruntur:
Cùm pueri circum puerum pernice choréa
'Armati in numerum ſtarent: pernice choréa'
Armati in numerum pulſarent æribus æra,
Ne Saturnus eum malis mandaret adeptus,
Aeternúmque daret matri ſub pectore volnus.

QVARE MAGNA DEVM MATER) *Hæc eadem Cybele à poëtis appellatur, & Cybeli cultrix, & Dindymene, & Berecinthia. Arnob. lib. 3. aduerſus genteis. Terram quidam è vobis, quòd cunctis ſufficiat animantibus victum, matrē magnam eſſe dixerunt: eandem hanc alij, quòd ſalutarium ſeminum frugem gerat, Cererem eſſe pronuntiarunt: nonnulli Veſtam, quòd in mundo ſtet ſola, ceteris eius partibus mobilitate in perpetua conſtitutis, &c. Idem lib. 7. Sed & magna mater accita ex Phrygio Peßinunte iußis conſimiliter vatum, ſalutaris populo, & magnarum cauſa lætitiarum fuit, &c. ſequitur ſtatim. nihil quidem aliud ſcribitur miſſum ab Attalo Rege, niſi lapis quidam non magnus, ferri manu hominis ſine vlla impreßione qui poſſet, coloris furui atque atri, angulis prominentibus inæqualis: & quem omnes hodie ipſo illo videmus in ſigno oris loco poſitum, indolatum, & aſperum, & ſimulacro faciem minus expreſſam ſimulatione præbentem, &c. de eadem lege Herodianum lib. I. & Ouid. Faſt 4 & M. Tullium oratione de haruſp. reſpōſ. & Varr. lib. V. de lingua Lat.*

SVBLIMEM IN CVRRV) *ſic hunc verſum reſtitui, reclamantibus libris omnibus, coniectura ſola ad hanc ſcripturam, niſi fallor, rectam, & veram ductus. Atque hæc mea coniecturæ ratio eſt. Ita ſcriptum erat in emendatis illis, & antiquißimis libris, Sublimem in curru. annotatum eſt poſteà ab aliquo ſtudioſo ad orā libri è regione huius loci, ídque ſignis duobus ſimilibus appoſitis, Sedētem: quæ erat interpretatio vocis, Sublimem: Deinde, qui ex illo codice aliud exemplum deſcripſit ſcriptor librarius, existimans, vocem, ſublimem, eſſe mendoſam, &, ſedētem, in eius locum ſubſtituendum, ita fecit: deinde ſemidocti, hunc verſum legentes, cum animaduerterent, primam ſyllabam vocis, ſedentem, eſſe breuem, neque huic loco conuenire, repoſuerunt ſatis temere, Sedibus, ita ex, Sublimem, Sedibus, factum eſſe puto. hæc mea coniectura eſt. quæ mihi ita demum εὐστοχία videbitur, ſi doctis probabitur. ſin minus, primùm fatebor me parum vidiſſe: deinde rogabo, vt aliquid melius reperiant. nam mea quidem ſententia, vox, ſedibus, hoc loco inepta eſt. Dictum eſt autem à Lucretio, ſublimem in curru, & item à Sex. Iulio Frontino lib. I. Stratagematum, cap. 9 ita vt à Virg. Sublimes in equis lib. 7. Æneid. nam, ſublimis in curru, nihil aliud ſignificat, quàm qui, vel quæ vehitur in curru, & ſedet in ſella curuli. quod ſi barbarus homo, qui hanc meam emendationem non tam maleuolentia, & inuidia, quàm cæcitate mentis, & ignoratione bonarum artium impeditus, improbauit, ac damnauit, cognouiſſet: vulgatam lectionem non defendiſſet. Sic Liuius lib. XXXVIII. Itaque iret conſul ſublimis curru, multiiugis, ſi vellet, equis:*

vno equo per vrbem verum triumphum vehi, &c. Poſſem huius locutionis plura afferre exempla. ſed ita in promtu res eſt iis, qui aliquid vident in litteris, vt non egeat exemplis. Virgil. *videtur hunc locum imitatus lib.6. qualis* Berecintia mater Inuehitur *curru* Phrygias *turrita per vrbeis, Læta Deûm partu, centum complexa nepotes, Omneis cælicolas, omneis ſupera alta tenentes. ad quem locum notat* Seruius, *quia ipſa eſt terra, quæ vrbeis ſuſtinet; ieicircò deſignari, al. adſignari ei coronam cum turribus.* BIIVGOS AGIT. LEONES) *Macrob. lib.* I. *Saturn. cap.21. Quis enim ambigat, matrem Deûm, terram haberi?* Hæc *dea leonibus vehitur, validis impetu, atque feruore animalibus: quæ natura cæli eſt: cuius ambitu aër continetur.* Hac *de re ſic* Virgil. *lib.* III. *Æn. Et iuncti currum dominæ ſubiere leones. Aliam mox cauſam ſubiungit* Lucretius.

ADIVNXERE FERAS, QVOD) *Ouid. lib.4. Faſtorum aliam vult cauſam eſſe. cur huic genus acre leonum Præbeat inſolitas ad iuga curua iubas? Deſieram: cæpit: feritas mollita per illam Creditur. id curru teſtificata ſuo eſt.* Arnobius *lib.5. aliam rationem affert, his verbis. Verùm deûm mater adoleſcentuli fatum ſciens, interq; homines illum tamdiu futurum ſaluum, quamdiu eſſet ſolutus à matrimonij fœdere, ne quid accideret mæſti, ciuitatem ingreditur clauſam muris, eius capite ſubleuatis: quod eſſe turritum ratione ab hac cæpit.*

QVAMVIS) *quantumuis.* MVRALIQVE) *ſic ab* Ouid. *turrifera, à* Virgil. *turrita appellatur. dabatur autem muralis corona ei, qui primus murum ſubiiſſet: quæ erat aurea.* Et *poëtæ vrbeis appellant* ἐϋστεφάνους, *id eſt pulcris coronis ornatas, ſeu pulcrè coronatas.* Hom. ἰλ. τ. Ἤματι τῷ, ὅτ' ἔμελλε βίην Ἡρακληείην, Ἀλκμήνη, τέξεσθαι ἐϋστεφάνῳ ἐνὶ Θήβῃ. *id eſt quo die* Alcmena Herculem *erat paritura in vrbe* Thebe, *ſeu* Thebis *bene coronatis: quod interpretatur* Euſtathius, εὐτειχέσῳ. *id eſt quæ bonis & firmis muris ſæptæ ſunt.*

EXIMIIS MVNITA LOCIS) *ſic habent libri manuſcripti, quibus vſus ſum. vulgati ferè omnes,* Ex imis. *ego antiquam ſcripturam probo. veruntamen iudicet lector. Quidam teſtantur ſe ſcriptum reperiſſe in libris ſuis veterib.* Extremis mun. locis. QVO NVNC INSIGNI) *qua corona.*

IDÆAM VOCITANT MATREM) *Phrygiam, è Phrygia auectam.*

GALLOS ATTRIBVVNT) *Feſtus. Galli, qui vocantur matris magnæ comites, dicti ſunt à flumine, cui nomen eſt* Gallo: *quia, qui ex eo biberint, in hoc furere incipiãt, vt ſe priuent virilitatis parte. Alij putant ideò eos ſibi genitalia incidere, quia violauerint nomen patris, matriſve, ne poßint ipſi fieri parentes. lege* Ouid. *hac de re, eodem lib.*

QVI IN ORAS) *in voce qui, i, vocalis non eliditur, & corripitur.*

TYMPANA TENTA TONANT) *prôfert hunc verſum* Nonius Marcellus *in voce, tenta. quem cùm lego, & pronuntio, aut ab alio pronuntiari audio, tympani ſonitum audire mihi videor.*

ET CYMBALA CIRCVM CONCAVA) *cymbala dicta ſunt* ἀπὸ τοῦ κύπτειν, *quaſi* κύφαλα, *quia incurua, & caua. Itaque epithetum addidit valdè accommodatum.* MVNIFICAT) *donat, munerat:* Scitum *illud* Antiſthenis, *quod refert* Clemens Alexand. προτρεπτικῷ: *qui, cùm* μητραγύρται, *qui appellantur à* Græcis, *id eſt matris deorum ſtipis coactores, ſtipem ab eo poſcerent: reſpondit,* οὐ τρέφω τὴν μητέρα τῶν θεῶν, ἣν οἱ θεοὶ τρέφουσιν· *id eſt non alo matrem deorum, quam dij alunt.* LARGIFICA) *larga, munifica, liberali.* Auctor *vocabularij* Latino-

græci mihi à Cl. Puteano commodati, Largus, inquit, δαψιλής.

STIPE) *nummo ſignato, vt docet Feſtus, cui rei teſtimonio, inquit, eſt, quòd datur militi ſtipendium: & quòd cùm ſpondetur pecunia, ſtipulari dicitur. Huc pertinent illa Ciceronis lib. de Legib. 2. Stipem ſuſtulimus, niſi eam, quam ad paucos dies propriā Idææ matris excepimus, &c.* STERNVNT ITER OMNE VIARVM.) *Sic reſtituit hunc locum Adr. Turnebus ex libris veteribus. Nam libri omnes vulgati habent, ſternunt iter: omnia circum, &c.*

NINGVNTQVE) *& tantam roſarum copiam effundunt, atque aſpergunt, vt ningere, ſeu ninguere videantur. tralatio eſt. à ninguo fit ninguidus. Auſon. epiſt. 2. ad Paull. iam ninguida tinguit Oppida Iberorum. quidam tamen legi volunt, pingúntque. Ego nihil mutandum cenſeo.* CVRETAS) *Virg. Georg. 4. pro qua mercede canoros Curetum ſonitus, crepitántiáq; æra ſecutæ, &c. Callimach.* εἰς Δία. Οὖλα δὲ κούρητές γε περὶ πρύλιν ὠρχήσαντο, Τεύχεα πεπλήγοντες, ἵνα κρόνος οὔασιν ἠχὴν Ἀσπίδος εἰσαΐοι, καὶ μή σεο κουρίζοντος. *iidem Corybantes nominantur. Ouid. lib. quem ſuprà dixi: pars manibus clypeos, galeas pars fundit inaneis. Hoc Curetes habent, hoc Corybantes opus, &c. Virgil. lib. 3. Æneid. Hinc mater cultrix Cybeli, Corybantiáque æra. Hi ſunt pueri & ſacerdotes magnæ matris Deorum, de quibus lege Diodorum Sicul. lib. 1. & 5. & Strabonem lib. 10. cuius mihi hæc pauca verba aſcribere libet.* τούτους δ' ὠνόμαζον κουρῆτας, νέους τινάς, ἐνόπλιον κίνησιν μετ' ὀρχήσεως ἀποδιδόντας, προστησάμενοι μῦθον τὸν περὶ τῆς τοῦ διὸς γενέσεως ἐν ᾧ, τὸν μὲν κρόνον εἰσάγουσιν εἰθισμένον καταπίνειν τὰ τέκνα ἀπὸ τῆς γενέσεως εὐθύς· τὴν δὲ Ῥέαν πειρωμένην ἐπικρύπτεσθαι τὰς ὠδῖνας. καὶ τὸ γεννηθὲν βρέφος ἐκποδὼν ποιεῖν, καὶ περισώζειν εἰς δύναμιν. πρὸς δὲ τοῦτο συνεργοὺς λαβεῖν τοὺς κουρῆτας, οἳ μετὰ τυμπάνων, καὶ τοιούτων ἄλλων ψόφων, καὶ ἐνόπλου χορείας, καὶ θορύβου περιιόντες τὴν θεόν, ἐκπλήξειν ἔμελλον τὸν κρόνον, καὶ λήσειν ὑποσπάσαντες αὐτοῦ τὸν παῖδα. *i. hos autem Curetas nominabant, adoleſcenteis quoſdam, armatam ſaltationē referenteis, proferētes de Iouis ortu fabulam: in qua Saturnū quidē introducunt liberos ſuos ſtatim vt nati ſunt, deuorare ſolitū: Rheam autē partus dolores celare, & puerū editū ſummouere & ſeruare conantē: atq; ad hanc rē Curetas aſſumentē, qui cū tympanis, & talibus aliis rebus ſonoris, & ſaltatione armata, & ſtrepitu deam officioſè circumeuntes terreāt Saturnū, furtimq; ei ſuū filiū ſubſtrahant. His accedant illa ex Apollodoro.* οἱ δὲ κούρητες ἔνοπλοι ἐν τῷ ἄντρῳ τὸ βρέφος φυλάσσοντες, τοῖς δόρασι τὰς ἀσπίδας συνέκρουον, ἵνα μὴ τῆς τοῦ παιδὸς φωνῆς ὁ κρόνος ἀκούσῃ. *i. Curetes autem armati in antro infantē cuſtodientes, clypeos haſtis collidebant, ne Saturnus pueri vocē audiret. Eadē de re & Arnob lib. 3. fere conſimilia ſcribit.* INTER SE F. CAT.) *repoſueram olim, térque, quatérq;, coniectura ductus: cùm in libris vulg. impreſſum reperiſſem, forte cateruæ. venerat enim mihi in mentem, ſcriptū eſſe in libro aliquo antiquo, terce, caterce, pro térque, quatérque. (ſæpe enim c, pro qu. reperitur ſcriptū in membranis antiquis) ex caterce poſteà factū eſſe, cateruæ, ex terce, forte. Sed in ſecunda editione libris veterib. repetitis, & accuratius conſideratis, & approbata Turnebi ſententia, catenas, edēdū curaui. catenas ludere autē, ſi recta omni ex parte ſcriptura eſt, valet catenas in choreis ducendis imitari, quod reſtim ductare dicit Terentius. Itaq; putabam hîc legendum, catenas Ducunt. Sed nihil affirmo. Ex eo autem, quòd Curetes armati ſaltāt, ſaltationis genus intelligere debemus* ἐνόπλιον, *ſaltationē Purrhicā, ſeu* Πυῤῥίχην *poſteriores appellarūt. Fuit enim alterum genus, quod* ἄοπλον *dixerūt, quódq;* ἐνοπλίῳ *altera ex parte reſpondet. Vtrumq; genus ſignificat Hom.* ἰλ. Σ. *in extr. ibi* καί ῥ' αἱ μὲν καλὰς στεφάνας ἔχον, οἱ δὲ μαχαίρας εἶχον χρυσείας ἐξ ἀργυρέων τελαμώνων. *i. puellæ quidem*

corollas geſtabant, iuuenes verò gladios habebant ex balteis argenteis pendenteis.

LÆTI) *libri veteres habent, Fleti, vnde ſuſpicetur aliquis legendum, pleti, id eſt repleti, completi. Fleti tamen retinent alij, & interpretãtur, aſperſi, madefacti.*

QVI IOVIS ILL. VAG.) *hoc pulchrè deſcribit Callim. iis verſibus, quos paullò antè protuli. & Ouid. eod. lib. Tutus vt infanti vagiat ore puer.*

ARMATI IN NVM. STARENT) *hunc verſum delendum cenſeo.*

PVLSARENT ÆRIBVS ÆRA) *citat hunc verſum Cariſius lib 1.*

NE SATVRNVS EVM MALIS MANDARET) *id eſt ne maxillis eũ permitteret, & ita deuoraret. Nã Saturnus, vt oſtẽdimus ex Strabone, filios ſuos deuorare ſolitus eſſe fingitur. vnde etiam à Latinis Saturnus dictus eſt. M. Tull. lib. 2. de nat. deor. Saturnus autem appellatus eſt, quòd ſaturetur annis, ex ſe enim natos comeſſe fingitur ſolitus, quia conſumit ætas temporum ſpatia, anniſque præteritis inſaturabiliter expletur. Sic Græci Saturnum Κρόνον dicunt, quaſi χρόνον, id eſt tẽpus. quod negat eſſe deum Arnobius libro tertio aduerſ. genteis. ex quo ne Saturnũ quidem. Quod autem Thraſo quidã mãderet, & legit, ſecunda breui, vt ſit tribrachus locò dactyli, εἰς κόρακας cum ſuo verſu. Ex huius loci ſimilitudine verſus poëtæ cuiuſdam veteris, quos profert M. Tull lib. 4. Tuſcul. quæſt. & lib. 3 de orat. ad Q. fratrem, qui in omnibus, quos quidem viderim, libris, corruptè leguntur, ſic reſtitui: Impius hortatur me frater, vt meos malis miſer Mandem natos. vulgò enim legitur, manderem, pro mandem. Atque vt aliud ex alio incidit, fateor, nõ tam librarij culpa, quàm mea, factum eſſe, vt verſus ille Horatianus, qui eſt ſat 3 lib. 2 Cùm rapies in iura malis ridentem alienis, non fuerit cum multis aliis locis emendatus in prima editione. Habebam enim ſcripturam codicum manuſcriptorum in meis aduerſariis, ſed cùm ſuſpenſus atque occupatus eſſem pluribus curis, & cogitationibus, in eo verſu dormitaui, eúmque ita, vt legitur in vulgatis libris, excudi neglexi. Sed legendus ita eſt, Cùm rapies in ius malis ridentem alienis. Iam, malis alienis: id eſt maxillis alienis. malis autem, ſeu maxillis alienis ridere, vt docet Euſtathius, eſt nõ libenter, neque ex animo ridere, & ita ridere, quaſi non tuis. ſed alienis maxillis rideas. quod ſumtum eſſe ex illo Homeri verſu, Ὀδυσ. υ. οἱ δ' ἤδη γναθμοῖσι γελώων ἀλλοτρίοισιν, id eſt, Illi autem malis iam ridebant alienis: indicauit mihi Io. Auratus, collega meus, vir doctiſſimus, à Simeone Boſio per litteras admonitus. Sed nunc ſecunda editione Horatiana emendatus, & explicatus eſt. Atque (vt ad Lucretium redeam) non deſunt quidam docti, qui antiqua ſcriptura, quæ reperitur in Codice Memm. percuſſi, putent, legendum, mandẽret ſecunda ſyllaba longa, vt intelligamus, mandeo des, det, vſurpatum eſſe à Lucretio pro mando dis, dit. quod à nullo vetere grãmatico traditum eſſe puto, neque id me vſquam legere memini.*

Propterea magnam armati matrem comitantur,
Aut quia ſignificant, diuam prædicere, vt armis,
Ac virtute velint patriam defendere terram,
Præſidióque parent, decoríque parentibus eſſe.
Quæ bene, & eximiè quamuis diſpoſta ferantur,
Longè ſunt tamen à vera ratione repulſa.
Omnis enim per ſe diuûm natura neceſſe'ſt
Immortali æuo ſumma cum pace fruatur,

Semota à noſtris rebus,ſeiunctáque longè.
Nam priuata dolore omni,priuata periclis,
Ipſa ſuis pollens opibus,nihil indiga noſtri,
Nec bene promeritis capitur,nec tangitur ira.
Terra quidem verò caret omni tempore ſenſu:
Sed quia multarum potitur primordia rerum,
Multa modis multis effert in lumina ſolis.
Hîc ſi quis mare Neptunum,Cererémque vocare
Conſtituet fruges,& Bacchi nomine abuti
Mauolt,quàm laticis proprium proferre vocamen:
Concedamus vt hic terrarum dictitet orbem
Eſſe deûm matrem,dum re non ſit tamen apſe.

PROPTEREA MAGNAM) *ſic habent omnes libri manuſcripti, præter Vaticanum,in quo ſcriptum eſt,Praterea.* PATRIAM DEF. TERRAM) *πατρίδα γαῖαν.* DECORIQVE) *& ornamẽto.* DISPOSTA) *id eſt diſpoſita,vt ſemper alibi,repoſta.compoſta,& ſimil.pro repoſita,& compoſita.*

OMNIS ENIM PER SE) *hi verſus poſiti iã ſunt ſup.lib.1.in principio.*

SED QVIA MVLT.) *quidam legunt,* Sed quia, *quod malo , quàm ,* Et quia, *quod eſt in libris fere omnibus vulg.& manuſcrip.* HIC SI QVIS) *in quibuſdam libris legitur,* Huc ſi &c. *quidam docti legi volunt,*Hinc ſi quis, &c.

MARE NEPTVN.) *Quòd aqua nubat terram,(inquit Arnob.lib 3.)appellatus eſt(inquiunt)cognominatúſque Neptunus. At M.Tullius lib.2.& 3 de natura deorum.Neptunus à nando dictus eſt,inquit. Nubat porrò apud Arnobium, nequis forte de hoc verbo hic erret,valet,tegat.exquo illud,caput obnubito.*

CEREREMQ. VOC. CONST. FR.) *M.Tull.lib.2 de nat. deor.Itaque tum illud,quod erat à deo natum,nomine ipſius dei nuncupabant,vt cùm fruges* Cererem *appellamus,vinum autẽ,*Liberum*:ex quo illud Terent.Sine Cerere,& Libero friget Venus:Tum,&c.A Cerere autem dicti ſunt Cerriti, quaſi Cereriti:id eſt furioſi,& inſani,& à Cerere percuſſi qua voce vtitur Horatius ſat.3.lib.2 Cerritus fuit,an commotæ crim.m.&c.ad quem locum adnotauimus ſatis multa. vtitur & Plautus:vtitur & M.Tullius in epiſt 5. lib.8.ad Attic. quem locum eo libentius lectori indicabo , quòd nondum vllus in exemplis emendatè legitur. Sic igitur Cicero.& ſi ſolet eum,cùm aliquid furioſè fecit,pœnitere.numquam cerritior fuit, quàm in hoc negotio.Sic autem legendum eſſe princeps vidit Simeo Boſius Lemouix. nam vulgò legitur,certior.* DVM RE NON SIT) *i.dum tamen re apſe, quod valet,reipſa,ſeu reuera,non ſit.ſic reſtitui coniectura ductus. Nam cùm reperiſſem in omnibus libris vulgatis,paucis exceptis,dum vera re tamen haud ſit:in manuſcriptis verò,dum verã re tamen ipſe: facile ſuſpicatus ſum, primùm cùm declarans aliquis illud apſe,tanquam obſcurum,adſcripſiſſet ad oram libri vera,tranſlatum eſſe hoc,vera in cõtextum verborũ Lucretij:deinde ex,apſe, factum eſſe,ipſe: ita totum verſum corruptum eſſe.reapſe autem dixiſſe veteres, teſtatur Feſtus: vtitúrque teſtimonio Pacuuij in armorum iudicio.Si non eſt ingratum reapſe,quod feci bene . vſurpat & Apuleius lib. 1.de aſino aureo. Ad hæc Meroë(hoc enim ei re apſe nomen magis,quàm fabulas Socratis,conuenire ſentiebam) immò ſuperſit hic ſaltẽ,*

&c. Idem lib. II. At ſacerdos, vt reapſe cognoſci potuit, nocturni commonefactus oraculi, miratúſque congruentiam mandati muneris, &c. M. Tull. lib. I. de Diuinatione, Formæ reapſe nullæ ſunt: ſpeciem tantùm animis offerunt. & lib. I. de Finib. Quamobrem ordiamur ab eo, quod primum poſui: quod idem reapſe primum eſt. idem in Lælio: ſecuritas ſpecie quidem blanda, ſed reapſe multis locis repudianda. Plaut. Rud. minus, quàm reapſe experiundo, &c. Cùm hunc locum ita reſtituiſſem, etiam in prima editione, tamen homo iniuſtiſsimus, triennio pòſt auſus eſt hanc reſtitutionem ſibi vendicare, duarum vocularum ordine immutato. nam cùm ediderim, dum re non ſit tamen apſe: grauis auctor, ait ſe ſcripſiſſe, dum non ſit re tamen apſe, Sic ſolent fures: earum rerum, quas furati ſunt, formas immutant, ne cognoſcātur. Sed quid de hoc loco queror, cùm alij ſint innumerabiles?

VOCAMEN) *vtitur hoc eodem vocabulo Arnobius lib. II. aduerſ. gent.*

Sæpe itaque ex vno tondentes gramina campo
Lanigeræ pecudes,& equorum duellica proles,
Buceriǽque greges,ſub eodem tegmine cæli,
Ex vnóque ſitim ſedantes flumine aquaï,
Diſſimili viuunt ſpecie,retinéntque parentum
Naturam,& mores generatim quæque imitantur:
Tanta'ſt in quouis genere herbæ materiaï
Diſſimilis ratio:tanta'ſt in flumine quoque.
Iam verò quamuis animantem ex omnibus vnam
Oſſa,cruor,venæ,calor,humor,viſcera,nerui
Conſtituunt:quæ ſunt porrò diſtantia longè
Diſſimili perfecta figura principiorum.
Tum porrò,quæcunque igni flammata cremantur,
Si nil præterea,tamen ex ſe ea corpora tradunt,
Vnde ignem iacere,& lumen ſummittere poſſint:
Scintilláſque agere,ac latè differre fauillam.
Cetera conſimili mentis ratione peragrans,
Inuenies intus multarum ſemina rerum
Corpore celare,& varias cohibere figuras.
Denique multa vides,quibus eſt odor,& ſapor vnà:
'Reddita ſunt,cùm adoles in primis pleraque dona.
Relligione animum turpi quom tangere parto.
Hæc igitur variis debent conſtare figuris.
Nidor enim penetrat,quà ſuccus non it in artus:
Succus item ſeorſum,& rerum ſapor inſinuatur
Senſibus,vt noſcas primis differre figuris.
Diſſimiles igitur formæ glomeramen in vnum
Conueniunt:& res permiſto ſemine conſtant.
Quinetiam paſſim noſtris in verſibus ipſis

Multa elementa vides multis communia verbis,
Cùm tamen inter ſe verſus,ac verba neceſſe'ſt
Confiteare alia ex aliis conſtare elementis:
Non quo multa parum communis littera currat,
Aut nulla inter ſe duo ſint ex omnibus iſdem:
Sed quia non volgò paria omnibus omnia conſtant.
Sic aliis in rebus item communia multa
Multarum rerum cùm ſint primordia:longè
Diſſimili tamen inter ſe conſiſtere ſumma
Poſſunt:vt meritò ex aliis conſtare ferantur
Humanum genus,ac fruges,arbuſtáque læta.

SÆPE ITAQVE EX VNO) *poſt degreßionem de matre deorum, redit ad diſputationem inſtitutam, in qua oſtendit, nullam rem eſſe, quæ ex vno genere principiorum conſtet. quod nunc exemplis multis collectis docet.*

DVELLICA PROLES) *duellica, id eſt, bellica.* Nam *duellum idem valet, quod bellum, & duis idem, quod bis, & duonum, dixerunt veteres pro bonum.* Feſtus. *duellum bellum, videlicet, quòd duabus partibus de victoria contendentibus dimicatur. in voce, duellica, u, & e, in vnam ſyllabam coëunt. alij dicunt in voce, equorum, m, elidi, vt in metiendo verſu ita legamus, & equoru' duellica proles.* Iam *per equorum duellicam prolem equos intellige. equus enim animal eſt bellicum.* Virgil. Æneid. 3. Bello *armantur equi, &c.*

BVCERIÆQVE GREGES) *citat hunc verſum teſtem* Nonius *in voce, buceriæ, & in voce, greges, docens, greges reperiri etiam in genere fæmineo.* Bucerum *(inquit* Feſtus*) de bobus dicimus. Eſt autem* Bucerum *vox ducta è duabus* Græcis *βοῦς, bos, & κέρας, cornu.* Buceræ, *porrò, quod quidam putant, legi non poteſt. nam κέρας, vnde hoc nomen factum eſt, habet priorem ſyllabam breuem.*

TANTA 'ST) *ἐπιφώνημα.* IAM VERO QVAMVIS AN.) *ſic habent libri manuſcripti. vulgati autem,* Hinc *porrò &c.*

EX SE EA CORPORA TR.) *ſic hunc locum reſtitui, cùm in cod. manuſcriptis, corpora, ſcriptũ reperiſſem. quidam vir doctus tamen legendum putat; ex ſo corpore: id eſt, ex ſuo corpore.* VNDE) *id eſt, ex quibus corporibus, &c.*

DIFFERRE) *διαφέρειν, in diuerſas parteis ferre.*

MENTIS. RATIONE) *ſic dictum, mentis ratione, vt alibi, animi ratione.* Perfacile *eſt iam animi ratione exſoluere nobis, &c. lib.* III.

CORPORE CELARE) *in corpore ſuo incluſa, & abdita habere.*

COHIBERE) *continere in ſuo corpore incluſas.*

DENIQVE M. V. QVIB. EST ODOR, ET SAP.) *ſecutus ſum in hoc verſu libros vulgatos: qui omnes ſic habent, exceptis antiq.* venetis. *manuſcripti autem ſic: quibus & color, & ſapor vnà. quos quãobrem non ſimus ſecuti, mox dicemus.* RELLIGIONE ANIM. TVRPI CVM TANG.) *ſic hunc verſum reſtitui, partim auctoritate veterum codicum fretus, partim coniectura ductus.* Nam *cùm reperiſſem in codicib. manuſcriptis aliis,* Relligione *animum turpi contingere parato: aliis, contingere patro: in nõnullis excuſis, vt* Pariſ. *contin-*

gere porro:ex,contingere,feci,cùm tangere,id eſt,cùm tangeris. ex,paruto, aut,pa-tro,feci.parto. (quæ vox reperitur integra in cod.Venet. antiq.) approbante, atque adeò mihi præeunte noſtro Adr.Turnebo.Hunc igitur verſum ſic declaro:Cùm tangere animum religione, id eſt, cùm deorum timore conturbaris, atque æſtuas, turpi parto,ob turpe partum,id eſt propter ea lucra, quæ tu mentiendo,peierando,fraudando,& malis artibus feciſti : ſeu eùm ob tuas iniurias,furta,& rapinas diis immortalibus ſacrificas, vt eos tibi propitios & placatos reddas. hæc eſt huius verſus ſententia. Sed libet nunc mihi de toto hoc luco,id,quod ſentio, expromere. Non te diutius ſuſpenſum,lector,tenebo.verſum,Reddita ſunt cum adoles in primis pleraque dona : vel,vt in nonnullis libris reperitur, & maxime manuſcript. Reddita ſunt eum odore,&c. adulterinum eſſe puto: atque ita à Lucretio ſcriptum eſſe arbitror, quemadmodum excudendum curaui: totiúſque huius loci hæc mihi videtur eſſe ſententia.Denique multa vides odore ſimul,& ſapore prædita,nempe quo tempore tua turpia lucra animum tuum mordent, vrunt, & cruciant: id eſt, cùm hoſtiis immolandis Deos placare ſtudes: hæc igitur, quæ tu immolas, quæ prædita ſunt odore ſimul,& ſapore,debent variis conſtare figuris.Sed quærat aliquis,vnde in contextum carminis Lucretiani irrepſerit hic alienus verſus? dicam quod mihi venit in mentem. ad hunc verſum, Relligione animum turpi cùm tangere parto, ſtudioſus aliquis fortaſſe annotauit,i.cùm adoles dona Diis oblata:ſeu,cùm ſacrificas. hanc annotatiunculam arripuit alius, & ex ea,additis quibuſdam, quæ ad ſuperiorem verſum pertinere poſſent, verſum illum fecit ineptum: Reddita ſunt, cùm adoles,&c. ex quo poſtea concinnauit alius, Reddita ſunt cum odore, &c. & eadem opera corrupit ſuperiorem, in quo erat,quibus eſt odor, & ſapor vnà, & ſubſtituit,quibus & color,& ſapor vnà,&c.cùm hîc Lucretius de duobus tātum lòquatur, nempe odore,& ſapore; ſeu nidore, & ſucco: cúmque ex ſententia Epicuri colorum varietas non fiat ex diſsimilitudine figurarum, ſed ex varia & diſsimili poſitura,ordine,motu,&c. vt mox docebit ipſe Lucret. Cùm hæc ſcripſiſſem,itáque hunc locum,vt nunc editus eſt,edendum iam ab initio curauiſſem, homo barbarus, paucis quibuſdam immutatis, & retento eo verſu, quem damnaui, huius loci. aut certè, verſus huius, Relligione animum, &c. emendationem ſibi arrogauit,ſuum tenens inſtitutum.

HÆC IGITVR VARIIS DEBENT, &c.) *Hæc igitur, quibus eſt odor,& ſapor vnà, dicendum eſt variis figuris conſtare.*

NIDOR) *quem paullo antè dixit odorem,nunc nidorem dicit. nidor, inquit, ea via penetrat in artus,qua ſucco. ſeu rerum ſapori præcluſus aditus eſt: & contrà ſuccus ſeorſum in ſenſus inſinuatur. ex quo intelligere licet, nidorem, & ſuccum: ſeu odorem & ſaporem non eiuſdem figuræ principiis conſtare.*

GLOMERAMEN IN VNVM) *in vnum concilium,& cœtum.*

QVIN ETIAN NOSTRIS,&c.) *vſus eſt eadem ſimilitudine, atq; adeò iiſdem verſibus ſup.lib.1.* EX OMNIBVS ISDEM) *ſic legendum, niſi malis legere,iiſdem.iſdem M.Tull.in perfecto oratore vſurpatum tradit ab Ennio. templis iſdem.eiſdem erat verius (inquit) nec tamen optimius.malè ſonabat iiſdem. impetratum eſt à conſuetudine,vt peccare ſuauitatis cauſa liceret.*

Nec tamen omni'modis connecti poſſe putandu'ſt
Omnia.nam volgò fieri portenta videres:

Semiferas

Semiferas hominum ſpecies exſiſtere:& altos
Interdum ramos egigni corpore viuo:
Multáque connecti terreſtria membra marinis:
Tùm flammam tætro ſpiranteis ore Chimæras
Paſcere naturam per terras omniparenteis.
Quorum nil fieri manifeſtu'ſt,omnia quando
Seminibus certis certa genitrice creata
Conſeruare genus creſcentia poſſe videmus.
Scilicet id certa fieri ratione neceſſe'ſt.
Nam ſua quoique cibis ex omnibus intus in artus
Corpora diſcedunt:connexáque conuenienteis
Efficiunt motus.at contrà aliena videmus
Reiicere in terras naturam,multáque cæcis
Corporibus,fugiunt è corpore,percita plagis:
Quæ neque connecti quoiquam potuere:neque intra
Vitaleis motus conſentire,atque animari.
Sed ne fortè putes animalia ſola teneri
Legibus his:eadem ratio res terminat omneis.
Nam veluti tota natura diſſimiles ſunt
Inter ſe genitæ res quæque:ita quamque neceſſe'ſt
Diſſimili conſtare figura principiorum:
Non quòd multa parum ſimili ſint prædita forma:
Sed quia non volgò paria omnibus omnia conſtent.
Semina cùm porrò diſtent:differre neceſſe'ſt
Interualla,vias,connexus,pondera,plagas,
Concurſus,motus:quæ non animalia ſolùm
Corpora ſeiungunt:ſed terras,ac mare totum
Secernunt,cælúmque à terris omne retentant.

OMNIMODIS) *id eſt omnis generis, ſeu cuiuſuis figuræ, videlicet principiis. vſus eſt eadem voce ſup. hoc eodẽ lib. pro omnibus modis. Omnimodis expertus eris.* SEMIFERAS HOM. SPECIES) *vt hippocentauros. de portentis lege lib 5. ibi: Multáque tum tellus etiam portenta creare Conata eſt, mira facie, membriſque coorta.* RAMOS EGIGNI CORP.) *id eſt ramos gigni è corpore viuo: vt apud Horat. tanto emetiris aceruo. quod genus, obſeruatum, & notatum eſt à nobis ad illum locum.* CHIMÆRAS) *Chimæram ſic deſcribit Homerus* Ὀδυσ. Ζ. πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα, *&c. id eſt, vt vertit noſter Lucretius lib. 5. Prima leo, poſtrema draco, media ipſa chimæra. Virgil lib. 6. flammiſque armata chimæra.* TERRAS OMNIPARENT.) γαῖα παμμήτωρ, *à Græcis dicta.* CERTA GENITRICE) *ſup. Quippe vbi non eſſent genitalia corpora quoique, Qui poſſet mater rebus conſiſtere certa?*

CORPORA DISCEDVNT) *ſic legendum, & ita habent quinque libri*

manuſcripti. ex omnibus cibis ſua cuique, id eſt propria & accommodata cuique corpora prima diſcedunt, id eſt diduntur. ſeu diſtribuuntur in artus.

QVÆ NEQVE CONNECTI QVOIQVAM) *libri omnes vulgati habent, cuiquam. quidam libri ſcripti, quoiquam, quo modo loquebantur veteres: quos ſequor.* NEQVE INTRA) *libri manuſcripti aliquot habent, inter.*

ATQVE ANIMARI) *ſic reſtitui, reclamãtibus libr. omnibus, in quibus legitur, atque imitari: leui mutatione facta. nam ſume, atque imitari, vt habẽt omnes libri vulgati: & manuſcrip. (niſi quòd vnus habet, imitare:) deinde ex e, facito a. poſtremo ex imit. nim: totidem enim ſunt pedes: habebis, animari. quam correctionem nemini erudito, maxime in libris veteribus verſato, violentam viſum iri confido. Turnebus autem mauult legi, atque micare. & , micare, interpretatur, moueri. alij lectionem vulgatam retinent, eámque interpretantur, conformari, ſimilia fieri. Ego nullius iudicium reprehendo, nullius diligentiam inſector. (quamquam ſcripturam, imitari, nullo modo probo, eiúſque interpretationem multo minus: illam autem alteram, micare, mihi refellere licet.) Sed meam coniecturam cõfirmare poſſum verbis Ciceronis ex lib. 1. de nat. deorum. Si eſſent corpora indiuidua, quæ nulla ſunt, pellere ſe ipſa, & agitari inter ſe concurſu fortaſſe poſſent: formare, figurare, colorare, animare non poſſent. & ex lib. 6. de repub. hiſque animus datus eſt ex illis ſempiternis ignibus, quæ ſidera & ſtellas vocatis: quæ globoſæ & rotundæ diuinis animatæ mentibus, circulos ſuos, orbeiſque conficiunt celeritate mirabili. Adiuuat eam & illud Arnobij ex lib. 1. aduerſus gent. Immo ſi arbores, glebæ, ſaxa, ſenſu animata vitali vocis ſonitum quirent, & verborum articulos integrare, &c. Idem lib. 2. non longè à princip. vtrùm illum tellus vliginis alicuius conuerſa putrore, tamquam vermeis, animauerit, tamquam mureis?*

EADEM RATIO RES TERMINAT OMNEIS) *cum reperiſſem in quattuor libris manuſcriptis ita ſcriptum, eadem ratio diſterminat omneis: ego repoſui, res terminat omneis. quæ lectio mihi videtur recta.*

DIFFERRE NECESSVM EST INTERVALLA, &c.) *neceſſum eſt, repoſui ſecutus libros ſcriptos: quamquam vtrùm legatur, neceſſum eſt, an neceſſe eſt, parum intereſt, niſi quòd illud magis Lucretianum eſt. cum hoc loco congruunt illa, ſup. Iámne vides igitur, paullo quod diximus antè, Permagni referre, eadem primordia ſæpe Cum quibus, & quali poſitura contineãtur, Et quos inter ſe dent motus, accipiántq;?* RETENTANT) *ne cælum cum terris miſceatur.*

Nunc age, dicta meo dulci quæſita labore
Percipe, ne forte hæc albis ex alba rearis
Principiis eſſe, ante oculos quæ candida cernis:
Aut ea, quæ nigrant, nigro de ſemine nata:
Néve, alium quemuis quæ ſunt induta colorem,
Propterea gerere hunc credas, quòd materiaï
Corpora conſimili ſint eius tincta colore.
Nullus enim color eſt omnino materiaï
Corporibus, neque par rebus, neque denique diſpar.
In quæ corpora ſi nullus tibi forte videtur
Poſſe animi iniectus fieri, procul auius erras.

Nam cùm cæcigeni,ſolis qui lumina numquam
Adſpexere,tamen cognoſcant corpora tactu,
Ex ineunte æuo nullo contincta colore:
Scire licet,menti quoque noſtræ corpora poſſe
Verti in notitiam,nullo circumlita fuco.
Denique nos ipſi,cæcis quæcumque tenebris
Tangimus,haud vllo ſentimus tincta colore.
Quod quoniam vinco fieri,nunc eſſe docebo.
Omnis enim color omnino mutatur in omneis.
Quod facere haud vllo debent primordia pacto.
Immutabile enim quiddam ſuperare neceſſe'ſt,
Ne res ad nihilum redigantur funditus omnes.
Nam quodcumque ſuis mutatum finibus exit:
Continuò hoc mors eſt illius,quod fuit antè.
Proinde colore caue contingas ſemina rerum,
Ne tibi res redeant ad nilum funditus omnes.

NVNC AGE DICTA MEO) *Nunc aggreditur ad docendum, prima corpora colore vacare, atque adeò omnibus qualitatibus, præter figuram, magnitudinem, & pondus. qua de re ſic* Laërtius, *φησὶ δ' ἐνδοτέρω μηδὲ ποιότητά τινα περὶ τὰς ἀτόμους εἶναι, πλὴν σχήματος, καὶ μεγέθους, καὶ βάρους. τὸ δὲ χρῶμα παρὰ τὴν θέσιν τῶν ἀτόμων ἀλλάττεσθαι: id eſt, ait autem interius neque qualitate vlla atomos eſſe præditas, præterquàm figura, magnitudine, & pondere. colorem autem ex poſitura atomorum variari.* M. Tull. *lib.* 2. *de natura* Deor. *Iſti autem quemadmodum aſſeuerant ex corpuſculis non colore, non qualitate aliqua, quam ποιότητα* Græci *vocant, non ſenſu præditis, ſed concurrentibus temerè, atque caſu, mundum eſſe perfectum, vel innumerabiles potius in omni puncto temporis alios naſci, alios interire?*

ALBIS EX) *ſic habent libri manuſcripti: quæ ſcriptura præterquàm quòd ſuauior eſt, etiam* Lucretiana *eſt.* NIGRANT) *id eſt. nigra ſunt.* Virgil *lib.* 4. *Æneid.* His *ego nigrantem commiſta grandine nimbum,* Dum *trepidant alæ, &c. Deſuper infundam. hunc locum memoria teneat lector. erit enim nobis vſui ad locum quendam, qui ſequitur, emendandum.*

NE'VE ALIVM) *quidam libri manuſcripti habent,* Nive, *pro,* Néve. *quod docti probant, vt antiquum: ne ego quidem improbo. Verumtamen nihil mutaui. ſatis eſt mihi lectori indicaſſe.*

ALIVM QVEMVIS QVÆ SVNT INDV. COLO.) *ſic reſtitui partim coniectura, & ratione ductus, partim quattuor librorum manuſcrip auctoritatem ſecutus, in quibus cùm ſine vlla litura ſcriptum reperiſſem, imbuta colorẽ, primùm cœpi mecum diligentius, atq; attentius hanc ſcripturã conſiderare, & ita exiſtimare, non temere in tot cod. manuſcr reperiri ſcriptũ, colorem: qui caſus cùm videatur cum participio, imbuta, non poſſe cohærere (verbum enim, imbuere, ſemper cõiungitur cum ſexto, aut ſeptimo caſu, veriſimile eſſe, mendũ ſubeſſe in voce, imbuta. deinde mihi venit in mentẽ ſi quis forte contenderet legendum, colore, vt eſt in vulg. non ſatis aut verè, aut propriè dici aliquid, imbutum colore, cùm color*

vel ſit ipſa corporum extremitas, vel in corporum extremitate. ſeu extremo cortice conſiſtat, non interius manarit: imbuta autem & tincta ea dicantur à Latinis, quæ à Græcis διασομιά. Præterea imbutum de odore, aut ſucco aliquo dicitur, non de colore, vt apud Horat. *epiſt. 2. lib. 1. Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorē Teſta diu. Præterea infrà ita loquitur, Scire licet quàm ſint nullo velata colore. at, velari colore, &, indui colorem, ſimillima ſunt: immo verò eadem figura dicta ſunt trala tio enim ſumta eſt ab iis animantibus, quæ veſtiuntur. Poſtremò eo, qui deinceps ſequitur, verſu, ita loquitur, gerere colorem: quod item de perſona & veſtitu dicitur.* M. Tull. *Offic lib. 1. Eſt igitur proprium munus magiſtratus intelligere ſe gerere perſonam ciuitatis. ſic* Lucret. *lib. 5. extr. loquens de pelle. Vt letum inſidiis qui primus geſſit, obiret. Sic* Horat. *de Ariſtippo epiſt. ad Scæuam. Perſonámque geret non inconcinnus vtranque. ibid. de eod. Quidlibet indutus celeberrima per loca vadet. Ex quibus intelligere licet, Latinè dici, vt induere, & gerere perſonam, ita induere & gerere colorem: & velari colore, & contingi ſeu tingi colore, & circumlini fuco, vt ſtatim loquitur: imbui colore autem nullo modo. Ita adductus ſum, vt, induta colorem reponerem.* TINCTA COLORE) *propriè dictum. nam quæ tincta ſunt, etiam colorata dicuntur. ſed, imbuta colore, Latinè dici non poteſt. omnino malim, tacta.* IN QVÆ CORPORA SI NVLL. &c) *id eſt quæ corpora ſi tibi videntur non poſſe cogitatione, aut ratione comprehendi: vel ſic, quæ corpora ſi exiſtimas neminem animo complecti poſſe. &c. iniectus animi, id eſt animi adiectio ad rem aliquam, & cogitatio. Sic* M. Tull. *inticere animum dixit lib. 1. de nat* Deor. *in quam magnitudinem regionum ſe iniiciens animus, & intendens, ita latè, longéque peregrinatur, vt nullam tamen oram vltimi videat. Sic* Arnobius *dixit, oculorum iniectum, lib. 1. non longè ab extr. quod oculorum (inquit) ſuſciperet iniectum. & eodem libro, infrà, iaculationem mentis.*

CÆCIGENI) *cæci nati.* ADSPEXERE) *nonnulli libri habent, diſpexere.*

NVLLO CONTINCTA COLORE) *non dicit, corpora naturalia nullo colore eſſe contacta, ſed ea cognoſci à cæcis ſolo tactu, non oculorum ſenſu, cui ſubiicitur color. Cæco enim nihil eſt coloratum, cùm ei ſemper ſint tenebræ: color autem non niſi luce cerni queat: vtpote qui ita definiatur ab* Ariſtot. *lib.* περὶ αἰσθήσεως καὶ αἰσθητῶν, τὸ τοῦ διαφανοῦς ἐν σώματι ὡρισμένῳ πέρας· *id eſt pellucidi, in corpore finito, extremum: quod quidem extremum cerni nō poteſt, niſi illud διαφανὲς re, ſeu functione ſit διαφανής: quod eſt lumen Atque hæc ex ſententia Ariſtotelis. contacta autem puto legendum potius, vt habent tres libri veteres, quàm, vt vulgati, coniuncta.*

VINCO FIERI) *probo argumentis, & quaſi expugno. Sic ſæpe loquitur* Horatius, *vt ſaty. 3. lib. 2 Vincit enim ſtultos ratio inſanire nepotes. &* M. Tull. *Parad.* ὅτι πάντες οἱ μωροὶ μαίνονται *Ego verò te non ſtultum, vt ſæpe: non improbum, vt ſemper: ſed dementem, & inſanum, rationibus, ſeu (vt alii legunt) rebus, vincam, ſed aduincam neceſſariis. ſic enim legendum cenſeo, non, vt vulgò, addicam.*

OMNIS ENIM COL. *ſic habent cod. manuſcr. niſi quòd in duob. ſcriptum eſt, & omneis, planè mendoſè. Quòd autem ad huius loci ſententiam attinet, ſic argumentatur* Lucret, *Si prima corpora eſſent aliquo colore contacta, ſeu tincta, mutarētur. nā color omnis in quemuis alium colorē mutatur, (quod intellige de mediis colorib.)* At *prima corpora immutabilia eſſe docuimus. ergo prima corpora coloris omnis ſunt expertia.* IMMVTABILE ENIM QVIDDAM) *hunc verſum cum tribus, qui deinceps ſequuntur, poſuit lib 1.*

Præterea,ſi nulla coloris principiis eſt
Reddita natura:at variis ſunt prædita formis,
E quibus omnigenos gignunt,variántque colores.
Præterea,magni quòd réfert,ſemina quæque
Cum quibus,& quali pόſitura contineantur,
Et quos inter ſe dent motus,accipiántque:
Perfacilè extemplò rationem reddere poſſis,
Cur ea,quæ nigro fuerint paullo antè colore,
Marmoreo fieri poſſint candore repente.
Vt mare cùm magni commorunt æquora venti,
Vertitur in canos candenti marmore fluctus.
Dicere enim poſſis,nigrum quod ſæpe videmus,
Materies vbi permiſta eſt illius,& ordo
Principiis mutatus,& addita,demtáque quædam,
Continuò id fieri vt candens videatur,& album.
Quòd ſi cæruleis conſtarent æquora ponti
Seminibus:nullo poſſent albeſcere pacto.
Nam,quocunque modo perturbes,cærula quæ ſint,
Numquam in marmoreum poſſunt migrare colorem.
Sin alio,atque alio ſunt ſemina tincta colore,
Quæ maris efficiunt vnum,purúmque nitorem:
Vt ſæpe ex aliis formis,variiſque figuris
Efficitur quiddam quadratum,vnǽque figuræ:
Conueniebat,vti in quadrato cernimus eſſe
Diſſimileis formas:ita cernere in æquore ponti,
Aut alio in quouis vno,puróque nitore,
Diſſimileis longè inter ſe,varióſque colores.
Præterea nihil officiunt,obſtántque figuræ
Diſſimiles,quo quadratum minus omne ſit extrà.
At varij rerum impediunt,prohibéntque colores,
Quo minus eſſe vno poſſit res tota nitore.

PRÆTEREA SI NVLLA) *id eſt,Præterea etſi principia omni colore vacent,attamen diſsimilibus,& variis figuris ſunt prædita. Itaq; principia diſsimiliū inter ſe figurarum,alio atque alio ordine poſita,varios colores efficiunt. Hæc igitur verba,ſi nulla coloris principiis eſt Reddita natura,ſic declaro. etiam ſi hoc ſit verum,nullum colorem principiis eſſe attributum,aut innatum,&c.*

MARMOREO CANDORE) *candore exquiſitiſsimo,& eo,qui ad Parij,aut Lunenſis marmoris candorē proximè accedat. Horat od.19 lib.I.Vrit me Glyceræ nitor Splendentis Pario marmore purius.* EXTEMPLO) *id eſt continuo. de qua voce,eiúſque ratione lege Varron.lib.6.de lingua Latina.*

VT MARE) *id probat à ſimili.* DICERE ENIM POSSIS, NIGR. Q. S V. *&c.) Huius loci hæc ſententia eſt. Dicere poſſis, mare, quod interdum nigrum videtur, continuò fieri vt candidum videatur, vbi eius principia inter ſe permiſta ſunt, & ordo principiorum immutatus eſt, & quædam principia ſunt addita, quædam detracta quod non fieret, ſi mare cæruleis, ſeu nigris principiis conſtaret.* MARMOREVM) *id eſt candidum marmoris inſtar.*

SIN ALIO, ATQVE ALIO) *Si quis dicet (inquit) ſemina maris alia alio colore eſſe contacta, & ex diſsimilibus coloribus vnum colorem effici, quemadmodum ex diſparibus figuris fit alia figura, exempli cauſa, ex triquetris, ſeu triangulis quadratum: neceſſe erit, quo modo in figura quadrata, alias figuras ineſſe videmus: ita & in puro maris colore, aut in vno quouis alio, diſsimileis colores comparêre. at hoc non fit non igitur, &c.* VNÆQVE FIGVRÆ) *ſic reſtituit M. Antonius Muretus, à codicibus manuſcript. ad veram ſcripturam conιectura, & propè manu ductus. Nam cùm hunc locum in cod. Vaticano vnà legeremus, in eóque reperiſſemus, vnáque figura, in aliis duobus, vnáque figura eſt, immo, ne mentiar, figura'ſt, ſuſpicatus eſt ille è veſtigio legendũ, vnæque figuræ. cui ego continuò aſſenſus ſum, & maneo in ſententia. ſic enim veteres loquebantur. Plaut. Trucul. iſtæ dedi. Terent. Heaut. hoc ipſa in itinere alteræ dum narrat, forte audiui. Idem Eun. mihi ſolæ ridiculus fuit. Cic. pro Tullio. hoc iudicium ſic exſpectant, vt non vnæ rei ſtatui, ſed omnibus conſtitui putetur. ſic Lucret. ſup. lib. I. neque ſunt igni ſimulata, neque vllæ Præterea rét. & lib. VI. Et potius nullæ turpis ſibi conſciu' rét.*

DISSIMILEIS FORMAS) *figuras, nempe triquetras, ſeu triangulas. nam ex triangulis conſtant quadrata.*

QVO QVADRATVM MINVS OMNE SIT EXTRA) *ſic excudendum curaui, ſecutus librorum manuſcriptorum teſtimonium. quanquam mihi non diſplicet ea ſcriptura, quam amicus quidam meus ex vulgata leuiter immutata traxerat, quo quadr minus inſit in illis. ille enim ex verbo, eſſet, fecerat, inſit. ſed omnino antiqua ſcriptura melior eſt, & ſi rem propius ſpectes, verior. quadratum enim ex triangulis factum, extra triangula eſt, non in triangulis.*

Tum porrò, quæ ducit, & inlicit, vt tribuamus
Principiis rerum nonnumquam, cauſa, colores,
Occidit: ex albis quoniam non alba creantur:
Nec quæ nigra cluent, de nigris: ſed variis de.
Quippe etenim multo procliuius exorientur
Candida de nullo, quàm de nigrante colore,
Aut alio quouis, qui contrà pugnet, & obſtet.
Præterea, quoniam nequeunt ſine luce colores
Eſſe, neque in lucem exſiſtunt primordia rerum:
Scire licet quàm ſint nullo velata colore.
Qualis enim cæcis poterit calor eſſe tenebris,
Lumine qui mutatur in ipſo, propterea quòd
Recta, aut obliqua percuſſus luce refulget?
Pluma columbarum quo pacto in ſole videtur:

Quæ ſita ceruices circùm, collúmque coronat.
Namque aliàs fit vti claro ſit rubra pyropo:
Interdum quodam ſenſu fit, vti videatur
Inter cæruleum virideis miſcere ſmaragdos.
Caudáque pauonis, larga cùm luce repleta'ſt,
Conſimili mutat ratione obuerſa colores:
Qui, quoniam quodam gignuntur luminis ictu,
Scilicet id ſine eo fieri non poſſe putandu'ſt.
Et quoniam plagæ quoddam genus excipit in ſe
Pupula, cùm ſentire colorem dicitur album,
Atque aliud porrò, nigrum cùm, & cetera ſentit,
Nec réfert ea, quæ tangis, quo forte colore
Prædita ſint, verùm quali magis apta figura:
Scire licet nil principiis opus eſſe colores:
Sed variis formis varianteis edere tactus.

TVM PORRO, QVÆ DVCIT, ET INLICIT, VT TRIBVAMVS, &c.) *Hæc eſt vera huius loci ſcriptura, quam ego cùm in codice* Bertiniano *&* Memm. *expreſſam reperi, tùm* Adriani Turnebi *auctoritate comprobatam illuſtraui.* Vix *autem me puto fidem lectori facturum, ſi enumerem lectionis huius loci diſsimilitudines, & differentias.* Nam *cùm vſus ſim quinque lib. manuſcriptis, octo impreſsis & amplius, vix treis reperi, qui inter ſe cõgruerent: cùm alij haberẽt, quæ ducit in illicitum, vt trib. alij, quod dicunt inlicitum trib. alij, quæ ducit & vt illicitum hoc, &c.* Huius *igitur veræ, & rectæ ſcripturæ hæc ſententia eſt.* Tum porro *ea cauſa, quæ nos ducit & illicit, vt nonnunquam principiis rerum colores tribuamus, nempe hæc, quoniam ex albis non creantur alba, nec nigra ex nigris, ſed ex cõtrariis, aut diſsimilibus contraria, aut diſsimilia: hæc, inquam, cauſa óccidit, id eſt nulla eſt.* Quippe *etenim, &c. hic eſt ordo verborum, quo explicato, etiam ſententia explicata, & aperta eſt* Cùm *hæc iam pridem ſcripſiſſem, homo barbarus, & inhumanus, hanc emendationem, & ſcripturam ita commemorat, & laudat, non vt meam, ſed vt noſtrûm communem: idémque de illa ſuperiore, omne ſit extra.* Hanc *proximam, quæ ſequitur, ſed variis de, tacitus probat, & ſequitur: itémque illam, quæ ſequitur, quàm de nigrante &c. poteſt ne fingi βάσκανος vllus impurior? ſed quid hic ſtomachor? talem ſe præbuit in ceteris, vt dixi iam antea ſæpius, quàm me decuit.* Sentio *enim quàm ſit indecorum cum talibus ſycophantis velitari.* Sed *tamẽ iniuriæ magnitudo, & rei indignitas fecit, vt hæc lectori indicanda exiſtimarem.*

SED VARIIS DE.) *id eſt de variis & differentibus. διαφόροις, cùm in libris manuſcriptis reperiſſem, partim variis ea, partim variis ad, & ita in* Vicetinis, *ego, ſed variis de, reſtitui. nam ceteræ ſcripturæ, ſed variant ſe, ſed variãtur, ſed variata, (quam poſtremam* Pontanus *ſubſtituerat) omnes ſunt deprauatæ.*

QVIPPE ETENIM MVLTO) *hæc eſt ratio, ſeu αἰτιολογία, quare cauſa illa, quæ illicit ad tribuendos principiis colores, nulla ſit:*

CANDIDA DE NVLLO, QVAM DE NIGRANTE COLORE) *poſtremam huius verſiculi partem deprauatam, feliciter, doctorum virorum*

iudicio,reſtitui in antiquum ſtatum. Nam cum reperiſſem ita ſcriptum in cod. Vaticano,quam de nigro nate colore,ex,nigro nate,feci,nigrante.quæ ſcriptura perſpicuè,& ſine controuerſia,recta eſt.nigrante autem interpretor nigra, vt ſuprà,nigrant,interpretatus ſum,nigra ſunt Aut ea,quæ nigrant,nigro de ſemine nata.Virg. lib.5.Æn.totidem nigranteis terga iuuencos.& 8.cum ſæpe nigrantem Ægida concuteret dextra. Atque hanc emendationem miror Thraſonem ſibi non vendicaſſe, eiúſque approbatione tacita,hoc eſt maligna,& inuida contentum fuiſſe.qua moderatione tamen in aliis locis quamplurimis vſus eſt,ſi moderatio appellanda talis iniuria eſt. PRÆTEREA QVON. NEQVEVNT SINE LVCE)ſic argumentatur.ſine luce colores non cernuntur. corpora prima non cernuntur: ergo corpora prima nullo ſunt colore prædita. Syllogiſmus inualidus quidem eſt: omnes tamen eius partes veræ ſunt. Nam ſine luce colores nō cerni etiam Ariſtot.docet. Sic enim ille τὸ ἐν φωτὶ ὁρώμενον, χρῶμα. διὸ οὐχ ὁρᾶται τὸ χρῶμα ἄνευ φωτός. τοῦτο γὰρ ἦν τὸ χρώματι εἶναι, τὸ κινητικῷ εἶναι τοῦ κατ᾽ ἐνέργειαν διαφανοῦς: id eſt quod in luce cernitur, color eſt. idcircò ſine luce color non cernitur. hæc enim eſt coloris eſſentia, ac definitio, quod vim habet mouendi id,quod eſt re,& functione pellucidum. Idem docet colorem eſſe adſpectabilē in eo,quod per ſe adſpectabile eſt:nempe ἐν ἐπιφανείᾳ, id eſt in extremitate corporis,ſeu in ſummo rei cortice. Extremitas autem per ſe eſt aſpectabilis,quia in ſe habet, per quod cerni poßit, nempe colorem. pellucidum porrò aſpectabile eſt non per proprium colorem,ſed per alienum.

PROPTEREA QVOD RECTA, AVT OBL.) alius enim color eſt, ſi rectus ſit luminis angulus,alius ſi obliquus.

PERCVSSVS) ſic legendum,non perculſus, vt habent nonnulli typis impreſſi:& ita ferè loquitur infrà.Qui quoniam quodam gignuntur luminis ictu,&c.& lib.5.Luna poteſt ſolis radiis percuſſa nitere.

QVO PACTO) ὥσπερ. quemadmodum.

PLVMA COLVMBARVM) M.Tull in Lucullo.Neque verò hoc loco exſpectandum eſt,dum de remo inflexo,aut de collo columbæ reſpōdeam. neque enim is ſum qui,quidquid videtur,tale dicam eſſe,quale videatur.

QVÆ SITA CERV. CIRC. COLL. QVÆ COR.)ordo eſt,quæ circùm ſita,id eſt circumpoſita,ſeu circumdata,ceruices & collum columbarum coronat.Fortaſſe imitatus eſt illud Næuij Iliad.lib.1. Collum marmoreum torquis gemmata coronat. PYROPO, Pyropus genus eſt metalli Plin lib. 36. cap 8. æs in vncias duas, additis auri ſcrupulis ſenis,prætenui pyropi bractea igneſcit. Iſidorus Pyropum ait eſſe metalli genus ex dimidia parte auri,& dupla argenti.eſſe & gēmam,quam Latini carbunculum appellant,nonnulli putant. Sed videtur legendum potius,rubro ſit clara pyropo,quàm,vt vulgò legitur,claro ſit rubra pyropo. idque vel ex Ouidij verſu intelligere licet lib.2.Metam.Clara micante auro,flammáſque imitante pyropo. SCILICET ID SINE EO F. N. P. PVTANDVST) vel ſic legendum,vt excudendum curaui, cùm in tribus lib. manuſcriptis reperiatur ſcriptum,putandum eſt: vel ſic,Scire licet ſine eo fieri non eſſe putandū.

Cùm hæc ſcripſiſſem in prima editione, Thraſo ille impudentiſſimus, dixit me alteram ſcripturam probaſſe,altera improbata Poteſt quiſquam mentiri impudentius? ET QVONIAM PLAGÆ QVODDAM) Audi quomodo cernamus ex ſententia Epicuri:quod ſumit argumenti loco ad probandum, rerum primordia coloris eſſe experia. viſus fit ictu quodam (inquit) nempe διὰ τῆς τῶν εἰδώλων εἰς

λων εἰς

κων εἰς τὴν ὄψιν ἐμπιπτόντων, id eſt per imaginum incurſionem in videndi ſenſum, & per plagam ſeu ictum quendam: qui ictus alius eſt, ſi oculus ſentiat album colorem, alius, ſi nigrum, & ita de ceteris. at ictus non fit ſine tactu. tactus autem non eget colore, vt ſuo officio fungatur. nihil réfert enim, quo ſint colore prædita ea, quæ tangis. ergo prima corpora nullo colore contacta ſunt. ſed quod ad diſputationem attinet de cauſa viſus, ſeu aſpectus, Ariſtoteles viſus cauſam eſſe arbitratur τὴν τῶν ὁρωμένων ἐνέργειαν, ποιότητα ἐνεργοῦσαν εἰς τὴν ὄψιν: id eſt eorum, quæ cernuntur, qualitatē vim ſuam expromentem atque explicantem in vidēdi ſenſum. Plato, & Stoici aliter ſentiunt: quin ne hi quidem inter ſe planè conſentiunt. qua de re lege A. Gellium lib. 5. cap. 15. ſed de his plura ſuo loco etiam à nobis dicentur lib. 4.

OPVS ESSE COLORES) *ſic legit Nonius: profértque etiam verſum ex Plauto in Capt. Iam maritimi omnes milites opus ſunt tibi. poſſem alia exempla afferre quàm plurima. Cæſ. lib. 5 de bello Gall. quæcunque ad proximi diei oppugnationē opus ſunt, noctu cōparātur M. Tull. epiſt. ad Cæliū, dux nobis & auctor opus eſt. Idē Lucr ſup. lib. 1. Infinita opus eſt vis vndiq; materiai. & lib. 3. Materies opus eſt, vt creſcant poſtera ſæcla. & lib. 4. Nec motus opu' ſunt noſtris vxoribus hilum.*

Præterea, quoniam non certis certa figuris
Eſt natura coloris, & omnia principiorum
Formamenta queunt in quouis eſſe nitore:
Cur ea, quæ conſtant ex illis, non pariter ſunt
Omnigenis perfuſa coloribus in genere omni?
Conueniebat enim, coruos quoque ſæpe volanteis
Ex albis album pennis iactare colorem,
Et nigros fieri nigro de ſemine cycnos,
Aut alio quouis vno, varióque colore.
Quin etiam quanto in parteis res quæque minutas
Diſtrahitur magis, hoc magis eſt, vt cernere poſſis
Euaneſcere paullatim, ſtinguíque colorem:
Vt fit, vbi in paruas parteis diſcerpitur aurum,
Purpura, pœniceúſque color clariſſimu' multo,
Filatim quom diſtractus, diſperditur omnis:
Noſcere vt hinc poſſis, prius omnem efflare colorem
Particulas, quàm diſcedant ad ſemina rerum.
Poſtremò, quoniam non omnia corpora vocem
Mittere concedis, neque odorem: propterea fit,
Vt non omnibus attribuas ſonitus, & odores:
Sic, oculis quoniam non omnia cernere quimus,
Scire licet, quædam tam conſtare orba colore,
Quàm ſine odore vllo quædam, ſonitúque remota:
Nec minus hæc animum cognoſcere poſſe ſagacem,
Quàm quæ ſunt aliis rebus priuata, notiſque.

PRÆTEREA QVONIAM NON CERTIS) *Sic habent libri omnes manuſcripti, quibuſcum congruũt aliquot typis excuſi ſentẽtia autem, & vis huius argumenti hæc eſt. Præterea (inquit) demus. prima corpora colore eſſe prædita: non dicent ij, qui hoc volunt, in certis figuris certum ineſſe colorem, verbi gratia, omnia corpora prima triquetræ, ſeu triangulæ figuræ, eſſe nigra: omnia quadrãgulæ formæ, eſſe cærulea, &c. ſed in vnaquaque figura fatebuntur eſſe principia diſsimilibus coloribus prædita: verbi gratia, primordia triangulæ figuræ alia eſſe alba, alia nigra, alia mediorum colorum. Fingamus igitur, coruos maiore ex parte conſtare ex primordiis triangulis quæ, vt diximus, non ſunt vnius coloris. Fiet igitur, vt corui naſcantur non nigri, ſed vel albi, vel virides, vel cærulei, vel verſicolores. Atqui hoc non fit: ergo principia non ſunt colorata. Legendum autem eſt, Præterea quoniã non certis: non, vt vulgò, niſi certis.*

QVINETIAM QVANTO) *aliud argumentum, quo vtitur ad probãdum, primordia rerum coloris eſſe expertia. Quo quicque minutiores in parteis ſecatur, eo magis euaneſcit eius color. finge igitur, rem aliquam in parteis ita paruas eſſe diſſectam, vt illæ fugiant ſenſum oculorum. tum ſcilicet intelliges, earum colorem euanuiſſe, atque exſtinctum eſſe. quod ſi ita eſt, multo credibilius eſt. ſemina rerum, quæ ſunt ſubtiliſsima, & ſimpliciſsima, & minima, colore omni carere.*

STINGVIQVE COLOREM) *id eſt exſtingui. ſtinguo, verbum ſimplex. compoſita exſtinguo, reſtinguo, diſtinguo, præſtinguo. vſus eſt eodem verbo & lib. 4. ardorẽ in membris qui ſtinguere poſsit. & M. Tull. Arato. Quẽ neq; tẽpeſtas perimet, neq; longa vetuſtas Interimet, ſtinguẽs præclara inſignia cæli. Idẽ in prognoſt. Vt cùm Luna means Hyperionis officit orbi, Stinguuntur radij cæca caligine tecti.*

POENICEVSQVE COLOR) *duo lib. manuſcr. habẽt, Puniceúſque color: tres, Pœniceúſque: quod probo. dictum enim Pœniceus, pro Puniceus, vt mœnera pro munera. Pœniceus autem, ſeu Puniceus color, differt à purpureo, & cæruleo. Ac differentia quidem pœnicei coloris & cærulei, nota eſt. ſed Pœnicei & purpurei fortaſſe non cuiuis nota eſt. Purpureus color igitur ex ſanie, & cruore purpuræ piſcis conficiebatur. Ex quo eum credibile eſt ruborem fuiſſe nigricantem. Pœniceus color verò fortaſſe ex palma, & ſimilibus plantis fiebat, iſque rubor dilutior & floridior erat. Virg. Melib. Puniceo ſuras euincta cothurno. Idem lib 12. cùm primùm craſtina cælo Puniceis inuecta rotis aurora rubebit. Varro lib. 4. de lingua Latina, Pœnicum, purpuræ genus ex Karthagine primùm allatum. idem, Pœnica pauimenta ex lapide Numidico.* POSTREMO QVONIAM) *argumentum à ſimili. quædã ſunt corpora odore, & ſonitu, ſeu voce carẽtia. nihil obſtat igitur, quo minus etiam ſint corpora quædam coloris expertia, nempe corpora prima: quæ ſub oculos non cadũt, & iccirco non egent colore.* NEC MINVS HÆC) *Feſtus hũc verſum profert in voce, ſagax, docétque, ſagaceis appellari multi ac ſollertis acuminis.*

Sed ne fortè putes, ſolo ſpoliata colore
Corpora prima manere: etiam ſecreta teporis
Sunt, ac frigoris omnino, calidíque vaporis:
Et ſonitu ſterila, & ſucco ieiuna feruntur:
Nec iaciunt vllum proprio de corpore odorem:
Sicut amaracini blandum, ſtactæque liquorem,
Et nardi florem, nectar qui naribus halant,

Cùm facere inſtituas: cum primis quærere par eſt,
Quoad licet, ac potis es reperire, inolentis oliui
Naturam: nullam quæ mittat naribus auram:
Quàm minimè vt poſſit miſtos in corpore odores,
Concoctóſque, ſuo contactos perdere viro.
Propterea demum debent primordia rerum
Non adhibere ſuum gignundis rebus odorem,
Nec ſonitum: quoniam nihil ab ſe mittere poſſunt:
Nec ſimili ratione ſaporem denique quemquam:
Nec frigus, neque item calidum, tepidúmque vaporem, &
Cetera: quæ cùm ita ſunt tandem, vt mortalia conſtent,
Molli lenta, fragoſa putri, caua corpore raro:
Omnia ſint à principiis ſeiuncta neceſſe'ſt,
Immortalia ſi volumus ſubiungere rebus
Fundamenta, quibus nitatur ſumma ſalutis:
Ne tibi res redeant ad nilum funditus omnes.

SED NE FORTE) *Poſteaquàm docuit, corpora prima colore eſſe ſpoliata, probat iam aliis etiã qualitatibus carere. vt calore, frigore, ſiccitate, humore, ſucco, odore. ſonitu.* CALIDIQVE VAPORIS) *ſatis erat dixiſſe, vaporis. tale igitur illud eſt,* λευκοῖο γάλακτος.

ET SONITV STERILA) *in voce, ſterilia, ſi quis lectionem vulgatã probabit, (vulgò enim ſterilia legitur) i & a conueniunt in vnam ſyllabam, atque a. poſtrema vocalis, eliditur. ego ſterila excudẽdum curaui, quo modo ſcriptum reperi in tribus codicibus manuſcr & item in antiq. Venetis, & Vicetinis.*

SICVT AMARACINI, &c.) *Vnguentum amaracinum, vnguentis omnibus in Co inſula præpoſitum eſt, vt ſcribit Plin. lib. 13. cap. 1. iam hic verſus cum ſex deinceps ſequentibus cohærent cum ſuperiore, & ex eo pendent, vt ſit hic Lucretij ſenſus. prima corpora omnis qualitatis expertia ſunt, vt caloris, frigoris, ſaporis, odoris, quemadmodum ſi quis vnguentum amaracinum, aut nardinum, aut myrrhinũ facere in animo habeat, quærere eum par ſit oleum, quoad eius fieri poßit, omnis odoris expers.*

STACTÆQVE) *ſtacta, liquor myrrhæ. Theophraſt.* περὶ ὀσμῶν. Ἐκ κινναμώμου καὶ ἐκ σμύρνης κοπτομένης ἔλαιον ῥεῖ. στακτὴ δὲ καλεῖται διὰ τὸ κατὰ μικρὸν στάζειν. *id eſt Ex cinamomo, & ex ſmyrna contuſa oleũ manat, ſtacte autem appellatur, quia paullatim & guttatim fluit.*

ET NARDI FLOREM) *Alij libri habent, Et nardi florum: quæ lectio ferrĩ poteſt, vt ſubintelligamus, liquorẽ. alij, Et nardi florẽ: vt nihil ſubintelligamus, ſed per nardi florem, vnguentum ex nardi flore confectum intelligamus, quos nunc quoque ſequor. Sic autem Plato in Timæo, quòd ad ſententiam attinet.* διὸ καὶ πάντων ἐκτὸς εἰδῶν εἶναι χρεὼν τὸ τὰ πάντα ἐκδεξόμενον ἐν αὑτῷ γένη, καθάπερ δὲ περὶ τὰ ἀλείμματα ὁπόσα εὐώδη, τὰ δεξόμενα ὑγρὰ τὰς ὀσμάς, *&c. id eſt Quapropter & omnium formarum expers ſit oportet id, quod omnia in ſe genera recepturum eſt, quemadmodum qui verſantur in confectione vnguentorum, aut liquorum odoratorum, ij*

liquores, qui ſuaueis odores recepturi ſunt, dant operam vt ſint omnis odoris expertes. De vnguentis legendus Plin. lib. illo 13 cap. 1. vbi vnguentum ex narciſſi flore compoſitum, narciſſinum nominat, his verbis. Narciſſinum quoque ex flore narciſſi deſiit componi. quæ verba hanc ſcripturam comprobant. Præterea Feſtus hunc verſum profert in voce, nectar: ſed mendoſè.

NECTAR) *odorem ſuauiſſimum. tralatio eſt à guſtandi ſenſu ad odoratum.*

HALANT) *apud Feſtum legitur, habet, planè corruptè, pro, halet: ſiue, halat. in vulgatis aliquot, halant: quo modo excudendum curaui. Nam in quattuor libris manuſcrip. ſcriptum reperi, halat, numero ſingul & ita habent ceteri vulgati: quæ fortaſſe vera ſcriptura eſt, vt ſic dicamus: qui flos nardi, nectar. n. h. ſeu potius, qui liquor amaracini, ſtactæ, nardi florum, nectar naribus halat. ſeu, halet.*

QVOAD LICET, AC POTIS ES) *ſic repoſui partim coniectura ductus, partim codicum veterum teſtimonio commotus. potis es, autem valet, potes: vt potiſſum, poſſum. Vulgati autem habent, Quoad licet, ac poſſis, mendoſè. Thraſo tamen triennio pòſt, ita ſe reſtituiſſe prædicat. Quid impudentius?*

INOLENTIS) *id eſt, non olentis, odore carentis,* ἀόσμου.

CONCOCTOS) *vnà coctos. Nam quæ inter ſe commiſcentur ad vnguenti alicuius compoſitionem, concoqui debēt. Plin. eodem lib. loquens de vnguento megalio. Huius proprietas, vt ventiletur in coquendo, donec deſinat olere. rurſus, refrigeratum, odorem ſuum capit.* VIRO) *ſua naturali virtute. ſic enim Nonius Marcellus hunc verſum proferens, interpretatur.*

PROPTEREA DEMVM) *Poſtremo (inquit) primordia rerum debent non adhibere gignendis rebus ſuum odorem, propterea quoniam, &c. hic enim eſt ordo verborum. Propterea quoniam, autem, id eſt, propterea quòd, vel propterea quia, vt ſæpe idem loquitur.* ET CETERA QVÆ CVM ITA SVNT TANDEM, VT MORT. CONST.) *ſic habent quattuor libri manuſcripti, eandémque ſcripturam vidi annotatam ad oram codicis typis impreſſi, quem mihi commodarat Vincentius Laureus Calaber, vir doctus, & integer. cuius ſcripturæ ſententia non obſcura eſt. Et ſimili ratione (inquit) primordia rerum non adhibent in rebus gignendis ſaporem, nec frigus, nec teporem, nec calorem, &c. quæ cùm ſint huiuſmodi tandem, vt ſint mortalia, vtpote, Molli lenta, fragoſa putri, caua corpore raro: neceſſe eſt à principiis ſint ſeiuncta.*

MOLLI, LENTA: FRAGOSA, PVTRI: &c.) *ſic hunc verſum reſtituit Adr. Turnebus. Nam omnino vox, putricaua, non erat Latina: ſed cùm eam interpretabar, carie, & putrore exeſa, ſequebar vulgus. Sic igitur hic verſus explicandus: cùm ſapor, frigus, calor, ſeu tepor, ſint molli corpore lenta, putri corpore fragoſa: id eſt fragilia, raro corpore caua: debent ea à principiis eſſe ſeiuncta, & principia debent his carere.*

Nunc ea, quæ ſentire videmus cumque, neceſſe'ſt
Ex inſenſilibus tamen omnia confiteare
Principiis conſtare: neque id manifeſta refutant:
Nec contrà pugnant, in promtu cognita quæ ſunt:
Sed magis ipſa manu ducunt, & credere cogunt,
Ex inſenſilibus, quod dico, animalia gigni.

Quippe videre licet, viuos exſiſtere vermeis
Stercore de tætro, putrorem cùm ſibi nacta'ſt
Intempeſtiuis ex imbribus humida tellus.
Præterea cunctas itidem res vertere ſeſe.
Vertunt ſe fluuij, frundes, & pabula læta
In pecudes: vertunt pecudes in corpora noſtra
Naturam: & noſtro de corpore ſæpe ferarum
Augeſcunt vires, & corpora pennipotentum.
Ergo omneis natura cibos in corpora viua
Vertit, & hinc ſenſus animantum procreat omneis,
Non alia longè ratione, atque arida ligna
Explicat in flammas, & in igneis omnia verſat.
Iámne vides igitur, magni primordia rerum
Referre, in quali ſint ordine quæque locata?
Et commiſta quibus, dent motus, accipiántque?

NVNC EA, QVÆ SENT. VID.) *Nunc docere incipit, animalia conſtare ex principiis inſenſilibus: hoc eſt principia, ex quibus conſtant animalia, eſſe inſenſilia. inſenſilia, autem, id eſt, ſentiendi vim non habentia. nam ſenſilia ſunt, quæ ſentiendi vim habent.* αἰσθητικὰ *appellant Græci. quæ ſentire videmus cumque: id eſt, quæcunque ſentire videmus: tmeſis.*

NEQVE ID MANIFESTA REFVTANT, &c.) *ſic ſolebat interdum ſuas ſententias, ſuáque decreta confirmare Epicurus, ea, quæ non facile ſenſu probari poſſent:* ταῦτα οὐ μάχεται τοῖς φαινομένοις*: id eſt, hæc non pugnant cum iis, quæ ſunt in promtu. &* οὐδὲν τῶν φαινομένων τούτοις ἀντιμαρτυρεῖ*. id eſt nihil eorũ, quæ ſunt in promtu, contra hæc dicit teſtimonium. Itaque & apud Plutarch. & apud Diog. Laërtium crebrà ſunt hæc:* οὐδὲν τούτων ἀποδοκιμάζει Ἐπίκουρος, ἐχόμενος τοῦ ἐνδεχομένου*: id eſt nihil horum improbat, aut reiicit Epicurus, hærens in eo, quod eiuſmodi eſt, vt fieri, & contingere queat.* MANV DVCVNT) χειραγωγοῦσι.

QVIPPE VIDERE LICET, VIVOS, &c.) *Docet Ariſtoteles lib. 5. de hiſtoria animal. cap. 19. quo loco enumerat inſectorum origines, inſecta etiam è cœno, fimo, & ſterquilinio naſci: quæ ſcilicet è vermibus antè genitis, fiunt. Sic apes exſiſtunt ex vitulo ſuffocato, & putrefacto, quemadmodum docet Virgil. lib. 4. Georg. & mures magni certis temporibus in agro Thebano ex terræ glebis naſcuntur, vt refert Diodorus Siculus lib. 1. non longè à principio.*

PVTROREM CVM SIBI, &c.) *Sic legendum, non, putorem. Simile erratum inuaſit in Arnobij lib. 2. non longè à principio, ibi, vtrùm illum tellus vliginis alicuius conuerſa putore, tamquam vermeis animauerit, tamquam mures? nam legendum, putrore.* VERTVNT SE FLVVII, ET FRVNDES, ET PAB. L.) *ſic legendum, non vt eſt in vulgatis, Vertunt ſe fluuij in frondeis, &c. hoc enim ſignificat fluuios, & frondeis, & pabula, verti in naturam pecudũ, cùm ſcilicet pecudes fluuiis ſitim ſedant, frondibus famem explent.*

VERTVNT PECVDES IN CORP.) *cùm veſcimur earum carnibus.*
ET NOSTRO DE CORP. S. F.) *cùm deuoramur à feris: vt lib. 5. Vnus*

enim tum quiſque magis deprenſus eorũ, pabula viua feris præbebat dentibus hauſtus: Et nemora ac monteis gemitu, ſiluáſq; replebat, Viua videns viuo ſepeliri viſcera buſto. & Homer. ἰλιαδ.α. in princip. αὐτοὺς δ' ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν, Οἰωνοῖσί τε πᾶσι, & ſæpe alibi. PENNIPOTENTVM) *auium.*

NON ALIA LONGE') *id eſt, ſimili ferè ratione.* EXPLICAT) *reſoluit, videlicet natura.* IAM'NE VIDES IGITVR) *innuit, diſsimilitudinem rerum creatarum adſcribẽdam eſſe variis ordinibus, poſituris, motionibus, conciliis principiorum potius, quàm figurarum diſsimilitudini.*

Tum porrò quid id eſt, animum quod percutit ipſum?
Quod mouet, & varios ſenſus expromere cogit,
Ex inſenſilibus ne credas ſenſile gigni?
Nimirum, lapides, & ligna, & terra quòd vnà
Miſta, tamen nequeunt vitalem reddere ſenſum.
Illud in his igitur fœdus meminiſſe decebit,
Non ex omnibus omnino, quæcunque creant res,
Senſilia extemplò, & ſenſus me dicere gigni:
Sed magni referre, ea primùm quantula conſtent,
Senſile quæ faciunt, & qua ſint prædita forma:
Motibus, ordinibus, poſituris denique quæ ſint:
Quarum nil rerũ in lignis, glebíſque videmus.
Et tamen hæc cùm ſunt quaſi putrefacta per imbreis,
Vermiculos pariunt, quia corpora materiaï
Antiquis ex ordinibus, permota noua re,
Conciliantur ita, vt debent animalia gigni.
Deinde, ex ſenſilibus cùm ſenſile poſſe creari
Conſtituunt, porrò ex aliis ſentire ſuëtis,
Mollia tum faciunt. nam ſenſus iungitur omnis
Viſceribus, neruis, venis, quæcunque videmus
Mollia mortali conſiſtere corpore creta.
Sed tamen eſto iam, poſſe hæc æterna manere:
Nempe tamen debent aut ſenſum partis habere,
Aut ſimilia totis animalibus eſſe putari.
At nequeant per ſe partes ſentire, nec eſſe.
Nec manus à nobis potis eſt ſecreta, neque vlla
Corporis omnino ſenſum pars ſola tenere.
Namque aliûm ſenſus membrorum reſpuit omnium.
Linquitur vt totis animalibus adſimilentur,
Vitali vt poſſint conſentire vndique ſenſu.
Quî poterunt igitur rerum primordia dici,
Et leti vitare vias, animalia cùm ſint,

Atque animalibu' ſint mortalibus vna, eadémque?
Quod tamen vt poſſint: ab cœtu, concilióque
Nil facient, præter volgum, turbámque animantum:
Scilicet vt nequeant homines, armenta, feræq;
Inter ſeſe vllam rem gignere conueniendo
Per Veneris res, extra homines, armenta, feráſque.

TVM PORRO QVID ID EST,) *Hoc ſentit Lucret. Porrò quidnam illud eſt, quod animum commouet, & ſecum hac de re dubitare cogit, ita vt credere non poſſis, ſenſile ex inſenſilibus principiis gigni? nimirum quòd lapides, & ligna, & terra, & ſimilia, commiſta & cōfuſa, nequeunt viuere, neque ſentire. quemadmodum igitur ea, quæ dixi, vnà miſta, vitalem ſenſum reddere nequeunt: ita videtur incredibile ex principiis inſenſilibus gigni animanteis.*

EX INSENSILIBVS NE CREDAS) *in voce, inſenſilibus, nullū ineſt mendum, mea quidem ſententia, cùm hæc ſcriptura confirmetur auctoritate omniū codicum & manuſcr. quibus vſus ſum, & impreſſorum, tametſi Priſcianus lib. 4. legat, Ex inſenſibili, niſi ſit eo loco corruptus Priſcianus. in verbo, credas, fortaſſe videatur alicui aliquid ineſſe mendoſi, & legendum, credat. Tum in particula, ne, ſuſpicantur docti quidam ſubeſſe aliquod vlcus, propterea quia libri manuſcripti habent, ni credas. ego tamen nihil mutaui, quamuis ſciam, ni, vſurpatum eſſe à veteribus pro, ne, vt ſuprà, vbi vulgati libri habēt, Néve, alium quemuis quæ ſunt indita, &c. in manuſcriptis legitur, Niue alium, &c. Satis eſt mihi lectorem admonuiſſe de antiqua ſcriptura, eiúſque rationem breuiter attuliſſe.*

SENSILE GIGNI) *codex Bertin. & Vatic. & aliquot vulgati, habent, ſenſile naſci.* ET VARIOS SENSVS EXPROM) *id eſt & in varias ſententias animum diſtrahit?* VITALEM) *vitæ conuenientem, vel vita præditum, vel ad vitam accommodatum.*

ILLVD IN HIS IGITVR FOEDVS) *non video quamobrem ſcripturam veterem immutare debuerim: quæ reperitur in quattuor lib. manuſcriptis, niſi quòd Bertinianus & Memm. habent, ſedus, parua immutatione: quibuſcū conſentiunt Vicetini, & Florentini. huius autem loci hæc ſententia eſt. Dixi equidem, ex principiis ſenſu carentibus animalia gigni: videtur hoc eſſe abſurdum, vt ſi quis dicat, ex lapidibus, & lignis animantem oriri, & conflari poſſe. illud igitur fœdus: id eſt illam conuentionem, & pactionem, per quam à me diſſentire deſinas, mihíque aſſentiare, meminiſſe decebit: non dicere me, ex omnibus principiis omnino & ſimpliciter extemplo res ſenſu præditas, & ſenſus gigni: ſed ex principiis hac vel illa figura, & quæ ſic vel ſic moueantur, & quæ hoc vel illo ordine collocentur, &c.*

SENSILIA EXTEMPLO) *ſic ſcriptum reperi in quinque libris manuſcr. quibuſcum impreſſi Aldini antiquiores congruunt. alij autem habent, Senſile & extemplo, præter Florentinos, qui habent, Senſile progigni extemplo, & producere ſenſus, planè vitioſè.*

CONCIL. ITA VT DEB.) *id eſt hoc modo congregantur, & conueniunt, quomodo animalia gigni neceſſe eſt, vel gigni oportet. Venit mihi aliquando in mentem legendum eſſe, debeant: quod & quidam coniecerunt, vt ſit hæc ſententia: ita conciliantur, id eſt tali modo, & tali ordine coniiciuntur, & coëunt, vt ex iis*

ita coniectis, & congreſſu animalia gigni debeant. Sic lib. 3. reſpondeamus poſitum eſt, quattuor ſyllabarum: ibi. Quid reſpondeamus, niſi iuſtam intendere litẽ, &c. ad quem locum plura. DEINDE EX SENSILIBVS CVM SENSILE) Huius ſcripturæ, quæ nihil ferè ab antiqua diſcrepat, niſi quòd, ſuetis, pro, ſueti, quod eſt in libris omnib. ſubſtitui, ſententia plana eſt. Deinde (inquit) cùm conſtituunt, id eſt ſtatuunt, ſenſile ex ſenſilibus principiis poſſe creari: quæ quidem ſenſilia, ex aliis ſentire conſueuerunt, nempe ex venis, neruis, viſceribus, & ſimilibus: tum faciunt principia illa ſenſilia, mollia: & ita mortalia, quod eſſe non poteſt. Sed tamen demus iſta poſſe æterna permanere, &c.

SENTIRE SVETIS) ſic videtur legendum, vt ſit hic Lucretij ſenſus. ex ſenſilibus, ſuetis, id eſt quæ ſolita ſunt, porrò, id eſt porrotenus, ſentire ex aliis, videlicet ex viſceribus, neruis, venis, vt diximus: quæ quidem ſunt mollia, & mortalia.

MOLLIA TVM FACIVNT) quinque lib. manuſcr. habent, Mollia cum faciunt: vulgati planè mendosè, Mollia quæ faciunt.

SED TAMEN ESTO) id eſt ſed tamen demus.

NEMPE TAMEN, &c.) dilemma eſt huiuſmodi, demus, hæc principia ſenſilia, poſſe eſſe immortalia. ea aut habebunt ſenſum partis, id eſt talem ſenſum habebunt, qualem habent partes: aut erunt putanda ſimilia totis animantibus: id eſt talem ſenſum habebunt, qualem totæ animantes ſi dicas, partis ſenſum habere: pars à toto ſeparata neque ſentit, neque eſt. verbi gratia, manus ſeparata ab humano corpore non ſentit. eſtque manus καθ' ὁμωνυμίαν, id eſt ex ſimilitudine nominis, vt manus picta. ſin erunt ſimilia totis animantibus: ergo erunt mortalia. ſi mortalia: ergo non principia. AVT SIMILIA) ſic legendum, reclamantibus omnibus codicibus, præter Florent. & Venetos recentiores, & Baſilienſeis: quos ſecutus ſum, vt hoc loco emendatiores. eſt autem hic anapæſtus, pro ſpondéo, liato: vel dic, duas breueis pro vna longa haberi.

PVTARI) ſic habent codices Veneti antiq. & ita legendum.

AT NEQVEANT PER SE PARTES, &c.) hunc verſum ſic reſtitui, partim ſecutus codices Florent. & Aldin. recentiores, partim coniectura ductus, cùm legeretur antea in omnibus libris, ſentire, neceſſe eſt, planè mendosè. admonitus ſum autem à ſimili loco, qui eſt lib. 3 nec aures Abſque anima per ſe poſſunt ſentire, nec eſſe. NAMQVE ALIVM) id eſt nam pars à toto ſuo ſeparata, aliorum omnium membrorum ſenſus reſpuit. argumẽtum eſt à partibus, hoc modo: Pars à toto ſeparata, aliarum omnium partium ſuarum ſenſus reiicit, ac reſpuit. ergo pars ſola, id eſt à toto ſeiuncta, totius corporis ſenſum tenere non poteſt. Qui hos verſus ordine conuerſo legunt, nihil vident. qui aliam ſententiam eſſe dicunt, μαίνονται.

OMNIVM) ſic legendum, non, vt vulgò, omneis.

QVI POTERVNT IGITVR) ſi primordia rerum erunt animalibus ſimilia, atque adeò eadem, & erunt ſenſu prædita: quomodo poterunt dici primordia rerum, & eſſe immortalia, cùm ſint animalia?

ET LETI VITARE VIAS) id eſt, & mortem vitare. eadem tralatione dictum, leti vitare vias, qua, leti ianuam animo patêre, & non patêre, ſeu præcluſam eſſe, lib 3. MORTALIBVS VNA, EADEMQVE) ταὐτὰ τοῖς ζώοις. ſic loquitur lib. 3. quorum vnus Homerus Sceptra potitus, eadem aliis ſopitu' quiete eſt: & Horat epiſt. ad Piſon. Inuitum qui ſeruat, idem facit occidenti.

QVOD TAMEN VT POSSINT) quamuis poſſint vias leti vitare, & immortalia

Immortalia eſſe, non fungentur munere principiorũ tamẽ: neq; ex iis quicquã gigni poterit, præter animanteis. SCILICET VT NEQ.) *argumentum à ſimili.*

CONVENIENDO PER VENERIS RES) *conueniendo per complexum Venereum ſententia huius loci hæc eſt. prima corpora ponantur ſenſilia, & animalia: nihil creabunt per concilium ſuum præter animalia, quemadmodum homines per coniunctionem maris & fœminæ nihil gignunt præter homines: tauri nihil præter tauros: feræ nihil extra feras. hunc verſum, qui deerat, repoſui, in codice typis illo quidem impreſſò, ſed cum manuſcriptis comparato, repertum, cùm eſſet adſcriptus ad oram libri: quẽ Lucretij eſſe planè arbitror. Atque vt hunc reſtitui, qui deſiderabatur, ita illum ſuſtuli, qui fuerat ineptè ſuppoſitus, vt minime Lucretianum, & ſuperuacaneum. nam ſimile, quo vtitur, refertur ad ea, quæ antecedũt. Verſus autem hic eſt. Sic itidem, quæ ſentimus, ſentire neceſſe eſt. vel, vt alibi legitur, Sic itidem quæ ſunt, minimis, ſentire neceſſe eſt. Cùm hæc ſcripſiſſem treis ab hinc annos, ſimiam illã turpiſsimã nõ puduit ſcribere, ſe hunc verſum ſuſtuliſſe.*

Quòd ſi fortè ſuum dimittunt corpore ſenſum,
Atque alium capiunt: quid opus fuit attribui, quod
Detrahitur? tum præterea, quod fugimus antè,
Quatinus in pullos animaleis vertier oua
Cernimus alituum, vermeíſque efferuere, terram
Intempeſtiuos cùm putror cepit ob imbreis:
Scire licet gigni poſſe ex non ſenſibu' ſenſus.
Quòd ſi fortè aliquis dicet, duntaxat oriri
Poſſe ex non ſenſu, ſenſus, mutabilitate
Antè aliqua, tanquam partum, quod proditur extrà:
Huic ſatis illud erit planum facere, atque probare,
Non fieri partum, niſi concilio antè coacto:
Nec quicquam commutari ſine conciliatu
Principiûm: vt nequeunt vllius corporis eſſe
Senſus ante ipſam genitam naturam animantis:
Nimirum quia materies diſiecta tenetur
Aëre, fluminibus, terris, terráque creatis:
Nec congreſſa modo vitaleis conuenienti
Contulit inter ſe motus, quibus omnituentes
Accenſi ſenſus animantem quanque tuentur.
Prætereà quamuis animantem grandior ictus,
Quàm patitur natura, repente adfligit: & omneis
Corporis, atque animi pergit confundere ſenſus.
Diſſoluuntur enim poſituræ principiorum,
Et penitus motus vitales impediuntur,
Donec materies omnis concuſſa per artus,
Vitaleis animæ nodos è corpore ſoluit,

Diſperſámque foras per caulas eiicit omneis.
Nam quid præterea facere ictum poſſe reamur
Oblatum, niſi diſcutere, ac diſſoluere quæque?
Fit quoque, vti ſoleant minus oblato acriter ictu,
Relliquiæ motus vitalis vincere ſæpe,
Vincere, & ingenteis plagæ ſedare tumultus:
Inque ſuos quicquid rurſus reuocare meatus:
Et quaſi iam leti dominantem in corpore motum
Diſcutere, ac pæne amiſſos accendere ſenſus.
Nam, quare potius leti iam limine ab ipſo
Ad vitam poſſint conlecta mente reuerti,
Quàm quò decurſum propè iam ſiet, ire, & abire?

DIMITTVNT) *ſic legendum, non, demittunt.*

TVM PRÆTEREA, Q. F. ANTE, Q. *&c.) Præterea (inquit) quatinus, id eſt quoniam ex ouis fiunt pulli, ex glebis exſiſtunt vermes, quod antea fugimus, ibi: Quarum nil rerum in lignis, glebiſque videmus, & ſuprà. Nimirum lapides, & ligna, &c. Fugimus, autem, id eſt negauimus, non conceßimus: Quoniam igitur id fieri videmus: Scire licet gigni poſſe, &c. Verbum eſt, quod fuerat inculcatum, poſt vocem, præterea, ſuſtulimus, ſecuti cod. Venetos antiq. & Vicet. & nõnullos manuſcr.* QVATINVS, *id eſt quoniã: & ita ſæpe alias apud hunc poëtam: itémq; apud Horat. Denique docet Feſtus, quatinus, idẽ valere, quod quoniã.*

ALITVVM) *alitum. ſic Virgil lib. 8 Alituum, pecudúmque genus ſopor altus habebat.* VERMEISQVE EFFERVERE TERRAM, *ordo verborum hic eſt: & quatinus, id eſt quoniam cernimus vermeis efferuere, id eſt exſiſtere, ſubintell. è terra, cùm putror terram cepit ob imbreis intempeſtiuos: Scire licet, &c. ſed non dißimulabo, me in libris manuſcriptis reperiſſe ſcriptum, terram Intempeſtiuus quam putror, &c. de qua ſcriptura lector quidem iudicabit: hoc tamen eum etiam memorem admonebo, u. pro, o, & o, pro, u. in libris manuſcriptis librariorum culpa ſæpe poſitum reperiri: vt adulescens pro adoleſcens: epiſtula pro epiſtola: ſic enim ſine dubio ſcribi debet adoleſcens (inquam) & epiſtola: & errant qui aliter ſcribunt, rubuſtis pro robuſtis, rutondus pro rotundus, cibus pro cibos, cumes pro comes, &c. & contrà, auiom, pro auium, ciendom pro ciendum, ſoboles, pro ſuboles. ſuboles enim dicendum, non ſoboles. Sed vt ad ſcripturam illam antiquã redeã, videtur mihi ſic leuiter adiuuanda, vermeisque efferuere terram, (ſiue terra) Intempeſtiuos quam putror cepit ob imbreis.* EX NON SENSIBV' SENSVS) *libri manuſcripti tres habent, ex non ſenſibu' ſenſus. quam ſcripturam probo. Sed vulgata, ex non ſenſile, facilior & planior eſt.*

QVOD SI FORTE ALIQVIS, *occupat aliud, quod quis obiicere poſſit. Sed prius quàm hunc locum ſane quàm difficilem, atque obſcurum, explicare, ac declarare coner, non celabo huius tertiæ editionis lectorem, me in prima editione ſecutum eſſe libros vulgatos, qui ſic habent, Quòd ſi forte aliquis dicet dumtaxat oriri poſſe ex non ſenſu ſenſum: ſed mobilitate antè aliqua tangi partum, quàm proditur extrà: quam ſic explicabam. Si quis forte dicet, (inquit, poſſe ſenſum oriri ex*

non ſenſu, id eſt ex eo, quod ſit ſenſus expers: ſed partum antè quàm prodeat in lucem, mobilitate aliqua, videlicet, quæ inſit in principiis, tangi, atq; affici, &c. admonuiſſe tamen lectorem, hunc verſum, & alterum, qui deinceps ſequitur, longè aliter ſcriptos eſſe in libris manuſcriptis: nempe hoc modo. Poſſe ea non ſenſu, ſenſus mutabilitate, Aut aliquo tanquam partu, quod proditur extrà. Hanc igitur ſcripturam nunc ſequor, reiecta vulgata, eiuſque explicatione, & ſintentia. Atque hanc ipſam antiquam ſic explico. Quòd ſi forte aliquis dicet, ea, puta pullos, vermes, ex non ſenſu, hoc eſt ex inſenſilitate oriri, per ſenſus mutabilitatem, aut veluti per aliquem partũ, qui proditur extra: huic reſpondeo, cùm dicimus res oriri ex principiis, non eſſe partum, nec fieri partum, niſi principiis antè congreſsis: nec principia, nec omnino quicquam mutari ſine principiorum cœtu & congreſſu Sed (vt dicam quod ſentio) videtur mihi hæc antiqua ſcriptura non ſatis integra, & hoc modo reconcinnanda. Quòd ſi forte aliquis dicet duntaxat oriri Poſſè ex nõ ſenſu ſenſum, mutabilitate Antè aliqua, tanquam partum, quod proditur extrà: vel tanquam partũ, quom proditur extrà, vel, quàm proditur extrà. vt ſit hic Lucretij ſenſus. Quòd ſi forte aliquis dicet, duntaxat ſenſum ex eo, quod non eſt ſenſus, ſeu quod ſenſu caret, oriri poſſè, per mutabilitatem (principiorum) antegreſſam quemadmodum partus per quandam mutabilitatem oritur ex inſenſili: huic reſpondeo, nõ fieri partum, niſi principiis antè conciliatis & coactis, nec quicquam commutari, niſi per cõgreſſionem primorum corporum: & ipſa prima corpora per ſe eſſe immutabilia.

PRODITVR) foras editur. ſic fere vſurpat lib. 3. Quid dubitas tandem, quin extra prodita corpus, Imbecilla foris, in aperto, tegmine demto, Non modò non omne incolumis durare per æuum, &c. PARTVM) id quod paritur. idem lib. 4. Semper enim partus duplici de ſemine conſtat.

COMMVTARI) commutari in aliam formam, aut naturam, vt ouum in pullum: cibum in ſanguinem, aut carnem: inſenſile denique in ſenſile. ſed putant quidam legendum, coagmentari: ſeu, vt Muretus hoc verbum ſcribendum exiſtimat, coamentari, id eſt concreſcere, componi, conflari, conſtitui. quod ſi placebit, fiet συνίζησις duarum vocalium, o. & a. ego lectionem receptam retineo.

SINE CONCILIATV PRINCIPIVM) Repoſueram in prima & ſecunda editione, ſine conciliatu Primorum, quia recepta, & vulgata ſcriptura, ſinè conciliatu Principio, ferri non poterat: ſine conciliatu autem primorum, interpretabar, ſine congreſſu, & cœtu principiorum, & corporum primorum. Nam etiã alibi, prima, poſuit pro primis corporib. vt lib. 2. Omnis enim longè noſtris à ſenſibus ipſa Primorum natura iacet. & lib. 4 Propterea quia ſunt è primus facta minutis. Nunc verò, ne longius diſcedamus ab auctoritate librorum, aſſentior iis, qui legunt ſine concil Principiûm, vt Principiûm, ſit generandi caſus, pro, principiorum, neq; tamẽ mea coniectura erat tam ſuperbè & contumaciter dãnanda. Quis ſcit enim, an ſcriptum ſit à Lucretio, Primorum potius, quàm, Principiûm? Sed quid mirum ex immanibus feris, & barbaris moribus facta, & dicta immania, ac ſuperba erumpere?

TERRAQVE CREATIS, quidam libri habent, flammàque creatis.

CONVENIENTI) ſic legendum, non, vt habent omnes libri vulgati, & veteres, conuenientes. nam coharet cum voce, modo, vt ſit, conuenienti modo.

QVIBVS OMNI TVENTES ACC. S.) Putaueram olim legendum, quibu' conuenienter, &c. offenſus ſcriptura vulgata, quibus conuenientes, & antiqua, omne tuentes: ſententia non inepta. nam, conuenienter, interpretabar, accommodatè

ad vitam. Nunc Turnebo aſſentior, qui, omnituentes legit, propius accedens ad antiquã ſcirpturam. Eſt autẽ, omnituẽtes, nomen iunctum ex omni, & tuentes, eadem ratione, qua, omnipotẽtes, frugiferẽtes, omni parentes, æditventes, bellipotentes, armipotẽtes, bellipotentes. ſapiẽtipotẽtes, pennipotẽtes, ac ſimilia. Neque tamen illud, conuenienter, adhuc damno   ACCENSI SENSVS) ſic loquitur infrà eod. lib. leti dominantem in corpore motũ Diſcutere, ac pæne amiſſos accẽdere ſenſus. & lib. 3. accenſus nobis per viſcera ſenſus.   ADFLIGIT) ad terram deijcit, ſeu abijcit. προσουδίζει. Horat. ſaty. 2. lib. 2. Atque adfligit humo diuinæ particulam auræ.   E CORPORE SOLVIT) ſic habent tres libri manuſcr. alij, à corpore ſoluit. quidam docti legendum cenſent, in corpore.

PER CAVLAS) caulæ à cauo dictæ ſunt (inquit Feſtus) Antiquitus enim ante vſum tectorum oues in antris claudebantur. per caulas igitur corporis ſignificat Lucret. parteis cauas, & inaneis corporis: quas vulgo meatus, ſeu poros appellamus. vtitur eadem voce lib. 3. Diſpertitur enim per caulas corporis omneis. & lib. 4. per caulas omne palati Diditur. & lib 6. Diſpergũt animas per caulas corporis omneis. Cùm autem hæc fiunt, interit animal.

FIT QVOQVE, VTI SOL. MINVS OBL.) id cùm ſit, conualeſcit animal.   VINCERE SÆPE, VINCERE) παλιλλογία. Sic Cic. Arato. Et matutinis acredula vocibus inſtat, Vocibus inſtat, & aſsiduas iacit ore querelas. Idem Lucretius lib. 3. princip. Omnia ſic itidem depaſcimur aurea dicta: Aurea, &c. idem lib. 5. Suppeditare nouum lumen tremere ignibus inſtant, Inſtant, &c. & Virgilius lib. 9. & amicum Cretea Muſis, Cretea Muſarum comitem, &c. Horat. od. 11.. Epod. amore perculſum graui, Amore, qui me præter omneis, &c. & od. 18. Vt inquinauit ære tempus aureum, Ære, dehinc ferro durauit ſæcula.

QVICQVID) id eſt quicque. ſic lib. 3. vbi quicquid poſsit durare creatum. eodem lib. Certum ac diſpoſitum eſt, vbi quicquid creſcat, & inſit. qui verſus iteratur lib 5. Idem lib. 4. Semper enim ſummum quicquid de rebus abundat. & lib. 5. & primum quicquid flammat perdere. ibidem. Sic vnum quicquid paullatim protrahit ætas In medium: & ſuprà hoc lib. Namque in eadem vna quoiuſquoius breuitate: nam quoiusquoius, poſitum, pro quoiuſque. ſeu cuiuſque. Plautus Trinũmo, Sin vnumquicquid ſingillatim, & placide percũctabere, &c. Idẽ Amphitr. Ordine omne, vt quicquid actu'ſt, dum apud hoſteis ſedimus, Ediſſertauit? M. Tull. lib. 5. Tuſcul. vt quicquid obiectum eſt, quod modo à natura non ſit alienum, eo contenti non quærunt amplius. Idem Verr. de ſignis. ita odorabantur omnia, vt, vbi quicquid eſſet, aliqua ratione inuenirent.

NAM QVARE POTIVS, &c.) Nam quæ alia ratio eſſe poteſt, quare reliquiæ motus vitalis ſint victrices, id eſt animal conualeſcat potius, quàm moriatur, niſi quòd minus acriter ictus oblatus ſit?

CONLECTA MENTE) ſic legendum, non, vt in vulgatis, coniecta, aut contecta. quid ſit autem colligere ſe, & colligere animum, ſeu, mentem, docet M. Tullius libro 4. Tuſcul. quæſt. quid eſt ſeipſum colligere, niſi diſsipatas animi partes in ſuum locum cogere?   LETI DOMINANTEM IN CORP. M.) Leti motus, & vitalis motus, pugnant inter ſe.

LETI IAM LIM. IN IPSO) Non diſsimile eſt illud Græcorum, ἐπὶ γήραος οὐδῷ: id eſt in ſenectæ limine. quod & Herodotus vſurpauit in Thalia, ἐς πτωχηίην ἀπίκηται ἐπὶ γήραος οὐδῷ. id eſt ad egeſtatem, ſeu mendicitatem peruenit, in

ſenectutis limine.Iterum Lucretius libro ſexto.Lãguebat corpus,leti iam limine in ipſo.eod. lib.Et grauiter partim metuentes limina leti.Sic & Catull.ad Manlium. & à mortis limine reſtituam.Contrà alius quidam poëta,primóque in limine vitæ.

ABIRE) *οἴχεσθαι,obire,mori.abitionem(inquit Feſtus)antiqui mortem dicebãt.*

Præterea quoniam dolor eſt,vbi materiaï
Corpora vi quadam per viſcera viua,per artus
Sollicitata ſuis trepidant in ſedibus intus:
Inque locum quando remigrant,fit blanda voluptas:
Scire licet,nullo primordia poſſe dolore
Tentari:nullámque voluptatem capere ex ſe:
Quandoquidem non ſunt ex vllis principiorum
Corporibus,quorum motus nouitate laborent:
Aut aliquem fructum capiant dulcedinis almæ.
Haud igitur debent eſſe vllo prædita ſenſu.
Denique,vti poſſint ſentire animalia quæque,
Principiis ſi etiam eſt ſenſus tribuendus eorum:
Quid?genus humanum propriatim de quibu' factum'ſt?
Scilicet & riſu tremulo concuſſa cachinnant:
Et lacrymis ſpargunt rorantibus ora,genáſque:
Multáque de rerum miſtura dicere callent:
Et ſibi proporro quæ ſint primordia quærunt:
Quandoquidem totis mortalibus adſimulata,
Ipſa quoque ex aliis debent conſtare elementis,
Inde alia ex aliis,nuſquàm conſiſtere vt auſis.
Quippe ſequar:quodcunque loqui,ridereque dices,
Et ſapere,ex aliis eadem hæc facientibus vt ſit.
Quòd ſi delira hæc,furioſáque cernimus eſſe,
Et ridere poteſt non ex ridentibu' factus,
Et ſapere,& doctis rationem reddere dictis
Non ex ſeminibus ſapientibus,atque diſertis:
Quî minus eſſe queant ea,quæ ſentire videmus,
Seminibus permiſta carentibus vndique ſenſu?

PRÆTEREA QVONIAM DOLOR) *Probat nunc à voluptate & dolore,prima corpora ſenſus eſſe expertia,hoc modo. Si principia ſentirent, & voluptate afficerentur, & dolore. nam quicquid ſentitur, aut iucundum eſt, aut moleſtum: at principia neque voluptate, neque dolore afficiuntur. ergo non ſentiunt. Voluptatem autem ſic quidam definiunt,motum naturæ conſentaneum: dolorem,motum præter naturam.*

SOLLICITATA) *Feſtus:ſollicitare eſt loco mouere.ſolum autem quin ſignificet locum quis dubitet, cùm exſules dicantur loco patriæ ſuæ pulſi?auctor vocabularij Latinogræci manuſcr.ſollicitat,inquit,αἰωρεῖ.*

QVORVM MOTVS NOVITATE) motus, patrij caſus eſt, vt ſit hæc huius loci ſententia principia neque dolore tentantur, neque voluptate afficiũtur, quia non conſtant ex aliis principiis, propter quorum motionis nouitatem, ſeu quorum motu nouato laborent, &c.

DENIQVE VTI POSSINT, &c.) hoc ſentit Lucretius. denique ſi ad id, vt animalia quæque ſentire poſſint, neceſſe eſt principia quoque ea, ex quibus illa conſtant, ſenſu eſſe prædita: ſequentur hæc abſurda: dicendum erit ſcilicet, ea principia, ex quibus genus humanum propriè conflatum eſt, ridere, flere, de natura rerum diſputare, & ex quibus ipſa principiis conſtent, quærere, vſque ad infinitum. quæ cùm ſint abſurda, & delira, illud, ex quo hæc ſequuntur, falſum eſt.

PROPRIATIM) proprie. Sic autem legendum eſſe ex Arnobio conieci, ſeu potius didici. Nam libri & manuſcript. & vulgati habent propritim, & ita profert Nonius, ſi hoc loco eſt emendatus. Sic autem Arnobius lib. 3. aduerſ. gen. vſqueadeo res exigit propriatim deos ſcire, nec ambigere de vniuſcuiuſque vi, & nomine, vt ſi alienis ritibus, & appellationibus fuerint inuocati, & aureis habeãt ſtructas, & piaculis nos teneant inexpiabilibus obligatos. malim tamen, vt ingenuè fatear, legi proprietim.

DE QVIBV' FACTVM EST) omnes quidem libri habent, de quibus auctum'ſt: ſed ego legendum puto, de quibu' factum eſt: præſertim cùm apud Nonium legatur, de quibus actum eſt. ordo autem eſt. quid ea primordia, de quibus genus humanum propriè factum eſt? ſcilicet & cachinnant, & flent. ſic infrà legendum. non ex ridentibu' factus, quemadmodum excudendum curaui. Primùm enim Latinè dici non poteſt. auctus de re, aut ex re aliqua, ſed, auctus re aliqua. nam, auctus, caſum ſeptimum ſine præpoſitione poſtulat deinde aliud eſt auctus re aliqua, aliud, factus de re, aut ex re aliqua. Hoc qui neſcit, fateatur ſe hoſpitem eſſe in lingua Latina.

DE RERVM MISTVRA) quidam docti legendum cenſent, natura.

PROPORRO) longius, vlterius.

ADSIMVLATA) aliàs adſimilata: quod idem valet.

CONSISTERE VT AVSIS) duo libri manuſcripti habent, audeas, quod iccirco notaui, vt admoneã lectorem, hoc audeas, fuiſſe primùm interpretationem, ſeu declarationem vocis, auſis: deinde ab imperito librario, reiecta vera ſcriptura, in contextum tranſlatum, cùm putaret, auſis, eſſe corruptum & mendoſum: audeas, eſſe verum, & germanum.

QVIPPE SEQVAR) Quippe te perſequar, atque vrgebo, vt, quodcunque dices ridere, & loqui, & ſapere, fatearis, velis nolis, ex aliis hæc eadem facientibus, id eſt ridentibus, & loquentibus, & ſapientibus, conſtare.

ET DOCTIS RAT. R. DICTIS) doctis dictis. ſic lib. 5. Multa tibi expediam doctis ſolatia dictis. Sic Plautus Trinummo. Multa ego poſſum docta dicta, & quamuis facundè loqui, Hiſtoriam veterem, &c.

NON EX SEMINIBVS) repete ἀπὸ κοινοῦ factus, vt ſit, non factus ex ſeminibus ſapientibus. auctus autem, quod eſt in libris ferè omnibus, ferri non poteſt: & qui hoc probat, illud improbat: barbarus eſt.

Denique cæleſti ſumus omnes ſemine oriundi.
Omnibus ille idem pater eſt: vnde alma liquenteis

Humorum guttas mater cùm terra recepit,
Fœta parit nitidas fruges,arbuſtáque læta,
Et genus humanum:parit omnia ſæcla ferarum,
Pabula cùm præbet,quibus omnes corpora paſcunt:
Et dulcem ducunt vitam,prolémque propagant.
Quapropter meritò maternum nomen adepta'ſt.
Cedit item retrò,de terra quod fuit antè,
In terras:& quod miſſum'ſt ex ætheris oris,
Id rurſum cæli rellatum templa receptant:
Nec ſic interimit mors res,vt materiaï
Corpora conficiat,ſed cœtum diſſupat ollis.
Inde aliis aliud coniungit:& efficit,omnes
Res vt conuertant formas,muténtque colores:
Et capiant ſenſus,& puncto tempore reddant:
Vt noſcas,referre,eadem primordia rerum
Cum quibus,& quali poſitura contineantur,
Et quos inter ſe dent motus,accipiántque:
Néve putes æterna penes reſidêre poteſſe
Corpora prima,quòd in ſummis fluitare videmus
Rebus:& interdum naſci,ſubitóque perire.
Quin etiam réfert noſtris in verſibus ipſis,
Cum quibus,& quali ſint ordine quæque locata.
Namque eadem cælum,mare,terras,flumina,ſolem
Significant:eadem fruges,arbuſta,animanteis:
Si non omnia ſint,at multo maxima pars eſt
Conſimilis:verùm poſitura diſcrepitant hæc.
Sic ipſis in rebus item iam materiaï
Interualla,viæ,connexus,pondera,plagæ,
Concurſus,motus,ordo,poſitura,figuræ
Cùm permutantur,mutari res quoque debent.

DENIQVE CÆLESTI) *profert hos verſus* Lactantius,*ſeu,vt alÿ malũt,* Lutatius Firmian.*lib* 6.*de vero cultu.* Itaque *non errat* Lucretius *cùm dicit,* Denique,*&c.ſic* Virg *lib.*4 Georg. *deum namque ire per omneis* Terráſque, *tractúſque maris,cælúmque profundum* : Hinc *pecudes,armenta,viros, genus omne ferarum. idem lib.*6. *Æneid.* Igneus *eſt ollis vigor, & cæleſtis origo. &* Homerus *paßim de* Ioue: πατὴρ ἀνδρῶν τε,θεῶν τε. SEMINE ORIVNDI) *in voce,or.undi, i, & u,vnam ſyllabam efficiunt ſeu potius i,liqueſcit:quanquam nonnulli libri habent ſtirpe oriundi.quæ ſcriptura ſi cui placebit, equidem non repugnabo,verumtamen ſuſpicor eſſe ſuppoſitam.* VNDE ALMA LIQVENTEIS) *vnde, à quo* Ioue.Virg.Georg.2.Tum *pater omnipotens fœcundis imbribus æther* Coniugis,

in gremium lætæ deſcēdit, & omneis Magnus alit magno commiſſus corpore fætus.

DVCVNT VITAM) *producunt, vel traducunt, & degunt.*

QVAPROPTER MERITO MATERNVM) *ſic ſup. Quare magna deûm mater, matérque ferarum, Et noſtri genitrix hæc dicta eſt corporis vna.*

ET QVOD MISS. EST EX ÆTH. OR) *M. Tullius in Catone maiore, Atque etiam cùm hominis natura morte diſſoluitur, ceterarum rerum perſpicuũ eſt quò quæq; diſcedat. abeunt enim illuc omnia, vnde orta ſunt. animus autẽ ſolus nec cũm diſcedit, apparet.* NOSCAS REFERRE, &c.) *ſic ſup. Iámne vides igitur, magni primordia rerum Referre in quali ſint ordine quæque locata? hæc cum ſuperioribus coniungas licet: licet & ſeparatim legas. quod tamen malo.*

NEVE PVTES) *Sic habent libri vulgati, Néve putes æterna parum reſ. pot. quam lectionem initiò eram ſecutus: eámque ſic explicabam, docens, hæc eſſe coniungenda cum iis, quæ antecedunt: Vt noſcas, referre, &c. Néve putes, &c. id eſt, vel, vt ne putes, quia corpora prima perpetuò iactari, & fluitare videmus in extremitate rerum naturalium, & interdum videntur naſci, ſubitóq; interire. (Nam re vera neque oriuntur, neque intereunt) vt ne igitur iccirco putes æterna eſſe non poſſe, &c. Nunc autem profiteor, ac teſtor, (quod in prima quidem editione fugit me lectori indicare, in ſecunda verò non neglexi, cùm præſertim etiam Turnebus noſter me admonuiſſet) me in omnibus libris manuſcript. reperiſſe ſcriptum, Néve putes æterna penes reſidēre, & c. Atque hanc ſcripturam nunc ſecutus ſum: quam quidam ſic interpretantur, Néve putes corpora prima poſſe reſidēre penes profundum immenſum, nulla, aut certè abſurda, vt mihi quidem videtur, ſententia. Omnino hoc, penes, ſic poſitum, quid ſibi velit, aut quò pertineat, non eſt facile mihi quidem exponere. Turnebus Aduerſ. lib. 5. cap. 26. penes æterna reſidére, ſic explicat, in æternis textis remanere. Ego mallem ſic: néve putes corpora prima reſidére poſſe penes æternitatem omni motu priuata. Putaui aliquando legendum, minus, pro, penes: deinde ſtatim vénit in mentem, reſidere æterna, pro, remanere, ſeu manere æterna, genus eſſe loquendi non ſatis Latinis vſitatum. Quare tutius eſſe ſcripturam antiquam, integram atque intactam retinere, etiam ſi eius ſententia obſcura ſit. Dicam tamen, quod ſentio, liberè, his tribus verſibus ſublatis, Néve putes, &c. Corpora prima, &c. Rebus: & interdum &c. nihil de huius loci ſententia deperiturum: quin etiam eorum interpoſitu ſententiam totam obſcurari, & corrumpi.*

FLVITARE) *iactari, vel exſtare. ἐπιπολάζειν.*

QVINETIAM) *probat à ſimili, non ideò minus æterna eſſe principia rerum, quòd modò coniungantur, & conſocientur, modò diſſipentur, & iactentur: & ex iiſdem principiis nunc hoc, nunc illud gignatur: cùm eorum ordo mutetur dumtaxat, & poſitura, & motus, & ſimilia.* QVÆQVE) *elementa litterarum.*

NAMQVE EADEM) *viginti tria elementa litterarum.*

SI NON OMNIA SINT) *ſi non omnia litterarum elementa ſint conſimilia.* DISCREPITANT HÆC) *lego, diſcrepitant hæc, non, diſcrepitant res, vt eſt in libris vulgatis. non enim loquitur de rebus, ſed de elementis, & nominibus, quæ ex litteris conſtant.*

Nunc animum nobis adhibe veram ad rationem.
Nam tibi vehementer noua res molitur ad aureis
Accidere: & noua ſe ſpecies oſtendere rerum.

Sed neque

Sed neque tam facilis res vlla eſt, quin ea primùm
Difficilis magis ad credendum conſtet: itemque
Nil adeo magnum, nec tam mirabile quicquam
Principiò, quod non minuant mirarier omnes
Paullatim: vt cæli clarum, purúmque colorem,
Quémque in ſe cohibent palantia ſidera paſſim,
Lunæq́; & ſolis præclara luce nitorem:
Omnia quæ nunc ſi primùm mortalibus adſint,
Ex improuiſo ceu ſint obiecta repente:
Quid magis his rebus poterat mirabile dici?
Aut minus antè quid auderent fore credere gentes?
Nulli (vt opinor) ita hæc ſpecies miranda fuiſſet,
Quàm tibi iam nemo feſſus ſatiate videndi,
Suſpicere in cæli dignatur lucida templa.
Deſine quapropter nouitate exterritus ipſa
Exſpuere ex animo rationem: ſed magis acri
Iudicio perpende: &, ſi tibi vera videtur,
Dede manus: aut, ſi falſa eſt, accingere contrà.
Quærit enim rationem animus: cùm ſumma loci ſit
Infinita foris, hæc extra mœnia mundi:
Quid ſit ibi porrò, quò proſpicere vſque velit mens:
Atque animi tractus liber quò peruolet ipſe.

NVNC ANIMVM) *Nunc aggrediens ad probandum, non vnum eſſe mundum, ſed innumerabileis, quia hæc ſententia abhorret ab opinionibus & ſenſibus hominum, vtitur* προκατασκευασίᾳ: *ſeu* προθεραπείᾳ: *id eſt præmunitione, & animorum præparatione huiuſmodi: nihil eſſe tam facile, & credibile, quin id initiò difficile ad credendũ videatur: nihil contrà tam admirabile, & incredibile primùm, quod non paullatim deſinant homines mirari. Reddit autem auditorem, ſeu potius lectorem attentum, cùm ſe de rebus nouis, & magnis pollicetur eſſe dicturum. Hac de re ſic Diog. Laertius.* Ἀλλὰ μὴν καὶ κόσμοι ἄπειροί εἰσιν, εἴθ' ὅμοιοι τούτῳ, εἴτ' ἀνόμοιοι. αἵ τε γὰρ ἄτομοι, ἄπειροι οὖσαι, ὡς ἄρτι ἀπεδείχθη, φέρονται καὶ πορρωτάτω. οὐ γὰρ κατηνάλωνται αἱ τοιαῦται ἄτομοι, ἐξ ὧν ἂν γένοιτο κόσμος, ἢ ὑφ' ὧν ἂν ποιηθείη, οὔτ' εἰς ἕνα, οὔτ' εἰς πεπερασμένους, οὔτε ὅσοι τοιοῦτοι, οὔτε ὅσοι διάφοροι τούτοις. ὥστε οὐδὲν ἐμποδίζον ἐστὶ πρὸς τὴν ἀπειρίαν τῶν τοιούτων κόσμων. *id eſt: Porrò autem etiam mundi ſunt innumerabiles, ſiue huic ſimiles, ſiue diſsimiles. Nam & atomi, cùm ſint infinitæ, vt paullo antè demonſtratum eſt, feruntur vel longiſsimè. Non enim conſumtæ ſunt tales atomi, ex eo tempore, ex quo natus ſit mundus, aut ex quibus concretus ſit, neque in vnum, neque in finitos, neque qui ſunt tales, neque qui ſunt his diſsimiles. Quare nihil obſtat, quominus talium mundorum ſit infinitas. Innumerabileis autem mundos eſſe putauit & Democritus: quod teſtatur M. Tull. lib. I. de Finib. Infinitio ipſa, quam* ἀπειρίαν *vocant, tota eſt à Democrito: tum innumerabiles mundi, qui & oriantur, & intereant. Idem Lucullo. & ait Democritum dicere innumerabileis eſſe mũdos.*

Idem vltima epiſt. lib. 9. Ille varo te putabat quæſiturum, num vnum cælum eſſet, an innumerabilia. varo autem, non, baro, vt vulgò legitur, id eſt ſtolidus, à varis.

VEHEMENTER) anapæſtus pro ſpondeo: vt apud Horat. lib. 2. epiſt. Vehemens & liquidus. vel lege, vementer. NEC TAM MIRABILE) Mirè hic locus fuerat deprauatus ab iis hominibus, qui, dum plus videre, quàm alij, videri volunt, faciunt vt nihil videre iudicentur. Nam cùm libri veteres ita haberẽt, vt ego excudendum curaui, vocem, Principiò, tranſtulerant in verſum ſequentem: aduerbium autem, Paullatim, à quo initium capere debet verſus tertius ab illo, Nil adeò magnum, &c. poſuerant in ſecundo pede eius verſus, qui ab illo eodem ſecundus eſt: quo facto tota huius loci ſententia obſcurabatur, & corrũpebatur. Sic enim in omnibus libris legitur, mirabile quicquam, Quod non paullatim minuant mirarier omnes. Principio cæli clarum &c. (niſi quod in quibuſdam ſic legitur, Quod non paullatim minus fiat mirabile cunctis) planè mendoſè. Nunc verborum ordine reſtituto, ſententia planiſſima eſt. hoc enim ſentit Lucret. ab hoc loco, itémque Nil adeo, &c. Et ſimiliter nil adcò magnum eſt, nec quicquam tam mirabile principiò, id eſt primò quod non deſinant omnes paullatim mirari, verbi gratia, hũc cæli clarum, purúmque colorem, &c. deſierunt mirari. Quòd autem homo barbarus legit, hac optima & antiqua ſcriptura reiecta, quod non minus fiat mirabile cũctis. &c. vel ex hoc ſolo, cuius ingenij, aut iudicij ſit, cuiuis iudicare licet. Non pigebit autẽ hoc addere, pro, mirabile quidquam. fortaſſe legendum, mirabile quoiquam.

AVT MINVS ANTE QVID AVDERENT, &c.) ſic habent omnes ferè, quos quidem viderim, libri & manuſcripti, & impreſſi, præter vnum veterẽ, in quo ſcriptum eſt, audirent, planè mendoſè. nam huius verſus hæc ſententia eſt: aut quid homines minus ſperarent, ſeu crederent fore? vel aut quid magis eſſet incredibile, atque inexſpectatum? hoc etiam varietatis eſt in libris veteribus, quòd nonnulli habent, quod auderent. quod ferri poteſt, vt ſit hic ordo, magis mirabile, aut quod fore gentes minus credere auderent, &c.

QVAM TIBI) vtpote philoſopho. μάλα γὰρ φιλοσόφου τοῦτο πάθος, τὸ θαυμάζειν, vt ait Plato, id eſt, valde enim philoſophi proprius eſt hic affectus, videlicet mirari. quamuis aliter ſentiat Horatius epiſt. ad Numicium. Nil admirari propè res eſt vna, Numici, Soláque, quæ poſſit facere, & ſeruare beatum. notet lector hoc loquendi genus, nulli ita miranda, quàm tibi, pro, tam miranda, quàm, vel, ita, vt: quod & alibi ab eodem vſurpatur, ſed non diſſimulabo, me totum hunc locũ ſic impreſſum, ſcriptum, ac diſtinctum reperiſſe in codice Bertin. manuſcripto, & in vno vulgato Baſileæ impreſſo apud Henricum Petrum anno CIↃ. IↃ. XXXI. Nil, vt, opinor, ita hæc ſpecies miranda fuiſſet. Quam tibi iam nemo feſſus ſatiate videndi, Suſpicere, &c. Cuius lectionis ſententia plana eſt, neque inepta, niſi quòd duriuſcula videtur, propter tautologiam. Ita enim procederet verborum ſeries, & eorum ſententia hæc eſſet: quid poterat his rebus magis mirabile dici, aut quid minus credibile gentibus? nil, vt opinor, ſubintell. magis mirabile, aut minus credibile poterat eſſe. ita hæc ſpecies miranda fuiſſet ſequitur nunc alterum æquè durum: Quam tibi videndi ſatietate feſſus nemo in cæli lucida templa ſuſpicere dignatur. verùm tamẽ hanc lectionem non ſolùm non damno, atque improbo: verùm etiam ei, quam ſecutus ſum, tametſi aliquot veterum librorũ veterum, & recentium auctoritate confirmatam, antepono. SATIATE) id eſt ſatietate. idem lib. 5. Hæc animos ollis mulcebant atque iuuabant Cum ſatiate cibi. Attius. quorum crudelitatem nulla

vmquam explet ſatias ſanguinis, ex Nonio. *&* Q. *Septimius*, *Dein vbi ſatias omneis tenuit, &c.* Idem, *neque prius finis factus, quàm Græcos ſatias, & ad poſtremum fatigatio inceßit.* Terēt. Eunuch. *vbi ſatias cœpit fieri, commuto locum. & quidam vetus poëta apud* M. Tull. *lib.* 3. *de nat.* Deorum. *aut quæ'nam vmquam ob mortem* Myrtili *pœnus luendis dabitur ſatias ſupplici?* EXSPVERE) *ſic quidem habent omnes ferè codices, ego tamen malim legi, Reſpuere.*

DEDE MANVS) *da manus: fatere te victum veris.* Cæſar *lib.* 5. *tandem dat* Cotta *manus.* Ouid. *de arte.* Scribe: *dabit victas ferreus ille manus. tranſlatum à re militari. ſic infr. eodem lib. ſub extrem.* Nam *certe fluere, ac decedere corpora rebus* Multa, *manus dandum eſt. &* M. Tull *lib.* 2. *epiſt. ad* Attic. Aiebat *illum primò ſane diu multa contrà: ad extremum manus dediſſè.* Idem *in* Læl. Atque *ad extremum dat manus, vincique ſe patitur.* Symmachus *in epiſt. cùm ipſum* Annibalem *fides certa ſit bello inuictum manus* Campaniæ *dediſſe.*

ACCINGERE CONTRA) *id eſt eam oppugna.* Plaut. Amphitr. *cingitur. certè expedit ſe. ductum item à re militari.*

QVÆRIT ENIM RATIONEM) *hunc verſum cum tribus deinceps ſequentibus delendos cenſeo, vt adulterinos. quos ſi lector eruditus attentius conſiderabit, eum facile mihi aſſenſurum arbitror. ſunt enim inepti, atque inanes, & verbis & ſentētia.* Atque, *vt cetera omittam, nonne abſurdum eſt, ita loqui, animus rationem quærit, quid ſit extra hæc mœnia mundi, quò animi tractus ire peruelit? tum verſus ille, qui ſequitur,* Atq; *animi tractus liber quò peruelit ire, non vno modo legitur. alibi enim, vt in* Florentinis, *&* Aldinis *recentioribus:* Atque *animi iniectus liber quoquo volet ipſe. in aliis:* Atque *animi tractus liber quoquo velit ire: in aliis:* Atque *animi tactus liber quo peruolet ipſe. in aliis, liber quò peruolet ire.* Præterea *in quibuſdam libris verſus primus ita legitur,* Quærit *enim ratione animus, &c. vt facile appareat, ab aliquo arrogante, atque indocto eſſe inculcatos, quaſi aliquid deeſſet.* Cùm *hæc ſcripſiſſem, homo barbarus hos verſus aſſerere manu inſtituit. ſibi habeat, licet. non equidem inuideo. ne miror quidem.*

Principiò nobis in cunctas vndique parteis,
Et látere ex vtroque: infrà, ſupráque, per omne
Nulla'ſt finis, (vti docui) res ipſáque per ſe
Vociferatur, & elucet natura profundi.
Nullo iam pacto veriſimile eſſe putandum'ſt:
Vndique cùm vorſus ſpatium vacet infinitum:
Semináque innumero numero, ſummáque profunda
Multi'modis volitent æterno pércita motu,
Hunc vnum terrarum orbem, cælúmque creatum:
Nil agere illa foris tot corpora materiaï,
Cùm præſertim hic ſit natura factus, & ipſa
Sponte ſua fortè offenſando ſemina rerum
Multi'modis, temerè, incaſſum, fruſtráque coacta
Tandem cooluerint ea, quæ coniecta repente
Magnarum rerum fierent exordia ſemper;

Terraï,maris,& cæli,generíſque animantum.
Quare etiam atque etiam talcis fateare neceſſe'ſt
Eſſe alios alibi congreſſus materiaï,
Qualis hic eſt,auido complexu quem tenet æther.
Præterea cùm materies eſt multa parata,
Cùm locus eſt præſtò:nec res,nec cauſa moratur
Vlla:geni debent nimirum,& confieri res.
Nunc & ſeminibus ſi tantà eſt copia,quantam
Enumerare ætas animantum non queat omnis:
Víſque eadem,& natura manet,quæ ſemina rerum
Coniicere in loca quæque queat ſimili ratione,
Atque huc ſunt coniecta:neceſſe'ſt confiteare
Eſſe alios aliis terrarum in partibus orbeis,
Et varias hominum genteis,& ſæcla ferarum.
Huc accedit,vt in ſumma res nulla ſit vna,
Vnica quæ gignatur:& vnica,ſoláque creſcat.
Quin cuiuſque fient ſæcli,permultáque eodem
Sint genere:in primis animalibus indice mente.
Inuenies ſic montiuagum genus eſſe ferarum,
Sic hominum genitam prolem,ſic denique mutas
Squammigerûm pecudes,& corpora cuncta volantum.
Quapropter cælum ſimili ratione fatendum'ſt,
Terrámque,& ſolem,lunam,mare,cetera,quæ ſunt,
Non eſſe vnica,ſed numero magis innumerali.
Quandoquidem vitæ depactus terminus altè
Tam manet his,& tam natiuo hæc corpore conſtant,
Quàm genus omne,quod his generatim rebus abundat.

PRINCIPIO NOBIS)*Ex eo quòd ſpatium vacuum atque inane, omni ex parte eſt infinitum,& corpora infinita, probare conatur,innumerabileis eſſe mundos.& attende lector,eum hinc capere initium huius rei probandæ. Fruſtrà igitur dicuntur illa ſuprà,cùm ſumma loci ſit infinita foris hæc extra mœnia mundi, &c.*

VTI DOCVI)*lib.1.ibi.Omne,quod eſt igitur,nulla regione viarũ Finitũ eſt.*

VOCIFERATVR)*clamat,βοᾷ. ſic lib.3 princip. Nam ſimul ac ratio tua cœpit vociferari,&c.* VNDIQVE CVM VORSVS)*Sic habent quidem omnes libri & veteres,& recentiores. ſed videtur legendum, Cùm quoquo vorſum, ſeu vorſus:vel ſic,Quoquo cùm vorſum:ſeu,vorſus. Nam, vorſum,ſeu vorſus,ſeu verſum,vſitatius cum aduerbiis motum ſignificantibus iungitur.quoquouerſus autem valet,quanque partem verſus. Sed ſic argumentatur Lucretius: ſumma rerum eſt infinita: id eſt & inane infinitum, & corpora prima infinita. non igitur veriſimile eſt,hunc vnum mundum eſſe creatum. nam ſi ita eſſet, corpora prima infinita, quæ mouentur in inani infinito,extra hunc mundum ſcilicet,qui ex corporibus pri-*

nis fortuitò genitus eſt, eſſent otioſa, nihilque crearent. hoc falſum. ergo & illud.

OFFENSANDO) id eſt occurſando. ſuprà eod. lib. Nec foret offenſus natus.

FRVSTRAQVE COACTA) id eſt ita coacta, vt nihil omnino gignere poſſent. reperitur autem hæc ſcriptura in quattuor libris manuſcriptis.

TANDEM COOLVERINT EA,) Cùm reperiſſem in libris ſcriptis partim, colarint, partim, coierint, partim, coierunt, cooluerint, repoſui: quæ ſcriptura perſpicuè vera eſt. cooleſcere autem valet concreſcere, & coagmentari, ſeu, vt quidam volunt, coamentari, & coire. oleſcere enim, vt docet Feſtus, valet creſcere. quo verbo vtitur idem Lucret. infrà eod. lib. Donicum oleſcendi ſummum tetigere cacumen. vbi tamen quidam legunt, aleſcendi, non rectè. quemadmodum apud Arnobiũ mendoſè non ſemel legitur, coalita: cùm ſine dubio legendum ſit, coolita. ſic enim ductum, coolitum, à cooleſco, vt concretum, à concreſco. in cooluerint autem duæ vocales, o o, cooleſcunt in vnam ſyllabã longam, vt lib. 5. atque oppida cooperuiſſe. Si quis tamen pertinacior, coierint, retinere volet, non pugnabo: quamquam prima huius verbi ſyllaba breuis eſt.

CONIECTA REPENTE) in vnum locum ſcilicet: id eſt congreſſa, collecta, coacta, compulſa in concilium. quidam legunt, conlecta, ſeu, collecta. ego tamen nihil mutaui. nam & infrà mox ita loquitur, & alibi vtitur verbo huic contrario, diſiicere, pro, diſſipare: & diſiectus materiai. ſimiliter apud eundem legitur, cui opponitur congreſſus, & concilium materiaĩ.

AVIDO) vaſto, ingenti. ſic lib. 5. Inde auidam partem montes, ſiluæq; ferarum Poſſedere. PRÆTEREA CVM MATERIES, &c.) Præterea cùm materies ſatis multa eſt, eáque parata, & accommodata ad gignendum, id eſt (vt loquuntur Peripatetici) ad recipiendas formas, & cùm locus eſt: res gignitur.

GENI DEB. NIM.) id eſt gigni. ſic autem legendum eſſe vincit ratio, atque ipſa veritas, quantumuis hîc reclament licet barbari. confirmat hanc emendationem id quod infrà non longè ponitur. Huc accedit, vt in ſumma res nulla ſit vna, Vnica quæ gignatur, &c.

IN SVMMA) in ſumma rerum, in omni, in vniuerſo. argumento à ſimili probat, mundos innumerabileis & naſci quotidie, & interire, hoc modo. quemadmodum nihil vnicum gignitur, neque creſcit: ſed infiniti homines, infiniti equi, infiniti tauri, &c. & geniti ſunt, & quotidie gignuntur: ſic & mundi innumerabiles.

INVENIES SIC MONT.) duos verſus ſine dubio ſpurios inter hunc, & verſum, Vnica quæ gignatur, &c. inculcatos, delendos cenſeo. Inuenies (inquit) ſic feras eſſe genitas, nempe infinitas, ſic homines, ſic piſceis, & aueis.

DEPACTVS) defixus. TAM MANET HIS, ET TAM) hunc locum reſtitui à codicibus manuſcriptis admonitus, atque adiutus. Nam cùm in eis reperiſſem ſcriptũ, & tam, non vt in vulgatis, etiã, facile mihi fuit coniicere legendũ, tam manet his, & tam natiuo hæc, non vt vulgò, tam manet hæc etiam. ordo autem verborum eſt: quandoquidem terminus vitæ tam altè depactus manet his, nempe cælo, terræ, ſoli, & lunæ, &c. & tã natiuo corpore hæc conſtant, quàm genus, &c. id eſt quoniã cælum, terra, &c. æque finẽ habent certum, ratum, & fixum, ad quẽ cùm peruenerint, ſunt interitura: & tam natiuo conſtant corpore, q̃ animãtes, &c.

Quæ bene cognita ſi teneas, natura videtur:
Libera continuò dominis priuata ſuperbis,

Ipſa ſua per ſe ſponte omnia Dis agere expers.
Nam (prò ſancta Deûm tranquilla pectora pace,
Quæ placidum degunt æuum, vitámque ſerenam:)
Quis regere immenſi ſummam: quis habere prófundi
Indu manu validas potis eſt moderanter habenas?
Quis pariter cælos omneis conuertere? & omneis
Ignibus ætheriis terras ſuffire feraceis?
Omnibus ínque locis eſſe omni tempore præſtò,
Nubibus vt tenebras faciat, cælíque ſerena
Concutiat ſonitu? tùm fulmina mittat: & ædeis
Sæpe ſuas diſturbet, & in deſerta recedens,
Sæuiat exercens telum: quod ſæpe nocenteis
Præterit: exanimátque indignos, ínque merenteis?
Multáque poſt mundi tempus genitale, diémque
Primigenum maris, & terræ, ſolíſque coortum,
Addita corpora ſunt extrinſecus, addita circùm,
Semina: quæ magnum iaculando contulit omne:
Vnde mare, & terræ poſſent augeſcere: & vnde
Adpáreret ſpatium cæli domus, altáque tecta
Tolleret à terris procul, & conſurgeret aër.
Nam ſua quoique locis ex omnibus omnia plagis
Corpora diſtribuuntur, & ad ſua ſæcla recedunt,
Humor ad humorem, terreno corpore terra
Creſcit, & ignem ignes procudunt, ætheráque æther,
Donicum ad extremum creſcendi perfica finem
Omnia perduxit rerum natura creatrix.
Vt fit, vbi nihilo iam plus eſt, quod datur intra
Vitaleis venas, quàm quod fluit, atque recedit:
Omnibus his ætas debet conſiſtere rebus:
His natura ſuis refrenat viribus auctum.

DOMINIS PRIVATA SVP.) *Diis.* DIS AGERE EXPERS) *diis expers, id eſt deorum expers. ſic loquitur & Catull. de coma Beren. Quicum ego, dum virgo quondam fuit omnibus expers, &c. quamquam hunc verſum ſic cum proximo legunt quidam, Quicum ego, dum virgo quondam fuit, omnibus expreſſa Vnguentis vnà millia multa bibi. Sed ſi nos hîc deficit Catullus: Plautum teſtem citemus. ſic igitur, Amphitr. Eo more expertem te factam aduenien offendi domi. Idem Aſinar. princip. Dono te ob iſtuc dictum, vt expers ſis metu. Idem Perſa. ea res me domo expertem facit.* NAM (PRO SANCTA, &c) *Iterum exclamat non ſine ſtomacho, quaſi fieri non poſſit, vt vlla vis, vlláue prouidentia hanc mundi fabricam regat. Sed errat Epicurus, & cum Epicuro Lucretius.*

QVÆ PLACIDVM, &c) ſic lib. 5. Nam bene qui didicere deos ſecurum agere æuum, &cet.

QVIS REGERE IMMENSI SVMMAM, &c.) ſic Velleius apud M. Tull. lib. I. de natura deorum. Quibus enim oculis intueri potuit veſter Plato fabricam illam tanti operis, qua conſtrui à Deo, atque ædificari mundum facit? quæ molitio, quæ ferramenta, qui vectes, quæ machinæ, qui miniſtri tanti muneris fuerunt? &c. ibid. Siue enim ipſe mundus, deus eſt, quid poteſt eſſe minus quietum, quàm nullo puncto temporis intermiſſo verſari circum axem cæli admirabili celeritate? niſi quietum autem, nihil beatum eſt: ſiue in ipſo mundo Deus ineſt aliquis, qui regat, qui gubernet, qui curſus aſtrorum, mutationes temporum, rerum viciſſitudines, ordinéſque conſeruet, terras, & maria contemplans, hominum commoda, vitáſque tueatur: næ ille eſt implicatus moleſtis negotiis & operoſis. Ad priorem illum Ciceronis locum pertinent illa Lactantij, ſeu Lutatij Firm. ex lib. 2. de origine erroris. At idem quoties Epicureus eſt, & non vult à Deo factum eſſe mundum, quærere ſolet, quibus manibus, quibus machinis, quibus vectibus, qua molitione hoc tantum opus fecerit. Cum hoc autem Lucretij loco congruit illud eiuſdem ex primo libro. Quippe ita formido mortaleis continet omneis, &c. & illud ex eod. Nam certè neque conſilio primordia rerum, &c. & illud ex hoc lib. ſup. At quidam contra hæc ignari, &c. hac eadem de re ſic Laërtius. Καὶ μὴν ἐν τοῖς μετεώροις φορὰν καὶ τροπὴν καὶ ἔκλειψιν, καὶ ἀνατολὴν, καὶ δύσιν, καὶ τὰ σύστοιχα τούτοις μήτε λειτουργοῦντος τινὸς νομίζειν γενέσθαι δεῖ, μήτε διατάττοντος, ἢ διατάξαντος καὶ ἅμα τὴν πᾶσαν μακαριότητα ἔχοντος μετ᾽ ἀφθαρσίας. οὐ γὰρ συμφωνοῦσι πραγματεῖαι, καὶ φροντίδες, καὶ ὀργαὶ, καὶ χάριτες μακαριότητι, ἀλλ᾽ ἀσθενείᾳ, καὶ φόβῳ, καὶ προσδεήσει τῶν πλησίον. id eſt, Atqui, in iis, quæ ſublimia, & ſuperna, ſiue ſupera dicuntur, motum ex loco ad locum, ſolſtitia, defectus ſolis & lunæ, ortum, occaſum, & his ſimilia, non eſſe exiſtimandum quoquam adminiſtratore egere, neque gubernatore, aut aliquo, qui ea ordine digerat, aut digeſſiſſet, qui idē omnem beatitudinem cum immortalitate obtineret. Non enim congruunt moleſtiæ, & curæ, & iræ, & gratiæ cum beatitudine: ſed cum imbecillitate potius, & metu, & indigentia opis alienæ.

INDV MANV) id eſt in manu. ſic ſup. lib. I. viámque Indugredi ſceleris. & ſup. hoc lib. At non eſſe tamen perplexis indupedita. & lib. 4 Indugredi porrò pariter ſimulacra, pedémq; ponere, &c ibid. Quippe vbi prima perit, alióq; eſt altera nata Induſtatu. & lib. 5. Nec iácere Indu manus, via quà munita fidei Proxima & lib. 6. Quod genus indu mari ſpirat fons dulcis aquai. Licet tamē etiam, endo manus, legere, &, endo gredi. & endopedita, & endo mari: vt nonnulli volunt. neque tamen in hoc eis aſſentior, quod negant, veteribus vſurpatum eſſe, indu, pro in. Refellit enim eos & grammaticorum veterum auctoritas, in his Probi: & librorum veterum conſenſus.

SVFFIRE) vaporare, ſuffumigare. Item lib. 4 Et miſeram tetris ſe ſuffit odoribus ipſa. & Virg. Georg 4. Et ſuffire thymo, terráſque recidere inaneis.

SÆVIAT EXERCENS TELVM, QVOD SÆPE, &c.) ſic lib. 6. Quòd ſi Iupiter, atque alij fulgentia Diui Terrifico quatiunt ſonitu cæleſtia templa, Et iaciunt igneis, quò cuique eſt cumque voluntas: Cur, quibus incautū ſcelus auerſabile cumque eſt, Non faciunt ictis flammas vt fulminis halent, Pectore perfixo, documen mortalibus acre? &c. totus enim ille locus mirè cum hoc congruit. ſic & M. Tull. lib. de cōſulatu. Nam pater altitonans ſtellanti nixus Olympo, Ipſe ſuas arceis,

atque inclyta templa petiuit, Et Capitolinis iniecit ſedibus ignels.

INDIGNOS) indignos, qui exanimentur, vt explicat ipſe, immerenteis. Sic loquitur Horat. ſat. 2 lib. 2. Cur eget indignus quiſquam, te diuite? M. Tullius. Tuſcul. 4. miſericordiam datam eſſe dicunt ad opem ferendam, & calamitates hominum indignorum ſubleuandas.

MVLTAQVE POST M.) redit ad inſtitutum.

ADDITA CORP. SVNT, &c.) id eſt & multa poſt ortum mundi corpora addita ſunt alia extrinſecus, alia circùm. hic verſus, qui deinceps ſequitur in omnibus libris, Semina, quæ magn. &c. ſine dubio non eſt Lucretij: ſed ab aliquo nimium ſibi arrogante pro Lucretiano interpoſitus eſt, quaſi aliquid deeſſet. itaque eũ delẽdũ cẽſeo. VNDE) quibus corporibus additis extrinſecus, & additis circùm.

APPARERET SPATIVM) libri ſcripti alij habent, Appariret, alij, apparet, alij aperiret: quod poſtremum, in prima editione probaueram, exiſtimans ita à Lucret. ſcriptum: vt intelligamus, verſum initium capere ab anapæſto, Aperiret ſpatium. aperire ſpatium autem, id eſt explicare: & tamen lectionem vulgatam, Aptaret ſpatium, ſecutus eram. in ſecunda editione verò, & item in hac, Appáreret magis probaui, Turnebo noſtro aſſentiens. Appáreret, autem, verbum eſt iunctum ex ad, & pário: & valet, acquireret, ſibi adderet, ſeu ſibi compararet, ſpatium, id eſt amplitudinem: atque hoc totum appáreret ſpatium, id eſt amplius & ſpatioſius fieret, augeſceret, amplificaretur.

ET AD SVA SÆCLA RECED.) nonnulli libri, vt Flor. habent: & ad ſua ſemina cedunt: quam ſcripturam non probo. quomodo enim corpora prima, ad ſua corpora prima cedant? niſi dicamus; corpora prima confluere ad corpora prima ſibi cognata & ſimilia. cod. Vatic. habet: ad ſua ſæde recedunt. plane mendosè. Atque illud ſæde factum eſſe puto ex ſæcla. nam ſæpe reperimus in libris manuſcriptis ſcriptum d. pro cl. & cl. pro d. propter ſimilitudinem. ita eum ex ſæcla factum eſſet ſæda, facile iam librarius imperitus ſcripſit ſæde. Sed quidam non indoctus putabat hîc legendum, ad ſua fœdera cedunt, ex illa ſcriptura Vaticana faciens coniecturam. addebat ille, quo ſuam coniecturam confirmaret, verbum, recedunt huic loco non conuenire, quia cùm ſignificet Lucretius, corpora prima ad ſui generis principia conuenire & confluere, recedere autem ſit retro cedere, & diſcedere, verbo ab eo, quod ſentiret, alieno vteretur. ad ſua fœdera autem interpretabatur, ad ea corpora, ad quæ per fœdera, & leges naturæ, concedere & confluere deberent. ego reſpondebam, verbum, recedunt, mihi videri ad hũc locum maxime accommodatum. Nam cùm dicat Lucretius, corpora prima per plagas ad ſua ſæcla recedere: motus autem, qui fit per plagam, non ſit naturalis, neque ad lineam ſed contrarius: propriè, & ſignificanter ea dixiſſe recedere ad ſua ſæcula: quod eſt plagis ſeu ictibus repulſa cedere. Sed de his hactenus. ego ſcripturam vulgatam, & receptam, & trium antiquorum teſtimonio comprobatam retineo. hoc tantùm. cetera iudicio lectoris permitto. PROCVDVNT) ſic habent quattuor libri manuſcripti, vtriq; Aldini, Vicetini, & Lugdunenſes.

DONICVM AD EXTREMVM CRESCENDI PERFICA F.) ſic legendum, & ita habent quattuor lib. manuſcr. niſi quòd in duobus pro perfica, legitur perfice, quemadmodum & apud Nonium Marcellum, plane mendosè. Nam quòd ad Nonium attinet, apud quem ita ſcriptum eſt, Perfice perficeris. Lucretius lib 2. Donicum ad extremum creſcẽdi perfice finem, &c. ſic eſt corrigẽdus. Perfica,

perficiens:

perficiens: Lucret. lib. 2. Donicum ad extremum creſcendi perfica finem, &c. Donicum autem idem valet, quod donec, eodémque modo interpretatur auctor vocabularij Latinograeci, mihi à Cl. Puteano, iuuene ingenioſiſs. & eruditiſs. commodati. ſic enim ille, donicum, (inquit.) ἄχρι τοῦ, ἕως. Plautus Vidul. neutrum reddibo, donicum res diiudicata ſit, ex Priſciano. idem Plaut. Trucul. vſque adeò, donicum foras eduxit. Soſipater Cariſius. Donicum pro donec. ita vſurpat Liuius Andron. Ibi manens ſedeto, donicum videbis me carpento vehentem domum veniſſe. Plautus quoque. Inimicus eſto, donicum ego reuenero. ſed & Cato. Cùm otioſus ambulas, qui apud regem fuiſti, donicum ille tibi interdixit rem capitalem. Hactenus Cariſ. Cato de re ruſtica. Donicum ſolutum erit, aut ita ſatis datum erit: quæ in fundo illata erunt, pigneri ſunto. Lucret. inf. ead. pag. Donicum oleſcendi ſummum tetigere cacumen: & item ſæpe. ordo autem & ſententia verborum eſt, Donicum, ſeu donec natura rerũ creatrix, omnia ad extremum creſcendi finem perfica, id eſt perficiendo, ſeu perficiens, ſeu perfectrix, perduxit. Cùm hæc ſcripſiſſem anno CIC IC LXIII prodijt in lucem biennio poſt Nonius à quodam aliquot locis emendatus. vbi hic locus ad oram libri ſic ab illo emendatur, diſſimulante, vnde ſumſerit. Vtitur autem eodem nomine & Arnob. lib 4. aduerſus genteis. Etiámne perfica vna eſt è populo numinum, quæ obſcænas illas, & luteas voluptates ad exitum perficit dulcedine inoffenſa procedere? Ex quibus Arnobij verbis intelligere licet, Perficã, deam apud illos Romanos fuiſſe, quæ res Venereas ad exitum perducere crederetur. De Thraſone autem illo, qui hunc quoque locum, σφετερίζει, piget queri. Vſquequaque licet hîc illud vſurpare, καὶ τόδε Φωκυλίδου.

VT FIT, VBI) *hæc referuntur ad ſuperiora: & eſt argumentum à ſimili. quidam tamen legi volunt, Id fit, vbi, &c.*

HIS NATVRA SVIS REFR.) *cùm in quattuor libris manuſcriptis ſcriptum reperiſſem. Hic natura ſuis, &c. repoſui, His natura, vt ſit παλιλλογία. Omnibus his rebus ætas conſiſtit, quæ ad extremum finem à natura, creatrice rerum, perductæ ſunt: his, inquam, rebus natura deſinit ſuis viribus incrementum dare.*

Nam, quæcunque vides hilaro grandeſcere adauctu,
Paullatimque gradus ætatis ſcandere adultæ,
Plura ſibi adſumunt, quàm de ſe corpora mittunt,
Dum facile in venas cibus omnis diditur: & dum
Non ita ſunt latè diſperſa, vt multa remittant:
Et plus diſpendi faciant, quàm veſcitur ætas.
Nam certe fluere, atque recedere corpora rebus
Multa, manus dandum'ſt: ſed plura accedere debent,
Donicum oleſcendi ſummum tetigere cacumen.
Inde minutatim vireis, & robor adultum
Frangit, & in partem peiorem liquitur ætas.
Quippe etenim quanto eſt res amplior, augmine demto,
Et quo latior eſt: in cunctas vndique parteis
Pluria eo diſpergit, & à ſe corpora mittit.
Nec facilè in venas cibus omnis diditur eij:

Nec ſitis eſt,quæ per largos exæſtuat æſtus,
Vnde queat tantum ſuboriri,ac ſuppeditare,
Quantum opus eſt,& quod ſatis eſt,natura nouare.
Iure igitur pereunt,cùm rarefacta fluendo
Sunt:& cùm externis ſuccumbunt omnia plagis:
Quandoquidem grandi cibus æuo denique deſit:
Nec tuditantia rem ceſſant extrinſecus vllam
Corpora conficere,& plagis infeſta domare:
Sic igitur magni quoque circùm mœnia mundi
Expugnata dabunt labem,putreiſque ruinas.
Omnia debet enim cibus integrare nouando,
Et fulcire cibis,ac omnia ſuſtentare,
Nequicquam,quoniam nec venæ perpetiuntur,
Quod ſatis eſt:neque,quantum opus eſt,natura miniſtrat.
Iámque adeò fracta'ſt ætas,affectáque tellus:
Vix animalia parua creat,quæ cuncta creauit
Sæcla,deditque ferarum ingentia corpora partu.
Haud(vt opinor)enim mortalia ſæcla supernè
Aurea de cælo demiſit funis in arua:
Nec mare,nec fluctus plangentes ſaxa crearunt:
Sed genuit tellus eadem,quæ nunc alit ex ſe.
Præterea niridas fruges,vinetáque lęta
Sponte ſua primùm mortalibus ipſa creauit:
Ipſa dedit dulceis fętus,& pabula lęta:
Quæ nunc vix noſtro grandeſcunt aucta labore:
Conterimúſque boues:& vireis agricolarum.
Conficimus ferrum,vix aruis ſuppeditati.
Vſqueadeò pereunt fętus,augéntque labores.
Iámque caput quaſſans grandis ſuſpirat arator,
Crebrius in caſſum magnum cecidiſſe laborem:
Et cùm tempora temporibus pręſentia confert
Pręteritis,laudat fortunas ſępe parentis.
Triſtis item vetulę vitis ſator æqua fatigat:
Temporis incuſat nomen,ſęclúmque fatigat,
Et crepat,antiquum genus vt pietate repletum
Perfacilè anguſtis tolerarit finibus æuum,
Quom minor eſſet agri multo modus antè viritim:
Nec tenet,omnia paullatim tabeſcere:& ire
Ad ſcopulum,ſpatio ætatis defeſſa vetuſto,

HILARO GRANDESCERE ADAVCTV) *læto, & alacri augeſcere incremento. mendoſe autem legitur in lib. vulgatis, hilarem grand. ad auctum. licet etiam legere, hilari grand. adauctu: & ita ſcriptum eſt in codice Bertiniano.*

DIDITVR) *id eſt diſtribuitur, nõ, vt vulgus putat, diuiditur. nam dido, verbum eſt integrum, compoſitũ ex di, & do, das: non deminutum à verbo, diuido. Vtitur eodem verbo hic idem ſcriptor pluribus locis. vt lib. 3.* Senſiferos motus quæ didit prima per artus. *& lib. 4.* Inde quod exprimimus, per caulas omne palati Diditur. *& lib. 5. princip.* Ex quo nunc etiam per magnas didita genteis Dulcia permulcent animos ſolatia vitæ. *Virgil. lib. 7. Æneid* Diditur hic ſubitò Troiana per agmina rumor. *& 8.* Cognatíque patres, tua terris didita fama.

ET PLVS DISPENDI) *plus damni, detrimenti, ſumtus.*

QVAM VESCITVR ÆTAS) *quidam vir doctus, amicus meus, legẽdum cenſet, quàm paſcitur ætas. ego nihil muto.*

MANVS DANDVM EST) *concedendum eſt. dandum eſt autem, pro dare oportet, δοτέον. vt ſuprà iterum atque iterum. Alij quidam legunt,* Multa modis multis, dandum eſt. *ego ſic ſcriptum reperi, vt edidi, in quattuor libris manuſcr.*

DONICVM OLESCENDI SVMMVM) *id eſt donec ad ſummum creſcendi cacumen peruenerunt. non eſt autem dubium, quin ita legendum ſit. Nam quòd apud* Nonium Marcellum *in verbo, adoleſcere, ita legitur hic verſus,* Dúmque adoleſcendi ſummum, &c. *corruptus eſt eo loco* Nonius. *atque ita corrigendus:* Adoleſcere, creſcere, vnde oleſcendi dicit Lucret. lib. 2 Donicum oleſcendi ſummum tetigere cacumen *Errant autem qui aleſcendi legunt, vt diximus. nam verbum aleſco non eſt* Latinum, *ſed in eius locum ſubſtituendum eſt, oleſco, ex quo ſunt hæc compoſita, adoleſco, inoleſco, ſuboleſco, exoleſco.* Præterea *coalitum, vt dixi, non eſt vox* Latina, *quamuis reperiatur in codicibus* Auli Gell. & Arnob. *& aliorum auctorum.* Nam, *vbicumq; reperitur, coolitum reponendum eſt. neque ita dico, hoc mihi videri, aut hoc me opinari, ſed me ſcire.*

ROBOR ADVLTVM) *ſic habent libri manuſcripti, & plerique typis excuſi.* LIQVITVR) *tabeſcit, τήκεται.*

AVGMINE DEMTO) *ſic cod.* Vaticanus. *augmine demto autem, id eſt detracto: quod fit cum deſinit creſcere, & augeri. ordo eſt, quanto res aliqua amplior, & quo latior eſt, eo plura in omneis vndique parteis corpora diſpergit, augmine demto.*

PLVRIA EO DISPERGIT) *eo pluria diſpergit. ſic autem legendum. non, vt in vulgatis, & quibuſdam ſcriptis,* Plura modo. *pluria autem dixiſſe veteres teſtantur* Aulus Gellius *lib. 5. cap 21 &* Cariſius *lib. 1. & ita* Terentius *in* Phorm. *noua hîc compluria. & idem* Lucretius *lib. 4.* Vnáque res hæc eſt, cuius quàm pluria habemus, Tam magis ardeſcit, &c.

NEC SITIS EST, QVÆ PER) *verſus adulterinus, neque* Lucretianus *germanus: qui ita variè legitur, vt pigeat me referre. in ſcriptis quidem libris tribus ſic reperi ſcriptum,* Nec ſatis eſt pro qua largos exæſtuat artus: *in* Bertin. Nec ſatis eſt proquam largus, &c. *in* Aldinis *antiq.* Nec ſatis eſt cum prælatos, &c. *Atq; vt magis credas eſſe adulterinum, verſus, qui eſt ab hoc tertius, cuius initium eſt:* Quãtum opus eſt, &c. *non reperitur in libris ſcriptis: cùm librarij hunc ineptũ verſum ſcripſiſſent,* Lucretianum *omiſiſſent.* Credibile *eſt autem, adiectum eſſe ab aliquo confidente, qui cùm videret à* Lucretio *de cibo ſermonem haberi, nullũ de potu*

verbum fieri,putarit aliquid deeſſe. quòd ſi quis verſus hic deſideraretur, & locum vacuum explere nobis liceret, talem verſum ſubſtituerē. Nec potus proquàm ſitis artus arida torret. VNDE) ex quo cibo.

SVBORIRI) in locum eorum, quæ amiſſa & conſumta ſunt,oriri ſic ſuprà lib.1. Quare etiam atque etiam ſuboriri multa neceſſe eſt.

QVANTVM OPVS EST, ET QVOD SATIS EST) ordo eſt: vnde,ſeu ex quo cibo, tantum,quãtum opus eſt,ſuboriri, ac ſuppeditari queat,& vnde natura id nouare queat , quod ſatis eſt.quidam vir doctus legendum putat, & quoad ſatis eſt nat.nou. TVDITANTIA) id eſt tundentia. & ita Feſtus, qui hunc locum citat. Paullus apud eundem. Tuditantes rem , ſignificat negotium tundentes : id eſt agentes.Tudites,mallei à tundendo dicti.inde & cuidam cognomen Tuditano fuit , quod caput malleo ſimile habuerit. Idem Lucr. infrà lib.3. Et quàm interuallis tantis tuditantia poßint Concurſare,&c.

DABVNT LABEM) collabentur,& corruent.

CIRCVM) ἐν κύκλῳ,aduerbium. nam mœnia recti caſus eſt,nec coniungi debet cum voce,Omnia,quæ ſequitur tertio verſu,vt vulgata interpunctio oſtendit.

OMNIA) res omneis. nam vox, omnia , eſt caſus accuſandi. regitur enim ab infinitiuo integrare:neque pertinet ad duos ſuperiores verſus.

ET FVLCIRE SITIS, AC OMNIA,&c.) quis non videt,hunc verſum eſſe παρεμβεβλημένον , & ab eadem incude atque officina , ex qua ſuperiores aliquot,profectum,ſiue legamus, Et fulcire cibis,ſiue, Et fulcire cibus,ſiue, Et fulcire artus,ſiue,vt quidam malunt, Et fulcire ſitis?

IAM'QVE ADEO FRACTA EST ÆTAS, EFFÆTAQ.&c.)ſic mihi videtur legendũ,& ita ſcriptũ ferè eſt in omnib.lib.manuſcr. nam libri quidem Faërni,& Tettij,habent,Iámq; adeò facta eſt ætas,affectáq; tellus.Bertin.autē Iámque adeò facta eſt ætas,effatáque tellus:Memm.ſine vlla varietate,Iámq; adeò fracta eſt ætas,effætáque tell.Quòd ſi quis malit ita legi,Iámque adeò fracta eſt ætas,affectáque tellus,equidem libenter ei aſſentiar.Videtur enim tellus affecta quidem eſſe , ſed nondum effæta Ne hæc quidem reiicienda eſt, Iámque adeò affecta eſt ætas,affectáque tellus.quid ſit autem affecta ætas,affectum bellum, & ſimilia, ſciunt,qui Latinè ſciunt. AVREA DE CÆLO) hunc verſum profert Nonius in voce,funis,& A.Gell lib.13.cap.19. notans,funis,dictum eſſe à Lucret genere fæmineo,vt verſus eſſet grandiore ſono.Animalia (inquit) non ſunt è cælo delapſa,aut per funē illum aureũ demiſſa,ſed à terris initiò edita.Alludit ad catenam illam auream,quam commemorat Hom. ιλ.Θ. Εἰδ' ἄγε,πειρήσασθε θεοὶ, ἵνα εἴδετε πάντες, Σειρὴν χρυσείην ἐξ οὐρανόθεν κρεμάσαντες Πάντες δ' ἐξάπτεσθε θεοὶ,πᾶσαί τε θέαιναι.&c. Plato in Theæt.per hanc catenam,ſolem ſignificari arbitratur.ſic ille, Ὡς οὐδὲν ἄλλο, ἢ τὸν ἥλιον Ὅμηρος λέγει,καὶ δηλοῖ, χρυσῆν σειρὰν,ὅτι ἕως μὲν ἂν ἡ περιφορὰ ᾖ κινουμένη,καὶ ὁ ἥλιος,πάντα ἔστι καὶ σώζεται τὰ ἐν θεοῖς τε καὶ ἀνθρώποις. Εἰ δὲ σταίη τοῦτο,ὥσπερ δεθὲν, πάντα χρήματα ἂν διαφθαρείη,&c.id eſt,Namque nihil aliud Homerus,quàm ſolem dicit, & oſtēdit eſſe,auream catenam:quia dum ſol mundum ſuo curſu ambit ac luſtrat, omnia ſalua ſunt,& conſeruantur,tùm quæ apud Deos ſunt,tum quæ apud homines: Si verò ſtet,& quieſcat tanquam vinctus,res omnes interierint. At Macrobius lib.1. in ſomnium Scipionis , catenam illam Homericam vult eſſe à ſummo Deo ad vltimam rerum fæcem,connexionem,vnam mutuis ſe vinculis religantem,& nuſquam interruptam.

NEC MARE) *ſolent poëtæ, quem ſignificare volunt inhumano, atque immiti ingenio eſſe præditum, è mari eum dicere eſſe natum.* Homerus ἰλ. π. γλαυκὴ δέ σ' ἔτικτε θάλασσα.

PLANGENTES) *verberantes.*

NITIDAS FR.) *nitidas, id eſt plenas, & opimas. ſic item ſæpe alibi.* Sic Horatius *epiſt. ad* Albium Tib. *de ſeipſo.* Me *pinguem & nitidum, benè curata cute, &c.* Vide *ſuprà eodem lib.* Tum *porrò nitidas fruges, arbuſtáque læta, &c.*

ET VIREIS AGRICOLARVM) *ſic habent libri manuſcripti, aut, ne mentiar, viris: quod indocti non intelligentes, corruperunt, & ſubdiderunt, viribus: eadémque opera addiderunt duos verſus, qui deinceps ſequuntur:* Conficimus *ferrum vix aruis ſupp. vel, vt alibi legitur,* Conficimus *ſeris, &c. deinde alterum:* V*ſque adeò pereunt fœtus, vel, vt alibi legitur, pariunt fœtus: vel, vt alij libri habent, parcunt, &c quos ego delendos cenſeo.*

IAMQVE CAPVT QVASSANS) *quaſſare, ſeu mouere caput, geſtus eſt iraſcentis, aut minantis, aut lamentantis.* Virgil. *lib.* 7. Æneid. *de* Iunone. Tum *quaſſans caput, hæc effudit pectore dicta.* O *ſtirpem inuiſam, &c. idem* 12. Illa *caput quaſſans, non me tua feruida terrent* Dicta *ferox, &c.* Hom. ὀδυσσ. ε. Κινήσας δὲ κάρη προτὶ ὃν μυθήσατο θυμόν. Plautus Trinum. *quid quaſſas caput?* Ch. *cruciatur cor mihi, & metuo.* LAVDAT FORTVNAS SÆPE PAR.) *ſic habent quattuor lib. manuſcript. vulgati, parentum.*

TRISTIS ITEM VETVLÆ, &c.) Vide, *ſodes, lector, nugatoris illius, qui hos duos verſus affinxit, impudentiam cum pari ſtultitia, atque inſcitia coniunctam. quemadmodum ſuprà verſui, in quo neſcio quid de cibo dicebatur, ſubiunxit verſum de potu, ſeu potius de ſiti: ita hîc, quia* Lucretius *aratorem dixerat ſuſpirare, & lamentari, ſe toties fruſtrà laboraſſe: tum præſentia tempora cum præteritis conferentem parentis ſui fortunas præ ſuis laudare: quaſi aliquid deeſſet, addidit de ſuo quiddam de vinitore.* Hunc *igitur verſum,* Triſtis *item vetulæ, &c. & alterum ei proximũ,* Temporis *incuſat nomen, &c. ille ſibi habeto: nos hinc deleamus.*

ET CREPAT) *& crebrò habet in ore, crebris vſurpat ſermonibus: vt,* ὡς, *id eſt quàm, vel quomodo antiquum genus pietatis plenum, facilè, id eſt, ſine magno labore,* καὶ μετὰ ῥᾳστώνης, *tolerarit æuum, egerit ætatem, vitam traduxerit, aut ſuſtentarit anguſtis agrorum limitibus, ac terminis. id eſt paruo agello. hunc verſum profert* Nonius *in verbo, crepare, cum illo* Horatiano: Q*uis poſt vina grauem militiam crepat?* NEC TENET) *nec intelligit. ſic lib.* 3. Nec *tenet, amiſſam læuam cum tegmine ſæpe, &c.* Plautus, Pœnulo. Teneti*s rem.* Re*ſpondent* Aduocati, *riſu quæſito ex ioco præter exſpectationem ſuboſcæno:* Vix *quidem hercle: ita pauxilla eſt, digitis primoribus. qui iocus, ſi cui nondum etiam planus eſt, eum ſuo loco, cùm* Plautum *commentariis illuſtratum edemus, declarabimus.*

TABESCERE) *minui, liqueſcere,* τήκεσθαι, φθίνεσθαι. Plautus Sticho *in extr.* Poſtea *accumbam, quia ſenſim extabeſcit dies.*

AD SCOPVLVM) *ad interitum. tranſlatum à naui, quæ infligitur ſcopulo.*

DIONYS. LAMBINVS, GERMANO VALENTI, PIMPVNTIO, VIRO DOCTISS. in tribunali ſupremo Pariſienſi, iudici, & conſiliario Regio, S. D.

CVM multis, ac magnis de rebus philoſophos illos veteres quæſiuiſſe, atque inter ſe diſſenſiſſe non ignoras, Germane Valens: tùm de animorum origine, ſede, & natura: hoc eſt vnde orti, in qua parte corporis locati ſint, quid ſint, vtrùm ſint mortales, an immortales, tam variæ ſunt inter eos, támque diſcrepãtes ſententiæ, vt, cùm eas collegeris, & ſub vnum quaſi aſpectum poſueris, non illi veri inueniendi, ſed contrà dicendi ſtudio hac de re inter ſe concertaſſe videantur. Atque eorum tamen tolerabilior eſſet ſiue peruicacia, ſiue temeritas, ſiue confidentia, ſi in eo ſaltẽ conſenſiſſent, vt, quamuis in ceteris de animo quæſtionibus cæcutirent: animorum immortalitatem tamen ſuis rationibus confirmarẽt. Nunc autem cùm plerique eorum (quo in numero ſunt ij, qui animum vel ſanguinem, vel cerebrum, vel aliquã aliam corporis partem, vel flatum, ac ventum, vel ignem, vel harmoniam, vel aurã tenuiſſimam cum vapore, & aëre, & quarta quadam nominis experte natura confuſam, & permiſtam eſſe cenſent:) animos, quaſi capitis damnatos, mortaleis eſſe ſtatuant: pauci, in quibus ſunt Plato, & Xenophon, à morte, & interitu vindicare conentur: non immeritò nos & illorum inſipientem inſipiẽtiam aſpernari, & nobis ipſis gratulari debemus: qui ab IESV CHRISTO, vnico Dei optimi maximi filio, ſeruatore, & liberatore noſtro eruditi, atque inſtituti, nullis rationibus humanis, nulliſque argumentis, quantumuis licet aptè concluſis, ne Platonicis quidem, adducti, atque coacti, animos noſtros, immortaleis eſſe perſuaſum habemus, atq; ita perſuaſum habemus, vt nullæ nos rationes contrariæ, quantumuis acutæ, atque argutæ: quantumuis probabiles, ac veriſimiles: quantumuis firmæ ac validæ, nedũ Lucretianæ, quæ ſunt perquàm leues atque infirmæ, de hac ſententia demouere poſſint. Quod eo dico, ne qui maleuoli homines, qui ex ſuo ingenio ceteros fingere conſueuerunt: quòd ego cùm optimorum Græci & Latini ſermonis auctorum, tùm T. Lucretij Cari lectione valde delector, propterea me aut de animorum immortalitate, aut vlla alia de re, quæ ad pietatem pertinet, aliter, quàm hominẽ Chriſtiana religione imbutum oporteat ſentire ſuſpicetur. Nam, vt omittam, quòd totius meæ vitæ anteactæ teſtimonio, ſiqua talis eſſet commota in me ſuſpicio, falſa ſcilicèt, refelli poſſet: quid aut me, aut quemquam ſanum ac pium moueãt collecta à Lucretio aduerſus animorum immortalitatem argumenta, cùm ea omnia valeant in parteis, ſeu poteſtates animæ turbidas, & rationis experteis; non in eam, quæ omni motu à ratione auerſo vacat, quæque ex ætheriis illis, & diuinis ignibus decerpta, & quaſi delibata eſt? Quid quòd tanta vis eſt veritatis, vt Lucretius ipſe libro ſuperiore animos eſſe immortaleis, iiſque in cælum, vnde profecti ſunt, reditum patère imprudens, atque adeò inuitus fateatur? Quid enim illa ſibi aliud volunt?

Cedit item retro, de terra quod fuit antè,
In terras: & quod miſſum'ſt ex ætheris oris,
Id rurſum cæli relatum templa receptant.

Cur igitur & hunc tertium librum, in quo immortalitas animorum acerrimè oppu-

gnatur, & ceteros, in quibus multa & à noſtris moribus aliena, & cum vera religione pugnantia dicuntur, non inuiti legimus? quia verſus ſunt optimi, atque ornatiſsimi: quia vocabula rerum alia maximè propria, lectiſsima, ſignificantiſsima: alia venuſtiſsimè facta, aptiſsimè nouata, illuſtriſsimè tranſlata ſunt: quia ſermonis genus eſt puriſsimum, nitidiſsimum, politiſsimum, vſque adeò, vt (quod tu, qui huius ſcriptoris nitorem, atque elegantiam cum primis admiraris, crebrò dicere ſoles) ſi fingamus aliquem & iiſdem temporibus, & in eadem, atque Lucretium, vrbe natum, Epicuri ſententias ac rationes oratione ſoluta perſequi, atque explicare conari: credibile non ſit, eum Lucretij maximè dilucidum ſcribendi genus, limatiſsimam ſubtilitatem, ſummam vbertatem, ampliſsimam verborum maieſtatem, diuinam deniq; illam (vt ita dicam) grandiloquentiam, ne longo quidem interuallo aſſecuturum. Accedit huc, quòd non omnia ſunt in Lucretio reſpuenda ac reiicienda: quin longè plurima reperiuntur lectione digniſsima: qualia ſunt ea, quæ ab eo de continentia, ac frugalitate, de morte contemnenda, de amore fugiendo, de ſpeculorum ratione, de morborum cauſis, de imbribus, grandinibus, fulminibus, & ſimilibus, de magnete, de diſsimilibus & variis fontium naturis, & ſexcentis aliis rebus cognitu periucundis, diſputantur. Hunc igitur tertium librum, Germane Pimpunti, centum quinquaginta, & eo amplius, locis à me ex auctoritate codicum calamo exaratorum emendatum, & ſcholiis fortaſſe non inutilibus explanatum, tibi dono, mei quidem amoris, meæq; erga te obſeruantiæ pignus certiſsimum: noſtræ autem mutuæ amicitiæ monumentum, vt ſpero & opto, immortale, ac ſempiternum futurum. Vale.

T. LVCRETII CARI DE RERVM NATVRA,

LIBER III.

E Tenebris tantis tam clarum extollere lumẽ
Qui primus potuiſti, inluſtrãs cõmoda vitæ,
Te ſequor, ô Graiæ gentis decus, ínque tuis nunc
Fixa pedum pono preſſis veſtigia ſignis,
Non ita certandi cupidus, quàm propter amorem,
Quòd te imitari aueo. quid enim contendat hirundo
Cycnis? aut quídnam tremulis facere artubus hædi
Conſimile in curſu poſſint, ac fortis equi vis?
Tu pater, & rerum inuentor: tu patria nobis
Suppeditas præcepta, tuiſq; ex inclute chartis,
Floriferis vt apes in ſaltibus omnia limant:
Omnia nos itidem depaſcimur aurea dicta:

Aurea, perpetua ſemper digniſſima vita.
Nam ſimulac ratio tua cœpit vociferari,
Naturam rerum haud diuina mente coortam:
Diffugiunt animi terrores: mœnia mundi
Diſcedunt: totum video per inane geri res.
Appâret diuûm numen, ſedéſque quietę:
Quas neque concutiunt venti, neque nubila nimbis
Adſpergunt, neque nix acri concreta pruina
Cana cadens violat: ſempérque innubilus æther
Integit: & largè diffuſo lumine ridet.
Omnia ſuppeditat porrò natura, neque vlla
Res animi pacem delibrat tempore in vllo.
At contrà nuſquam appârent Acheruſia templa:
Nec tellus obſtat, quin omnia diſpiciantur,
Sub pedibus quæcunque infrà per inane geruntur.
His tibi me rebus quædam diuina voluptas
Percipit, atque horror, quòd ſic natura tua vi
Tam manifeſta patet ex omni parte retecta.

E' TENEBRIS TANTIS) *Epicurum affatur, eúmque, vt harum rerum inuentorem, & vitæ beatæ parentem, laudat.* Sic L. Torquatus *lib. 1. de finib. de* Epicuro. *Quem ego arbitror vnum vidiſſe verum, maximíſque erroribus, al. terroribus, hominum animos liberaſſe, & omnia tradidiſſe, quæ pertinerent ad bene, beatéque viuendum. è tenebris tantis: id eſt ex tanta rerum & cauſarum ignoratione.*

TAM CLARVM EXTOLL.) *tantam rerum obſcuriſſimarum cognitionem expromere, támque facilem & procliuem beatè viuendi viam demonſtrare. metaphora, ſeu allegoria eſt ab iis, qui nauigantibus. ſublatis facibus, lumen prælucent, & vbi ſint, quóque curſum flectere debeant, ex aliqua ſpecula ſignificãt. φρυκτωρεῖν, & πυρσεύειν dicunt* Græci.

FIXA PEDVM) *libri ſcripti habent, ficta, mendoſè. quod ideò notaui, vt admoneam lectorem, librarios illos veteres ſcribere ſolitos eſſe c & ſ. pro x. vt ficſa, pro fixa, connecſa, pro connexa. ita factum eſt, ficta.*

NON ITA CERT. CVP. QVAM PR.) *non ita certandi cupidus, quàm &c. pro, non tam certandi cupidus, quàm &c. ſic ſuprà lib. 2.* Nulli, *vt opinor, ita hæc ſpecies miranda fuiſſet, Quàm tibi, &c. ſic enim vulgò legitur. ſed, vt ad eum locum notaui, malim omnino legi,* Nil, *vt opinor. ita hæc ſpecies miranda fuiſſet. Quam tibi iam nemo, feſſus ſatiate videndi,* Suſpicere *in cæli dign. luc. 1. vt ſit hæc ſententia.* Nil, *vt opinor: videlicet poterat his rebus mirabilius dici, aut nil, quod gentes minus auderent credere futurum: ſequitur iam ἐπιφώνημα. ita hæc ſpecies, &c. id eſt, vſque adeò hæc ſpecies, id eſt, hæc facies, ſeu, hæc forma, videlicet cæli, & errantium ſiderum, &c. mirabilis fuiſſet. ſequitur nunc, Quam ſpeciem nunc nemo videndi ſatietate defeſſus, id eſt, cuius formæ videndæ ſatietate defeſſus nemo tibi dignatur ſuſpicere in cælum. tibi, datiuus caſus eſt, venuſtatis cauſa poſitus.*

Sic videtur hic locus potius & legendus, & intelligendus, quàm quo modo impreſſus eſt. QVID ENIM CONTENDAT HIR. CYC.) Sic Theocrit. εἰδ. ζ. βάτραχος δέ ποτ' ἀκρίδας ὥς τις, ἐρίσδω. Sic Virgil. Pharmac. Certent & cycnis vlulæ. verbum, contendat, coniunxit cum dandi caſu, vt Horatius epiſt. ad Loll. lib. 1. mihi contendere noli. FORTIS EQVI VIS) id eſt fortis equus: περίφρασις. Ennius. Sicut fortis equus, ſpatio qui ſæpe ſupremo Vicit Olympia, &c. profert autem hunc verſum Nonius: &, fortis, interpretatur, celeris.

TV PATER ET RERVM) ſic legendum, non, Tu pater es.

PATRIA) paterna, ſeu patrita tu patrias nobis præceptiones, ſeu tu patria nobis documẽta præbes. TVISQVE EX INCLVTE CHARTIS) & ex tuis chartis. ſic lib. 4. validis ex apta lacertis. & lib. 3. quibus è ſumus vniter apti. & itẽ ſæpe alibi. inclute autem habẽt lib. ſcripti: quos ſecutus ſum. Sic lib. 5 princip. petens placidam Romanis, incluta, pacem.

LIMANT) ſic habent lib. manuſcr. tralatio autem eſt ab iis, qui ferrum limant. limant autem, id eſt deterunt, decerpunt, depaſcuntur. alij, libant. non probo. neque me mouet illud Virg. lib. 4 Georg. & flumina libant Summa leues. Virgilius enim, libant flumina, dixit: Lucretius non flumina, ſed flores omneis, qui ſunt in ſaltibus floriferis. Itaque idem Virg eodem verſu flores ab apibus non dicit libari, ſed meti, quod tantundem ferè valet, aut etiam ὑπερβολικώτερον eſt, quàm Lucretianum verbum, limari. Sic Virg. Illæ continuò ſaltus, ſiluáſque peragrant, Purpureóſque metunt flores. VOCIFERARI) βοᾶν. Horat. epiſt. 17. lib. 1. clamat, victum date. iterum Lucretius ſuprà lib. 1. Carmina quin etiam diuini pectoris eius Vociferantur, & exponunt præclara reperta.

NATVRAM RERVM HAVD DIVINA) ſuſtulerant negationem Chriſtiani homines, non ferentes ſcilicet ſententiam falſam & impiam. rectè. ſed Lucretium aliud fecerãt loquentem, quàm ſentiat. Lucretius enim & Epicurei omnes volunt, hanc rerum naturã non à mente, aut prouidentia diuina eſſe creatã: ſed ex fortuito atomorum concurſu natam, negandi igitur particulam reſtituimus ex codice Donati Iannocti Florentini, typis impreſſo quidem illo, ſed ad manuſcriptum emendato: ad cuius oram ipſius manu hæc negatio erat adſcripta. Sed quid ſi legamus, eadem ſententia, diuûm ſine mente coortam, vt ſuſpicemur, ex diuûm ſine, factum eſſe, diuina? COORTAM) tres libri veteres habẽt, coartam: vnde poſſit quis coniicere, legendum, coactam. quod ſi placebit, coactam interpretabor, concretam, collectam. in nonnullis aliis libris reperi, creatam.

DISCEDVNT) diſſipantur & diſparantur: vel diuiduntur & hiant, vt apud M. T. Off. 3. cùm terra diſceſſiſſet magnis quibuſdam imbribus. & Virg. lib. 9. Æn. video medium diſcedere cælum.

GERI RES) à natura rerum. ſed fortaſſe, geni, etiam hîc legendum geni autem valet gigni, vt ſæpe diximus. Verùm tamen, geri, hoc loco videtur eſſe ferendum, atque adeò retinendum.

QVAS NEQVE CONCVTIVNT) Adrianus Turnebus, collega meus, vir doctiſſimus, indicauit mihi, hos quattuor verſus, qui deinceps ſequuntur, ex Homero eſſe expreſſos. verſus autem Homeri ſunt ὀδυσ. ζ. non longè à principio, Οὔλυμπόνδ', ὅθι φασὶ θεῶν ἕδος ἀσφαλὲς αἰεὶ Ἔμμεναι· οὔτ' ἀνέμοισι τινάσσεται, οὔτε ποτ' ὄμβρῳ Δεύεται, οὔτε χιὼν ἐπιπίλναται· ἀλλὰ μάλ' αἴθρη Πέπταται ἀνέφελος, λευκὴ δ' ἐπιδέδρομεν αἴγλη. quos profert Ariſt. lib. de mundo, cap. VI,

SEMPERQVE INNVBILVS ÆTHER) *ſic habent omnes ferè vulgati: quibuſcum conſentiunt manuſcr.* Bertin. *&* Memm. *alij,* Semper ſine nubibus æther. *Homer.* ἀνέφελος.

INTEGIT) *ſic legendum, non, integer. & ita habent lib. manuſcr. vtitur eodē verbo ſuprà lib.* I. *Naribus inueniunt intectas frunde quietes. &* Catull. *ad Leſbiā. gemina integuntur Lumina nocte. vbi tamen vulgò legitur, gemina teguntur: vt gemina cohæreat cum voce, nocte.*

DELIBRAT) *ſic videtur legendum, repugnantibus libris omnibus. adiuuant hanc ſcripturam libri veteres aliquot, qui habent, deliberare. delibrare autem valet decorticare, & per tranſlationem, extenuare, ac deminuere. vtitúrque eodem verbo infrà, eodem lib. extr.* Nec prorſum vitam ducendo demimus hilum. Tempore de mortis, nec delibrare valemus, *&c. & lib.* 6. Delibrata Deûm per te tibi nomina ſancta Sæpe aderunt. *ſic enim legunt docti quidam, non,* Delibata.

QVIN OMNIA DISPICIANTVR) *ſic habent lib. manuſcr. non deſpiciantur.* PER INANE GERVNTVR) *à natura rerum adminiſtrantur, atque aguntur. ſed ſi legamus, genuntur, interpretabimur, vt antè, gignuntur, creātur ab eadem natura, rerum creatrice, & perfectrice. Omnino, geruntur, ferri hoc loco poteſt.* HIS TIBI ME REBVS) *ſic legendum, & ita habet cod.* Florent. *tibi, autem venuſtatis gratia poſitum eſt, vt apud* M. Tull. *lib* 2. *Offic.* Ecce tibi qui rex populi Romani eſſe concupierit. *& apud* Terent. Phorm. Qui mihi vbi ad vxores ventum eſt, tum fiunt ſenes. *& iterum apud* Lucret. *hoc eod. lib.* Is tibi nunc animus quali ſit corpore, *&c. Idem lib.* 2. Quam tibi iam nemo feſſus ſatiate videndi, Suſpicere in cæli dign. luc. templa.

PERCIPIT) *occupat, peruadit. ſic loquitur* Plautus Amphitr. nam mihi horror membra miſero percipit dictis tuis. *Iterum* Lucretius *infrà non longè,* vitæ Percipit humanos odium, *&c. ad quem locum plura.*

HORROR) κατάπληξις, *ingens admiratio,* θάμβος: *vel dic propriè,* φρίκη, τρόμος, *tremor.* RETECTA) *ſic legendum, non, retecta es. Epicurum enim alloquitur: præterea, patet, repoſui neque quemquam mouere debet ſyllaba poſterior breuis, vt ſæpe oſtendimus. Non diſplicet tamen mihi ſcriptura illa,* Tam manifeſta patens ex omni parte retecta eſt. *Sed hæc, meo iudicio, vera eſt, & germana. ſic lib.* 2. Nec domus argento fulget, auróque renidet, *&c. tranſit iam ad diſputationem de animæ, atque animi natura.*

Et quoniam docui, cunctarum exordia rerum
Qualia ſint, & quàm variis diſtantia formis
Sponte ſua volitent alterno percita motu:
Quóque modo poſſint res ex his quæque creari:
Haſce ſecundum res, animi natura videtur,
Atque animæ, claranda meis iam verſibus eſſe:
Et metus ille foras præceps Acheruntis agendus
Funditus, humanam qui vitam turbat ab imo,
Omnia ſuffundens mortis nigrore: neque vllam
Eſſe voluptatem liquidam, purámque relinquit.
Nam, quòd ſæpe homines morbos magis eſſe timendos,

Infamémque ferunt vitam, quàm tartara leti,
Et ſe ſcire animi naturam, ſanguinis eſſe,
Nec prorſum quicquam noſtræ rationis egere:
Hinc licet aduertas animum, magis omnia laudis,
Aut etiam venti (ſi fert ita forte voluntas)
Iactari cauſa, quàm quòd res ipſa probetur.
Extorres iidem patria, longéque fugati
Conſpectu ex hominum, fœdati crimine turpi,
Omnibus ærumnis adfecti denique viuunt,
Et, quocunque tamen miſeri venêre, parentant,
Et nigras mactant pecudes, & manibu' diuis
Inferias mittunt, multóque in rebus acerbis
Acrius aduertunt animos ad relligionem.

ALTERNO PERCITA MOTV) *ἀλληλοτυπίαν nominat Epicurus: id eſt mutuam plagam, ſeu alternam, & mutuam verberationem. quidam tamen hoc loco legunt, æterno percita motu. quo modo ſuprà lib. 2. non longe ab extr. Multimodis volitent, æterno percita motu. al. aiterno: quod idem valet. ai, enim diphthongus fuit antiqua, pro æ, vt ſuprà diximus ad lib. 1. ex qua, muſaï, aulaï, terraï, & ſimil. pro, muſæ, aulæ, terræ, &c.*

ACHERVNTIS) *ſic habent lib. manuſcr. & metus inferorum (inquit) ex animo eiiciendus eſt funditus.* VENTI) *inanis gloriæ & oſtentationis cauſa. mendosè legitur in quibuſdam libris, vetiti: quod quidam ſecuti ſunt: iidémque (quod non riſu, ſed flagris dignum eſt, pro, ſi fert ita forte voluntas, aut, vt alij libri habent, voluptas, ſcripſerunt ſi fert ita fera voluntas. quid huic homini facias?*

VOLVNTAS) *in aliis libris nonnullis ſcriptum & impreſſum eſt, voluptas.*

QVAM QVOD RES) *quàm quòd ita ſentiant. Ab his non admodum abhorrent, quæ ſunt apud Ariſtot. lib. 1 Elench.* οὐ γὰρ ταὐτὰ βούλονταί τε καὶ φασίν· ἀλλὰ λέγουσι μὲν τοὺς εὐσχημονεστάτους τῶν λόγων, βούλονται δὲ τὰ φαινόμενα λυσιτελεῖν· οἷον τεθνάναι καλῶς μᾶλλον, ἢ ζῆν ἡδέως φασὶ δεῖν· καὶ πένεσθαι δικαίως μᾶλλον, ἢ πλουτεῖν αἰσχρῶς. βούλονται δὲ τἀναντία. *id eſt non enim eadem & volunt, & dicunt homines: ſed loquuntur verba quidem honeſtiſsima & ſpecioſiſsima: volunt autem ea, quæ expedire videntur. exempli cauſa: honeſtè mori potius, quàm iucundè viuere dicunt oportere: & paupertatē iuſtā diuitiis turpiter partis dicunt eſſe anteponendam: ſed contraria volūt.*

EXTORRES) *exſules.* OMNIBVS ÆRVMNIS ADFECTI) *quidam libri habent, adflicti. quam ſcripturam probo.*

PARENTANT) *iuſta perſoluunt parentibus mortuis, aut aliis, quos æquè caros habent. Auctor vocabularij Latinogræci, parentat, inquit,* ἀποκάει. *ſeu* ἀποκαίει νεκροῖς νεκύσια. ET NIGRAS MACTANT) *mactant, id eſt, immolant. Sic Nonius. nigras autem pecudes Diis manibus, & mortuis immolabant antiqui. Virgil. lib. 5. Duc nigras pecudes: ea prima piacula ſunto.*

ET MANIBV' DIVIS, &c.) *ſic legendum, & ita Nonius. cum quo faciunt libri manuſcripti. nam vulgati habent, quas manibus. Manes autem, vt ſcriptum eſt in vocabulario Latinogræco,* δαίμονες χθόνιοι, *hoc eſt, dij terreſtres, ſeu dij inferi.*

INFERIAS) *inferiæ, ſacrificia, quæ diis manibus inferebant, inquit Feſt. Auctor vocabularij* Latinogræci, *inferiæ, inquit,* χοαί. χοαὶ *autem, id eſt libamina.*

MVLTOQVE IN REBVS ACERB. ACR. *&c.) hoc ex* T. *Liuio multis locis intelligere licet.*

Quo magis in dubiis hominem ſpectare periclis
Conuenit, aduerſisq́ue in rebus noſcere, qui ſit.
Nam veræ voces tum demum pectore ab imo
Eiiciuntur, & eripitur perſona, manet res.
Denique auarities, & honorum cæca cupido,
Quæ miſeros homines cogunt tranſcendere fineis
Iuris: & interdum ſocios ſcelerum, atque miniſtros
Nocteis, atque dies niti præſtante labore
Ad ſummas emergere opes: hæc volnera vitæ
Non minimam partem mortis formidine aluntur.
Turpis enim fama, & contemtus, & acris egeſtas,
Semota ab dulci vita, ſtabiliq́ue videntur:
Et quaſi iam leti portas cunctarier ante.
Vnde homines, dum ſe falſo terrore coacti
Reffugiſſe volunt longè, longéque receſſe:
Sanguine ciuili rem conflant: diuitiáſque
Conduplicant auidi, cædem cædi accumulantes.
Crudeles gaudenr in triſti funere fratris:
Et conſanguineûm menſas odere, timéntque.
Conſimili ratione ab eodem ſæpe timore
Macerat inuidia, ante oculos illum eſſe potentem,
Illum adſpectari, clarus qui incedit honore:
Ipſi ſe in tenebris volui, cœnóque queruntur.
Intereunt partim ſtatuarum, & nominis ergô:
Et ſæpe vſqueadeò mortis formidine, vitæ
Percipit humanos odium, lucíſque videndæ:
Vt ſibi conciſcant mærenti pectore letum,
Oblîti fontem curarum hunc eſſe timorem:
Hunc vexare pudorem, hunc vincula amicitiaï
Rumpere: & in ſumma pietatem euertere fundo.
Nam iam ſæpe homines patriam, caróſque parenteis
Prodiderunt, vitare Acheruſia templa petentes.
Nam veluti pueri trepidant: atque omnia cæcis
In tenebris metuunt: ſic nos in luce timemus
Interdum, nihilo quæ ſunt metuenda magis, quàm

Quæ pueri in tenebris pauitant, fingúntque futura.
Hunc igitur terrorem animi, tenebráſque, neceſſe'ſt
Non radij ſolis, neque lucida tela diei
Diſcutiant, ſed naturæ ſpecies, ratióque.

HOMINEM SPECTARE) *Sic habent libri manuſcripti: quos nunc ſequor. nam vulgati habent, homines, & ſequ. verſu, qui ſint.*

EIICIVNTVR) *eliciuntur, habēt omnes libri manuſcr. & vulg. quod ſi probemus, interpretabimur, exprimuntur. Sed èxiſtimant tamen docti legendum, eiiciuntur, vt intelligamus, homines ipſos in rebus aduerſis veras voces eiicere: id eſt mittere: & ita amicus meus putat legendum in oratione pro M. Cælio, nónne ipſam domum metuet, nequam vocem eiiciat? vbi vulgò legitur, eliciat? cui propemodum nunc aſſentior, quamuis olim diſſenſerim. Sed ſi mutatio conſilij, non eſt inconſtātia, vt non eſt: & ſi in toto vitæ ſtatu licet interdum, temporibus poſtulantibus, ſententiā mutare, quanto magis in iis, quæ ad ſtudia litterarum pertinent? ego igitur & in hac tertia editione, eijciuntur, edendum curaui, & item in ſecunda, cùm in prima, eliciuntur, editum eſſet: neque hîc me mouent libri veteres. Scio enim, in eis ſæpenumero. i. pro. l. & . l. pro. i ſcriptum reperiri.*

TRANSCENDERE FINEIS, &c.) ὑπερβαίνειν τοὺς ὅρους τοῦ δικαίου.

ET INTERDVM SOCIOS, &c.) *& cogunt eos præbenteis ſe ſocios, adminiſtros, ſeu adiutores ſcelerum, niti ſummo labore emergere, id eſt ex humili loco, & rebus anguſtis euadere, & peruenire ad magnas opes.*

PRÆSTANTE LABORE) *in quibuſdā libris ſcriptum eſt, perſtāte: quod ſi probabimus, perſtantem laborē interpretabimur, aſſiduum, & improbū, & pertinacem. ego nihil mutaui.*

NON MINIMAM PARTEM,) *id eſt non minima ex parte. ſic enim loquuntur alij boni ſcriptores. Cæſ. lib. 4. de bello Gallico: Neque multum frumento, ſed maximam partem lacte, atq; pecore viuunt. M. Tull. oratore perf. magnam partē ex iambis noſtra conſtat oratio. Idem offic. lib. 1. Maximam autem partem ad iniuriam faciendam aggrediuntur nonnulli, vt adipiſcantur ea, quæ concupiuerunt. iterum ſic Lucret. lib. 6. Inde bonam partem in lectum mærore dabantur. al. in letum.*

TVRPIS ENIM FAMA, ET CONTEMTVS, ET ACR. EG) *ſecutus ſum in hoc verſu codices vulgatos potius, quàm manuſcriptos. nam cùm ita habeant manuſcripti: Turpis enim fermè contemtus, &c. vulgati autem ſic: Turpis enim famæ contemtus, &c. hanc vulgatam leuiter immutaui, & ex famæ, feci fama, &. cuius lectionis hæc ſententia eſt: Turpis enim fama: id eſt infamia, ſeu ignominia, & contemtus, id eſt* ἀγνωσία, *vel* καταφρόνησις, *& acris egeſtas, hæc vidētur eſſe à dulci vita remota. turpis fama, & contemtus pro vno vidētur eſſe poſita. Nā quamquam inter ſe differant: in eo tamen certè ſimilia ſunt, quòd honori opponuntur. ſcripturam autem, quæ reperitur in libris calamo exaratis vt probarem, à me impetrare non potui: quamuis ſciam, eam ita explanari poſſe. Turpis contemtus: id eſt vita obſcura, & honoris expers, atque adeò infamis: & acris egeſtas, fermè, id eſt propemodum, videntur eſſe remota à vita beata, & mortis inſtar. Nam illud, fermè, non mihi videtur aptè hoc loco poſitum. itaque vulgatorum codicum lectionē, manuſcriptorum ſcripturæ antepoſui. reperitur & hæc alia ſcriptura: Turpis enim*

formæ, ſeu forme contemtus, &c. quam etiam mendoſam arbitror: ex qua quidam faciunt: Turpis enim forma, & contemtus, &c. Verùm neque hæc lectio mihi probatur. Turpis fama autem ita dictum à Lucretio eſt, vt turpis exiſtimatio à M. Tullio, orat. pro Cæcina. Iam verò etiam hoc Epicuri præceptum fuit: ἀδοξίας ὅτι ποσοῦν περιοπτεῖσθαι, ἐφ᾽ ὅσον μὴ καταφρονεῖσθαι: id eſt bonæ famæ vſque eò curam eſſe habendam, quoad non contemnaris. Si quis tamen ſcripturam antiquam huic anteponet, non reclamabo: multominus pugnabo.

SEMOTA AB DVLCI) Sic loquitur lib. 1. non longè à princip. Semota ab noſtris rebus, ſeiunctáque longe. & item lib. 2. princip. niſi quòd præpoſitionem nō addidit: mente fruatur Iucundo ſenſu, cura ſemota, metúque. dixit enim, ſemota cura, pro ſemota à cura, &c.

ET QVASI IAM LETI PORTAS) & videntur quaſi iam ante mortis portas reſidère ſeu exſpectare, ſeu morari.

REFFVGISSE VO[illegible]NT LONGE, LONGEQVE R.) ſic legendum, non effugiſſe: ſed manebat ſcrupulus, quod refugiſſe hoc loco eſt verbum abſolutum. remouiſſe autem, quod reperitur in libris omnibus, pro eo, quod edendum curaui, receſſe, agens: qui eximetur, ſi receſſe legamus. Quare ſic planè puto eſſe legendum, & ita à Lucretio ſcriptum: quod cùm minus eſſet intellectum à ſciolis, eſſe deprauatum, & remoſſe ſuppoſitum. receſſe autem dictum eſt, pro receſſiſſe: quemadmodum promiſſe, extinxem, & ſimil. pro promiſiſſe, & extinxiſſem, &c. atque ita hac tertia editione excudendum curaui. Quòd autem baſcanus quidam vult legi, longéque remaſſe, pro remeaſſe: ferri hîc non poteſt, neque vllo pacto cōuenit. nam remeare, eſt reuerti: At qui reuertitur ad eum locum, vnde prius abijt, ex eo, quò poſterius venit, redire intelligitur: quod hîc quadrare non poteſt.

CÆDEM CÆDI ACCVMVLANTES) ſic ferè loquitur M. Tull. Catilin. 1. Nónne etiam alio incredibili ſcelere hoc ſcelus cumulaſti? MACERAT INVIDIA) Horat. epiſt. 2 lib. 1. Inuidus alterius macreſcit rebus opimis.

CLARVS QVI INCEDIT HONORE) duo libri manuſcrip. habent: claro qui incendit honore: ex qua ſcriptura feci, clarus qui incedit honore. nam claro, factum ex claros: claros autem pro clarus poſitum. quo modo ſæpe veteres loquebantur. Ex eadem ſcriptura olim feceram, claróque incendit honore: vt eſſet hæc ſententia: illum eſſe potentem, illum digito monſtrari, atque adſpectari, macerat alios homines inuidia: & honore, id eſt propter illius honorem, homines inuidos incendit, vrit, & cruciat. Sic Horatius epiſt. ad Auguſt. Vrit enim fulgore ſuo qui prægrauat artes Infra ſe poſitas, &c. vel dic. & honore, id eſt honoris ſtudio, & cupiditate homines illos inflammat. ſic Horat. ſat. 9 lib. 1. accendis quare cupiam magis illi Proximus eſſe. Nunc autem malo ſic, clarus qui incedit honore: vel ſic, clarúmque incedere honore.

STATVARVM ET NOMINIS ERGO) ergo, correptum (inquit Feſtus) idem ſignificat, quod apud Græcos, οὖν: productum, idem, quod χάριν, hoc eſt gratia, cùm ſcilicet, gratia, intelligitur pro cauſa. vide cetera apud eundem. Virgilius Æneidos 6. illius ergô Venimus. Præterea admonendus eſt lector, in quibuſdam libris veteribus ſcriptum eſſe, ſtatuai & nominis ergô.

VITÆ PERCIPIT HVM. OD.) ſic loquuntur & alij boni ſcriptores. Terentius Eun. Tunc ſicubi eum ſatietas hominum, aut negoti ſi quando odium ceperit ibid. Neque agri, neque vrbis odium me vnquam percipit. Idem Hecyra.

Iampridem equidem audiui cepiſſe odium tui Philumenam. Plautus Truculento, Si bene facere incœpit, eius eum citò odium percipit. Idem Sticho. Quid ego, quoi miſero medullam ventris percepit fames? ſic idem Lucr ſup. eodem lib. His tibi me rebus quædam diuina voluptas Percipit.

LVCISQVE VIDENDÆ) *id eſt vitæ colendæ. Virg. lib. Æneid. 4. quàm primùm abrumpere lucem. & lib. 6. lucémque peroſi. Cicero pro Mil. lucem intueri. Græci poëtæ, ὁρᾶν φάος ἠελίοιο.* PIETATEM EVERT. FVNDO) *Sic hunc locum, in omnibus libris ſine dubio deprauatum, reſtitui, à veteribus quidem codicibus adiutus, ſed magna ex parte coniectura ductus, cùm ex, fundet, feciſſem, fundo. quam coniecturam neminem litteris mediocriter tinctum, iudicióque non impolitiſſimo præditum, improbaturum arbitror. ſuadet, autem, quod eſt in omnibus libris vulgatis, reieci. ſic Virgil. locutus eſt lib. 10. Nóſne tibi fluxas Phrygiæ res vertere fundo Conamur? vertere fundo: id eſt funditus perdere. Thraſo quidã mauult ſcribi, vertere funditus, vt ſit dactylus in extremo verſu, mẽdoſiſſimè, & planè ridiculè.*

NAM VELVTI PVERI, *&c.) poſiti iam ſunt hi verſus ſup. initio lib. 2. & tertiùm legentur non longè à principio ſexti.*

Primùm animum dico, mentem quam ſæpe vocamus,
In quo conſilium vitæ, regiménque locatum'ſt,
Eſſe hominis partem nihilo minus, ac manus, & pes,
Atque oculi, partes animantis totius exſtant.
Quamuis multa quidem ſapientum turba putarunt,
Senſum animi certa non eſſe in parte locatum:
Verùm habitum quendam vitalem corporis eſſe:
Harmoniam Graij quam dicunt, quòd faciat nos
Viuere cum ſenſu, nulla cùm in parte ſiet mens.
Vt bona ſæpe valetudo cùm dicitur eſſe
Corporis, & non eſt tamen hæc pars vlla valentis:
Sic animi ſenſum non certa parte reponunt.
Magnopere in quo mi diuerſi errare videntur.
Sæpe vtique in promtu corpus, quod cernitur, ægrit,
Cùm tamen ex alia lætamur parte latenti.
Et retrò fit, vti contrà ſit ſæpe viciſſim:
Quom miſer ex animo, lætatur corpore toto:
Non alio pacto, quàm ſi, pes quom dolet ægri,
In nullo caput interea ſit fortè dolore.
Prætereà molli cùm ſomno dedita membra,
Effuſúmque iacet ſine ſenſu corpus onuſtum:
Eſt aliud tamen in nobis, quod tempore in illo
Multi'modis agitatur: & omneis accipit in ſe
Lætitiæ motus, & curas cordis inaneis.

PRIMVM ANIMVM D.) *Liber hic tertius, quo animi immortalitas à Lucretio oppugnatur, à Chriſtiano homine cautè eſt legendus: neque eius argumenta, quantumuis probabilia, cùm ſint infirma, falſa, fallacia, & captioſa, vllo modo vel audienda, vel in pectoris ſedem recipienda: ſed animo iam præparato, instructo, atque armato, ne, quaſi venenata tela in eum penetrent, in eóque inhæreant, ad huius libri lectionẽ veniendum. Omnino nulla tutior armatura adhiberi poteſt, quàm pietas, & religio noſtra: quæ non ſinet nos in hac de anima diſputatione titubare, aut errare: verùm tamen licet etiam ex ſcriptoribus Chriſtianis arma quædam huius quæſtionis propria ſumere. Iuuabit autem non parum Tertulliani libros de teſtimonio animæ, de ſubſtantia animæ, de anima denique, peruolutare, & perlegere: quibus libris vir ille totam quæſtionem de anima non ſolùm maximè piè, & Chriſtianè, ſed & pereruditè tractauit.*

MENTEM QVEM SÆPE VOCAMVS) *Sic habent quattuor lib. manuſcripti, & antiqui Veneti: quam ſcripturam non video quamobrem mutare debuerim hic enim ordo verborum eſt. Primùm igitur dico, animum, quem ſæpe mentem vocamus, eſſe hominis partem, &c. vulgati autem habent, mentem quam: quã lectionem tamen non damno, cùm præſertim ſic referat Cariſ. lib. 2. Primùm. Lucr. Primùm animum dico, mentẽ quam, &c. vbi Velius Longus, Primùm (inquit) aduerbialiter audiendũ eſt.* ESSE HOMINIS PARTEM NIHILOMINVS, &c.) *immo multo magis nam hominis quidem pars eſt animus: ſed pes, & manus, corporis humani partes ſunt potius, quàm hominis.*

SENSVM ANIMI CERTA, &c.) *inf. eod. lib. Et quoniam mens eſt hominis pars vna, locóque Fixa manet certo, velut aures, atque oculi ſunt, Atque alij ſenſus, &c.* HARMONIAM GRAII) *Sic Plato in Phædone.* Καὶ γὰρ οὖν ὦ Σώκρατες, οἶμαι ἔγωγε καὶ αὐτόν σε τοῦτο ἐντεθυμῆσθαι, ὅτι τοιοῦτόν τι μάλιστα ὑπολαμβάνομεν τὴν ψυχὴν εἶναι, ὥσπερ ἐντεταμένου τοῦ σώματος ἡμῶν, καὶ συνεχομένου ὑπὸ θερμοῦ καὶ ψυχροῦ, καὶ ξηροῦ, καὶ ὑγροῦ, τοιούτων τινῶν κρᾶσιν εἶναι, καὶ ἁρμονίαν αὐτῶν τούτων, καὶ ψυχὴν ἡμῶν, ἐπειδὰν ταῦτα καλῶς, καὶ μετρίως κραθῇ πρὸς ἄλληλα. *lege cetera, quæ ſequuntur apud Platonem. valde enim ad hunc locum pertinent: hæc autem ſic interpretor. Namque equidem arbitror, Socrates, te quoque hoc aliquando tecum conſideraſſe, tale quiddam nos exiſtimare animum eſſe, veluti intento corpore noſtro, & conſtante ex calido & frigido, ſicco, & humido, & quibuſdam aliis huius generis, temperationem, & harmoniam harum ipſarum rerum eſſe animum noſtrum, cùm hæ res rectè, & moderatè inter ſe fuerint temperatæ. Hanc veterum opinionẽ refert & Ariſtoteles lib. 1 de animo, eámque refellit, his verbis:* καὶ ἄλλη δέ τις δόξα παραδέδοται περὶ ψυχῆς, πιθανὴ μὲν πολλοῖς, καὶ οὐδεμιᾶς ἧττον τῶν λεγομένων· λόγους δὲ, ὥσπερ εὐθύνας, δεδωκυῖα καὶ τοῖς ἐν κοινῷ λεγομένοις λόγοις. ἁρμονίαν γὰρ τινὰ αὐτὴν λέγουσι. καὶ γὰρ τὴν ἁρμονίαν, κρᾶσιν καὶ σύνθεσιν ἐναντίων εἶναι. *&c. id eſt, Alia quoque opinio de animo tradita eſt, probabilis quidem illa multis, nulláque earum, quæ ſermonibus hominum vſurpantur, inferior, ſed quæ fuit communibus philoſophorum diſputationibus agitata, ac veluti iudicium rationum referendarum ſubiit. harmoniam enim quandam eum quidam eſſe dicunt. quippe harmoniam, temperationem, & compoſitionem eſſe quandam cõtrariorum, &c. & M. Tull. Tuſcul. 1. Proximè autem Ariſtoxenus muſicus, idémque philoſophus, intentionem ipſius corporis quandam, velut in cantu & fidibus, quæ harmonia dicitur, ſic ex corporis totius natura & figura varios motus cieri, tanquam in cantu ſonos. Hic ab artificio ſuo non receſſit,*

non receſſit, & tamen dixit aliquid, quod ipſum quale eſſet, erat multo antè & dictum, & explanatum à Platone. QVOD FACIAT NOS VIV. CVM S.) Sic ſæpe loquuntur boni ſcriptores, Plautus, Virgilius, ipſe Lucretius. vno Virgilij exemplo nunc contenti erimus. lib. 2. Æneid. nati me cernere letum Feciſti, & patrios fœdaſti funere vultus. & aliquot ex Lucretio infrà eod. lib. Quæ faciunt tremulum membris exſiſtere motum. Idem lib. 6. Flumina abundare vt facerent, campóſque natare. Idem ib. Hæc faciunt primùm paruas conſiſtere nubeis. Idem eod. lib. Vrget, & è ſupero premit, & facit effluere imbreis. Idem lib. 5. Quæ faciunt igneis interſtingui, atque perire?

NON CERTA PARTE REPONVNT) eum ſtatim dicet eſſe in media pectoris regione repoſitum, ibi: Idque ſitum media regione in pectoris hæret.

SÆPE ITAQVE IN PROMTV) ſic legendum, & ita habent lib. manuſcrip & impreſſi Pariſ. & Veneti antiq. Nam vulgati habent ferè, Sæpe vtique in promtu, &c. ÆGRIT) Cùm in aliquot libris vulgatis legatur, ægrum eſt, in manuſcriptis verò, ægrum, ſine verbo ſubſtantiuo: ego in prima & ſecunda editione, ægrum eſt, vt eſt in lib. vulgatis, probaram. Nunc verò commotus ab antiqua ſcriptura, & commonitus, (non enim temerè omnes libri antiqui habent, ægrum) ex hoc, ægrum, quod deprauatum eſſe arbitror, feci, ægrit. quo verbo vtitur iterum infrà eodem lib. Præter enim quàm quòd morbis tum corporis ægrit, &c.

PARTE LATENTI) nempe animo. ſic autem habent libri quattuor manuſcripti, & aliquot typis impreſſi. alij enim habent, parte valenti.

ET RETRO FIT VTI CONTRA SIT S. V.) ſic eſt legendum, & ita habent codices fide digni, niſi quòd in omnibus, vbi, ſcriptum eſt, pro, vti, planè mendoſè. PRÆTEREA MOLLI C. S.) de ſomno, & ſomniis lege lib. 4. ibi. Nunc quibus ille modis ſomnus per membra quietem Inriget, &c.

MOLLI) Sic Poetæ Græci μαλακῷ ὕπνῳ. Virgil. lib. 2. Georgic. molléſque ſub arbore ſomni. ONVSTVM) cibo, & potu. lib. 4. Deinde cibũ ſequitur ſomnus.

Nunc animam quoque vt in membris cognoſcere poſſis
Eſſe, neque harmoniam corpus retinere ſolere:
Principiò fit, vti detracto corpore multo,
Sæpe tamen nobis in membris vita moretur.
Atque eadem rurſus cùm corpora pauca caloris
Diffugêre, foráſque per os eſt editus aër:
Deſerit extemplo venas, atque oſſa relinquit:
Noſcere vt hinc poſſis, non æquas omnia parteis
Corpora habere, neque ex æquo fulcire ſalutem:
Sed magis hæc, venti quæ ſunt, calidíque vaporis
Semina, curare, in membris vt vita moretur.
Eſt igitur calor, ac ventus vitalis in ipſo
Corpore: qui nobis moribundos deſerit artus.
Quapropter, quoniam eſt animi natura reperta,
Atque animæ, quaſi pars hominis: redde harmoniaï
Nomen, ab organico ſaltu delatum Heliconis,

Siue aliunde ipſi porrò traxere:& in illam
Tranſtulerunt,proprio quæ tum res nomine egebat.
Quidquid id eſt,habeant:tu cetera percipe dicta.

NVNC ANIMAM QVOQVE) *Ab hoc loco refellere conatur eorum ſententiam, qui animum, ſeu animam, harmoniam eſſe volunt, eadémque opera probare,eſſe in numero partium corporis humani.* IN MEMBRIS) *in numero membrorum.nam ſtatim docebit,animam corporea natura eſſe præditam.*

DETRACTO CORPORE MVLTO) *detracta magna corporis parte, ſeu detractis multis corporis partibus : vt detracta, & amputata tibia , reciſo brachio,& ſimilib.* CORPORA PAVCA CALORIS) *infrà docebit,animum conſtare ex aura,vapore,ſeu calore,aëre,& quarta natura, nominis experte.*

PER OS) *nam ægri moribundi dicuntur agere animam.*

EXTEMPLO) *continuò.* NOSCERE VT HINC POSSIS,&c.) *id eſt,ita,vt facile hinc intelligere poſsis, non omnia corpora prima parteis æqualeis animæ obtinere,& ex æquo vitam ac ſalutem tueri,ac ſuſtentare:ſed ſemina quædam venti,& caloris efficere, vt in membris vita maneat. ad hunc locum pertinet illa , quæ dicuntur à Cebete apud Platon. in Phædone.* Ὦ Σώκρατες, τὰ μὲν ἄλλα δοκεῖ ἔμοιγε καλῶς λέγεσθαι, τὰ δὲ περὶ τῆς ψυχῆς πολλὴν ἀπιστίαν παρέχει τοῖς ἀνθρώποις, μή, ἐπειδὰν ἀπαλλαγῇ τοῦ σώματος, οὐδαμοῦ ἔτι ᾖ, ἀλλ' ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ διαφθείρηταί τε καὶ ἀπολλύηται, ᾗ ἂν ὁ ἄνθρωπος ἀποθάνῃ, εὐθὺς ἀπαλλαττομένη τοῦ σώματος, καὶ ἐκβαίνουσα, ὥσπερ πνεῦμα, ἢ καπνὸς, διασκεδασθεῖσα οἴχηται διαπταμένη, καὶ οὐδὲν ἔτι οὐδαμοῦ ᾖ: *id eſt cetera quidem,Socrates.præclarè mihi dici videtur:ſed quæ de animo dicuntur,valde ſunt omnibus incredibilia,vt verendum ſit,ne, cùm ex corpore exceſſerit, nuſquam iam ſit:ſed illo ipſo die,quo die homo interierit, intereat, ac perimatur continuò ex corpore decedens,egrediénſque,tanquam ventus, aut fumus, diſperſus diffugiat,atque in diuerſas parteis euolet,& nuſquam iam quicquam ſit amplius.*

CVRARE) *id eſt efficere. tranſlatio eſt a rebus animatis. Sic lib.4. Quod ne miremur,ſópor atque obliuia curant.ibid. Efficit vt videamus,& internoſcere curat.& lib 6. Curat item,vt vaſis integris vina repente Diffugiant.*

MORIBVNDOS) *morienteis,ſeu iamiam morituros.*

REDDE HARM. NOM. AB ORG.) *redde (inquit) nomen harmoniæ, delatum ex mõte Muſarum organico : id eſt ab iis ſumtum,qui ex fidibus & neruis ſuaueis eliciunt ſonos.* ET IN ILLAM) *rem,quæ res,&c.*

Nunc animum,atque animam dico coniuncta teneri
Inter ſe,atque vnam naturam conficere ex ſe:
Sed caput eſſe quaſi,& dominari in corpore toto
Conſilium,quod nos animum,mentémque vocamus:
Idq; ſitum media regione in pectoris hæret.
Hîc exſultat enim pauor,ac metus:hæc loca circum
Lætitiæ mulcent:hîc ergo mens,animúſque'ſt.
Cetera pars animæ per totum diſſita corpus
Pâret:& ad numen mentis,moménque mouetur:
Idq; ſibi ſolum per ſe ſapit,& ſibi gaudet;

Cùm neque res animam, neque corpus commouet vlla.
Et quaſi, cùm caput, aut oculus, tentante dolore,
Læditur in nobis, non omni concruciamur
Corpore: ſic animus nonnumquam læditur ipſe,
Lætitiáque viget, cùm cetera pars animaï
Per membra, atque artus nulla nouitate cietur.
Verùm vbi vehementi magis eſt commota metu mens:
Conſentire animam totam per membra videmus:
Sudores itaque, & pallorem exſiſtere toto
Corpore, & infringi linguam, vocémque aboriri:
Caligare oculos, ſónere aureis, ſuccidere artus:
Denique concidere ex animi terrore videmus
Sæpe homines, facilè vt quiuis hinc noſcere poſſit,
Eſſe animam cum animo coniunctam: quæ cùm animi vi
Percuſſa'ſt, exin corpus propellit, & icit.
Hæc eadem ratio naturam animi, atque animaï
Corpoream docet eſſe. vbi enim propellere membra,
Conripere ex ſomno corpus, mutaréque voltum:
Atque hominem totum regere ac verſare videtur:
(Quorum nil fieri ſine tactu poſſe videmus,
Nec tactum porrò ſine corpore) nónne fatendum'ſt,
Corporea natura animum conſtare, animámque?
Præterea pariter fungi cum corpore, & vnà
Conſentire animum nobis in corpore cernis.
Si minus offendit vitam vis horrida leti,
Oſſibus ac neruis diſcluſis intus adacta:
Attamen inſequitur languor, terræq; petitus
Suauis, & in terra mentis qui gignitur æſtus,
Interdúmque quaſi exſurgendi incerta voluntas.
Ergo corpoream naturam animi eſſe neceſſe'ſt,
Corporeis quoniam telis, ictúque laborat.

NVNC ANIMVM, ATQVE ANIMAM, *&c.) nunc docere incipit, Inter animum, & animam quid interſit. vult autem, animum eſſe mentem, & conſilium, & rationem, eiúſque domicilium eſſe in medio pectore: animam autem per totum corpus eſſe fuſam. ſed non diſsimulabo, in cod. Vatic. ſcriptum eſſe, conuincta teneri.* SED CAPVT ESSE QVASI) *Sed conſilium, eſſe quaſi caput,* ὥσπερ κεφαλὴν ἔχειν, *vel* εἶναι. *inſtar capitis eſſe.*

IDQVE SITVM MED. REG.) Diog. Laërt. τὸ δὲ λογικὸν ἐν θώρακι, ὡς δηλοῖ ἔκ τε τῶν φόβων καὶ τῆς χαρᾶς. *id eſt conſilium, ſeu rationem in thorace, id eſt. vt interpretatur* Tertullianus *lib. de anima, in lorica pectoris eſſe, vt appáret ex timo-*

ribus, & lætitia. Idem Lucret *infrà lib.V. via qua munita fidéi* Proxima *fert humanum in pectus, templáque mentis.* Idem *ſuprà lib. 2. Iámne vides igitur, quamq. vis extima multos* Pellit, & *inuitos cogit proced. ſæpe,* Præc. *q; rapit, tamen eſſe in pectore noſtro* Quiddam, *quod cõtrà pugnare, obſt. q, poßit? ibid.* Tum *vacuum pectus linquunt, curáque ſolutum. ad quem locum plura.*

HIC EXSVLT. ENIM) *hoc* Lucret. *argumentum valde eſt imbecillum. in pectore verſantur & exſultant animi motus atque affectus: ergo in pectore animus locatus eſt.* Idem *inf. ex eo, quòd animus perturbetur affectibus: curis, luctu, metu contabeſcat: ira exardeſcat: lætitia exſultet: colligit eſſe mortalem.* Sed *hoc refellitur à* M. Tull. *lib. I.* Tuſcul. *vt ſuo loco dicemus.*

AD NVMEN MENT. MOMENQVE) *ad nutum, & momentum, ſeu motum, & quaſi* ῥοπὴν *mentis.*

ET QVASI CVM CAPVT) *id eſt,* Et *quemadmodum, &c.*

VERVM VBI VEHEM.) *idem de quauis alià magna perturbatione ſentiendum, vt de amore, de ira, de mærore, atque angore. in nomine, vehementi, duæ ſyllabæ, prima & ſecunda, pro vna habẽtur: aut anapæſtus eſt pro ſpondéo, ſeu dactylo: aut legendum, vementi, vt ſæpe alibi.*

SVDORES ITAQVE ET PALL.) *ſic reſtitui, ſecutus cod. manuſcript. nam vulgati habent,* Sudores *que ita, pallores, ordine peruerſo.*

INFRINGI LING.) *debilitari, titubare.* ABORIRI) *intercludi, intermori. locum habet propriè in fœminis.* Arnob. *lib.* III. *aduerſus genteis.* Et *quoniam quædam ſunt fœminarum generis propria, ſequitur, vt eas quoque credamus circumactu perſoluere ſuas menſib. leges: faſtidioſos ducere atque habere conceptus: aboriri, perferre, & præpropero partu ſeptimanas edere aliquando fœturas.*

SONERE) *tinnire.* Sónere *antiquum à ſono, is, it.* Nonius, *à ſonit, ſonere.* Lucr. *lib. 3.* Caligare *oculos, ſonere aureis, ſuccidere artus.* Accius Neopt. Atque *adeò valuas ſónere ſenſi regias. lege cetera apud* Non. *vtitur eodem verbo idem* Lucret. *infrà, eod. lib.* Scire *licet non ſincerum ſónere, atque ſubeſſe* Cæcum *aliquem cordi ſtimulum. lege &* Priſcianum *lib. 9. vbi hunc verſum* Ennij *profert, ex* XI. *ann.* Tum *clypei reſonunt & ferri ſtridit acumen.*

SVCCID. ART.) Plaut. Curcul. *tenebræ oboriuntur, genua ſúccidunt.*

EX ANIMI TERRORE) *ex terrore animi. non eſt enim legendum exanimi coniunctim.* PERCVSSA EST) *ſic habent libri manuſcripti, & pleriq; typis impreßi, quos ſequor, quanuis apud* Noniũ *in verbo, icit, legatur,* Perculſa *eſt.*

EXIN CORPVS PROPELLIT, ET ICIT.) *ſic reperi ſcriptum in libr. manuſcr. quibuſcum conſentiunt vulgati* Pariſienſ. & Veneti *antiquiores. atque hanc ſcripturam agnoſcit* Priſcian. *lib. 10. apud* Nonium *autem legitur: exinde propellit corpus & icit. icit autem, id eſt verberat, & percutit. in nonnullis libris legitur, extra corpus prop. &c.*

CORPOREAM DOCET ESSE) *ſic* Epic. *apud* Laërt. ὥστε οἱ λέγοντες ἀσώματον εἶναι τὴν ψυχὴν, ματαιάζουσι. οὐδὲν γὰρ ἐδύνατο ποιεῖν, οὐδὲ πάσχειν, εἰ ἦν τοιαύτη πς. ἰ. Quare *qui animum incorporeum eſſe dicunt, inanes ſunt. nihil enim neque facere, neque pati poſſet, ſi talis eſſet.* Sed Epicurus *ipſe inanis eſt: meliúſque & verius, qui animum incorporeum eſſe putarunt, vt* Plato. Itaque *cùm antiquiores* Philoſophi *omnes, vt teſtatur* Ariſtoteles *lib. I. de animo,* ψυχὴν *finierint ac terminarint ferè tribus,* κινήσει, αἰσθήσει, ἀσωμάτῳ, *id eſt motu, ſenſu, incorporeo: immeritò illi quidem re-*

prehenduntur,qui animum mouere,ſeu mouendi vim habere dixerunt:meritiſſimo autem,qui eum moueri,aut agitationem eſſe,& qui eum ex quattuor elementis cõſtare putauerunt,vt res omneis ſentire poſſit. Verùm quod ait Lucret. ex vehementi animi metu totam animam in corpore pari motu affici: ex quo exſiſtere in corpore pallorem,ſudorem,linguæ hæſitantiam,& ſimilia:metus,ira,libido, & huius generis motus non ſunt animi,ſeu mentis,ſed earum animi partium,quæ ſunt illæ quidem rationis & conſilij expertes, ratione autem & conſilio regi poſſunt: qualia ſunt. τὸ ἐπιθυμητικὸν, καὶ ὀργιστικόν.

VBI ENIM PROPELLERE) *ſic argumentatur Lucretius: animus & anima corpus propellere,atque immutare vultum poſſunt. at impulſio non fit ſine tactu,neq; tactus ſine corpore:ergo animus & anima corporea natura ſunt prædita.*

NEC TACTVM PORRO) *ſup lib.1. Tangere enim & tangi, niſi corpus,nulla poteſt res.* FVNGI) *pati,vt ſup.lib.1. At facere,& fungi,niſi corpus, nulla poteſt res.* CONSENTIRE) *συμπάσχειν, vt ſuprà.*

SI. MINVS OFFENDIT,&c.) *hic verſus,& quattuor deinceps ſequẽtes vereor ne non ſint τοῦ ποιητοῦ: ſed eius,qui putauerit aliquid deeſſe,cùm re vera, ſi diligenter attendas,nihil deſideretur,his quinq; verſibus ſublatis. Hec enim dicit Lucretius:Præterea vides,animum nobis pariter,cum corpore perpeti,& ſentire, ſi quid corpori acciderit. Ergo corporea animi eſt natura,quandoquidem malorũ corporeorum eſt particeps. Adde quòd hic primus verſus nõ ſatis aptè connectitur cum ſuperiore.adde quòd elocutio non ſincerum ſonat, neque olet lucernam Lucretianam. Poſtremò illud,intus adacta, non videtur Latine dictum. intro enim adigere Latine diceremus,non intus:quamquam Lucretius,intus,pro,intro interdum vſurpare videatur.* INTVS ADACTA) *ſi legeremus,ſubter adacta,effugeremus genus loquendi minus vſitatum.*

TERRÆQVE PETITVS SVAVIS) *dum ij,quibus ægrè eſt,terram cupidè petunt,id eſt in terra decumbere cupiunt. non poſſunt enim ij, quibus aliqua valetudinis perturbatio deſubito áccidit, recti ſtare,ſed coguntur decumbere, & iacêre. ſic Virgil. Æn.3. Submiſſi petimus terram,& vox fertur ad aureis. & Lucret.ſup.lib.1. Muta metu terram genibus ſubmiſſa petebat.*

ET IN TERRA MENTIS) *ſic habent quattuor libri manuſcr. Florentini autem,& in terra mitis. omnino horum verborum,cuiuſcunque ſint,ſententia obſcura eſt,niſi forte hæc ſit. & inſequitur ſuauis terræ petitus,& mentis æſtus. id eſt conturbatio,quæ fit in terra, ægro illo in terram ſenſim collapſo. quòd ſi quis malit legi,mitis,mitem æſtum intelligemus,non letalem,neque peſtiferum.*

ET INTERDVM EXSVRG.) *id eſt & interdum deliberatio,ſeu dubitatio vtrùm exſurgat,an etiam iaceat ſed non eſt quòd in his verſib.explicãdis tantam operam ponamus. nam ſi nothi ſunt, inanem operam ſumimus: ſin germani, ſatis explicati ſunt.*

Is tibi nunc animus quali ſit corpore,& vnde
Conſtiterit,pergam rationem reddere dictis.
Principiò eſſe aio perſubtilem,atque minutis
Perquàm corporibus factum conſtare.id ita eſſe
Hinc licet aduertas animum,vt pernoſcere poſſis.
Nil adeò fieri celeri ratione videtur,

Quàm ſi mens fieri proponit,& inchoat ipſa.
Ocyus ergo animus,quàm res ſe perciet vlla,
Ante oculos quarum in promtu natura videtur.
At, quod mobile tantopere'ſt,conſtare rotundis
Perquàm ſeminibus debet,perquámque minutis,
Momine vti paruo poſſint impulſa moueri.
Namque mouetur aqua,& tantillo momine flutat:
Quippe volubilibus,paruíſque creata figuris.
At contrà mellis conſtantior eſt natura,
Et pigri latices magis,& cunctantior actus:
Hæret enim inter ſe magis omnis materiaï
Copia:nimirum quia non tam læuibus exſtat
Corporibus,neque tam ſubtilibus,atque rotundis.
Namque papauerum,aura poteſt ſuſpenſa,leuíſque
Cogere,vt ab ſummo tibi diffluat altus aceruus.
At contrà lapidum coniectum,ſpiclorúmque,
Nenu poteſt.igitur paruiſſima corpora quanto,
Et læuiſſima ſunt,ita mobilitata feruntur.
At contrà,quo quæque magis cum pondere magno,
Aſperáque inueniuntur,eo ſtabilita magis ſunt.
Nunc igitur,quoniam eſt animi natura reperta
Mobilis egregiè:perquàm conſtare neceſſe'ſt
Corporibus paruis,& læuibus,atque rotundis.
Quæ tibi cognita res,in multis,ô bone,rebus
Vtilis inuenietur,& opportuna cluebit.

IS TIBI NVNC) *Nunc docere incipit, cùm animus ſit corporeus, quali ſit corpore præditus, & qualibus, aut quantulis corpuſculis conſtet. Et probat, ex minutiſſimis & ſubtiliſſimis, & rotundiſſimis principiis, ſeu corpuſculis eſſe conflatū, & concretum.* ET VNDE) *& ex quibus primordiis.*

PERSVBTILEM) *ſic Epicurus.* ἡ ψυχὴ λεπτομερὲς σῶμα, καὶ λεπτομερεστάτοις σώμασι συνεστῶσα) *id eſt animus, corpus eſt tenuium partium, & ex tenuiſſimarum partium corporibus conflatum. Idem,* ἡ ψυχὴ σῶμά ἐστι λεπτομερὲς παρ᾽ ὅλον τὸ ἄθροισμα παρεσπαρμένον: *id eſt anima, corpus eſt tenuibus partibus præditum, per totam animantis maſſam diffuſum.* OCYVS ERGO ANIMVS) *vult Lucretius, cum Epicuro, animum eſſe mobiliſſimum quiddam, atq; à ſe moueri: quod autem ita mobile eſt, neceſſariò conſtare ex primordiis minutiſſimis, læuiſſimis, & rotundiſſimis. Etiam Plato dicebat, animum à ſe moueri, & eſſe mobiliſſimum: & Pythagoréi ſic animum definiebant, numerum ſeipſum mouentem. Sed Ariſtoteles lib. 1. de animo eos refellit, qui animum à ſe moueri volunt, negátque omnino animum moueri: ex quo efficitur, neque à ſeipſo moueri: docétq; non eſſe neceſſarium, ſi anima ſit principium motus, eam quoque moueri: ſed contrà ipſam quidem eſſe immobilem, cur autem corpus moueatur, eſſe cauſam.*

ANTE OCVLOS QVARVM) ſic legendum, non, quorum, vt eſt in lib. vulgatis. nam hæc eſt verborum ſtructura. animus ocyus ſe perciet, id eſt permouet, quàm res vlla earum rerum, quæ cernuntur.

CONSTARE ROTVNDIS, &c.) ſic Epicur. Καὶ τὴν ἀπίωσιν αὐτὴν συγκεῖσθαι λειοτάτων, καὶ στρογγυλωτάτων, πολλῷ τινὶ διαφερουσῶν τῶν τοῦ πυρός: id eſt & eam ex atomis conſtare læuiſſimis & rotundiſſimis, & ignis atomos rotunditate longe ſuperãtibus. MOMINE VTI PARVO) vt paruo momento impulſa moueri poſſint. TANTILLO) minimo, δξκηκῶς.

FLVTAT) ſic habent libri manuſcripti, quibuſcum conſentiunt Pariſienſes, & vtrique Aldini. flutat autem poſitum puto pro. fluitat. alij habẽt, fluctat. quod ſi cui probabitur, fluctat, erit poſitum pro, fluctuat, quod poſtremum nõnulli probant, atque adeò aliis ſcripturis reiectis, ſolum tuentur & retinent.

ET CVNCTANTIOR ACTVS) & tardior curſus, ſeu fluxus. tralatio eſt ab iis, quæ aguntur.

NAMQVE PAPAVERVM AVRA P.) non video, cur antiquam ſcripturam vel Marullus immutare debuerit, ſi verum eſt ab eo eſſe immutatam & corruptam, vel ego ſequi non debuerim. Quamuis enim ea, quam habent libri Florentiæ impreſſi, ſit ſpecioſa Nam pappos minima aura poteſt, &c. antiqua tamen, quæ reperitur etiam in aliis impreſſis, ſentẽtiam continet non abſurdam, ſiue papaueris legatur, ſiue papauerum. eſt autem hic ordo verborum. namque aura parua, & leuis, cogere poteſt, vt altus papauerum, ſeu papaueris aceruus tibi ex imo diffluat. pappi autẽ, ſi quis forte ſcripturam Florentinam malit, cui nullo modo aſſentiar, ſunt carduorũ flores: qua voce vtitur infrà Lucr. Sed cùm in lib. manuſcrip. plane ſcriptum ſit partim, Namq; papaueris, partim, Namque papauerum, eorum ſequamur potius auctoritatem. atque harum duarum ſcripturarum, poſteriorem magis probemus.

SVSPENSA) aura ſuſpenſa, id eſt placida, lenis, ſilens: & ita Nonius Marcell. Terent. Phorm. hæc vbi ego audiui, ad fores ſuſpenſo gradu ire perrexi.

LAPID. CONIECTVM) id eſt aceruum lapidum: lapides in vnum locum coniectos. quidam viri docti, in his Muretus, legunt, lapidum conlectum. ego, cùm in omnibus libris ſcriptum reperiſſem, coniectum, nihil auſus ſui mutare: ne nunc quidem quicquam mutaui. Sed tamen conlectum magis probo.

SPICLORVMQVE) & ſpiculorum, telorum. libri veteres tamen habent, ſpicarúmq;: vnde legendum ſuſpicor, ſpicorúmque, id eſt, & ſpicarum. Nam veteres dixiſſe ſpicum, in genere maſculino, pro ſpicam, teſtatur Pompeius Feſtus.

NENV POTEST) id eſt non poteſt. ſic autem habent lib. manuſcripti: neque dubium eſt, quin hæc ſcriptura recta ſit. Nenu enim dixerunt veteres pro non, vt notat Nonius: citátque teſtem Lucillium lib. 30. Sed tamen hoc dicas, quid id eſt, niſi nenu moleſtum eſt. & Varronem, epiſt. ad Fuſium. Si hodie nenu venis, cras quidẽ venies, &c. Idem Lucr. lib. 4 Nenu queunt rapidi contrà conſtare leones.

ITA MOBILITATA) aduerte animum ad hoc loquendi genus, quanto paruiſſima & leuiſſima ſunt, ita mobilitate fruuntur, ſeu ita mobilitata feruntur. quæ poſterior ſcriptura ex cod. Vatic. & lib. Memmij, expreſſa eſt: in quibus legitur mobilitate feruntur. quanto, ita: pro quanto, tantum. ſic ſuprà. lib. 2. Et quàm quicque magis, &c. Atque poteſtates, ita pluria, ſeu plurima, &c. Sed non diſſimulabo, me ſcriptum reperiſſe in cod. Bert. paruiſſima corpora perquàm. in Vaticano, proquàm. quæ fortaſſe recta ſcriptura eſt. Non eſt autem, quòd quemquam offendat:

participium mobilitata. eſt enim natum à verbo mobilitor: quod vſurpat infrà eod. libro non longè idem Lucretius, Accipit: inde aër: inde omnia mobilitantur. vſurpat & Cæcilius actiuum. Itaque quòd lætitia me mobilitat, mæror molitur metu.

AT CONTRA QVO QVÆQVE MAGIS) *ſic legendum, non, quæcunque magis, vt eſt in vulgatis.*

Hæc quoque res etiam naturam deliquat eius,
Quàm tenui conſtet textura: quámque loco ſe
Contineat paruo, ſi poſſit conglomerari,
Quòd ſimul atque hominem leti ſecura quies eſt
Indepta: atque animi natura, animæque receſſit,
Nil ibi limatum de toto corpore cernas
Ad ſpeciem, nihil ad pondus: mors omnia præſtat,
Vitalem præter ſenſum, calidúmque vaporem.
Ergo animam totam perparuis eſſe neceſſe'ſt
Seminibus nexam, per venas, viſcèra, neruos:
Quatinus omnis vbi è toto iam corpore ceſſit:
Extima membrorum circum cæſura tamen ſe
Incolumem præſtat: nec deſit ponderis hilum.
Quod genus eſt, Bacchi cùm flos euanuit, aut cùm
Spiritus vnguenti ſuauis diffûgit in auras:
Aut aliquo cùm iam ſuccus de corpore ceſſit:
Nil oculis tamen eſſe minor res ipſa videtur
Propterea, neque detractum de pondere quidquam:
Nimirum, quia multa, minutáque ſemina ſuccos
Efficiunt, & odorem in toto corpore rerum.
Quare etiam atque etiam mentis naturam, animæq;
Scire licet perquàm pauxillis eſſe creatam
Seminibus, quoniam fugiens nil ponderis aufert.

DELIQVAT) *declarat, vt ſup lib. I. plus in ſe corporum ineſſe Deliquat. Eſt autem, quod ſuprà me lectori ſignificare fūgit, hoc quoque vnum ex ducentis vocabulis Latinis, quæ aliis eſſe ignota, ſibi vni nota, verè gloriabatur Gulielmus Pelliſſerius, Epiſc. Monſpeſſ. Præterea auctor vocabularij Latinograeci, mihi à Cl. Puteano commodati ſic interpretatur hoc verbum, deliquat, διηθεῖ, διυλίζει: quæ verba Latine rurſum reddita, ſonant, tranſcolat, defæcat. Quis igitur non videt, deliquare, & hoc loco, & aliis, idem valere quod declarare, tralatione ducta à vino, & ſimilib. defæcatis, & liquidioribus effectis?*

SI POSSET CONGLOMERARI) *cum duo libri veteres haberent, ſe poßit, ſuſpicatus ſum, librarium tranſpoſuiſſe vocaleis e. & i. & ſcripſiſſe, ſe poßit, pro, ſi poſſet. quam puto veram eſſe ſcripturã. ſi poſſet conglomerari autem, hoc eſt, ſi poſſet in vnam maſſam, in vnam molem, & in vnum quaſi glomum cogi, & cõduci.* INDEPTA) *indipiſcor verbum compoſitum ex ſimplici apiſcor, & præpoſitione*

poſitione in. interponitur d. quo vtitur & Plautus non vno loco. Vel lege endepta, à verbo endipiſcor ex præpoſitione endo, & apiſcor. Ego tamen, indepta, retineo.

NIL IBI LIMATVM) *nihil demtum, nihil detractum, detritum, deminutum. ſic autem videtur legendum potius, quàm, vt vulgò, libatum. M. Tull. epiſtol. lib. 3. Etſi de tua prolixa, beneficáque natura, limabit aliquid poſterior annus: limabit, id eſt deminuet, detrahet, decerpet: vbi tamen nonnulli libri veteres habent, limitabit, vt & vulgati aliquot, ab eod. verbo. Si quis tamen legi malet, libratum, vt aſſumta præpoſitione de, fiat delibratum, non pugnabo: quin magnopere probabo.*

MORS OMNIA PRÆSTAT,) *id eſt mors omnia relinquit integra.*

QVATINVS) *quoniã. ſic & alibi.* EXTIMA MEMBROR. CIRC. CÆS.) *extrema circum cæſura, id eſt extremitas, ἐπιφάνεια. ſummus cortex. deniq; circum cæſura eſt [illegible]. hunc verſum profert Priſcian. lib. ſi bene memini. 3. idem Lucret. lib. 4. Vt ſunt diſsimiles extrinſecus, & generatim Extima membrorum circumcæſura coërcet.* QVOD GENVS EST) *id eſt quale eſt, vel cuius generis eſt: vt ſup. lib. 2. Quod genus è noſtro cùm miſſus corpore ſanguis, &c. & infrà non longè. Quod genus, in quouis animantum viſcere volgò Eſt odor, &c. Malim autem ſic legi, Quod genus, aut Bacchi cùm flos euanuit, &c. Oſtendit à ſimili, animum minutis admodum primordiis conſtare, quia, quemadmodum cùm odor vini, aut vnguenti euanuit, vinum aut vnguentum nihilo minus eſt ad ſpeciem, atque ad aſpectũ: ita poſtquàm animus exceſsit è corpore, ipſa extrema corporis cæſura nulla ex parte videtur deminuta.*

BACCHI CVM FLOS) *per florem Bacchi fortaſſe vuam labruſcæ ſignificat: quam œnanthen appellant Græci: de qua ſic Plin. lib. 20. cap. 11. odor idem ei, qui germinantibus vuis, atque inde nomen. idem lib. 12. cap. vlt. eodem & œnãthe pertinet. Eſt autem vitis labruſcæ vua. colligitur cum floret, id eſt cum optime olet. Alij ſimpliciter de odore vini dictum volunt. Sic Plautus Curcul. Flos veteris vini meis naribus obiectus eſt. Idem Caſina. niſi hæc meraclo Se vſpiã percuſsit flore Libyco. Idem Ciſtell Quiáque adeò me compleui flore liberi. Fortaſsis autem Plautus & Lucretius per florem Bacchi, ſeu vini, ſignificant ἀνθοσμίαν. id eſt vinum, cuius non ſolùm ſapor, palato & linguæ, verùm etiam odor, naribus gratus eſt.*

Nec tamen hæc ſimplex nobis natura putanda'ſt.
Tenuis enim quædam moribundos deſerit aura,
Miſta vapore: vapor porrò trahit aëra ſecum:
Nec calor eſt quiſquam, quoi non ſit miſtus & aër.
Rara quòd eius enim conſtat natura, neceſſe'ſt
Aëris inter eum primordia multa cieri.
Iam triplex animi'ſt igitur natura reperta.
Nec tamen hæc ſat ſunt ad ſenſum cuncta creandum:
Nil horum quoniam recipit mens, poſſe creare
Senſiferos motus, quædam qui mente volutent.
Quarta quoque his igitur quædam natura neceſſe'ſt
Attribuatur. ea'ſt omnino nominis expers:
Qua neque mobilius quicquam, neque tenuius extat:

Nec magis è paruis, aut læuibus ex elementis,
Senſiferos motus quæ didit prima per artus.
Prima cietur enim paruis perfecta figuris:
Inde calor motus, & venti cæca poteſtas
Accipit: inde aër: inde omnia mobilitantur:
Tum quatitur ſanguis: tum viſcera perſentiſcunt
Omnia: poſtremis datur oſſibus, atque medullis,
Siue voluptas eſt, ſiue'ſt contrarius ardor.
Nec temere huc dolor vſque poteſt penetrare, neque acre
Permanare malum, quin omnia perturbentur,
Vſqueadeò, vt vitæ deſit locus, atque animaï
Diffugiant partes per caulas corporis omneis.
Sed plerumque fit in ſummo quaſi corpore finis
Motibus: hanc ob rem vitam retinere valemus.

TENVIS ENIM QVÆDAM) *Primus pes huius verſus eſt proceleumaticus pro dactylo, vt apud Virgil. lib. 5. Æneid. Genua labant: niſi dicamus, u, eſſe hoc loco conſonantem. ſic iterum apud Lucret. lib. 4 in extr. Tenue, locis quia non potis eſt affigere adhæſum. & hoc libro. Nec nebulam noctu, nec aranei tenuia fila: & ſæpe alibi. Incipit nunc docere, animum conſtare ex vento tenui, vapore, aëre, & natura quadam nominis experte, qua nihil quicquam ſubtilius, nihil tenuius excogitari poteſt.*

MVLTA. CIERI) *ſic coniecit legendum eſſe Adrian. Turnebus, cùm ſcriptum reperiſſet in cod. Bertiniano, multáque ri. quam coniecturam magnopere probo. nam ex, cieri, factum ceri, ex, ceri, queri.*

NIL HORVM QVONIAM, &c.) *Id eſt, quoniam mens, ſeu ratio animi, non recipit, ſeu non approbat, quicquam horũ trium poſſe ſenſiferos motus creare: qui motus res aliquas cogitare, & volutare queãt. reperitur autem hæc ſcriptura in cod Florentinis duntaxat.*

MENTE VOLVTENT.) *ſic Lucill. Hæc tu me inſimulas? non antè in corde volutas? & Virg. lib. 4. Sic adeò inſiſtit, ſecúmque ita corde volutat. & lib. 6. Atque hæc ipſe ſuo triſti cum corde volutat. & Plautus Captiuis. Quanto in pectore hanc rem meo magis voluto, tanto mihi ægritudo auctior eſt in animo.*

QVARTA QVOQVE HIS IGITVR) *quoniam tria illa ſuperiora ſenſiferos motus creare non poſſunt, qui quædam cogitent, quarta eis quædam natura addatur neceſſe eſt: qua addita, ſuis iam fit omnibus partibus animi natura abſoluta, atque perfecta. Sic M. Tull. lib. 1. Tuſcul quæſt. de Ariſtot. Quintum genus adhibet vacans nomine, & ſic ipſum animum ἐντελέχειαν appellat, nouo nomine, quaſi quandam continuatam motionem, & perennem. quo tamen loco reprehenditur M. Tull. à doctis, qui putarit, ἐντελέχειαν eſſe motionem, cùm & ἐντελέχεια ſignificet perfectionem quandam, ſiue functionem, ſiue actum, & Ariſtoteles perſpicue dicat, animum mouere quidem, ſed non moueri.*

INDE CALOR MOTVS) *ſume verbum, accipit, vt ſit, inde, id eſt ab hac quarta natura, calor motus accipit. nam motus eſt numeri multitudinis, accuſandi*

caſus. CONTRARIVS ARD.*) ardor hîc dolorẽ ſignificat, ſi locus emẽdatus eſt. ſed quibuſdam videtur legendum, ægror, ſeu angor. ego nihil muto. Nam ſic fere vſurpauit Catullus nomen ardoris, in ſecũdo carmine, Credo dum grauis acquieſcat ardor.* TVM QVATITVR SANGVIS, TVM VISC. PERS.*) ſecutus eram initio codices duos manuſc. Sed cùm poſtea reperiſſem in aliis libris item manuſcriptis, Concutitur ſanguis, tum viſcera perſentiſcunt, ex, Cõcutitur, feci, Tum quatitur, ſuſpicatus, ex, Tum quatitur, factum eſſe, cum quatitur, deinde cõcutitur, & ita hunc verſum eſſe deprauatum. Nam omnino ſcriptura recepta, Concutitur tum ſanguis, viſcera perſentiſcunt, cùm ſit inepta, tum ne ferri quidem poteſt.*

VSQVE ADEO, VT VITÆ DESIT LOC.*) cùm reperiſſem ſcriptum in libris manuſcriptis, deſit, non, deſit, diffugiant, non, diffugiunt, ſcripturam veterem adiuui, repoſita particula, vt, poſt vocem, adeò. Nam vulgati libri ſic habent. Vſque adeò vitæ deſit locus, atque animaî. Diffugiunt partes per c. & cet. vt ſit epiphonema. quam ſcripturam, vt mendoſam, & ſuppoſitam, reieci. Licet tamen vetere ſcriptura ſeruata, ſine particula, vt, ſententiam ex ea optimam elicere.*

SED PLERVMQVE*) ſed plerumq; (inquit) motus ſenſiferi, & vitales, interrumpuntur non in oſſibus, & medullis, ſed in ſummo quaſi corpore: quod cùm ſit, tum non moritur animans, ſed breui tempore, aut certe aliquando, cõualeſcit.*

Nunc ea quo pacto inter ſeſe miſta, quibúſque
Comta modis vigeant, rationem reddere auentem,
Abſtrahit inuitum patrij ſermonis egeſtas.
Sed tamen, vt potero ſummatim attingere, tangam.
Inter enim curſant primordia principiorum
Motibus inter ſe, nihil vt ſecernier vnum
Poſſit, nec ſpatio fieri diuiſa poteſtas:
Sed quaſi multæ vis vnius corporis exſtant.
Quod genus in quouis animantum viſcere volgò
Eſt odor, & quidam calor, & ſapor: & tamen ex his
Omnibus eſt vnum perfectum corporis augmen:
Sic calor, atque aër, & venti cæca poteſtas
Miſta creant vnam naturam, & mobilis illa
Vis, initum motus ab ſe quæ diuidit ollis:
Senſifer vnde oritur primùm per viſcera motus.
Nam penitus prorſum latet hæc natura, ſubéſtque:
Nec magis hac infrà quidquam eſt in corpore noſtro:
Atque anima'ſt animæ proporro totius ipſa.
Quod genus in noſtris membris, & corpore toto
Miſta latens animi vis eſt, animæque poteſtas,
Corporibus quia de paruis, paucíſque creata'ſt.
Sic tibi nominis hæc expers vis, facta minutis
Corporibus, latet: atque animaï totius ipſa

Proporro'ſt anima,& dominatur corpore toto.
Conſimili ratione neceſſe'ſt ventus,& aër,
Et calor inter ſe vigeant commiſta per artus:
Atque aliis aliud ſubſit magis,emineátque,
Vt quiddam fieri videatur de omnibus vnum:
Ne calor,ac ventus ſeorſum,ſeorſúmque poteſtas
Aëris interimant ſenſum,diductáque ſoluant.

NVNC EA QVO PACTO) *Nunc docere meditatur quo pacto quattuor illa inter ſe miſta ſint.* QVIBVSQVE COMTA MODIS) *quidam legendum putant,* Iuncta modis. *& item lib.4.vbi legitur,* Et quibus è rebus cum corpore comta vigeret. *ego nihil mutandum cenſeo.*

REDDERE AVENTEM) *reddere cupientem.libri manuſcr.habent,reddere habētem. quod iccircò notaui,vt meminerit lector,quod eum iam antè admonui,b.pro u. & cōtrà u,pro b.à ſcriptoribus illis librariis peruerſè eſſe ſcribi ſolitū. Treis nunc ex vno,eodémque ſcriptore exempli cauſa,præter eos,quos aliàs collegi, afferā locos:ex* Arnobio,*inquam,aduerſus genteis:quorum primus erit ex lib.1. vbi ſic legitur in libris vulg atque à nobis procul,procul,inquam,aberruncetur amentia.legendum,auerruncetur. alterum ex lib.3.in extr.adeſtote dij penates:tu* Apollo,*túque* Neptune,*omniáque hæc mala,quibus vror,terreor,vexor, veſtri numinis aberruncate clementia. legendum,auerruncate. tertium ex lib. 7.* Satis, *vt opinor, oſtendimus fruſtra diis immortalibus hoſtias rebus cum conſequentibus admoueri, quòd neque alantur his, neque percipiant voluptatem, neque iras, aut animos ponant,neque vt res tribuant fauſtas,neque vt abigant , aberruncéntque contrarias. legendum,auerruncéntque.auerruncare autem,eſt auertere.*

ABSTRAHIT INVITVM PATRII) *ſic ſup. lib. 1.* Propter egeſtatem linguæ & rerum nouitatem. INTER ENIM CVRSANT) *id eſt primordia, ex quibus conſtat animus, inter ſe intercurſant mutuis motibus,ita vt nullum ab altero diſtingui,aut ſecerni poßit,neque vllo interuallo ſeparari.*

SED QVASI MVLTÆ VIS) *ſed ſunt veluti multæ poteſtates in vnum corpus coactæ & coagmentatæ,&c.ſecutus ſum autem in hoc loco reſtituendo codicum manuſcrip. auctoritatem.ſic ſup.vſus eſt nomine, vis, numero multitudinis lib.2.* Et quàm quicque magis multas vis poßidet in ſe,&c.

QVOD GENVS) *quemadmodum , cuius generis, οἷον.*

QVIDAM CALOR) *aliàs,quidam color.* MOBILIS ILLA VIS) *quarta illa natura,nominis expers.* INITVM MOTVS QVÆ) *quæ tribuit, & impertit ceteris partibus motus initium , ſeu introitum. in nonnullis libris legitur,initium:quod ſi cui magis placeat,i,& u,coëunt in vnam ſyllabam.*

NEC MAGIS HAC INFRA) *ſi hic verſus* Lucretianus *eſt, ſententia eius hæc videtur eſſe : nec quicquam interius eſt hac natura in corpore noſtro : nihil magis abſtruſum : nihil magis reconditum. itaque,vt hæc ipſa ſententia magis exprimatur,quidam legi volunt,intrà. quos nonnulli codices adiuuant. ſed videtur plane verſus alienus,& ſuppoſitus.Quòd ſi ſecus videatur doctis,& acutis,à quibus diſſentire difficile eſt, licet hanc lectionem defendere, ac tueri,& ſic explicare,nec quicquā eſt magis hac (anima) infrà, (id eſt infra ſenſus noſtros) in corpore

noſtro: vt hoc dici à Lucretio intelligamus, nihil eſſe, quod tam fugiat ſenſus noſtros, quódque minus cadat ſub ſenſus noſtros, quàm animam. Hanc lectionem, eiúſque interpretationem cõfirmat verſus ille, lib. 4. non longè admodum à princip. & in primis quoniam primordia tantum Sunt infra ſenſus noſtros, tantóque minora, Quàm quæ primùm oculi cœptant non poſſe tueri, &c.

ATQVE ANIMA EST ANIMÆ) *ita hæc quarta natura ceteris præſtat tenuitate, ſubtilitate, mobilitate, & ſimilibus, vt ſit quodammodo animæ totius anima.* PROPORRO) *id eſt, productè, longe.*

ATQVE ANIMAI TOTIVS IPSA, &c.) *ſic reſtitui ex auctoritate codicum manuſcript. adhibita tamen facili, & illuſtri coniectura. nam cùm in aliis duobus reperiſſem ſcriptum: atque animæ quaſi totius ipſa Proporro eſt anima: in aliis: atque animæ totius, ſine voce, quaſi, ſuſpicatus ſum à Lucretio ſcriptum eſſe, animaï, deinde cum ex, animaï, factum eſſet, animæ, culpa librariorum, ab aliquo ſtudioſo adiectum, quaſi, vt verſum perficeret. Vulgata lectio autem talis eſt, atque animus quaſi totius ipſa, &c.* SVBSIT MAGIS, EMINEATQVE) *aliud magis ſubſit aliis, aliúdque magis emineat aliis. ſubeſſe & eminere dixit Latino ſermone, quod Græci ὑφίστασθαι, καὶ ἐπιπολάζειν.*

DE OMNIBVS) *ſic legendum potius, quàm, ab omnibus.*

NE CALOR AC VENTVS) *libri manuſcripti habent, ni calor: quam ſcripturam ſi recipimus, accipiendum, ni, pro, ne.*

Eſt etiam calor ille animo, quem ſumit in ira:
Quom feruiſcit, & ex oculis micat acribus ardor.
Eſt & frigida multa comes formidinis aura:
Quæ ciet horrorem in membris, & concitat artus.
Eſt etiam quoque pacati ſtatus aëris ille,
Pectore tranquillo qui fit, voltúque ſereno.
Sed calidi plus eſt ollis, quibus acria corda,
Iracundáque mens facile efferuiſcit in ira:
Quo genere in primis vis eſt violenta leonum:
Pectora qui fremitu rumpunt plerumque gementes:
Nec capere irarum fluctus in pectore poſſunt.
At ventoſa magis ceruorum frigida mens eſt:
Et gelidas citius per viſcera concitat auras:
Quæ tremulum faciunt membris exſiſtere motum.
At natura boum placido magis aëre viuit:
Nec nimis iraï fax vmquam ſubdita percit
Fumida ſuffundens cæcæ caliginis vmbras:
Nec gelidi torpet telis perfixa pauoris:
Inter vtroſque ſita'ſt, ceruos, ſæuóſque leones.
Sic hominum genus eſt. quamuis doctrina politos
Conſtituat pariter quoſdam, tamen illa relinquit
Naturæ quoiuſque animi veſtigia prima,

Nec radicitus euelli mala poſſe putandum'ſt,
Quin procliuius hic iras decurrat ad acreis:
Ille metu citius paullo tentetur:at ille
Tertius accipiat quædam clementius æquo.
Inq; aliis rebus multis differre neceſſe'ſt
Naturas hominum varias,moréſque ſequaceis.
Quorum ego nunc nequeo cæcas exponere cauſas:
Nec reperire figurarum tot nomina,quot ſunt
Principiis:vnde hæc oritur variantia rerum.
Illud in his rebus video firmare poteſſe,
Vſqueadeò naturarum veſtigia linqui
Paruola,quæ nequeat ratio depellere doctis,
Vt nihil impediat dignam diis degere vitam.
Hæc igitur natura tenetur corpore ab omni:
Ipſáque corporis eſt cuſtos,& cauſa ſalutis.
Nam communibus inter ſe radicibus hærent:
Nec ſine pernicie diuelli poſſe videntur.
Quod genus,è turis glebis euellere odorem
Haud facile'ſt,quin intereat natura quoque eius:
Sic animi,atque animæ naturam corpore toto
Extrahere haud facile'ſt,quin omnia diſſoluantur:
Implexis ita principiis ab origine prima
Inter ſe fiunt conſorti prædita vita:
Nec ſine vi quicquam alterius ſibi poſſe videtur
Corporis,atque animi ſeorſum ſentire poteſtas:
Sed communibus inter eos conflatur vtrinque
Motibus accenſus nobis per viſcera ſenſus.

ET EX OCVLIS MICAT) *ardor oculorum iram ſignificat.* Hom. ἰλ. α. μένεος δὲ μέγα φρένες ἀμφὶ μέλαιναι Πίμπλαντ', ὄσσε δέ οἱ πυρὶ λαμπετόωντι ἐΐκτην.

ACRIBVS) *ſic neceſſario legendum eſt.atque hunc locum imitatus eſt Virgil. lib.12.Æneid.vt me admonuit Paſſeratius.Scintillæ abſiſtunt: oculis micat acribus ardor.Sic & M.Tull.loquitur lib.1.Tuſc.quæſt.Nec verò quiſquã de hoc dubitare poſſet, niſi idem nobis accideret,diligenter de animo cogitãtibus,quod iis ſæpe vſu venit, qui acribus oculis deficientem ſolem intuentur,vt adſpectum omnino amitterent,&c.* SED CALIDI PLVS EST) *Sic Plutarchus libello,* περὶ ἠθικῆς ἀρετῆς, *non admodum longè ab extremo:* Οὐ γὰρ ὀρθότητι δοξῶν, οὐδὲ φαυλότητι δήπου τοῖς μὲν ἀλκαὶ καὶ ὁρμαὶ πρὸς τὰ φαινόμενα δεινὰ παρέστανται, τοῖς δὲ ἀμήχανοι πτοιαὶ καὶ φόβοι τῆς ψυχῆς, ἀλλὰ αἱ περὶ τὸ αἷμα, καὶ τὸ πνεῦμα, καὶ τὸ σῶμα δυνάμεις, τὰς τῶν παθῶν διαφορὰς ποιοῦσιν, ὥσπερ ἐκ ῥίζης τοῦ παθητικοῦ τῆς σαρκὸς, ἀναβλαστάνοντος, καὶ συναναφέροντος τὴν ποιότητα, καὶ τὴν κρᾶσιν. *id eſt, Non enim propterea quòd rectas, aut prauas opiniones habeant, beſtiis aliis excitantur vires & impetus aduerſus ea, quæ his vi-*

dentur mala, & incommoda: aliis verò pauores, & motus animæ, ſed quæ circa ſanguinem, & ſpiritum, & corpus ſunt poteſtates, affectuum differentias, & diſsimilitudines efficiunt: ea animæ particula, quæ affectibus æſtuat, ex carne, tanquam radice, pullulante, & vnà qualitatem & iudicium efferente.

IRARVM FLVCT.) *Sic Catull. carmine de Pelei & Thet. nupt. Proſpicit & magnis curarum fluctuat vndis. Virgil. Æneid 4. magnóq; irarum fluctuat æſtu. De leonibus lege Plinium lib. 8. cap. 16. & Ariſtot. lib. 9. de hiſtoria animalium. & Euſtathium ad hunc Homeri locũ. Ιλ.υ, Πηλείδης δ' ἑτέρωθεν ἐναντίον ὦρτο, λέων ὣς σίντης, ὅντε καὶ ἄνδρες ἀποκτάμεναι μεμάασιν Ἀγρόμενοι, πᾶς δῆμος, &c. Lucr. infrà eod. lib. Denique cur acris violentia triſte leonum Seminium ſequitur?*

AT VENTOSAM CERVOR.) *De ceruis Plinius lib. 8. cap. 32 Homerus ἰλιάδ. α. κυνὸς ὄμματ' ἔχων, κραδίην δ' ἐλάφοιο. Verba ſunt Achillis in Agamemnonẽ, impudentiam, & timiditatem ei obijcientis.*

AT NATVRA BOVM) *de bobus ſeu bubus, Plinius legendus lib. eodem cap. 45.* PERCIT) *perciet, permouet: ſubintell. boum naturam.*

SVBDITA) *ſubiecta. Sic Virgil. lib. 3. Georgic. Continuóque auidis vbi ſubdita flamma medullis. Sic M Tullius pro Milone, dixit, ſubijcere faceis inuidiæ. Ciceronis verba ſunt hæc. Quin hoc tempore ipſo, cùm omnes à tuis inimicis faces inuidiæ mihi ſubijciuntur, &c.*

PERFIXA) *tralatio ab ijs, qui telis perfixi ſunt. ſuprà lib. 2: deſiderio perfixa iuuenci.* SIC HOMINVM GENVS EST) *ſignificat, naturæ vitia non poſſe doctrina funditus exſtirpari: ita tamen doctrina, ſtudio & diligentia minui, & leuari poſſe, vt nihil vetet, quo minus ſapiens beate viuat, & homo inter homines Deus quidam eſſe videatur.* MORESQVE SEQVACEIS.) *ſequaceis, id eſt, ad ſequendum faciles, & flexibileis: μιμητικοὺς, ἀκολουθητικούς.*

CÆCAS) *obſcuras.* VARIANTIA) *differentia.*

NATVRARVM) *docti quidam legi volunt, naturaï.*

DEPELLERE DOCTIS) *ſecutus fueram initio libros vulgatos. Nam manuſcripti habent, depellere noctes. vnde ſuſpicabar legendum, ratio depellere docta. nunc, doctis, magis placet, vt ſit hæc ſentẽtia, quæ veſtigia naturarum ratio nequeat à doctis depellere. Ne cui autem mira ſit, aut abſurda videatur hæc locutio, ſic & M. Tullius locutus eſt in oratione pro Milone paullo ante cõfirmationem. Sin hoc & ratio doctis, & neceſsitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa præſcripſit, vt omnem ſemper vim, &c.*

DIGNAM DIIS) *beatam. ſic Epicurus, ζήσῃ δὲ ὡς θεὸς ἐν ἀνθρώποις. οὐδὲν γὰρ ἔοικε θνητῷ ζώῳ ἄνθρωπος ἐν ἀθανάτοις ἀγαθοῖς: id eſt viues autem vt Deus inter homines. nulla enim re, mortali ſimilis eſt homo in bonis immortalibus vitam agens.*

HÆC IGITVR NATVRA) *animus ex quattuor illis naturis conflatus.*

NAM COMMVN. INTER SE) *ſignificat, animum & corpus animantis ita inter ſe eſſe coniuncta, & colligata, vt alterum ab altero ſeiunctum viuere, aut eſſe non poſsit.* QVOD GENVS) *quemadmodum. Probat à ſimili neque animam à corpore animantis ſeiunctam, neque corpus ab animo ſemotũ eſſe poſſe.*

QVIN OMNIA DISSOLVANTVR) *alij legunt ita, diſſoluantur, vt ſit quinque ſyllabarum, fiátque διαίρεσις: alij diſſoluantur ſine diæreſi, vt ſit verſus ſpondiacus. ego ſúſque déque habeo.* IMPLEXIS) *implicatis. implexum cõpoſitum à præpoſitione in: quæ vim augendi habeat, nõ negandi: vt in his, incuruus,*

incanus, & ſimil. & plexum. Plexa autem (vt docet Feſtus) colligata ſignificat eẋ Græco: cui nos etiam præpoſitionem adiicimus, cùm dicimus, perplexa.

NEC SIBI QVÆQVE SINE ALTERIVS VI P. V.) *ſic legitur hic verſus in lib. vulgatis. præter Pariſienſ. & Vicet. & Venetos antiquos. Nec ſine vi quicquam alterius ſibi poſſe videtur, &c. in manuſcriptis autem, Nec ſibi quæque ſine alterius vi poſſe videtur, &c. quos ſecutus ſum. quamuis alteram ſcripturam, quam olim ſecutus eram, non damnem.*

ACCENSVS NOBIS PER VISCERA SENSVS) *ſic ſup. lib. 2. quibu' conuenienter Accenſi ſenſus animantem quamque tuentur. Vel, vt legendum potius, quibus omnituentes, &c.*

Præterea corpus per ſe nec gignitur vmquam,
Nec creſcit, nec poſt mortem durare videtur.
Non enim, vt humor aquæ dimittit ſæpe vaporem,
Qui datus eſt, neque ab hac cauſa conuellitur ipſe,
Sed manet incolumis, non, inquam, ſic animaï
Diſcidium poſſunt artus perferre relicti:
Sed penitus pereunt conuolſi, cónque putreſcunt
Ex ineunte æuo ſic corporis, atque animaï
Mutua vitaleis diſcunt contagia motus,
Maternis etiam in membris, aluóque repoſta,
Diſcidium vt nequeat fieri ſine peſte, malóque:
Vt videas, quoniam coniuncta'ſt cauſa ſalutis,
Coniunctam quoque naturam conſiſtere eorum.
Quod ſupereſt: ſi quis corpus ſentire renutat,
Atque animam credit permiſtam corpore toto
Suſcipere hunc motum, quem ſenſum nominitamus:
Vel manifeſtas res contra, veráſque repugnat.
Quid ſit enim corpus ſentire quis afferet vmquam,
Si non ipſa palàm quod res dedit, ac docuit nos?
At dimiſſa anima corpus caret vndique ſenſu.
ˎ Perdit enim quod non proprium fuit eius in æuo:'
Multáque præterea perdit cùm expellitur æuo.

CORPVS) *corpus hominis; ſeu cuiuſlibet animalis.*

NON ENIM VT HVM.) *Argumentum à diſparibus, ſeu diſsimilib. Non, (inquit) vt aqua calefacta, amiſſò calore, manet incolumis, neque perimitur: ſic corpus humanum efflata anima, ſaluum & incolume manere poteſt: ſed penitus corrumpitur, computreſcit, atque interit.*

DIMITTIT SÆPE VAPOREM) *ſic libri manuſcr. & item nonnullis typis excuſi. Florentini & Lugdunenſes, & Veneti recentiores, ſaporē. ego illam ſcripturam probo, & vaporem interpretor calorem, ſeu halitum calidum.*

DISCIDIVM) *id eſt diſciſsionem, ac diuulſionem, à verbo diſcindo.*

CONQVE PVTRESCVNT) *& computreſcunt. tmeſis.*

SIC CORPORIS, ATQVE ANIMAI MVTVA, *&c.) ordo eſt: ſic mutua corporis, atq; animæ contagia vitaleis motus diſcunt etiam in membris maternis repoſita, & recondita.*

QVOD SVPEREST) *Probare conatur, eos errare, qui omnem ſenſum attribuunt animæ: corpus autem nihil ſentire opinantur. Quod ſupereſt autẽ, id eſt quod reliquum eſt.* RENVTAT) *ſic legendum, non refutat. nam refutare (inquit Feſtus) redarguere eſt. compoſitum à fando, verſa a littera in u. renutat autem, id eſt negat, renuit, non vult, vt lib. 4. Incolumis tranſire poteſt, ſimulacra renutant. Horat. epiſt. ad Quinctium. renuit, negat atque Sabellus.*

SI NON IPSA PALAM QVOD RES) *codices quidem & manuſcripti, & typis impreßi ſic habent: ſed contendunt doctiſſimi quidam viri, ſic eſſe legendum: Si non ipſe, palàm qui res dedit, ac docuit nos? ipſe autem, nempe ſenſus. ego nihil muto.*

AT DIMISSA ANIMA CORPVS *&c.* ὑποφορὰ, *quam ſtatim ſoluit. At corpus, inquit (dicet aliquis) dimiſſa anima, ſenſu caret: ergo corpus non ſentit, ſed anima.* MVLTAQVE PRÆTEREA, *&c.) ſolutio obiectionis. quid mirum (inquit) corpus carere ſenſu? vel quid tum poſtea, ſi corpus caret ſenſu poſt animæ diſceſſum? Multa etiam alia præterea amittit cùm expellitur æuo: id eſt cùm deſinit ætatem agere, & viuere. hæc mihi videtur huius loci & recta ſcriptura, & vera ſententia. Itaque verſum ſuperiorem, vt adulterinum, delendum cenſeo. mouet me codex Vaticanus: à quo abeſt hic verſus: Multáque præterea, &c. animaduerti enim hoc ſæpe vſuuenire, vt, cùm adiectus eſſet huic poëtæ verſus aliquis alienus, ſcriptor librarius, qui poſtea illud exemplum ſequeretur, verſum adiectum, & alienum ſcriberet, verum & germanum prætermitteret. Atque, vt magis credas, lector erudite, hunc locum eſſe corruptum, docti quidam exiſtimant hic aliquot verſus deeſſe, dubitántque, vtrùm verſus is, quem dico, ſit τοῦ ποιητοῦ, nécne. ſed non attendunt, quandocunque duo verſus inter ſe proximi in eandem vocem deſinunt, magno id argumento eſſe, alterum eorũ eſſe alienum. Cùm igitur neceſſariò alter ex his duobus verſibus foris irrepſerit in alienum locum, locutionis ſimilitudo, & ſententiæ conſecutio facilè indicant, verſum, Multáque præterea, &c. eſſe germanum Lucretianum: illum autem ſuperiorem, ſpurium, atque adulterinum.*

Dicere porrò, oculos nullam rem cernere poſſe:
Sed per eos animum, vt foribus ſpectare recluſis,
Deſipere eſt, contrà quom ſenſus dicat eorum:
Senſus enim trahit, atque acies detrudit ad ipſas,
Fulgida præſertim cùm cernere ſæpe nequimus,
Lumina luminibus quia nobis præpediuntur:
Quod foribus non fit. neque enim, quà cernimus ipſi,
Oſtia ſuſcipiunt vllum recluſa laborem.
Præterea ſi pro foribus ſunt lumina noſtra:
Iam magis exemtis oculis debere videtur
Cernere res animus ſublatis poſtibus ipſis.
Illud in his rebus nequaquam ſumere poſſis,

&

Democriti quod ſancta viri ſententia ponit,
Corporis,atque animi primordia ſingula primis
Adpoſita, alternis variare,ac nectere membra.
Nam cùm multo ſunt animaï elementa minora,
Quàm quibus è corpus nobis,& viſcera conſtant,
Tùm numero quoque concedunt,& rara per artus
Diſſita ſunt,duntaxat vt hoc promittere poſſis,
Quantula prima queant nobis iniecta ciere
Corpora ſenſiferos motus in corpore,tanta
Interualla tenere exordia prima animaï.
Nam neque pulueris interdum ſentimus adhæſum
Corpore,nec membris incuſſam inſidere cretam,
Nec nebulam noctu,neque aranei tenuia fila,
Obuia ſentimus,quando obretimur euntes:
Nec ſupra caput eiuſdem cecidiſſe vietam
Veſtem,nec plumas auium,pappóſque volanteis,
Qui nimia leuitate cadunt plerumque grauatim.
Nec repentis itum quoiuſuis cumque animantis
Sentimus,nec priua pedum veſtigia quæque,
Corpore quæ in noſtro culices,& cetera ponunt.
Vſqueadeò prius eſt in nobis multa ciundum
Semina,corporibus noſtris immiſta per artus,
Quàm primordia ſentiſcant concuſſa animaï,
Et quàm interuallis tantis tuditantia poſſint
Concurſare,coïte,& diſſultare viciſſim.

DICERE PORRO, OCVLOS,*&c.) refellit eorum ſententiam,qui dicebant,mentem videre,mentem audire,&c. notũ illud Heracliti,νοῦς ὁρῇ,νοῦς ἀκούει. mens videt,mens audit. quod adſcribit Tertullianus Epicharmo libro de anima.ſic enim ille.Meminerat ſcilicet & Epicharmi comici.Animus cernit,animus audit:reliqua ſurda & cæca ſunt.idem videtur ſenſiſſe M.Tull. ſic enim ille lib.1.Tuſcul. Nos enim ne nunc quidem cernimus ea,quæ videmus. Neque enim vllus ſenſus eſt in corpore,ſed,vt non ſolùm phyſici docent, verùm etiam medici, qui iſta aperta, & patefacta viderunt:viæ quaſi ſunt ad oculos, ad aureis, ad nareis à ſede animi perforatæ,&c. Eodem pertinent illa, quæ ſunt lib.3.de nat.deorum. Cur coniuereris autem altero oculo,cauſa non eſſet,cùm idem obtutus eſſet amborum,& cùm rerum natura,quam tu ſapientem eſſe vis,duo lumina ab animo ad oculos perforata nos habere voluiſſet.*

DESIPERE EST) *ſic iam edendum curaui in ſecunda editione: cùm vulgò legeretur,Difficile eſt.hanc emendationem Thraſo ſibi arrogauit.*

CONTRA CVM SENSVS DICAT) *ſic legendum vel codicibus omnibus reclamantibus:in quibus vel ſcriptum,vel impreſſum eſt: cõtrà cum ſenſus du-*

tat. quam ſcripturam quid eſt quòd accuratius refellere coner, cùm id ſentiat Lucretius, quod Epicurus Græcè dicere ſolebat, ἀντιμαρτυρεῖν, ſeu ἀντιμάχεσθαι; præterea Latinè dicimus contrà dicere: contrà ducere, non item. SENSVS ENIM TRAHIT, &c.) hunc verſum delendum cenſeo. nam primùm ſuperuacaneus eſt, eóque ſublato, de ſententia nihil deperit: immò planior, atque illuſtrior eſt, vt ſtatim oſtendam: deinde falſum eſt, quod per eum ſignificatur, & ab Epicureis decretis abhorret: poſtremò loquendi genus, inelegans atque adeò inquinatum eſt.

LVMINA LVMINIBVS, &c.) quia oculi nobis præpediũtur, obiecto lumine, & ſplendore, præſertim acriore: cuius rei cauſam explicat lib. 4. ibi. Splendida porrò oculi fugitant, &c.

QVOD FORIBVS NON FIT) hoc ſentit hoc loco Lucretius. res ſplendidas intueri nequimus, propterea quia oculi nobis præpediuntur à lumine externo acriore, quàm vt ferre poßint: quod non fieret, ſi ſolus animus cerneret, & oculi eſſent tanquam fores, aut feneſtræ, per quas cerneret: cùm experiamur, ſi per feneſtrã, aut ianuam aliquam apertam & patentem aſpiciamus, nihil eam laborare.

QVA) hoc eſt, per quæ oſtia. aduerbium motus per locum.

POSTIBVS) i. foribus. ſic lib. 4. Primus enim, citra poſte is qui cernitur aër. & Virg. lib. 2. Æn. poſtéſque relicti A tergo, (infelix quà ſe, dũ regna manebant, &c.

ILLVD IN HIS REBVS, &c.) docet errare Democritum, qui ſingula animi primordia, ſingulis corporis ſeminibus appoſita eſſe dicat.

DEMOCRITI QVOD SANCTA VIRI) Democriti ſententia, periphraſis: id eſt Democritus. ſic Horat. ſaty. 2 lib. 1. macte Virtute eſto, inquit ſententia dia Catonis, id eſt Cato. cuius circumlocutionis, ſi plura exempla quæris, petito ex commentariis noſtris in Horat. Porrò autem hic Lucretij verſus iteratur lib. 5.

QVAM QVIBVS) id eſt quàm ea elementa, ex quibus corpus noſtrũ conſtat. Sic autem edendum curaui, Quàm quibus è, nonnullis codicibus antiq. approbantib. aliis reclamantib. qui habent, Quàm quibus & corp &c.

NVMERO QVOQ. CONC.) numero cedũt, quod valet, inferiora ſunt: i. pauciora ſunt. PROMITTERE) id eſt affirmare. Horat ſaty. 4 lib. I. quod vitium procul afore chartis, Atque animo prius, vt, ſi quid promittere de me Poſſum aliud, verè promitto. QVANTVLA PRIMA QVEANT, &c.) hoc dicit. vt duntaxat affirmare poßis, prima corpora animæ tantùm ſpatij occupare, & tam latè in corpore eſſe diſſeminata, quanto ſpatio, quantóque numero prima illa corpora nobis iniecta poßint in noſtro corpore motus ſenſiferos excitare. legendum fortaſſe eſt, Quantis prima queant, &c. quantis autem nempe interuallis. Verùm nihil mutare auſim. NAM NEQVE PVLVERIS) hoc argumento probat, ſingula animi primordia non eſſe ſingulis primordiis corporis annexa, quia ſi ita eſſet, ſentiremus puluerem exiguum corpori adhærentem, cretam inſidentem, nebulam, araneæ telam, & ſimilia: hoc non fit: ergo, &c.

ADHÆSVM) adhæſum pulueris, id eſt puluerem adhærentem. profert hunc verſum Nonius in voce, adhæſus. vſurpat Lucret. eandem vocem lib. 4 locis quia nõ potis eſt adfigere adhæſum: & lib. 6. Suſpenſæ cùm cõcipiunt humoris adhæſum. crebrò autem vtitur huiuſmodi nominibus verbalibus deſinentibus in us, conciliatus, cõmutatus, offenſus, cõiectus, iniectus, adiectus, itus, initus, adauctus, & ſimil.

INSIDERE) libri fere omnes & vulgati, & manuſcr. habent, ſidere, à verbo ſido, is. Sed volũt quidam legi hic, inſidere, in compoſito. quibuſcum nolo pugnare.

NEC NEBVLAM NOCTV) *docti quidam legi volũt, Nec nebulã noctis.* SVPERA) *ſupra.* VIETAM) *languidam. vietus (inquit Feſtus) languidus, ſine vi, & naturalibus viribus priuatus. Et Donatus ad illum Terentij locum Eunu. hic eſt vetus, vietus, veternoſus, ſenex: Vietus (inquit) mollis, flaccidus, & flexibili corpore. vnde & vimina, & vimenta, & vites, & vietores dicuntur, & viere religare dicitur, quia virgis vietis magis religare quidlibet poſſumus. Lucretius araneæ dixit vietam veſtem: id eſt putri mollitia præditam.*

PAPPOSQVE VOLANTEIS) *profert hunc verſum Feſtus in voce pappi, & docet, pappos eſſe carduorum flores.*

GRAVATIM) *id eſt grauatè, ob nimiam leuitatem grauatè cadunt: id eſt ægrè, & vix cadere poſſunt.*

ITVM) *inceſſum. vtitur hac voce & Arnob. lib. 6. An habent itus liberos, cùm libuerit abire quocumque, & ab ſuis ſedibus, ſimulacríſque diſcedere?*

PRIVA) *priuata, propria, ſeu ſingula. Nam (vt docet Feſtus) priuos, priuáſque antiqui dicebant pro ſingulis. ob quam cauſam & priuata dicuntur, quæ vniuſcuiuſque ſunt.* VSQVE ADEO PRIVS EST, &c.) *ſcripturam antiquã reſtitui, corruptam ab ijs, quorum nominibus parco, propter ingenij gloriam: qua etiam mortui & viuunt, & viuent. ſed illi nimiùm licentiæ ſibi permittentes, quæ in bonis ſcriptoribus non intelligebant, ſuo arbitratu mutabant, & deprauabant, vt, cùm hunc verſum ita ſcriptum reperiſſent, Vſque adeò prius eſt in nobis multa ciundoƶ, &c. ſic mutarunt: Vſque adeò prius in nobis ſunt multa cienda, &c. præclarè & eadem ſententia manente, fateor. Sed cuius confidentiæ atque impudentiæ eſt, homines non aliunde, quàm à Lucretio, Catullo, M. Tullio, & ſimilibus ſcriptoribus, Latini ſermonis ſcientiam conſecutos, eos ipſos, à quibus didicerunt, Latinè loqui docere conari? Sic igitur Lucretius locutus eſt. Vſque adeò prius eſt in nobis multa ciendum Semina: Illi hoc genus loquendi non probarunt ſcilicet, & ſic repoſuerunt, Vſque adeo prius in nobis ſunt, &c. Atqui illo potius modo Lucretius loqui ſolet, vt aliàs admonui, & ita primo libro. Æternas quoniã pœnas in morte timendũ: ad quem locũ plura exẽpla collegimus. iam quòd nonnulli libri ſcripti habent, ciendo: hoc ciendo, factum eſt. ex ciendos: ciendos, ex ciendoƶ. ciendoƶ autem idem valebat quod ciendom. ſcriptores enim illi imperiti ƶ pro m ſcribebant in extremis nominibus. ciendom porrò, ſeu ciundom, pro ciendum, ſeu ciundum, accipiendum eſt o pro u: quod etiam ſuprà admonuimus.* ET QVAM INTERV. TANT.) *Sic legendum eſt, non, vt quidam volunt, & nonnulli libri comprobant, Et quantis interuallis tuditantia, &c. vel ſic, quod magis probo, quia vox tantis abeſt à veteribus codicibus. Et quàm ſis interuallis tuditantia poßint. ſis autem, id eſt ſuis.*

TVDITANTIA,) *id eſt tundẽtia, vt ſuprà lib. 2. Nec tuditantia rem ceſſant, &c. Sententia autem huius loci hæc eſt. Vſque adeò multa in nobis corpora prima moueri debent, quæ ſunt corporibus noſtris immiſta, quàm primordia animæ concuſſa ſentiant, ſeu ſentire incipiant: & prius quàm primordia animæ, pellendo, & crebrò tundendo, vtpote tam magnis interuallis diſpoſitea, poßint concurſare, & conuenire, & ita ſenſum gignere, &c. Suprà, & rara per artus, Dißita ſunt, duntaxat, vt hoc promittere poßis, Quantula prima queant nobis iniecta ciere Corpore ſenſiferos motus in corpore, tanta Interualla, &c.*

Et magis eſt animus vitaï clauſtra coërcens.

Et dominantior ad vitam, quàm vis animaï.
Nam ſine mente, animóque nequit reſidêre per artus.
Temporis exiguam partem pars vlla animaï:
Sed comes inſequitur facilè, & diſcedit in auras:
Et gelidos artus in leti frigore linquit.
At manet in vita, quoi mens, animúſque remanſit,
Quamuis eſt circùm cæſis lacet vndique membris:
Truncus, ademta anima circùm, membríſque remotis,
Viuit: & ætherias vitaleis ſuccipit auras:
Si non omni'modis, at magna parte animaï
Priuatus, tamen in vita cunctatur, & hæret.
Vt lacerato oculo circùm ſi pupula manſit
Incolumis, ſtat cernendi viuata poteſtas,
Dummodo ne totum corrumpas luminis orbem:
Sed circumcidas aciem, ſolámque relinquas:
Id quoque enim ſine pernicie confiet eorum.
At ſi tantula pars oculi media illa pereſa'ſt:
Incolumis quamuis alioqui ſplendidus orbis:
Occidit extemplò lumen, tenebræque ſequuntur.
Hoc anima, atque animus vincti ſunt fœdere ſemper.

ET MAGIS EST ANIMVS, *&c.) videtur aliter ſentire* Nonius, *cùm ita docet. animus, quo ſapimus: anima, qua viuimus. ſed non pugnant hæc inter ſe.*

NAM SINE MENTE) *videtur hoc eſſe falſum: idque adeò appâret ex furioſis: qui ſine animo & mente: id eſt ſine ea parte, qua ſapimus, viuunt: ſine anima autem neque furioſi, neque quiſquam omnino viuere poteſt.* Sed dicendum, Lucretium *non ita accipere animum.*

SED COMES INSEQ.) *libri ſcripti habent, cumes, mendoſe. u pro o. vt epiſtula, & adulescens, pro epiſtola, & adoleſcens: de quibus aliàs.*

OMNI'MODIS) *omnibus modis.* VT LACERATO OCVLO) *probat à ſimili, animum vitæ eſſe dominum, atque auctorem magis, quàm animam, hoc modo.* Quemadmodum *oculo læſo, ac lacerato, ſi modò pupula illæſa, & integra manſit, manet videndi poteſtas, ſiue facultas: ita, cui ademta anima eſt, animo incolumi remanente, is manet in vita.*

DVMMODO NE TOTVM CORR.) *explicat id, quod dixerat obſcurius, lacerato oculo.* Poterat *enim tardiuſculus aliquis ſic accipere, toto oculo lacerato, videndi ſenſum incolumem manere.* Huic *igitur occurrens,* Dummodo, *inquit, ne totum oculum corrumpas, ſed aciem, ſeu pupulam integram relinquas, eámque ita circumcidas, vt intacta, & ſalua maneat.* Nam *id quoque, id eſt ea talis aciei circumciſio, vt ſalua remaneat, & ſola intacta relinquatur, fiet ſine oculorum pernicie. ſequitur deinceps.* At ſi, *&c.*

LVMINIS. ORBEM) *orbem oculorum.* Sic Sophocles *in* Oedipo Tyranno. Ἄρας ἔπαισεν ἄρθρα τῶν αὐτοῦ κύκλων, *id eſt ſublata manu, vel ſublatis fibulis, quas manu tenebat, orbeis oculorum ſuorum percuſſit, vel artus orbium ſuorum percuſſit.*

CIRCVM) περὶξ. PVPVLA) ἡ κόρη, τὸ ἐν μέσῳ μέλαν: *acies, qua cernimus: quæ etiam pupilla appellatur. Eſt autem hæc oculi pars cryſtallina, ſeu glacialis. vitreus humor autem proxime ſequitur glacialem introrſum: contraria ex parte extrorſum aqueus. vitreum humorẽ complectitur tunica, quæ appellatur* ἀμφιβληστροειδής, *id eſt rete circundans: hanc tunica excipit eã, quæ dicitur vuea: quam ambit cornea membrana.* VIVATA POTESTAS) *viuatus & viuidus à vi magna dicuntur (inquit Feſtus.)* ACIEM) *pupulam.*

ID QVOQVE ENIM SINE PERNICIE CONFIET EORVM) *circumcidere aciẽ, quod eſt, detracta ea parte, quæ appellatur à Græcis* κερατοειδής, *id eſt cornea, ſolam aciem incolumem relinquere, fiet ſine pernicie oculorum. confiet autem repoſui, cum in omnibus libris, non fiet, legeretur: ab ipſa ſententia ad veram ſcripturam veluti manu ductus. Quòd autem Thraſo vulgatam lectionem, non fiet, tuetur in indice, cùm in contextu improbet: pro, Sed circumcidas, autem, legit, Et circumcidas, hoc ſenſu, Dummodo ne totum oculũ corrumpas, & nihil, præter aciẽ relinquas: Nam ſi hoc fieret, non ſine pernicie oculorum fieret: ea verò ſcriptura ferri non poteſt. Nam ſi ita eſſet: hoc eſt, ſi ita diceret Lucretius, Id quoque enim ſine pernicie non fiet eorum, non aptè ſubijceretur, At ſi tantula pars, &c. Nunc autem cùm dixerit, Id quoque enim ſine pernicie confiet eorum, aptè quadrat & conuenit, At ſi tantula pars, &c. Præterea, ſi legeretur, non fiet: copulatio quoque eſſet ſuperuacanea. At ſuperuacanea non eſt. & profectò declarat non poſſe legi, non fiet.*

TENEBRÆQVE) *& cæcitas.* VINCTI) *ſic habent libri ſcripti. nam vulgati minus rectè, iuncti.*

Nunc age, natiuos animantibus, & mortaleis
Eſſe animos, animáſque leueis, vt noſcere poſſis:
Conquiſita diu, dulcíque reperta labore
Digna tua pergam diſponere carmina vita.
Tu fac vtrumque vno ſubiungas nomen eorum:
Atque animam, verbi cauſa, cùm dicere pergam,
Mortalem eſſe docens: animum quoque dicere credas:
Quatinus eſt vnum inter ſe, coniunctáque res eſt.
Principiò, quoniam tenuem conſtare minutis
Corporibus docui, multóque minoribus eſſe
Principiis factam, quàm liquidus humor aquai'ſt,
Aut nebula, aut fumus (nam longè mobilitate
Præſtat, & à tenui cauſa magis icta mouetur:
Quippe vbi imaginibus fumi, nebulæque mouetur:
Quod genus, in ſomnis ſopiti vbi cernimus alta
Exhalare vapore altaria, ferréque fumum:
Nam procul hæc dubio nobis ſimulacra genuntur)
Nunc igitur quoniam quaſſatis vndique vaſis
Diffluere humorem, & laticem diſcedere cernis:
Et nebula ac fumus quoniam diſcedit in auras:

Crede animam quoque diffundi, multóque perire
Ocyus, & citius diſſolui corpora prima,
Cùm ſemel ex hominis membris ablata receſſit.
Quippe etenim, corpus, quod vas quaſi conſtitit eius,
Cùm cohibere nequit conquaſſatum ex aliqua re,
Ac rarefactum detracto ſanguine venis,
Aëre quî credas poſſe hanc cohiberier vllo,
Corpore qui noſtro rarus magis am cohibeſſit?

NVNC AGE NATIVOS, &c.) *Nunc aggreditur ad probandum animos, ſeu animas (iam enim alterutrum pro eodem vſurpatur) eſſe natiuos: & ita, mortaleis. Quidquid enim ortum eſt, neceſſariò aliquando interibit. ex quo illud Xenophanis, æquè impios eſſe, qui deos natos eſſe dicerent, atque qui interituros. Sunt autem argumenta, quibus vtitur, admodum infirma, & leuia: neq; tamen poſſunt vlla afferri firmiora. Quòd ſi eſſent firmiſſima: nihil apud nos valerēt tamen, religione Chriſtiana imbutos. Vetat enim pietas cùm in pleriſque aliis, tùm in hoc maximè, audire Epicurum.* DISPONERE) *ſup. lib. 1. ſtudio diſpoſta fideli.*

TV FAC VTRVMQVE) *ſic habent lib. manuſcripti, non, Tu face. iam quod ſequitur, vno ſubiungas: ſi ſcriptura emendata eſt, poſitum pro ſub vno iungas, vel, vno, dictum pro, vni, vel legendum, vni.*

PRINCIPIO QVONIAM) *hoc primum argumentum eſt, quo oſtendere conatur, animam eſſe mortalem. anima conſtat ex primis corporibus longè ſubtilioribus, & minoribus, quàm aqua, aut nebula, aut fumus. at aqua, vaſe fracto, diffugit, ac diffluit: fumus, & nebula quà patet exitus, diſcedunt in auras: Ergo multo magis anima cum exceſſit è corpore, diffunditur, ac diſſipatur.*

QVIPPE VBI IMAGINIBVS FVMI, &c.) *Epicurus enim neque cerni quidquam, neque cogitari, neque ſomniari putabat ſine imaginibus. Quippe vbi autem, id eſt, quippe quia, ſeu quippe cùm.*

VBI CERNIMVS) *cernimus in ſomnis: id eſt, cernere videmur.*

GENVNTVR) *id eſt, gignuntur. ſic autem legendum, non, geruntur, reclamantibus libris omnibus. ſic enim loquitur infrà lib. 4. Nunc ea quàm facili & celeri ratione genantur, &c. & iterum eod. lib. citrà, Sunt etiam quæ ſponte ſua gignuntur, & ipſa Conſtituuntur in hoc cælo, qui dicitur aër.*

NVNC IGITVR QVONIAM) *ſuperius illud, Principio quoniam, non habet, ἀνταπόδοσιν: & quia multa ſunt interpoſita, ſumit alterum orationis principium, Nunc igitur quoniam, cui reſpondet id, quod ſequitur: Crede animam, &c.*

CVM SEMEL EX HOMINIS MEMBRIS) *in duobus libris manuſcriptis reperi ſcriptum, Cum ſemel ex hominis membris. quos nunc ſequor. Nam olim ſecutus eram vulgatam & receptam ſcripturam, quam alij veteres confirmāt, Cùm ſemel omnibus è membris, &c. quam tamen ne nunc quidem damno. Thraſo autem ridiculè vult legi, Cùm ſemel ex omnibus membris. Nam omnino vel ſic, vt nunc edidi, vel ſic, vt olim, legendum.* QVIPPE ETENIM, &c.) *cùm anima (inquit) corpore cohiberi non poſſit, vbi id aliquo caſu tanquam vas, conquaſſatum, & rarefactum eſt: quanto minus vllo aëre contineri poterit?*

CVM COHIB. NEQ.) *quidā libri habent, Quam cohibere nequit, &c.*

quam lectionem probo: vt ſit hic ordo verb. Quippe etenim, qui credas animã vllo aëre cohiberi poſſe, quam corpus, quod quaſi vas eius fuit, nõ potuit cohibere, &c. nonnulli, Quom cohibere, &c. quam non improbo.

CORPORE QVI NOSTRO RAR. MAG. AM COHIBESSIT) *hunc locum ita feliciter reſtitui, vt omneis eruditos, & politos homines mihi gratulaturos confidam. Nam libri vulgati, in quibus ſcriptum eſt, rarus magis incohibeſcit, planè mendoſi ſunt, neque verbum, incohibeſcit, Latinum eſt: neque probabilis ex ea lectione ſententia elici poteſt. Hæc autem ſcriptura, quam reſtitui, facilis & plana eſt. qui aër (inquit) noſtro corpore rarior, am, id eſt eam, cohibeſſit, id eſt cohibuerit. am dicebant antiqui pro eam, im, & em, pro eum, vt teſtantur grammatici veteres. Iam, cohibeſſit, pro, cohibuerit, etiam antiquũ: cuiuſmodi ſunt illa apud Plaut. ſeruaſſim, ſupplicaſſis, negaſſim, prohibeſſis, &c. pro ſeruauerim, ſupplicaris, negauerim, prohibueris, &c. Cùm hæc ſcripſiſſem, & ita edidiſſem, niſi quòd em pro am aliud agens edideram, Thraſo, cohibeſſit, quidem probauit, ſed pro em cohibeſſit, quod olim edideramus, am cohibeſſit, ſcribere ſe velle dixit, quaſi huius emendationis inuentor. Specta lector hominis ingenuitatẽ & candorẽ.*

Præterea gigni pariter cum corpore, & vnà
Creſcere ſentimus, paritérque ſeneſcere mentem.
Nam velut infirmo pueri, teneróque vagantur
Corpore: ſic animi ſequitur ſententia tenuis.
Inde, vbi robuſtis adoleuit viribus ætas:
Conſilium quoque maius, & auctior eſt animi vis.
Pòſt, vbi iam validis quaſſatum'ſt viribus æui
Corpus, & obtuſis ceciderunt viribus artus:
Claudicat ingenium, delirat linguáque, ménſque:
Omnia deficiunt, atque vno tempore deſunt.
Ergo diſſolui quoque cónuenit omnem animaï
Naturam, ceu fumus in altas aëris auras:
Quandoquidem gigni pariter, paritérque videmus
Creſcere, & (vt docui) ſimul æuo feſſa fatiſcit.
Huc accedit, vti videamus, corpus vt ipſum
Suſcipere immaneis morbos, durúmque dolorem:
Sic animum curas acreis, luctúmque, metúmque.
Quare participem leti quoque cónuenit eſſe.
Quinetiam morbis in corporis auius errat
Sæpe animus. dementit enim, deliráque fatur:
Interdúmque graui lethargo fertur in altum,
Aeternúmque ſoporem, oculis, nutúque cadenti.
Vnde neque exaudit voces: neque noſcere voltus
Illorum potis eſt, ad vitam qui reuocantes
Circumſtant, lacrymis rorantes ora, genáſque.

Quare

Quare animum quoque diſſolui fateare neceſſe'ſt:
Quandoquidem penetrant in eum contagia morbi.
Nam dolor, ac morbus, leti fabricator vterque'ſt:
Multorum exitio perdocti quod ſumus antè.

PRÆTEREA GIGNI) *ſecundum argumentum. mens vnà cum corpore gignitur, creſcit, ſeneſcit: ergo & cum corpore moritur. Lactantius, ſeu, vt alij appellari volunt, Lutatius Firmianus, ducto hinc initio, omnia ferè Lucretij argumenta aduerſus animorum immortalitatem diluit ac refellit 12. cap lib. 7. de diuino præmio. Verùm quòd ad hanc ſententiam attinet, etiam Ariſtoteles, & M. Tullius præclarè has eaſdem rationes diſſoluunt (vt mox oſtendemus.) Antipater quoque clarus medicus, vt refert Euſtath. ad illum locum Hom. ἰλ. λ. ἀπαλόν τέ σφ' ἦτορ ἀπηύρα, ex eo ratiocinabatur, & cõcludebat, animum vnà cum corpore affici, quòd vnà cum eo creſcat & minuatur: cùm tenerum corpus eſt, animum quoque eſſe tenerum: cùm adultum, animum quoque eſſe adultum & perfectũ: & ita vnà cum corpore intereunte, interire. Crebrò autem vſurpat, ἦτορ ἀπαλὸν, & ἀπαλαὶ φρένες, Homerus: id eſt tener animus, & tenera mens: de animalibus nondum adultis loquens: Sic Lucretius infrà eodem lib. Scilicet in tenero teneraſcere corpore mentem Non fugient: quod ſi iam fit, fateare neceſſe eſt, Mortalem eſſe animam.*

LINGVAQVE, MENSQVE) *in quibuſdam libris legitur, lingua, animúſque. ego tamen nihil mutandum cenſeo. delirat lingua, autem, id eſt delira, aut deliris conuenientia loquitur.* CEV FVMVS IN ALTAS) *ſubintell. diſſoluitur. aut legendum, ceu fumum.*

PARITERQVE VIDEMVS) *ſic iam bis edidi, neque nunc factum muto Sed non diſplicet mihi tamen altera ſcriptura, paritérque videtur Creſcere, & (vt docui) ſimul æuo feſſa fatiſci.* FESSA FATISCIT) *ſic habent omnes ferè lib. vulgati, & tres calamo ſcripti. vnus, fatiſci. quod ſi recipiemus, legendum erit in verſu ſuperiore, paritérque videtur. fatiſcor, autem dixiſſe veteres, pro, fatiſco, notat Nonius: eóque vtitur Lucret. lib. 5. Non delubra Deûm, ſimulacráque feſſa fatiſci? Iam quòd dicit hic Lucretius, animam, ſeu animum cum corpore ſeneſcere, negat hoc Ariſtot. lib. 1. de Animo: docétque, quemadmodum ſi ſenex, iuuenis oculum ſumeret, fore vt æquè acutè cernat, atque iuuenis: ita, ſi inſtrumentum, aut vas animæ detur ſeni integrum, & recens, fore vt contempletur, cogitet, intelligat proinde ac ſi iuuenis eſſet. non eſſe igitur animi vitium, ſi ſenes delirent, aut deſipiant, ſed corporis: neque ſenectutem eſſe in animo, ſed in inſtrumentis, & ſedibus animi. animum enim eſſe morbi, & ſenectutis expertem, & diuinum quiddam.*

HVC ACCEDIT, VTI VID. CORP. VT IPS.) *ſic habent lib. manuſcrip. non vt vulgati, id ipſum. ſic autẽ Arnob. lib. 2 aduerſ. gent. Quicquid enim cauſa ingruente nõnulla, ita mutatur, vt integritatem ſuã retinere non poßit, id neceſſe eſt iudicari eſſe paßiuũ. Quod autem eſt promtũ atq; expoſitũ paßioni, corruptibile eſſe, ipſa paßibilitate interueniẽte, denũtiatur Hoc argumentũ refellit etiam M. Tull. lib. 1. Tuſcul. quæſt. his verbis. Alterã affert rationẽ Panætius (aduerſus animorum immortalitatem ſcilicet, nihil eſſe, quod doleat, quin id ægrum eſſe quoque poßit: quod autem in morbum cadat, id etiam interiturũ: dolere autem animos: ergo etiam interire: Hæc refelli poſſunt ſunt enim ignorantis, cùm de æternitate animorum dicantur, de mente dici: quæ omni turbido motu ſemper vacet: non de partibus*

iis,in quibus ægritudines,iræ, libidinéſque verſentur: quas is, contra quem hæc dicantur.ſemotas à mente,& diſcluſas putat. DVRVMQVE DOLOREM,) *ſic habent libri manuſcripti. vulgati autem,durúmque laborem.*

QVINETIAM) *quartum argumentū.animus interdū eſt particeps morborū corporis:id eſt morborū corporis ſenſus & cōtagio ad animū penetrat,ac permanat: ergo æque,vt corpus,interit.* Huc pertinet illud Arnobij ex lib.2. *Ipſe denique animus,qui immortalis à vobis,& deus eſſe narratur, cur in ægris æger ſit,in infantibus ſtolidus,in ſenectute defeſſus.* DEMENTIT ENIM, DEL.) *quidam libri habent : dementia enim,deliráque fatur. Ego ſcripturam receptam retineo,dementit enim : quamquam,dementia enim,reperitur etiam in nonnullis libris vulg.* Pariſienſibus,Germanicis,Italicis. Omnino *verbū,dementire.mihi ſuſpectum eſt,vt à nemine alio,quod ſciam, vſurpatum , niſi fortè à* Lactantio Firmiano, *lib. 4.vbi fortaſſe pro dementire,dementare legendum eſt.Vſitatius enim eſt,dementare:eóque vtuntur* Apuleius,& Tertullianus.

LETHARGO) *veterno.ex quo veternoſus,qui graui premitur ſomno.*

NVTVQVE CADENTI) *ita habent tres libri ſcripti.& aliquot impreßi:* Florentini *autem &* Lugdun. *vultúque cadenti.quam poſteriorem ſcripturam non improbo.Sic enim ferè* Virgil.*lib.7.Æneid.Sed frons læta parum,& deiecto lumina vultu. verumtamen hanc,quam ſecutus ſum, magis probo. Nam hoc, nutu cadenti,illis ſimile eſt,quæ ſuprà collegi ad illum locum,ſonitu diſtare ſonanti, lib. 2. quibus adde & illud ex eodem* Lucret.*lib.4.ludóque iocanti. Nam per nutum nihil aliud ſignificari videtur,quàm capitis deiectio,ſeu demißio : vel caput demiſſum,& quaſi cadens.Sic* Plautus Aſin.*Atque hercle ipſum adeò contuor, capite caſanti. Ita enim lego apud* Plautum, *non vt vulgò, capite quaſſanti. Atque hæc eſt vna ex ſexcentis emendationibus noſtris,quibus* Plautus *à nobis in integrum reſtitutus propediem in manus hominum,*Deo opt max.*approbante , perueniet.*

AD VITAM QVI REVOCANTES) *ſolebant veteres aqua calida mortuos abluere, & per interualla conclamare, quòd plerumque ſolet ſpiritus extremus efflatus eſſe putari,& homines fallere.*Donatus *ad illum* Terentij *locum in* Eunucho,*iam conclamatum eſt,hæc annotat : id eſt,tranſactum, ac finitum eſt, vt, conclamata corpora nihil reliqui iam habent ad vitæ officia.*Virgil.Æneid.3.*animámque ſepulcro* Condimus, *& magna ſupremùm voce ciemus. Ne illud quidem ab hoc alienum eſt,quòd illi iidem veteres,eorū,qui in terris longinquis,& alienis, aut in prælio mortui eſſent,animas ter vocare ſolebant.* Homer. ὀδυσσ. ι. οὐδ' ἄρα μοι προτέρω νῆες κίον ἀμφιέλισσαι, πρίν τινα τῶν δειλῶν ἑτάρων τρὶς ἕκαστον ἀῦσαι, οἳ θάνον ἐν πεδίῳ Κικόνων ὕπο δηωθέντες: *id eſt,*Neque *verò mihi prius,ſeu vlterius naues vtrinque incuruæ cucurrerunt.quàm vnumquemque infelicium ſociorum , qui in campo* Ciconum *ferro interemti erant, ter vocaſſemus.* Et Virgil. *lib.2. mæſtúſque* Creuſam Nequicquam *ingeminans,iterúmque,iterúmque vocaui.*Idem *lib.6.*Tunc *egomet tumulum* Rhœteo *in litore inanem* Conſtitui , *& magna maneis ter voce vocaui.* LACRYMIS RORANTES) *ex quo,verbum,complorare.*

QVANDOQVIDEM PENETR) *profert hunc verſum* Nonius *in voce, contagiū.* LETI FABR.) *mortis cauſa efficiēs,ſeu mortis effector.tralatio eſt.*

MVLTOR. EXITIO PERD.) *poſt hunc verſum inculcant quidam duos verſus,*Præterea *mentē ſanari,&c.*Et *pariter flecti,&c. nō,rectè.qui ſuo loco infrà non longè ponentur.hic locus eis alienus eſt,neq, huc recipi nec debent,nec poſſunt.*

Denique cur hominem, cùm vini vis penetrauit
Acris, & in venas diſceſſit diditus ardor,
Conſequitur grauitas membrorum? præpediuntur
Crura vacillanti? tardeſcit lingua? madet mens?
Nant oculi? clamor, ſingultus, iurgia gliſcunt?
Et iam cetera de genere hoc, quæcunque ſequuntur,
Cur ea ſunt, niſi quòd vehemens violentia vini
Conturbare animam conſueuit corpore in ipſo?
At, quæcunque queunt conturbari, ínque pediri,
Significant, paullo ſi durior inſinuarit
Cauſa, fore vt pereant æuo priuata futuro.
Quinetiam ſubita vi morbi ſæpe coactus
Ante oculos aliquis noſtros, vt fulminis ictu
Cóncidit: & ſpumas agit, ingemit, & tremit artus:
Deſipit, extentat neruos, torquetur, anhelat:
Inconſtanter & in iactando membra fatigat:
Nimirum, quia vis morbi diſtracta per artus
Turbat agens animam, ſpumantes æquore ſalſo
Ventorum vt validis feruiſcunt viribus vndæ.
Exprimitur porrò gemitus, quia membra dolore
Adficiuntur: & omnino quòd ſemina vocis
Eiiciuntur, & ore foras glomerata feruntur.
Qua quaſi conſuerunt, & ſunt munita viaï.
Deſipientia fit, quia vis animi, atque animaï
Conturbatur: & (vt docui) diuiſa ſeorſum
Diſiectatur eodem illo diſtracta veneno.
Inde, vbi iam morbi ſe flexit cauſa, reditque
In latebras ater corrupti corporis humor:
Tum quaſi talipedans primùm conſurgit: & omneis
Paullatim redit in ſenſus, animámque receptat.
Hæc igitur tantis vbi morbis corpore in ipſo
Iactetur, miſeríſque modis diſtracta laboret:
Cur eandem credis ſine corpore in aëre aperto
Cum validis ventis ætatem degere poſſe?

DENIQVE CVR HOMINEM) *quintum argumentum, quod eſt item valde imbecillum. & tangit Ariſtot. lib 1. de animo. eſt enim non intelligentis, hæc omnia fieri & accidere vitio corporis, non animi.*

PRÆPEDIVNTVR CRVRA VACILL.) *ſic Chremes ille Terentianus in Eunuch. Atat, data hercle verba mihi ſunt. vicit vinum, quod bibi. At dum accubabam, quàm videbar mihi pulchrè ſobrius? Poſtquàm ſurrexi, neque pes, neque*

mens ſatis ſuum officium facit. ſic Pſeudolus ille Plautinus. Quid hoc? Siccine hoc fit? pedes, ſtatin', an non? an id voltis, vt me hîc iacentem aliquis tollat? Nam herclè ſi cecidero, veſtrum erit flagitium. Pergitin' pergere? ah. ſæuiendum mihi Hodie eſt. magnum hoc vitium vino eſt. Pedes captat primùm: luctator doloſus eſt.

CONTVRBARE ANIMAM, &c.) atqui non animam conturbat vini violentia, ſed corpus: quo conturbato, minus expeditè ſuo munere animus fungi poteſt. INSINVARIT) intrarit, ſubierit.

QVIN ETIAM SVBITO) ſextum: cuius eadem ratio eſt, atque ſuperioris: & coniungit vtrunque Ariſtoteles, his verbis, καθάπερ ἐν μέθαις καὶ νόσοις, id eſt quemadmodum in ebrietatibus & morbis, &c.

VT FVLMINIS ICTV CONCIDIT) fortaſſe ſignificat morbum comitialem. coniunge autem verba ſic. ſubitò cóncidit ante ocul. noſtr. vi morbi coactus, ſi legas, Quinetiam ſubitò, &c. nam alibi legitur, ſubita vi morbi.

AGENS ANIMAM) id eſt pellens animam.

SPVMANTES ÆQVORE) quia inter ſe non conſentiunt hoc loco libri calamo exarati, ſecutus ſum vulgatos. proponam tamen ſcripturæ veteris varietatem. alij habent, ſpumans in æquore ſalſo Ventorum val. feruescunt virib. vndæ. alij: ſpumans velut æquore ſalſò, & c. vt ſup. ex quibus ſcripturis vel ſic legendum puto. ſpumans vt in æquore ſalſo Ventorum validus feruiſcit viribus vnda: vel ſic, ſpumans velut æquore ſalſo Ventorum, &c. vt ſup. ſpumantem vndam etiam Virgil. dixit Georg. 4. Quáque dedit, ſpumantem vndam ſub vertice torſit.

EIICIVNTVR) id eſt emittuntur. ſic doctiſsimi viri legi volunt: quibus aſſentior. nam libri omnes habent, Eliciuntur. ſic ſup. eod. libro. Nam veræ voces tum demum pectore ab imo Eiiciuntur, &c. vbi tamen libri omnes habent, Eliciuntur.

QVA QVASI CONSVERVNT, &c.) hunc verſum me auctore deleto, vt ſpurium. quem qui dicunt eſſe elegantiſsimum, ipſi ſunt omnis elegantiæ expertes, & imperiti: & cæci iudicant de coloribus. Eodem iudicio paullo antè ſic legendum putauerunt, ſpumantes vt in æquore ſalſo Ventorum validis feruiſcunt, &c. vt litteram s. (inquiunt) in, ſpumantes, intelligamus eſſe extritam. O elegantiam, & venuſtatem inauditam, & vel ipſa Venere venuſtiorem, ſi diis placet.

EODEM ILLO DISTR. VENENO) diuulſa & diſparata illo eodem veneno, nempe atra bili. TVM QVASI TALIPEDANS) ſic hunc verſum reſtitui, haud dubia coniectura ductus. cuius mei facti nomine ſpero politos omneis his litteris homines mihi gratiam habituros. Nam vulgata quidem ſcriptura, quæ & in manuſcriptis, & in vulgatis libris reperitur. ſine dubio mendoſa eſt: nec poteſt nomen, vacillans, in hoc loco, ſaluis metri legibus, manere: nec. verbum, vacillo, primam habuit vmquam ancipitem: nec Lucretius voluit verſum facere vacillantem: nec ſcribendum eſt, vaccillans gemino cc. Denique legendum, talipedans, vt ego edendum curaui: quantumuis licet reclament Thraſones, & ſycophantæ. meæ autem coniecturæ ratio hæc eſt. Scriptum erat in emendatis membranis, Tum quaſi talipedans, &c. ſtudioſus aliquis lector ad oram libri ſui, in quo ſic erat ſcriptum, adſcripſerat, vacillãs, vt vocem obſcuriorem hac notiore declararet. Scriptor librarius, qui poſtea ex eo exemplo librum deſcripſit, omiſſo vero nomine, ſuppoſuit alterum interpretationis cauſa adſcriptum: nempe pro, talipedans, vacillans. In quo genere ſæpe peccabant ſcriptores illi, quemadmodum ſuprà admonuimus in, audeas, pro auſis, & in, re vera tamen haud ſit. pro, re non ſit tamen apſe. & hoc

lib. in extr. inuitus adhæret, & angit, pro, ingratis hæret, & angit. Sic apud Catull. carmine in Egnatium, ſcripſerant, atque ruſſam defricare gingiuam, pro ruſſam pumicare gingiuam: quod ex Apuleio in Apolog. notauit Adr. Turnebus. Sic nuper apud Demoſth. in oratione κατὰ μειδίου, non longe ab extr. repoſui ἐκλαίζειν ex Harpocr. pro ἐκκεφάγαν: quod eodem librariorum errore in codices Demoſthenis irrepſerat. Sic in oratione pro Milone, in proœmio, vulgò legitur, priſtinum morem iudiciorum minime vident, cùm libri manuſcripti habeant, & à Quintiliano referatur, priſtinũ morem iudic. requirunt quo modo ſe Fr. Fabricius Marcoduranus, Germanus, homo doctiſſ. & vir optimus, in libris manuſcr. reperiſſe ad me ſcripſit. Talipedare autem (inquit Feſtus) antiqui dicebant, pro vacillare pedibus laſſitudine, quaſi quis trahat pedes, & talis videatur inſiſtere, aut identidem pedes tollere.

HÆC IGITVR) *hæc, nempe animus, & anima, vbi iactentur, & laborent, &c. vel dic hoc modo, hæc videlicet anima, vbi tantis morbis in corpore ipſo, iactetur, miſeríſque modis diſtracta laboret, Cur eandem credis, &c. & ita, eandem erit diſſyllabum, quod non eſt nouum. Si in ipſo corpore (inquit) incluſa anima, in quo ab omni iniuria tutior & munitior eſſe debebat, quàm in aëre, tam grauibus tamen morbis afficitur, & tot malis conflictatur: quãto credibilius eſt, eam conturbatum atque agitatum iri extra corpus in aëre aperto à ventis iactatam?*

CVR EANDEM) *ſic malo legi, vt iam dixi, & ſuprà, iactetur, laboret, vt referantur ad animã. atq; ita in voce, eandem, e & an coaleſcent in vnam ſyllabã, vt ſæpe alibi. Quòd ſi quis malet legi, eadem: tum legendum erit, iactentur, laborẽt.*

Et quoniam mentem ſanari, corpus vt ægrum,
Cernimus, & flecti medicina poſſe videmus:
Id quoque præſagit mortalem viuere mentem.
Addere enim parteis, aut ordine traiicere æquum'ſt,
Aut aliquid prorſum de ſumma detrahere illum,
Commutare animum quicunque adorîtur, & infit:
Aut aliam quamuis naturam flectere quærit.
At neque transferri ſibi parteis, nec tribui volt,
Immortale quod eſt quicquam, neque defluere hilum.
Nam quodcunque ſuis mutatum finibus exit,
Continuò hoc mors eſt illius, quod fuit antè.
Ergo animus ſiue ægriſcit, mortalia ſigna
Mittit (vti docui) ſeu flectitur à medicina.
Vſqueadeò falſæ rationi vera videtur
Res occurrere, & effugium præcludere eunti,
Ancipitique refutatu conuincere falſum.
Denique ſæpe hominem paullatim cernimus ire,
Et membratim vitalem deperdere ſenſum:
In pedibus primùm digitos liueſcere, & vngueis,
Inde pedes & crura mori: pòſt inde per artus
Ire alios tractim gelidi veſtigia leti.

Scinditur atqui animæ quoniam natura,nec vno
Tempore ſincera exſiſtit:mortalis habenda'ſt.
Quòd ſi fortè putas ipſam ſe poſſe per artus
Introrſum trahere,& parteis conducere in vnum,
Atque ideò cunctis ſenſum deducere membris:
At locus ille tamen,quò copia tanta animaï
Cogitur,in ſenſu debet maiore videri.
Qui quoniam nuſquam'ſt:nimirum(vt diximus antè)
Dilaniata foras diſpergitur:interit ergo.
Quin etiam,ſi iam libeat concedere falſum,
Et dare,poſſe animam glomerari in corpore eorum,
Lumina qui linquunt moribundi particulatim:
Mortalem tamen eſſe animam fateare neceſſe'ſt.
Nec réfert,vtrùm pereat diſperſa per auras,
An contractis in ſe partibus obbruteſcat.
Quando hominem totum magis,ac magis vndique ſenſus
Deficit,& vitæ minus,& minus vndique reſtat.

ET QVONIAM MENTEM, *&c)ſextum argumentum. animum ægrum ſanari videmus, vt corpus. ſanari autem nihil poteſt, quin ei vel addatur aliquid, vel detrahatur, vel traiiciatur. quod autem immortale eſt, ei nihil neque addi, neq; detrahi poteſt: ergo animus eſt mortalis.* PRÆSAGIT) *præſignificat.*

ADORITVR, ET INFIT.) *aggreditur, & incipit. ſic idem lib.5. Illa quoque expergefactum caput erigere infit. ſic & Virg. lib.10. Tum pater omnipotens, rerum cui ſumma poteſtas, Infit. & lib.XI. Et Venulus dicto parens ita farier infit. Plautus Aulul. Infit ibi poſtulare plorans, eiulans, Vt ſibi liceret miluiam vadarier. Feſtus, infit, incipit. ne quis autem de hac ſcriptura dubitet, ſic habent tres libri manuſcr. vbi vulgati, adoritur & ipſum, planè vitioſè. mendoſè autem apud Priſcian. in verbo, adoriri, hic verſus adſcribitur Lucilio.*

NEQVE DEFLVERE HILVM) *ita ſcriptum reperi in tribus libris manuſcript. & in antiquis Venetis. nam vulgati habent, diffluere. defluere autem, id eſt decedere. tralatio.* NAM QVODCVNQVE SVIS, *&c) hic verſus, & proximus, poſiti iam ſunt ſup. lib.1.*

ERGO ANIMVS) *ſiue igitur (inquit) fateamur animum incidere in morbũ, & ægrum eſſe: ſiue adhibita medicina ſanari, vtrouis pacto immortalitatis ſuæ ſigna dat.* FALSÆ RATIONI) *eorum ſcilicet, qui dicunt, animum eſſe immortalem: vt vult Lucretius.*

ET EFFVGIVM PRÆCL.) *ſic locutus eſt lib.1. Quorum vtrunque tibi effugium præcludit, & omne Cogit vt exemta concedas fine patere.*

AMCIPITIQVE REFVTATV) *id eſt refutatione duplici, & in vtrãq; partem valente, ſiue hoc, ſiue illud dicas. tralatio ducta eſt ab enſe amcipiti.*

DENIQVE SÆPE HOMINEM) *ſeptimum argumentum. partes hominis ſingillatim moriuntur, id eſt homo membratim interit: & ita ſcinditur anima: quod ſi fit, mortalis habenda eſt.*

PAVLLATIM CERNIMVS IRE) *ſic habent quattuor libri manuſcripti: quibuſcum conſentiunt impreſſi Pariſienſ. & Veneti antiquiores. ire autem valet interdum idem, quod οἴχεσθαι, nempe interire. nam & abiiſſe dixiſſe veteres pro obiiſſe, teſtatur Feſtus, vt ſuprà diximus..*

DEPERDERE SENSVM) *quidam libri veteres habent, diſperdere, ex quo putant nonnulli legendum, diſpergere, Vt infrà proxime, Dilaniata foras diſpergitur, &c.* INDE PEDES ET CRVRA) *Sic apud Platonem in Phædone extremo, Socrati, hauſto iam pharmaco, cùm aliquantiſper ambulaſſet, & mox ſupinus recubuiſſet, pedes & crura primùm frigore correpta ſunt: deinde tibiæ: poſtremò ſenſim vis pharmaci peſtiferi ad cor peruenit, & ita ille animam efflauit.*

QVOD SI FORTE PVTAS) *occupatio, ſeu ἀνθυποφορά. Quòd ſi forte arbitraris (inquit) animam ſe poſſe in vnum contrahere, & introrſum recipere, totámque vim ſuam è membris omnibus deducere: hoc poſito & conceſſo, ſequetur neceſſariò eum locum, in quem ſeſe receperit, & contraxerit, egregiè ſentire, ac ſapere. atqui id non fit:: ergo diſpergitur, ac diſſipatur, & ita interit.*

CONDVCERE IN VNVM) *conducere, συνάγει, contrahere.*

GLOMERARI) *in vnum cogi, & contrahi.*

AN CONTRACTIS IN SE PARTIBVS OBBRVTESCAT) *ſic legitur hic verſus apud Nonium Marcell in nomine brutum. brutum (inquit) dicitur hebes & obtuſum. Lucretius, &c. Feſtus. obbrutuit, obſtupuit, à bruto: quod antiqui pro graui: interdum pro ſtupido dixerunt. Affranius. non poſſum verbum facere: obbrutui. Nihil refert (inquit) vtrùm anima diſperſa & diſcerpta intereat, an contractis & conductis in ſe partibus obſtupeſcat, & ſenſus ſuos amittat: quod fieri videmus in homine moribundo.*

Et quoniam mens eſt hominis pars vna, locóque
Fixa manet certo, velut aures, atque oculi ſunt,
Atque alij ſenſus, qui vitam cumque gubernant:
Et veluti manus, atque oculus, naréſue, ſeorſum
Secreta à nobis, nequeant ſentire, neque eſſe:
'Sed tamen in paruo linquuntur tempore tali,'
Sic animus per ſe non quit ſine corpore, & ipſo
Eſſe homine, illius quaſi quod vas eſſe videtur,
Siue aliud quiduis potius coniunctius eij
Fingere, quandoquidem connexus corpori adhæret.
Denique corporis, atque animi viuata poteſtas
Inter ſe coniuncta valent, vitáque fruuntur.
Nec ſine corpore enim vitaleis edere motus
Sola poteſt animi per ſe natura: nec autem
Caſſum anima corpus durare, & ſenſibus vti.
Scilicet, auolſus radicitus vt nequit vllam
Diſpicere ipſe oculus rem ſeorſum corpore toto:
Sic anima, atque animus per ſe nil poſſe videntur.

Nimirum,quia per venas & viſcera miſtim,
Per neruos atque oſſa tenentur corpore ab omni:
Nec magnis interuallis primordia poſſunt
Libera diſſultare:ideò concluſa mouentur
Senſiferos motus,quos extra corpus in auras
Aëris haud poſſunt poſt mortem eiecta moueri:
Propterea quia non ſimili ratione tenentur.
Corpus enim,atque animans erit aër,ſi cohibere
Seſe anima,atque in eos poterit concludere motus,
Quos antè in neruis,& in ipſo corpore agebat.
Quare etiam atque etiam reſoluto corporis omni
Tegmine,& eiectis extrà vitalibus auris,
Diſſolui ſenſus animi fateare neceſſe'ſt,
Atque animam,quoniam coniuncta eſt cauſa duobus.

ET QVONIAM· MENS EST) argumentum octauum. mens, hominis pars eſt, vt manus, oculus, &c, at pars à toto homine ſeparata, nec ſentire, nec eſſe poteſt. ergo animus ſine corpore conſtare non poteſt. docuit autem ſuprà, animum eſſe hominis partem, vt caput, aurem, manum, &c. ibi Primùm animum dico, mentem quem ſæpe vocamus, In quo conſilium, &c. Eſſe hominis partem nihilominus ac manus, ac pes, &cet. ET VELVTI MANVS, ATQVE OCVLVS) pars enim à toto ſeparata, pars eſſe deſinit, & habetur tanquam pictum quiddam: verbi gratia, manus picta, pictus oculus. qua de re ſuprà. Cùm his autẽ Lucretianis congruunt illa Arnobij lib. 3 neque enim partes hoc ipſum eſſe, quod totum eſt, aliqua in re poſſunt: aut ſibi ſapere, ſibi ſentire, quod ſine totius animantis aſſenſu nullis propriis afficiantur motibus. Idem lib. 6. neque enim manus à capite ſeparata, aut pes diuiſus à corpore ſummam poſſunt præſtare totius, &c.

NEQVEANT SENTIRE) ſic habent duo lib. manuſcripti. alij nequeunt.

SED TAMEN IN PARVO, &c.) hunc verſum non puto eſſe Lucretianum: itaque delendum cenſeo. quidam doctus eum ita legendum putat. Sed tamen in paruo liquuntur tempore tali.

ILLIVS QVASI QVOD VAS) Plato in Timæo σῶμα, hoc eſt corpus, ait eſſe ψυχῆς ὄχημα, id eſt animæ vehiculum: in Cratylo σῆμα, id eſt ſepulcrum. Xenocrates, ſeu, vt alij volunt, & teſtatur Harpocratio, Æſchines Socraticus, in Axiocho, σκῆνος, id eſt tabernaculum, & domicilium. M. Tull lib 1 Tuſcul. Noſce animũ tuum. nam corpus quidem quaſi vas eſt, aut aliquod animi receptaculum.

SIVE ALIVD QVIDVIS POTISES) ſic legendum, non, potius: vt eſt in lib. vulgatis. potises autem, valet potes. quidam legunt, poſsis.

CONIVNCTIVS EII) quidam libri veteres habent, connectius. ex qua ſcriptura videtur legendum, connexius eij. CONNEXVS CORP. ADH.) cùm reperiſſẽ in duobus lib. manuſ cõnexus corpor adhæret, repoſui, corpori, addita vocali, i. quæ lectio perſpicue eſt recta. licet etiam legere, connexus corpore adhæret, id eſt nexus cum corpore adhæret. quamquam minus probo. alij legunt, connexus corpus adhæret quam lectionẽ æquè improbo. CASSVM) inane, vacans. Virg. Æneid. II.

Æn. 11. Nullum cum victis certamen & æthere caſsis. Horat. ſaty. 5. lib 2. Contemtũ caſſa nuce pauperet. SCILICET AVOLSVS RADICITVS) *ſic iam edendũ curaui in ſecunda editione, longe melius, quàm vulgò legitur, Scilicet auolſis radicibus, &c.* CONCLVSA MOVENTVR SENSIF. MOTVS) *primordia animi (inquit) in corpore incluſa, non poſſunt magnis interuallu euagari, atque diſſultare: ſed mouentur motus ſenſiferos, & vitaleis: mortuo autem homine, non iam continentur vinculis, ſed ſoluta, & libera diffugiunt, & diſſultant maioribus interuallis. mouentur autem repoſui, cum antea legeretur, mouebunt, ſecutus quattuor lib. manuſcriptos. atque ita loquuntur non ſolùm Latini, verùm etiã Græci. Ariſtot. lib 1. de anima:* ἣν κίνησιν τὸ σῶμα κινεῖται, ταύτην καὶ ἡ ψυχή. *id eſt quem motum corpus mouetur, hunc motum mouetur & animus.* Thucyd. lib. 1. κειμένη ἦν, *id eſt, ſita ſitum.* EIECTA MOVERI) *ſic legendum, non mouere, vt eſt in vulgatis. coniunge autem hæc, eiecta in auras.*

CORPVS ENIM, ATQVE) *ſi animi primordia, ſeu animi ipſi, ſimili ratione extra corpus ſeſe cohibere, & in eoſdem motus concludere poterunt, atque in corpore: aër, corpus, & animans erit. at hoc abſurdum: ergo, &c. lectionem vulgatam non ſum ſecutus hoc loco: quæ talis eſt. Corpus enim æquè animis erit aër, &c. Nam cum manuſcripti ſic habeant, Corpus enim atque animam ſerit aër: ex hac aliquantum corrupta ſcriptura, rectam & emendatam feci, Corpus enim atque animans erit aër, &c. quam ſcripturam taciti probant Thraſones.*

QVOS ANTE IN NERVIS) *libri veteres plerique habent, in venis: quod magis probo. quamquã non admodum réfert vtro modo legas.* ATQVE ANIMAM) *quidam legunt, Atque animæ. quod non improbo.*

Denique cùm corpus nequeat perferre animaï
Diſcidium, quin id tætro tabeſcat odore:
Quid dubitas, quin ex imo, penitúſque coorta
Emanarit, vti fumus, diffuſa animæ vis?
Atque ideò tanta mutatum putre ruina
Conciderit corpus penitus, quia mota loco ſunt
Fundamenta foras animæ, manántque per artus,
Pérque viarum omneis flexus, in corpore qui ſunt,
Atque foramina? multi' modis vt noſcere poſſis
Diſpertitam animæ naturam exiſſe per artus,
Et prius eſſe ſibi diſtractam corpore in ipſo,
Quàm prolapſa foras enaret in aëris auras.
Quinetiam fineis dum vitæ vertitur intra,
Sæpe aliqua tamen è cauſa labefacta videtur
Ire anima, & toto ſolui de corpore membra:
' Et quaſi ſupremo langueſcere tempore voltus: '
Quod genus, eſſe animo malè factum cùm perhibetur,
Aut animam liquiſſe, vbi iam trepidatur, & omnes
Extremum cupiunt vires reprendere vinclum.
Conquaſſatur enim tum mens, animæque poteſtas

Omnis,& hæc ipſo cum corpore conlabefiunt:
Vt grauior paullo poſſit diſſoluere cauſa.
Quid dubitas,tandem quin extra prodita corpus,
Imbecilla foras,in aperto,tegmine demto,
Non modò non omnem poſſit durare per æuum,
Sed minimum quoduis nequeat conſiſtere tempus?
Nec ſibi enim quiſquam moriens ſentire videtur
Ire foras animam incolumem de corpore toto,
Nec prius ad iugulum,& ſuperas ſuccedere fauceis:
Verùm deficere in certa regione locatam:
Vt ſenſus alios in parti quemque ſua ſcit
Diſſolui.quòd ſi immortalis noſtra foret mens:
Non iam ſe moriens diſſolui conquereretur:
Sed magis ire foras,veſtémque relinquere,vt anguis,
Gauderet,prælonga ſenex aut cornua ceruus.

DISCIDIVM) *ſic legendum,& ita ſcriptum eſt in membranis calamo exaratis.de qua voce iam ſæpe aliàs.*

QVIN ID) *id, nempe corpus.* PENITVSQVE) *& ex intimis, atque abditis hominis partibus,& quod proximè dixit,ex imo.*

VTI FVMVS, DIFFVSA) *ſic Epicurus*· Καὶ μὴν καὶ λυομένου τοῦ ὅλου ἀθροίσματος, ἡ ψυχὴ διασπείρεται. *id eſt* Atqui *vbi diſſoluitur tota ſumma,id eſt totum animal, diſpergitur anima.* ATQVE IDEO) *al.Atque adeò.*

QVINETIAM FINEIS) *aliud argumentum. Quinetiam (inquit) anima interdũ in ipſo etiã corpore incluſa, & intra fineis vitæ cõſiſtẽs, labefactata videtur interire,& mẽbra omnia diſſòlui:ergo multo magis, cũ erit extra corpus, interibit.* LABEFACTA VIDETVR IRE ANIMA,&c.) *ire,id eſt abire, & interire,vt alibi diximus.ſecutus ſum autem codices manuſcr. nam vulgati ſic habent, labefacta videtur,* Molliáque exſangui cadere omnia corpore membra,Et quaſi ſupremo,*&c. atque hic proximus verſus. quamuis eum retinuerim, non videtur mihi Lucretianus.* ANIMO MALEFACTVM) *genus loquendi vſitatum veteribus,cùm significare volebant* λειποψυχίαν, *ſeu animi defectionẽ.* Plaut. *milite glor.Poſtquàm abs te abiit,animo malefactũ eſt huic repente miſeræ. & alicui malefactum dicebant,cui aliquid incommodi eueniſſet.vt idem ibidem.Neſcio quid malefactum noſtræ huic familiæ eſt.cõtrà bene factum.& melius factum.* M. Tull.*Tuſcul.lib.*1.*Præterea* Pompeio *noſtro familiari, cum grauiter ægrotaret* Neapoli,*melius eſt factum.* Terent. Andr.*factum benè.metui à* Chryſide. *legendum autem,vt edendum curaui,* Quod genus, eſſe animo malef. cùm perh. *non vt anteà,* Quod genus eſt,animo,&c. *Quod genus enim,ſolet per ſe poni,& valet,quale eſt, cuius generis eſt,&c.quod alibi à nobis obſeruatum,& notatum eſt.*

ATQVE ANIMAM LIQVISSE) λειποψυχίαν *nominant* Græci:*id eſt animi defectionẽ.* Ariſtot. περὶ ὕπνου καὶ ἐγρηγόρσεως. ἀδυναμία τοῦ αἰσθάνεσθαι ἡ λειποψυχία:*id eſt,animæ defectio,eſt ſenſuum debilitas,ſiue impotẽtia.ſic apud* Homerum Hector *ab* Aiace *lapide percuſſus,animo,& corpore concidit* ιλ. ξ.

CONLABEFIVNT) *ſic legendum, non, vt quidam indoctiſſimi, iidémque arrogantiſſ. homines volunt, conlabaſcunt: quod verbum non poteſt hîc locum habere, propterea quòd eius ſyllaba ſecunda, breuis eſt.*

PRODITA) *id eſt foras edita, & prolata, vt ſup. lib. 2.* Aut aliquo tamquam *partu, quod proditur extra.* Sic Arnobius *loquitur lib. 4.* Per *humani generis iura, atque ipſius mortalitatis conſortia, cùm auditis & legitis, ex illo, atque ex illa deus ille eſt proditus: nónne animi veſtri ſenſus tangit, humanum neſcio quid dici, & ex terreni generis humilitate proficiſcens? profert hunc verſum* Feſtus *in voce, prodita.*

TEGMINE DEMTO) *corpore detracto, quod animæ eſt tegmen.*

NON MODO NON OMNEM POSSIT DVR.) *hunc verſum ſic olim excudi iuſſeram.* Non *modò nõ omne incolumis, &c. ex lib. 5. princip.* Nec *poſſe incolumis magnum durare per æuum.* Nam *in libris omnibus ſic legitur,* Non *modò nõ omnem poßit durare per æuum. quæ lectio ferri poteſt, vt intelligamus, æuum vſurpatum eſſe à veteribus, etiam in maſculino genere.*

ET SVPERAS SVCCEDERE FAVCEIS) *ſic habent libri manuſcripti. ſuccedere autem, id eſt ſurſum cedere, & aſcendere, vt ſup. lib. 2. per auras* Aëris *expreſſæ ſurſum ſuccedere. & lib. 5.* Nunc *iacet æs, aurum in ſummum ſucceßit honorem.* IN PARTI) *in parte, vt ſæpe aliàs.*

QVOD SI IMMORTALIS) *hanc huius verſus partem, cum duobus deinceps ſequentibus, & principio quarti profert* Lactantius Firmianus *lib. 7. de diuino præmio.*

VT ANGVIS, GAVDERET) Virgil. *Georg. 3.* Cùm *poſitis nouus exuuiis, nitidúſque iuuenta* Voluitur.

Denique cur animi numquam mens, conſiliúmque
Gignitur in capite, aut pedibus, manibúſve: ſed vnis
Sedibus, & certis regionibus omnis inhæret:
Si non certa loca ad naſcendum reddita quoique
Sunt: & vbi quicquid poſſit durare creatum?
Atque ita multi' modis pro totis artubus eſſe,
Membrorum vt numquam exſiſtat præpoſterus ordo.
Vſqueadeò ſequitur res rem, neque flamma creari in
Fluminibus ſolita'ſt, neque in igni gignier algor.
Præterea, ſi immortalis natura animaï'ſt,
Et ſentire poteſt ſecreta à corpore noſtro:
Quinque (vt opinor) eam faciundum'ſt ſenſibus auctam:
Nec ratione alia noſmet proponere nobis
Poſſumus infernas animas Acherunte vagare.
Pictores itaque, & ſcriptorum ſæcla priora
Sic animas introduxerunt ſenſibus auctas.
At neque ſeorſum oculi, neque nares, nec manus ipſa
Eſſe poteſt anima: neque ſeorſum lingua, neque aures
Abſque anima per ſe poſſunt ſentire, nec eſſe.

Nec ſenſus ipſi ſeorſum conſiſtere poſſunt
Naribus, atque manu, atque oculis, atque auribus, atque
Lingua: nec per ſe poſſunt ſentire, nec eſſe.

DENIQVE CVR ANIMI) *Etiam ex hoc loco intelligere licet, ex Epicuri, & Lucretij ſententia, animi ſedem eſſe in pectore, ſeu in præcordiis, non in capite: & iccirco eos errare, qui ſuprà lib. 1. legunt, Tum vacuum tempus linquunt, curáque ſolutum, pro, Tum vacuum pectus.*

ANIMI NVMQVAM MENS) *lib. 4. Mens animi vigilat.*

ET VBI QVICQVID) *ſic legendum, non, vt in vulgatis, quicquam. quicquid, autẽ, id eſt, quicque, vt ſæpe aliàs, tùm apud hunc ſcriptorẽ, tùm apud alios.*

OMNIS INHÆRET) *ſic reſtitui: vbi vulgò legebatur, omnibus hæret.*

ATQVE ITA MVLTIMODIS, &c.) *hunc verſum & proximum delendos cenſeo, vt ſpurios, & à neſcio quo temere inculcatos. non pigebit me tamen admonere lectorem, hunc priorem verſum non vno modo legi: ſed in quibuſdam ſcriptis ſic: Atque ita multimodis in totis artubus eſſe. in vno, Atque ita multimodis par totis, &c. in aliis: Atq; ita multimodis per totis, &c. in vulgatis nonnullis, Atq; ita multimodis pro totis: in Pariſienſib. Atque ita multimodis de totis, &c. Omnino his verſibus deletis ſententia manebit integra, erítque planiſſima.*

CREARI IN FLVMINIBVS) *ſic legendum, non, vt in vulgatis, creari Fluminibus, ſine præpoſitione.* ALGOR) *frigus. vtitur & eodem nomine in quarta declinatione infrà eod. lib. Sollicitæ volitant morbis, algúque, faméque.*

PRÆTEREA SI IMMORTALIS, &c.) *aliud argumentum. Si anima à corpore ſeiuncta, ſentire poteſt: ergo erit quinque ſenſibus prædita. at neque oculi, neque narés, neque manus, neque lingua, neque aures ſine anima eſſe poſſunt: neque ſenſus ſine oculis, naribus, lingua, auribus: ergo anima à corpore ſemota non ſentit: ergo non eſt immortalis. Hoc argumentum refelli poteſt ex iis, quæ ſunt apud M. Tull. lib. 1. Tuſcul. animos per ſe viuenteis non poterant mente complecti: formã aliquam, figurámque quærebant. ſequitur paucis interpoſitis. has tamen imagines loqui volebant: quod fieri nec ſine lingua, nec ſine palato, nec ſine faucium, laterũ, pulmonum vi, & figura poteſt. nihil enim animo videre poterãt: ad oculos omnia referebant. Magni autem ingenij eſt reuocare mentem à ſenſibus, & cogitationem à conſuetudine abducere.* QVINQVE, VT OPIN.) *ſic habent libri veteres, quibus vſi ſumus, & omnes vulgati, paucis exceptis, in quibus impreſſum eſt, Quando, vt opinor, &c. plane mendoſè. Quòd autem quidam, Certè, vt opinor, &c. legi volunt, nugas agunt.*

EAM FACIVNDVM EST) *id eſt, eam facere oportet:* ποιητέον. *ſuprà notauimus hoc loquendi genus, admonuimúſque eſſe huic ſcriptori familiare.*

NEC RATIONE ALIA, &c.) *immò verò poſſemus, ſi cogitationẽ à conſuetudine abducere poſſemus, vt ſcribit M. Tullius: & ſi mẽte complecteremur animos aliam vitam ſolos, & per ſe, viuenteis, quàm cùm in corporibus incluſi ſunt.*

ACHERVNTE VAGARE) *vt videre licet apud Homerum, & Virgil. Acherunte autem, excudendum curaui, quemadmodum ſcriptum eſt in membranis calamo exaratis. dicebãt enim veteres, Acheruns, Acheruntis. Plautus Amphitr. Verbero, etiam quis ego ſim, me rogitas, vlmorum Acheruns? Tum, vagare, excudi volui, cùm in duobus manuſcrip. ita ſcriptum reperiſſem, in totidẽ, vacare. vagare,*

autem idem valet, quod, vagari: eóq; verbo vtitur & Plaut. Mil. glor. te alloquor, vitij, probríque plena, quæ circum vicinos vages. quidam repoſuerunt, vocari: quæ ſcriptura quamquam reperitur etiam in vno atque altero cod. ſcripto, non probatur mihi tamen. SENSIBVS AVCTAS) *i. præditas. ſic* Catull. *carm. de Manl. & Iul. nupt. quæ nullis ſenſibus auctæ Nec miſſas audire queũt, nec reddere voces.*

AT NEQVE SEORSVM) *in voce, ſeorſum, e, & o. coëunt in vnam ſyllabam. quod non eſt nouum, præſertim huic poëtæ. Nam quòd* P. Victorius. *ſorſum, legendum cenſet, teſtificans ita legi in quibuſdam libris veteribus, ego quinque lib. manuſcriptos data opera hoc loco iterũ conſului, cùm anteà eos accuratè cum vulgatis contuliſſem: Sed liquidò iurare poſſum, in eis ſine vlla varietate ſcriptum eſſe, ſeorſum.* IPSA ESSE POTEST ANIMA) *ſic legendum, non, vt quidam putant, animæ. cohæret enim cum voce, ſeorſum, vt ſit, ſeorſum ipſa anima, id eſt ſeorſum ab ipſa anima.* ABSQVE ANIMA PER SE POSS.) *ſic legendum: non vt in quibuſdã manuſcr. & omnibus vulgatis,* Auditum per ſe, &c. *nam ſentire communiter pertinet ad oculos, nareis, manum, linguam, aureis, non ad aureis tantum. At ſi legeremus, auditum ſentire, ad aureis tantum pertineret: vt taceam, quòd Latinè dici non poteſt, ſentire auditũ, pro audire. Docti complures exiſtimant inter hunc verſum, & eum, qui proximè ſequitur, cuius initiũ eſt,* Et quoniam toto, &c. *aliquot verſus deeſſe.* Et *verò ita videtur, ſi quis attentè conſideret* Lucretij *ſenſum & argumentum. Alia ratione (inquit) nobis proponere non poſſumus animas apud inferos vagari, quàm ſi quinque ſenſibus præditas faciamus. At neque oculi, neque nares, neque manus, neque lingua, neque aures ſine anima per ſe poſſunt ſentire, nec eſſe: nec pariter ſenſus ſuo munere fungi, aut eſſe poſſunt ſine oculis, auribus, manibus, lingua, naribus: ergo fieri non poteſt, vt animæ ſint ſenſibus præditæ, cùm oculis, auribus, &c. careant.* Videntur *igitur tales quidam tres verſus deeſſe: quos aſcribam, non vt pro* Lucretianis *habeantur: non ita inſanio: ſed vt lector veluti oculis cernat, ita eſſe, vt docti viri ſuſpicantur, nempe taleis quoſdam verſus deſiderari.* Nec *ſenſus ipſi ſeorſum conſiſtere poſſunt* Naribus, *atque manu, atque oculis, atque auribus, atque* Lingua, *nec per ſe poſſunt ſentire, nec eſſe. fieri autem potuit, vt, cùm verſus* Lucretianus *hoc loco ita deſineret, vt ille, qui eſt ſuprà, ſentire, nec eſſe, librarius ſcriptor ſuperiore illo verſu ſcripto, deceptus extremorum ſimilitudine, treis verſus prætererit, & ita ad verſum,* Et quoniam, *&c. tranſilierit.* Cùm *hæc ſcripſiſſem, quidam ſimius, idémque ſycophanta, auſus eſt hoc loquendi genus reprehendere, ſeorſum, abſque anima, per ſe ſentire: quaſi verò non ita ſoleant loqui boni ſcriptores* Græci, & Latini, *ad maiorem vim exprimendam, &* κατὰ σχῆμα ἐκ παραλλήλου.

Et quoniam toto ſentimus corpore ineſſe
Vitalem ſenſum: & totum eſſe animale videmus:
Si ſubitò medium celeri præciderit ictu
Vis aliqua, vt ſeorſum partem ſecernat vtramque:
Diſpertita procul dubio quoque vis animaï,
Et diſciſſa ſimul cum corpore diſiicietur.
At quod ſcinditur, & parteis diſcedit in vllas,
Scilicet æternam ſibi naturam abnuit eſſe.

Falciferos memorant currus abſcindere membra
Sæpe ita deſubitò, permiſta cæde calenteis,
Vt tremere in terra videatur ab artubus id, quod
Décidit abſciſſum: cùm mens tamen, atque hominis vis
Mobilitate mali non quit ſentire dolorem:
Et ſimul, in pugnæ ſtudio quòd dedita mens eſt,
Corpore cùm reliquo pugnam, cædeíſque petiſſit:
Nec tenet, amiſſam læuam cum tegmine ſæpe
Inter equos abſtraxe rotas, falceíſque rapaceis:
Nec cecidiſſe alius dextram, cùm ſcandit, & inſtat.
Inde alius conatur ademto ſurgere crure,
Cùm digitos agitat propter moribundus humi pes:
Et caput abſciſſum calido, viuentéque trunco,
Seruat humi voltum vitalem, oculóſque patenteis:
Donec relliquias animaï reddidit omneis.
Quin etiam tibi ſi lingua vibrante minantis
Serpentis caudam procero corpore, vtrinque
Sit libitum in multas parteis diſcindere ferro:
Omnia iam ſeorſum cernes amciſa recenti
Volnere tortari, & terram conſpergere tabo:
Ipſam ſéque retro partem petere ore priorem,
Volneris ardenti vt morſu premat, icta dolore.
Omnibus eſſe igitur totas dicemus in illis
Particulis animas? at ea ratione ſequetur,
Vnam animantem animas habuiſſe in corpore multas.
Ergo diuiſa'ſt ea, quæ fuit vna ſimul cum
Corpore. quapropter mortale vtrumque putandum'ſt,
In multas quoniam parteis diſcinditur æquè.

ET QVONIAM TOTO SENTIMVS, *&c.) Cùm totum hominis corpus ſit animale: id eſt, cùm tota anima per totum corpus pertineat & permânet, ſequitur, vt corpore humano diuiſo, ipſa quoque diuidatur.* At *quod diuiditur, mortale eſt: ergo &c. nemo eſt, qui non videat, hoc argumentum eſſe valde infirmum. Quòd autem animam in toto corpore hominis ineſſe, & per totum hominis corpus eſſe fuſam dicit* Lucretius, *neque quiſquam negat, (loquor de ſenſu animali, ſeu de anima vitali) hoc non eſt verum in ceteris omnibus animalibus.* Nam Plinius *lib. 32. cap. 2. ait certum eſſe, animam murænæ in cauda eſſe, eáque icta celeriter exanimari, at capitis ictu difficulter.* ET TOTVM ESSE ANIMALE VID.) *totum corpus ſcilicet.* Animaduerte *hîc, animale, eſſe adiectiuũ: vt lib. I.* Vnde *animale genus generatim in lumina vitæ* Redducit Venus, *&c. ad quem locum lege quæ notauimus.* ABNVIT) *negat.*

FALCIFEROS MEMORANT CVRRVS) *ἅρματα δρεπανηφόρα: quæ*

ſic deſcribuntur à Xenophonte *lib* 6. Cyri *inſtitution.* πολεμιστήρια κατεσκεύασεν ἅρματα τροχοῖς τε ἰσχυροῖς, ὡς μὴ ῥᾳδίως συντρίβηται, ἄξοσί τε μακροῖς· ἧττον γὰρ ἀνατρέπεται πάντα τὰ πλατέα. τὸν δὲ δίφρον τοῖς ἡνιόχοις ἐποίησεν, ὥσπερ πύργον ἰσχυρῶν ξύλων. ὕψος δὲ τούτων ἐστὶ μέχρι τῶν ἀγκώνων, ὡς δύνωνται ἡνιοχεῖσθαι οἱ ἵπποι ὑπὲρ τῶν δίφρων. τοὺς δ' ἡνιόχους ἐθωράκισε πάντας πλὴν τῶν ὀφθαλμῶν. προσέθηκε δὲ καὶ δρέπανα σιδηρᾶ, ὡς διπήχη, πρὸς τοὺς ἄξονας ἔνθεν καὶ ἔνθεν τῶν τροχῶν· καὶ ἄλλα κάτω ὑπὸ τῷ ἄξονι εἰς γῆν βλέποντα, ὡς ἐμβαλούντων εἰς τοὺς ἐναντίους τοῖς ἅρμασιν *id eſt, Currus bellicos fabricandos curauit ex rotis validis, ne facile comminuerentur, & axibus longis. minus enim euertuntur omnia, quæ lata ſunt. ſellam autem aurigis fecit tanquam turrim ex lignis validis conſtructam. altitudo porrò earum eſt vſque ad cubitos, vt poßint equi ſupra ſellas aurigari. Aurigas verò armauit totos, præter oculos. addidit autem etiam axibus falceis ferreas circiter duorum cubitorum ex vtraque parte rotarum: & item alias infrà ſub axe in terrã verſas, tanquã ipſe cũ ſuis in hoſteis cũ curribus impetum facturi.* Idem Lucret. *lib.* 5. Et biiugo prius eſt, quàm bis coniungere binos, Et quàm falciferos inuentum aſcendere currus. & Veget. *lib.* 3. *de re milit. cap.* 24. *Quadrigas falcatas in bello rex* Antiochus & Mithridates *habuerũt. Quæ vt primùm magnum in acie intulere terrorem, ita poſtmodum fuere deriſui.*

PERMISTA CÆDE CALENTEIS) *ſic legendum, & ita habent libri veteres, non, cadenteis, aut, cadentum. & ita lib.* 5. *Nequicquam: quoniam permiſta cæde calentes* Turbabant *ſæui nullo diſcrimine turmas.*

IN PVGNÆ STVDIO QVOD DEDITA) *in ſtudio dedita, genus loquendi notandum, quo vtebantur veteres. ſic lib.* 4. Præterquam *quibus eſt in rebus deditus ipſe? &* Catull. *in* Iul. & Manl. *nuptias. in mala* Deditus *vir adultera.*

CÆDEISQVE PETISSIT) *partim ſic habent libri manuſcripti, partim, peteßit. vtitur eodem verbo* M. Tullius Tuſcul. 2. *qui hanc laudem petiſſunt, nullum fugiunt dolorem.* Idem 2. *de conſulatu. Mentéque diuina cælum, terráſque petißit.* Feſtus, *Peteſſere, ſeu petiſſere antiqui pro petere dicebant, ea quidem forma verbi, qua ſunt laceſſere, & inceſſere: ſed, vt mihi videtur, tum eo ſignificabant ſæpius petere: vt peteſſant, ſæpius petant. nonnulli petißit, dici volunt, non peteßit. quos nunc ſequor.* NEC TENET, AMISSAM, &c.) *ordo verborum eſt. nec tenet: id eſt & neſcit, vel nec meminit, vel nec intelligit, ſæpe rotas, & falceis rapaceis inter equos abſtraxiſſe manum læuam vnà cum tegmine: id eſt clypeo, aut ſcuto. abſtraxe poſitum pro abſtraxiſſe: qualia ſunt illa, promiſſe. apud* Catull. *diuiſſe, apud* Horat. *produxe, apud* Terent. & *ſimilia.* Nec tenet *autem, pro, nec ſcit. etiam ſuprà vſurpauit lib.* 2 *in extr.* Nec tenet, *omnia paullatim tabeſcere, & ire* Ad *ſcopulũ, &c.*

NEC CECIDISSE ALIVS DEXTRAM) *ſic apud* Virgil. *lib.* 10. Te *deciſa tuum* Laride *dextera quærit, Semianiméſque micant digiti, ferrúmque retractant. quod* Virg *ex* Ennio *expreßit, vt admonet* Seruius. *Oſcitat in campis caput à ceruice repulſum, Semianiméſque micant oculi, ferrúmque retractant.*

CVM SCANDIT) *cùm aſcẽdit vel in muros, vel in equũ, vel in currũ, vel in nauem hoſtilem: vt* Cynægirus: *cui, (vt refert* Herod. *in* Eratone) *puppim læua manu apprehendenti, ea ipſa manus bipenni abſciſſa eſt. quo facto, dextram puppi admouit. qua ſimiliter amputata côncidit.*

QVINETIAM TIBI SI) *dilemma. ſiquis ſerpentis caudam in plureis parteis diuidat: ſingulas parteis videmus moueri, & circumagi. alterum igitur è duobus verum eſt, vel in ſingulis partibus ſingulas ineſſe animas totas, atque inte-*

gras: vel animam eſſe diſſectam & diſciſſam. ſi illud dices, falſum dices: ſin alterum, ergo animam mortalem eſſe fatendum eſt. quicquid enim diuiditur, mortale eſt. Huius rei exſtat exemplum apud Virg. lib. 5. Æneid. Qualis ſæpe viæ deprenſus in aggere ſerpens, Ærea quem obliquum rota tranſiit, aut grauis ictu Seminecem liquit ſaxo, lacerúmque viator.

LINGVA VIBRANTE) *id eſt emicante, & coruſcante. Virgil. Æneid. 2. Sibila lambebant linguis vibrantibus ora. Interdum tamen vibrare eſt ἀσπαίρειν, vt ſicas vibrare apud M. Tull. Catil. 2. & ſpicula vibrant apud Virgil. XI. Æneid. &, vibrare cæſariem apud Arnob. lib. 2.*

MINANTIS SERPENTIS CAVDAM PROC. CORP.) *ſic reperi ſcriptum in membranis calamo exaratis, quibuſcum conſpirant exempla Pariſienſia, typis impreſſa. caudam autem procero corpore: id eſt caudam proceram.*

VTRIMQVE) *ſic legendum videtur potius, quàm, vtrunque.*

AMCISA) *ſic habent duo codices manuſcr. Vaticanus, & Bertinianus: quos ſecutus ſum. amciſa autem, valet circumciſa. an enim, ſeu, am. potius, in compoſitione valet circum, vt aliàs notauimus. alij habent, inciſa. Præterea quidam libri habent, cernas, pro cernes.*

OMNIBVS ESSE IGITVR, &c.) *lege interrogando.*

AT EA RATIONE) *at ea ratione: id eſt ſi quis dicat, omnibus in partibus ſerpentis totas & integras eſſe animas, ſequetur, vnum animal plureis animas habuiſſe: quod falſum eſt. vna eſt enim vnius animalis anima.*

ERGO DIVISA'ST) *altera pars dilemmatis. Ergo (inquit) diſciſſa, & diuiſa eſt anima. At quod diuidi poteſt, etiam interire poteſt. ergo anima eſt mortalis.*

Præterea ſi immortalis natura animaï
Conſtat, & in corpus naſcentibus inſinuatur:
Cur ſuper anteactam ætatem meminiſſe nequimus?
Nec veſtigia geſtarum rerum vlla tenemus?
Nam ſi tantopere'ſt animi mutata poteſtas,
Omnis vt actarum exciderit retinentia rerum:
Non (vt opinor) ea ab leto iam longiter errat.
Quapropter fateare neceſſe'ſt, quæ fuit antè,
Interiiſſe: & quæ nunc eſt, nunc eſſe creatam.
Præterea ſi iam perfecto corpore nobis
Inferri ſolita'ſt animi viuata poteſtas,
Tum quom gignimur, & vitæ quom limen inimus:
Haud ita conueniebat, vti cum corpore, & vnà
Cum membris videatur in ipſo ſanguine creſſe:
Sed velut in cauea per ſe ſibi viuere ſolam.
Conuenit, vt ſenſu corpus tamen adfluat omne.
Quare etiam atque etiam nec originis eſſe putandum'ſt
Experteis animas, nec leti lege ſolutas.
Nam neque tantopere adnecti potuiſſe putandum'ſt
Corporibus

Corporibus noſtris extrinſecus inſinuatas,
Quod fieri totum contrà manifeſta docet res.
(Namque ita connexa'ſt per venas, viſcera, neruos,
Oſſaque, vti dentes quoque ſenſu participentur,
Morbus vt indicat, & gelidaï ſtringor aquaï,
Et lapis oppreſſus ſubitis è frugibus aſper:)
Nec tam contextæ quom ſint, exire videntur
Incolumes poſſe; & ſaluas exſoluere ſeſe
Omnibus è neruis, atque oſſibus, articuliſque.

ET IN CORPVS) *quod volebant Pythagoréi: & quidem quamlibet animam, in quoduis corpus introire. quod non probatur* Ariſtoteli. *ſic enim ille lib.* I. *de anima.* περὶ δὲ τοῦ δεξομένου σώματος οὐθὲν ἔτι προσδιορίζουσιν, ὥσπερ ἐνδεχόμενον κατὰ τοὺς Πυθαγορικοὺς μύθους, τὴν τυχοῦσαν ψυχὴν εἰς τὸ τυχὸν ἐνδύεσθαι σῶμα. δοκεῖ γὰρ ἕκαστον ἴδιον ἔχειν εἶδος καὶ μορφήν· *id eſt de corpore autem animam recepturo nihil prætereà definiunt: quaſi fieri poßit iuxta fabulas* Pythagoricas, *vt quælibet anima in quoduis corpus ingrediatur.* Videtur *enim vnumquicque propriá ſpeciem & formã habere.*

INSINVATVR) Sic *loquitur* Ennius. Inde *venit pullis diuinitus inſinuans ſe* Ipſa *anima.* CVR SVPER ANTEACTAM) *inter hunc verſum, & eum, qui deinceps ſequitur, inculcatus erat hic verſus alieno loco,* Interiiſſe, *& quæ nũc eſt, &c. quem ego deleui, & ſuo loco reſeruaui, nempe poſt ſextum ab hinc verſum.*

MVTATA POTESTAS,) *codex* Bertinian. *& nonnulli codices impreßi, habent, vitiata poteſtas. ego nihil muto.*

OMNIS VT ACTARVM) *libri manuſcripti hoc loco inter ſe non conſentiunt. alij enim habent:* Omnis *vt actarum, quemadmodum excudendũ curauimus: alij,* Omnium, *&c. quæ poſterior ſcriptura, fortaſſe probabilior eſt.* Omnino *vtraque ferri poteſt.*

RETINENTIA) *nomen* Lucretianum, *& aliis, quod ſciam, inuſitatum: quod ſignificat, opinor,* ἀνάμνησιν *ſiue* μνήμην, *id eſt recordationem, ſeu memoriam rerum præteritarum: vel (vt quidam malunt) continuationem quandam partium, ex quibus conſtamus, permanentem.* Ego *per retinentiam, illam, quam alibi repetentiam nominat, (qua voce* Arnobius *vtitur lib.* 2 *in eadem propemodum diſputatione) ſignificari malo.* Sic *autem* Arnob. Sed *ego cùm audio neſcio quid præſtans, animam dici,* Deo *vicinum, & proximum, ſcientem omnia, huc aduentare ſuperioribus de ſæculis: nolo illam diſcere: ſed docere: nec ex docta, vt dicitur, elementariam fieri: ſed retinentem res ſuas corporibus ſemet circumligare terrenis. niſi enim ſeſe habuerit res ita: diſcerni quî poterit, vtrúmne illud, quod audit, reminiſcatur. an diſcat, cùm multo ſit facilius credere, diſcere illam quod neſciat, quàm oblitã, quod paullò antè ſciebat, & oppoſitu corporis amitti repetentiam priorum?*

NON, VT OPINOR, EA) *ea, nẽpe animi poteſtas.* LONGITER ERRAT) *ſic repoſui ex* Cariſio: *qui hunc verſum proferẽs lib.* 2 *inſtit. gramm. ita legit.* Longiter. Lucre. *lib.* 3. Non, *vt opinor, ea à leto iam longiter errat.* Quod *autem idem verſus in voce, longiter, apud* Nonium *ſic legitur,* Non, *vt opinor, id à lecto iam longiter rati: & adſcribitur* Lucilio, *primùm mendosè legitur, & mẽdoſus eſt hoc loco* Nonius: *neque eſt emendatus ab iis, qui ſe gloriantur eũ emẽdaſſe: deinde hãc emen-*

dationem noſtram confirmat, quòd ad aduerbium, longiter, attinet.

PRÆTEREA SI IAM PERFECTO) *præterea (inquit) ſi anima ingreditur in corpus iam perfectum, cùm viuere incipimus: non conuenıebat eam ita viuere in corpore, quaſi vnà cum corpore nata eſſe, & creuiſſe videatur: ſed potius erat conſentaneum, eam ita, vt auem in cauea, viuere ſibi, & ſolam, hoc eſt à corpore ſeparatam: quemadmodum auis in cauea incluſa, à cauea ſeparata eſt.*

VITÆ CVM LIMEN) *ſic legendum eſt, non, lumen. Nam primùm ſic habẽt codices veteres optimi, Vaticanus, Memmian. Præterea illuſtris tralatio eſt, vitæ limen inire, pro, vitam. ſeu in vitam ingredi. Poſtremò quemadmodum hîc dixit, limen vitæ, ſic ſup. lib. 2. leti iam limine ab ipſo Ad vitam poßint conlecta mente reuerti. & Catull. ad Manl. & à mortis limine reſtituam.*

HAVD ITA CONVENIEB.) *ſume infinitiuũ, viuere, ſcilicet in corpore.*

CONVENIT VT SENSV, &c.) *hunc verſum quis non videt non eſſe Lucretij, ſed alicuius indocti, aliquid deeſſe exiſtimantis?*

NAM NEQVE TANTOPERE, &c.) *cum hoc verſu copulatur ille alter, qui eſt ab hoc octauus, cuius principium eſt: Nec tam contextæ cum ſint, &c. vt ſit hæc huius loci ſententia: Nam neque putandum eſt, animas tantopere potuiſſe cũ corporibus connecti, ſi extrinſecus in corpora intraſſent: quas tamen videmus magnopere eſſe connexas: nec, cùm ſint ita cum corporibus connexæ, & contextæ, credibile eſt è corporibus exire incolumeis poſſe.*

SENSV PARTICIPENTVR) *id eſt ſenſus participes ſint.*

MORBVS) *dentium ſcilicet. quidam tamen ad morbum totius corporis, & febrem referunt: quia interdum dolorem ex morbo natum ſequitur dentium ſtridor, & crepitus.* STRINGOR AQVAI) *frigus aquæ, quo dentes perſtringuntur.*

SVBITIS E FRVGIBVS) *omnes quidem codices, quos vidi, ſic habent, Et lapis oppreſſus ſubitis è frugibus aſper: ſed quibuſdã placet legi, ſubitò de frugibus, &c. alius, ſub dente è frugibus aſper. quam poſtremam ſcripturam valde probarem, ſi eam codices veteres adiuuarent.* NEC TAM CONTEXTÆ CVM SINT) *contextæ, id eſt connexæ, vt ſuprà.*

Quòd ſi fortè putas, extrinſecus inſinuatam
Permanare animam nobis per membra ſolere:
Tanto quæque magis cum corpore fuſa peribit.
Quod permanat enim, diſſoluitur: interit ergo.
Diſpertitur enim per caulas corporis omneis:
Vt cibus, in membra, atque artus cùm diditur omneis,
Diſperit, atque aliam naturam ſufficit ex ſe:
Sic anima, atque animus, quamuis integra recens in
Corpus eunt, tamen in manando diſſoluuntur:
Dum quaſi per caulas omneis diduntur in artus
Particulæ, quibus hæc animi natura creatur:
Quæ nunc in noſtro dominatur corpore, nata
Ex illa, quæ tunc periit partita per artus.
Quapropter neque natali priuata videtur,

Eſſe die natura animæ,neque funeris expers.
Semina præterea linquuntur,nécne,animaï
Corpore in exanimo? quòd ſi linquuntur,& inſunt:
Haud erit,vt meritò immortalis poſſit haberi,
Partibus amiſſis quoniam libata receſſit.
Sin ita ſinceris membris ablata profûgit,
Vt nullas parteis in corpore liquerit ex ſe:
Vnde cadauera rancenti iam viſcere vermeis
Exſpirant? atque vnde animantum copia tanta
Exos,& exſanguis tumidos perfluctuat artus?

QVOD SI FORTE) *ἀνθυποφορά. dicet aliquis,animam ita inſinuari in corpus,vt per omnia mẽbra permânet. At ſi hoc dabimus, (inquit) tanto magis anima, homine mortuo,diffuſa interibit.nam quicquid permanat,facile diſſoluitur.*

DIDITVR) *diſtribuitur,dimanat,diffunduur:non,vt vulgus,diuiditur.*

PER CAVLAS) *per inania, per foramina, & meatus.*

DISPERIT, ATQVE ALIAM,&c.) *cùm cibũ oporteat eſſe ſimilem ei, quod alitur,ſi futurum eſt,vt alat:tum deniq; autem ſit ſimilis, cùm concoctus fuerit:antè quàm autem concoquatur,contrarius ſit ei,quod alendum eſt:neceſſàriò cibus in aliam naturam commutari debet prius quàm alere poßit,quoniam,niſi commutetur,concoqui non poteſt.* SVFFICIT) *ſuppeditat,ſubminiſtrat,præbet,πορίζει.*

QVÆ TVNC PERITAT PARTITA) *quæ tunc corrumpitur, cùm eſt didita, & diſtributa per artus:quemadmodum diximus cibum diſperire, & commutari antè quàm alere poßit animantem. Cùm libri omnes manuſcripti habeant: quæ tunc peritat partita,&c. ego hac tertia editione ſic edendum curaui, in prima editione cod. vulgatos ſecutus, cùm ſatis habuiſſem lectorem de ſcriptura vetere admonere.* SEMINA PRÆTEREA LINQVVNTVR) *aliud argumentum,quod conſtat dilemmate,hoc modo.cùm anima excedit è corpore:aliquáne ſui ſemina relinquit in corpore,an tota abit,nullis relictis ſui in corpore reliquiis? ſi eam aliqua ſui ſemina relinquere dices : ergo non abit incolumis, neque integra: ſin nulla prorſus:vnde naſcuntur vermes in cadaueribus?*

HAVD ERIT VT MERITO) *μὴ ἔσται ὅπως. non poterit cõtingere,vt,&c. ſic lib.1. Nõ erit,vt diſtent.* QVONIAM LIBATA) *libata: id eſt deminuta. tralatio eſt à libaminibus,in quibus de vino,quod libatur,id eſt funditur, aliquid detrahitur. quidam tamen legunt,limata,vt ſit tralatio à lima.alij,librata, legi malunt.librata autem interpretantur,delibrata,id eſt extenuata, & deminuta, vt infrà in extr.nec delibrare valemus Tempore de mortis.*

VNDE CADAVERA RANCENTI,&c.) *ſecutus ſum codicem Vaticanum & Bertinianũ,& Memmian. & pleroſq; impreſſos.nã in Faërn. & Tettiano, & nõnullis impreſsis legitur,Vnde cadauere, rancẽti iam viſcere, vermes Exſpirãt? huius autem ſcripturæ,quã ſecutus ſum,videtur mihi probabilior ratio reddi poſſe, quàm alterius. Si anima (inquit) è corpore ita ſincera,& integra exceßit,vt nullã ſui partem in eo reliquerit:vnde cadauera è viſcere rancenti vermeis edunt? atquè ita,vermeis,erit legendum in quarto caſu: &,exſpirant,ſignificabit actionem quãdam,vt lib.2. Sanguinis exſpirans calidũ de pectore flumẽ. & lib.4. Præterea quæ-*

dz 2

cunque ſuo de corpore odorem Exſpirant acrem.ibid.Tum flammam tætro ſpiranteis ore Chimæras Paſcere naturam, &c. & exhalat, apud eundem lib. 5. Pulueris exhalat nebulam.Si quis tamen alteram ſcripturam probabit magis, non repugnabo.Quòd autem ad vermium,qui in corpore exanimo, naſcuntur, rationem pertinet:partim in viſceribus naſcũtur ex putrore, & reliquo animalis recens mortui ſpiritu: vt docet Ariſtoteles lib 5.de hiſtoria animal. cap 19.partim à muſcis ingenerãtur:quod & Homerus indicauit illis verſibus,qui ſunt ιλ.τ.vbi Achilles,acceptis à Thetide matre armis Vulcaniis, antè quàm eis accinctus, atque inſtructus in certamen prodeat,orat Thetidem,det operam,ne corpus Patrocli mortui à vermibus deformetur,atque inquinetur, quos muſcæ vulnera ſubeũtes generarint.sic Homerus: ἀλλὰ μάλ' αἰνῶς δείδω, μή μοι τόφρα Μενοιτίου ἄλκιμον υἱὸν Μυῖαι καδδῦσαι κατ' χαλκοτύπους ὠτειλὰς Εὐλὰς ἐγγείνωνται, ἀεικίσσωσι δὲ νεκρόν, &c.

EXOS ET EXSANGVIS, *&c.) Arnobius lib. 4 ſi omnino non eſſent apes vllæ in terris, aut ſi exos humanum genus, velut quidam vermiculi, naſceremur,dea Mellonia non eſſet:aut Oſsilago ſolidatrix oſsium, nomen proprium non haberet?Nonius hunc verſum profert in nomine,exos.*

EXSANGVIS.) *Si inſecta omnia, exſanguia ſunt, vt docet Ariſtoteles lib.1. cap 6.de hiſtoria anim. & item alibi:multo magis vermes:ex quibus magnam partem inſecta naſcuntur.*

TVMIDOS PERFL.) *id eſt pertumidos artus fluctuat. eiuſdem generis eſt illud Horatianum epiſt.1.lib.1.Eſt mihi purgatam crebrò qui perſonet aurem, &c.*

Quòd ſi fortè animas extrinſecus inſinuari
Vermibus,& priuas in corpora poſſe venire
Credis,nec reputas,cur millia multa animarum
Conueniant,vnde vna receſſerit:hoc tamen eſt,vt
Quærendum videatur,& in diſcrimen agendum:
Vtrùm tandem animæ venentur ſemina quæque
Vermiculorum,ipſæque ſibi fabricentur,vbi ſint:
An iam corporibus perfectis inſinuentur.
At neque,cur faciant ipſæ,quaré ve laborent,
Dicere ſuppeditat.neque enim,ſine corpore cùm ſunt,
Sollicitæ volitant morbis,algúque,faméque.
Corpus enim magis his vitiis adfine laborat,
Et mala multa animus contagi fungitur eius.
Sed tamen his eſto quamuis facere vtile corpus,
Quom ſubeant:at quà poſſint,via nulla videtur.
Haud igitur faciunt animæ ſibi corpora & artus.
Nec tamen eſt,vt iam perfectis inſinuentur
Corporibus.neque enim poterunt ſubtiliter eſſe
Connexæ:neque conſenſu contagia fient.

QVOD SI FORTE ANIMAS) *ἀνθυποφορά. At dices (inquit) fortaſſe animas extrinſecus in vermeis inſinuari. primùm abſurdum eſt dicere tot millia animarum eò conuenire, vnde vnica anima deceſſerit: deinde quærendum & in*

controuerſiam vocandum eſt, vtrùm animæ captent & exquirant primordia vermiculorum, & ex ijs ipſæ ſibi corpora fabricentur, an in corpora vermiculorum iam perfecta ingrediantur. dilemma eſt. Hunc autem verſum, & eum, qui proximè ſequitur, profert Nonius Marcell. in voce, priua: & docet, antiquos, priua, dixiſſe pro ſingulis. ET IN DISCRIMEN AGENDVM,) id eſt & in controuerſiam vocandum, ἀμφισβητητέον.

IPSÆQVE SIBI FABRICENTVR, VBI SINT) & ipſæ ſibi domicilia fabricentur, in quibus habitẽt. AN IAM CORP. PERF.) ſic legẽdum, vt veſtigia ſcripturæ veteris indicant, nõ, vt vulgò, An quaſi corp. perf. inſin.

AT NEQVE CVR FACIANT) prior pars dilemmatis. at neque licet dicere, cur ipſæ ſibi domos fabricentur. ſuppeditat, id eſt ſuppeditatur, aut ſuppetit, licet. NEQVE ENIM, SINE CORP.) ratio quare animæ ipſæ ſibi domos non fabricentur: quia (inquit) ſine corporibus non ægrotant, non algent, non eſuriunt. his enim incommodis corpus quidem afficitur, animus autem liber eſt.

ALGVQVE) Priſcianus lib. 5. aut vetus neſcio quis apud eum grammaticus in extr. docet vſurpari à Latinis, algor, is, in tertia inflexione, & algus, us, in quarta, vt minime dubitandum ſit, quin ita legendum ſit, non, algóque. nam quamuis ſic habeant libri manuſcripti, nihil hoc me mouet, cùm ſciam, librarios illos ſæpe o pro u: & u pro .o ſcribere ſolitos eſſe. adde quòd Soſipater Cariſius lib. 1. notat, algu, dictum eſſe à Latinis, profértque locum ex Plauto in Rudente, tu vel ſuda, vel peri algu. Idem ille grammaticus apud Priſcianum citat alium locum Plauti in Vidularia, Inopiam, luctum, mærorem, paupertatem, algum, famem. obſtat his Nonius, qui hunc locum proferens, legit, algóque, faméque: docétque, algo pro algore vſurpatum eſſe à veteribus. ego hoc tantum reſpondere poſſum, vel Nonium vſum eſſe corruptis libris, vel ipſum Nonium eſſe mendoſum, atque apud eum legẽdum algu pro algore, & locos omneis, qui ab eo proferuntur, ſic eſſe reſtituendos.

FAMEQVE) fame, hoc loco quintæ inflexionis eſt, non tertiæ: vt apud Virgil. lib. 6 Obijcit, ille fame rabida tria guttura pandens.

HIS VITIIS ADFINE LAB) Cùm ſemper antea hic locus, vt eſt in libris omnibus ſcriptus, & impreſſus, in quibus ita legitur, vitiis ac fine laborat, me offendiſſet: (alieno enim loco, & tempore de fine, id eſt morte, ſermo à Lucretio habebatur, quia de incommodis tantum, quæ animus perpeti cogitur, dum eſt in corpore, hîc agitur) in ſecunda editione libros veteres, quos etiam tunc penes me habebã, conſului: quos non habebam, eorum ſcripturas in vno meo libro impreſſò repræſentatas, relegi, maximè ad hunc locum. in quibus cùm varietatis, aut diſſimilitudinis nihil reperiſſem, niſi quòd in Bertiniano ſcriptum reperi, his vitiis at fine laborat: ego primò non animaduerti, neque attendi, quid hæc ſcriptura ſignificaret, quid ve boni contineret. aliquot pòſt menſib. cùm animi relaxandi cauſa Arnobium relegerem, & ad eum locum perueniſſem, vbi animarũ incommoda enumerat, quæ, quãdiu corporibus incluſæ, atq; irretitæ tenentur, perferunt: libuit mihi hanc ipſam diſputationem Lucreti de animab. ſeu animis cum Arnobiana cõparare. quo facto, cõtinuò conieci hîc, adfine, eſſe legendũ, facili mutatione ex t. in d & ſententia plana, & genere loquẽdi Latinis vſitato, atq; eleganti. Quod cùm, editione ſecunda iam abſoluta, eueniſſet, neque res iam integra eſſet: nõ ita multo pòſt cognoui, hoc idem cuidã homini peſſimè de me merito, eidémq; tamẽ nulla vnquã iniuria à me laceſſito, vt quẽ ne natũ quidẽ eſſe ſciebam, in mentẽ veniſſe: aut certè, illum, cùm alteri

fortaßis in mentẽ veniſſet, ſibi arrogaſſe, atq; adſcripſiſſe. (hoc enim factitare cõſueuit, vt ab iis accepi, qui eum bene norũt.) propter cauſam ſuprà à me cõmemoratã, hanc huius loci emẽdationẽ, mea ſententia, certam & dubitationis expertẽ, pro mea venditare nolui: ſed ſuo auctori, qui princeps eã excogitauit, quiſquis ſit, reddendã exiſtimaui. Dictũ autẽ eſt perelegãter, affinis vitiis, pro particeps vitiorũ, vel alligatus & obnoxius vitiis. Sic Terẽt in Heautont. earũ rerum affineis, quas fert adoleſcentia: ſic M. Tull. affinis facinori & turpitudini: ſic Liuius, noxæ affinis. Iungitur enim cum generãdi, vel cum dãdi caſu, ἀδιαφόρως. Sic autẽ dictum, vitiis adfine laborat, vt illud lib. 1. motu priuata careret. ET MALA MVLTA ANIMA CONT. *&c.) i. & animus fungitur, ſeu fert, & patitur multa incõmoda, cõtagione corporis. Sic autẽ reſtitui hunc verſum, cùm mendoſus eſſet in vulgatis, in quibus ita legitur, Et mala m̃ a. contagia fung. eius: cúmque reperiſſem in quattuor manuſcriptis, cõtage. Nam contagi pro contage in ſexto aut ſeptimo caſu eadẽ ratione dictum eſt, qua, parti, colli, voci, & ſimilia, pro parte, colle, voce, &c. Iam contages idẽ valet, quod cõtagiũ, ij. ſeu cõtagio, nis. vtitur eod. nomine lib. 4. Quæ cõtage ſua pallotibus omnia pingunt. Vtitur & Arnob lib. 7. tẽporibus quondam ciuitatis & reip. duris, vel quæ lues infeſta faciebat cõtinua populum cõtage cõficiẽs: vel quæ, &c. Conſtat tamen, cõntagiũ, & contagio eſſe vſitatiora: idẽ Lucret. ſup. eod. lib. Quandoquidẽ penetrant in eum cõtagia morbi. Virgil. Tityro. Nec mala vicini pecoris cõtagia lædent. & Georg 3. Dira per incautũ ſerpant cõtagia vulgus. de contagione, Feſtus ſcribit, contagio dicendũ potius, quàm cõtagium. itaque illo potius, quàm hoc vtuntur oratores.* FVNGITVR) *patitur, vt ſup. lib. 1. At facere & fungi, niſi corpus, nulla poteſt res. & infrà eod. lib. Quod manet intactũ, neq; ab ictu fungitur hilum.* SED TAMEN HIS ESTO, *&c.) ſed tamen demus, quantumuis eſſe his vtile corpus ſibi fabricari eo ipſo tẽpore. quo in corpus intraire debẽt. at nulla via patêre videtur, vel nullus modus appâret, quo modo id poßint. conceßio eſt eius rei; quæ facultatem non habet, & quæ eſt ἀδύνατος.* AT QVA POSS. *&c.) at via nulla videtur, qua via poßint ſibi corpus fabricari.* NEC TAMEN EST VT IAM PERF.) *ſic reſtitui, ab antiquis, & manuſcriptis codicibus ad verã, niſi fallor, ſcripturã quaſi manu ductus. Nã ſic habẽt codices Faërn. & Tcitian. Nec tamen eſt, vt qui eã: Vaticanus autẽ ſic: Nec tamen vt qui eã. Bertinianus, Nec tamen vt qui cum perf. inſ. quas ſcripturas omneis nemo non videt eſſe deprauatas, ita tamen, vt redoleãt quadam germanæ ſcripturæ veſtigia. Nam cùm ita à Lucretio ſcriptũ eſſet, Nec tamen eſt, vt iam perf. &c. vel ſic, Nec tamen eſt, qui iam perfectus, &c. Primò ſic fortaſſè hæc ſcriptura deprauata fuit: Nec tamen eſt, vt cam: deinde ſic. Nec tamẽ eſt, qui eam: deinde, Nec tamen eſt, qui cum: poſtremò, Nec tamen eſt quaſi iam, &c. cum ſingula capita eorum, qui ſibi aliquid intelligere viderentur, ſingulas mutationes, & varietates excogitarent. Ego, nequis dicat, me, quod in aliis peccatum reprehendo, id ipſum peccare, primùm antiquorum librorum ſcripturas oculis lectorum ſubijcio: deinde ex iis ſcripturis vnam elicio, quæ & ad illas proxime accedat, & elocutionem Lucretianam oleat, &, quod caput eſt, ſententiam cum iis & quæ antecedunt, & quæ ſequuntur, conſentaneam exprimat. Quod igitur ad elocutionem attinet, ſæpenumero admonuimus ita & Lucretium, & Horatiũ, & alios ſcriptores Latinos, loqui ſolere, eſt vt: &, non eſt vt, pro fieri poteſt vt: &, non poteſt fieri vt, quod Græci dicunt, ἔστιν ὅπως· & οὐκ ἔστιν ὅπως. Eſt autem hæc altera pars dilemmatis.*

NEQVE ENIM POTERVNT) *ratio, quare non ſit verisimile, animas ingredi in corpora iam perfecta. quia (inquit) ſi ita eſſet: animæ non eſſent ſubtiliter, & examuſſim cum corporibus connexæ, neque fierent cõtagia ex conſenſu corporis & animi.* NEQVE CONSENSV CONT.) *neque per conſenſum fient contagia: οὐδὲ τοῖς σώμασι συμπάσχοιεν αἱ ψυχαὶ, οὐδὲ ταῖς ψυχαῖς τὰ σώματα: id eſt, neq; cum corporibus afficientur animi, neq; cũ animus corpora. quod fieri videmus.*

Denique cur acris violentia triſte leonum
Seminium ſequitur? dolu' volpibus, & fuga ceruis
A patribus datur? & patrius pauor incitat artus?
Et iam cetera de genere hoc, cur omnia membris
Ex ineunte æuo ingeneraſcunt, ínque genuntur,
Si non certa ſuo quia ſemine, ſeminióque
Vis animi pariter creſcit cum corpore toto?
Quòd ſi immortalis foret, & mutare ſoleret
Corpora: permiſtis animantes moribus eſſent:
Effugeret canis Hyrcano de ſemine ſæpe
Corniger i incurſum cerui: tremerétque per auras
Aëris accipiter fugiens, veniente columba:
Deſiperent homines, ſaperent fera ſæclà ferarum.
Illud enim falſa fertur ratione, quòd aiunt
Immortalem animam mutato corpore flecti.
Quod mutatur enim, diſſoluitur: interit ergo.
Traiiciuntur enim partes, atque ordine migrant.
Quare diſſolui quoque debent poſſe per artus,
Denique vt intereant vnà cum corpore cunctæ.
Sin animas hominum dicent in corpora ſemper
Ire humana: tamen quæram, cur è ſapienti
Stulta queat fieri: nec prudens ſit puer vllus:
Nec tam doctus equæ pullus, quàm fortis equi vis,
Si non certa ſuo quia ſemine, ſeminióque
Vis animi pariter creſcit cum corpore toto.
Scilicet in tenero teneraſcere corpore mentem
Non fugient. quod ſi iam fit: fateare neceſſe'ſt,
Mortalem eſſe animam: quoniam mutata per artus
Tantopere amittit vitam, ſenſúmque priorem.

DENIQVE CVR ACRIS VIOL.) *Huius argumẽti hæc vis eſt. ſi animi eſſent immortales, & ex aliis corporibus in alia corpora migrarent: non eſſent animantiũ cuiuſque generis propria quædã ingenia, propriiq; mores: ſed eſſent permiſtis & cõfuſis moribus. Atqui videmus, leones eſſe iracundos & violẽtos natura: vulpes doloſas: ceruos timidos, & fugaceis, & ita de ceteris ſentiẽdũ: ergo &c.*

DOLV' VOLPIBVS) *ſic reperi ſcriptum in duobus eod. manuſcrip. atque ita melius currit oratio & ſententia. Nam alij libri habēt, vulpeis dolus? Hanc ſcripturā, quā ſecutus ſum, ſimia illa ſe in ſuis libr. reperiſſe iactat, quaſi eius reſtitutor.*

ET FVGA CERVIS A PATRIB. DATVR) *ſecutus ſum vulgatam ſcripturam. nam manuſcripti ſic habent: & fuga ceruos. vnde doctus quidam ſuſpicabatur, hunc verſum: A patribus datur, & patrius p. inc. artus: eſſe interiectū, & alienū, non poetæ. nam eo ſublato, & ſeruata ea ſcriptura, quæ reperitur in lib. manuſcriptis, præterquàm quòd legēdum eſſet, vulpeis dolus, vt eſt in vulgatis, & nonnullis calamo exaratis: ſententia cōſtaret: vt totus hic locus ſic legatur, cur acris violentia triſte leonum Seminium ſequitur, vulpeis dolus, & fuga ceruos? Et iam cetera de gen. &c. Verùm tamen iudicet lector eruditus. Nā quòd ad me attinet, ſic puto legendū, vt excudendum curaui: neque tamen alteram lectionem damno. Eſt enim valde cōcinna & venuſta. Sed hæc quoq. eſt perelegans, & Lucretio digna.*

ET IAM CETERA DE GENERE HOC) *crebrò ita loquitur, & ſæpenumero hoc verſus principium reperitur: Cetera de genere hoc: vt ſuprà hoc eodē lib. Et iam cetera de genere hoc, quæcumque ſequuntur. & lib 5 Cetera de genere hoc monſtra, & portenta loquuntur: & lib. 6. Cetera de genere hoc qua vi facere omnia poſſint, &c. quod imitatus eſt Horatius ſaty. 1. lib. 1. Cetera de genere hoc, adeò ſunt multa, loquacem Delaſſare valent Fabium.*

CVR OMNIA MEMBRIS) *cur omnia in membris.*

EX INEVNTE ÆVO INGENERASCVNT) *à genero, as, fit generaſco, vt à labo, as, labaſco, ab integro, as, integraſco. quidam tamen hoc loco legunt, grandeſcunt, id eſt creſcunt. à quibus diſſentio.*

INQVE GENVNTVR) *& in membris ingenuntur, ſeu ingignuntur. ſic autem reſtitui, coniectura ductus. nam vulgata, & recepta ſcriptura, ingenióque, ferri non poteſt. Hoc enim quærit Lucretius, Quamobrem ſui cuiuſque corporis ſunt mores, & ſua ingenia, & ſui habitus, & ſuæ affectiones animorū? cur leones ſunt iracundi, vulpes doloſæ, cerui fugaces & timidi? cur ceteri ſimiles animorum affectus, & habitus omnes, ex ineunte ætate ingenerātur in membris & corporibus; niſi quia certa vis animi, certáque affectio naſcitur in certo corpore, & certis principiis, ex quibus corpus concretum & conſtatum eſt? Nónne igitur nunc inepte loquatur Lucretius, ſi ita poſtea quærat, cur certa ingenia, & certi mores in certis ingeniis gignuntur? quod volunt iſti hebetes. Non enim ex ingenio cuiuſque ingeneratur dolor, aut pauor in animalibus, ſed contrà mores & ingenium, & affectus: id eſt, vel dolus, vel pauor, vel iracundia, & ſimil. in membris animalium ab ineunte æuo ex ſeminibus, & primis corpuſculis cuiuſque propriis innaſcuntur, & ingenerantur.* CVM CORPORE TOTO) *ſic habēt lib. manuſcripti. vulgati autē, cum corpore quoque. quamquam infrà non longè ab hoc loco, vbi & hic verſus, & ſuperior iterantur, ſcriptura codicū veterum nihil à vulgata diſcrepat.*

PERMISTIS ANIMANTES MORIBVS ESSENT) *hoc illud eſt, opinor, quod dicit Ariſtoteles eo, quem ſuprà protulimus, loco, ſuam cuiuſque rei eſſe formam: quo ſignificat, ſuam cuiuſque corporis eſſe animam. qui autem aliter ſentiunt (inquit ille) ſimile quiddam dicunt, ac ſi dicerent, artem fabricandi in tibias intrare poſſe. oportet enim, vt artem ſuis ac propriis inſtrumētis: ita animam ſuo vti corpore.* HYRCANO DE SEMINE) *canis (inquit) ex ſemine tigris Hyrcanæ conceptus atq, editus, ceruum fugeret: nedū perſequeretur. Virg lib. 4. Æneid.*

Hyrcanæque

Hyrcanæque admorunt vbera tigres. DESIPERENT HOMINES) *homines, mentis & rationis expertes eſſent.* FLECTI) *mutari.*

QVOD MVTATVR ENIM) *ſic ſup. Nam quodcumque ſuis mutatum finibus exit, Continuò hoc mors eſt illius, quod fuit antè.*

DENIQVE VT INTEREANT) *id eſt. ita vt tandem intereant.*

TAMEN QVÆRAM) *ſic habent tres libri manuſcripti. vulgati, quæres, minus rectè.* CVR E' SAPIENTI &c.) *videmus enim, ætates alias aliis eſſe prudentiores, vt ſenectutem adoleſcentia: homines etiam alios aliis eſſe ſapientiores. homo homini quid præſtat? inquit ille. Cicero in Catone. Temeritas eſt videlicet florentis ætatis, prudentia ſenectutis.*

NEC PRVDENS SIT PVER VLLVS) *Cùm prudentia verſetur in rebus ſingularibus: res ſingulares autem vſu cognoſcantur: puer autem non poßit eſſe vſu peritus, ſed numerus annorum, & longitudo temporis vſum afferat: puer, prudens eſſe nullo modo poteſt. Ariſtot. lib. 6 de morib. ad Nicom.*

QVA'M FORTIS EQVI VIS) *ſic loquitur ſup. Conſimile in curſu poſſint, ac fortu equi vis. fortis equi vis: id eſt fortis equus,* ἀείφερας.

TENERASCERE) *teneram eſſe. ſic enim interpretatur Nonius Marcellus: atque hunc verſum profert. & Diomedes lib. 3. Sic autem Homerus de pueri ingenio & mente,* ἀταλαὶ φρένες*, vt ſuprà retulimus.*

NON FVGIENT) *Cùm libri omnes veteres, & recentiores haberent, Confugient, præter admodum paucos: atque ex hac ſcriptura docti quidam feciſſent, confingent: quo modo habent & nonnulli libri vulgati: ego ad veram lectionem, quaſi manu ductus, repoſui, Non fugient: quemadmodum ſuprà non minus probabili, atque adeò certa conjectura, ex, non fiet, quod erat corruptum, feci, confiet, ibi, Id quoque enim ſine pernicie confiet eorum. non fugient autem, interpretor, non poterunt negare, neque refutare, vt ſuprà: tum præterea quod fugimus antè, &c. ſic autem neceſſariò legendum eſt, non, vt vulgò, confingent. Hoc enim ſignificat Lucretius, Non poterunt negare, mentem eſſe teneram in tenero corpore, verbi cauſà, mentem pueri bimuli, aut trimuli, nō poterunt negare eſſe teneram, & imbecillam. Quod ſi iam fit, id eſt, ſi verum eſt mentem eſſe teneram in corpore tenero, ergo mortalis eſt. At ſi legatur, confingent, aut, confugient, vide, obſecro te, lector, quid dicatur, Confugient eò ſcilicet, vt dicant, mentem teneraſcere in corpore tenero. Quare huc confugerent aduerſarij, cùm hoc maximè negare debeant, cúmque hoc vnum Lucretius hoc loco probare & vincere velit, mentem vnà cum corpore creſcere, & decreſcere, quo probato ſequatur animum eſſe mortalem? ſuprà eodem lib. Præterea gigni pariter cum corpore, & vnà Creſcere ſentimus, &c. Nihilo magis, confingēt, ferri poteſt. vteretur enim eo ipſo argumēto, quo Lucretius eos oppugnat. Mirum eſt, quoſdam homines ita infeliciter eſſe natos, vt non ſolùm cæci ſint in luce clara, verùm etiam cùm tales ſint, ita ſe gerant, itáque ſe venditent, atque oſtentēt, quaſi ſint Lyncei.* QVOD SI IAM FIT) *ſi mens in corpore tenero tenera eſt, in valido autem fit valida: ergo animus mutatur: ſi mutatur, ergo mortalis eſt.*

Quóve modo poterit pariter cum corpore quoque
Confirmata cupitum ætatis tangere florem
Vis animi, niſi erit conſors in origine prima?
Quídve foras ſibi vult membris exire ſenectis?

An metuit concluſa manere in corpore putri?
Et domus ætatis ſpatio ne feſſa vetuſto
Obruat?at non ſunt iam immortali vlla pericla.
Denique connubia ad Veneris,partúſque ferarum.
Eſſe animas præſtò, deridiculum eſſe videtur:
Et ſpectare immortaleis mortalia membra,
Innumero numero,certaréque præproperanter.
Inter ſe,quæ prima,potiſſimáque inſinuetur:
Si non fortè ita ſunt animarum fœdera pacta,
Vt,quæ prima volans aduenerit,inſinuetur
Prima,neque inter ſe contendant viribus hilum.
Denique in æthere non arbor,non æquore in alto.
Nubes eſſe queunt,nec piſces viuere in aruis:
Nec cruor in lignis,nec ſaxis ſuccus ineſſe.
Certum ac diſpoſitum'ſt,vbi quicquid creſcat & inſit.
Sic animi natura nequit ſine corpore oriri
Sola,neque à neruis,& ſanguine longius eſſe.
Hoc ſi poſſet enim,multo prius ipſa animi vis.
In capite,aut humeris,aut imis calcibus eſſe.
Poſſet,& innaſci quauis in parte ſoleret:
Tandem in eodem homine,atque in eodem vaſe maneret.
Quod quoniam in noſtro quoque conſtat corpore certum:
Diſpoſitúmque videtur,vbi eſſe,& creſcere poſſit
Seorſum anima,atque animus:tanto magis infitiandum,
Totum poſſe extra corpus durare,geníque.
Quare,corpus vbi interiit:periiſſe neceſſe'ſt
Confiteare animam, diſtractam in corpore toto.
Quippe etenim mortale æterno iungere,& vnà
Conſentire putare,& fungi mutua poſſe,
Deſipere'ſt.quid enim diuerſius eſſe putandum'ſt,
Aut magis inter ſe diſiunctum,diſcrepitánſque,
Quàm,mortale quod eſt,immortali,atque peremni
Iunctum,in concilio ſæuas tolerare procellas?

FLOREM) *ἀκμήν. ſic ſup.lib.1.quibus poßint æui contingere florem.*

QVIDVE FORAS SIBI) *id eſt.aut quid ſibi vult,quòd anima exit è corpore ſenectute confecta?* SENECTIS?) *ſenio confectus,aut certè affectis.* Plautus Aulul. *quem ſenecta ætate ludos facias.* Lucret.lib 5. *Poſt vbi equum validæ vires ætate ſenecta, Membráque deficiunt &c. & item ſæpe.* Salluſt. *hiſtoriar.* 4. *Omnes, quibus ætas ſenecto corpore, animus militaris erat.* ex Priſciano *lib. 9 ſub extr. &* 10. *non admodum longe à princip.*

AT NON SVNT IAM IMMORTALI) *at.ſi anima eſt immortalis (inquit) non debet metuere, ne aut ruina domus obruatur, aut quouis alio incommodo afficiatur. non celabo lectorem.ita ſcriptum eſſe in codice Bertin. at non ſunt iam mortali: vnde ſuſpicatus ſum eſſe legendum, at non ſunt iam immortali, &c. id eſt, at iam, ſi anima immortalis eſt, nulla ei pericula imminent. quæ lectio longè concinnior eſt. Hæc cùm in prima editione ſcripſiſſem, Thraſones arripuerũt, ſuúmque fecerunt. ego igitur quod meum eſt, meo iure repeto, ac recupero. Itaque ſic nunc edendum curaui, cùm in libris vulgatis legatur, at non ſunt Immortali, &c.*

DENIQVE CONNVBIA AD VENERIS) *quidã libri habent, Si non concubia ad Veneris.* SI NON FORTE) *εἰρωνεία eſt. ridiculum eſt, inquit, animas, cùm ſint immortales, ad concubitus, partúſque animantium præſtò adeſſe, & certare inter ſe, quæ prima earum in corpus recens, & modò natũ introeat: niſi fortè hæc inter ſe fœdera inierunt, vt corpora quæque ſint primarum aduenĩetium, atque ita deinde occupantium: quemadmodum vulgò dicere ſolemus, qui prior ſit tempore, eum priorem eſſe iure.* DENIQVE IN ÆTHERE) *hic verſus cum duodecim deinceps ſequentibus, iteratur lib. 5. non longè à principio.*

NON ÆQVORE IN ALTO) *aliàs, non æquore ſalſo. vt lib. 5.*

VBI QVIDQVID CRESCAT) *ſic legendum, quidquid, autem, valet, quidque, vt ſæpe alibi.* ET SANGVINE LONGIVS ESSE) *quidam docti legunt etiam hoc loco, longiter eſſe, vt ſuprà, Non (vt opinor) ea ab leto iam longiter errat.* QVOD QVONIAM IN NOSTRO &c.) *poſt vocem, corpore, tolle diſtinctionem, & lege coniunctim, conſtat certum, id eſt, certum eſt.*

GENIQVE) *Priſcianus lib. 10. gigno, genui: pro quo vetuſtiſſimi geno protulerunt. Varro Anabata. Sed quòd hæc loca aliquid genunt, &c. cuius infinitiuum paſſiuum Lucretius in 3 protulit, geni, &c.*

CONSENTIRE) *συμπάσχειν.* ET FVNGI MVTVA) *& mutuò pati.*

QVID ENIM DIVERSIVS, &c.) *ſic Ariſtot. lib. 1 de anima. ἐπίπονον δὲ καὶ τὸ μεμῖχθαι τῷ σώματι μὴ δυνάμενον ἀπολυθῆναι, καὶ προσέτι φευκτόν, εἴπερ βέλτιον τῷ νῷ μὴ μετὰ σώματος εἶναι, καθάπερ εἴωθέ τε λέγεσθαι, καὶ πολλοῖς συνδοκεῖ. id eſt, Cùm graue autem & laborioſum eſt cum corpore animam commiſtam eſſe, neque ab eo diſſolui poſſe: tùm fugiendum eſt, ſiquidem melius eſt animo non eſſe cum corpore copulatum, quemadmodum & dici ſolet, & multis videtur. Sic Arnobius lib. 2. aduerſus genteis. idque multis verbis: quæ idcirco prætereo. ſed locum mox indicabo.*

IN CONCILIO) *in cœtu.* SÆVAS TOLERARE PROCELLAS) *ſexcentis caſibus aduerſis iactari. tranſlatio ducta à mari. lege Arnobium aduerſus genteis lib. 2. de miſeriis, atque ærumnis, quas perferunt animæ in corporibus humanis incluſæ. ibi. Niſi forte rex mundi idcirco ex ſe genitas huc animas miſit, vt, quæ fuerant apud ſe Deæ, &c.*

Præterea, quæcumque manent æterna, neceſſe'ſt
Aut quia ſunt ſolido cum corpore, reſpuere ictus,
Nec penetrare pati ſibi quidquam, quod queat artàs
Diſſociare intus parteis, vt materiaï
Corpora ſunt: quorum naturam oſtendimus antè:
Aut ideò durare ætatem poſſe per omnem,

Plagarum quia ſunt expertia,ſicut inane'ſt:
Quod manet intactum,neque ab ictu fungitur hilum:
Aut ideò,quia nulla loci ſit copia circùm,
Quò quaſi res poſſint diſcedere,diſſoluíque:
Sicut ſummarum ſumma eſt æterna:neque extrà
Quis locus eſt,quò diffugiat:neque corpora ſunt,quæ
Poſſint incidere,& valida diſſoluere plaga.
At neque (vti docui) ſolido cum corpore mentis
Natura'ſt:quoniam admiſtum'ſt in rebus inane.
(Nec tamen eſt vt inane) neque autem corpora deſunt,
Ex infinito quæ poſſint fortè coorta
Proruere hanc mentis violento turbine molem,
Aut aliam quamuis cladem importare pericli.
Nec porrò natura loci,ſpatiúmque profundi
Deficit,exſpergi quò poſſit vis animaï:
Aut alia quauis poſſit vi pulſa perire.
Haud igitur leti præcluſa'ſt ianua menti.

PRÆTEREA QVÆCVMQVE) *vtitur eodem fere argumento, & verò iiſdem verſibus lib.5. ad probandum mundi interitum. Eſt autem argumentum ab enumeratione partium,hoc modo. Quicquid æternum eſt,aut eò æternum eſt,quia cùm ſolido corpore conſtet,non poßit ab iniuria externa frangi,aut diſſolui,ictúſq; omneis contemnat,ac repellat: cuiuſmodi ſunt corpuſcula prima: aut quia ſit intactum,neque ictus vllos in ſe recipiat:cuiuſmodi eſt inane: aut quia nullus ſit locus circùm,quò res poßit dißipari,ac diſſolui: qualis eſt ſumma ſummarum, & rerum vniuerſitas. At animus neque ita ſolidus eſt,vt frangi non poßit: quia rebus omnibus genitis admiſtum eſt inane:neque corpora deſunt,quæ vim ſuam in animi naturam expromere,eámque conficere poßint, cùm ſit corporea: neque locus deeſt, quò diſpergatur.ergo animus non eſt immortalis.*

NEQVE AB ICTV FVNGITVR HILVM) *neque quicquam ab ictu patitur. ſic autem reſtitui, manuſcriptorum codicum auctoritatem ſecutus, cùm in vulgatis legatur,frangitur:in quibuſdam etiam,figitur:quod vtrunque mendoſum eſt,& ab indoctis deprauatum,qui,quid ſibi vellet hoc,fungitur,neſcirent. Hoc ſecuti ſunt Thraſones,&,vt ſuum,ediderunt:aut,ne mentiar,taciti probarunt. quod in aliis ſexcentis fecerunt.* DIFFVGIAT) *diffugiat,nempe ſumma ſummarum, al. diffugiant,& ita vulgò. diffugiant autem,res ſubint.*

QVÆ POSSINT INCIDERE) *quæ poßint incidere in ſummam rerum. vtitur eodem verbo ſup. lib. 2. Incidere è ſupero leuioribus.*

AT NEQVE (VTI DOCVI)) *remouet nũc & refellit tria illa,quorũ vno aliquo poſito poſſet eſſe anima immortalis:quo facto ſequitur eam eſſe mortalem.*

PRORVERE HANC) *fateor equidem in libris manuſcriptis legi,Corruere, quemadmodum & in vulgatis. Veruntamen repoſui,Proruere. Nam,corruere,verbum eſt abſolutum,niſi quòd à Plauto videtur vſurpari ἐνεργητικῶς in Rudente: Ibi, me corruere poſſe aiebas diuitias. & item alibi. Verùm non ſignificat in illis locis*

euertere, aut percellere, quam verbi ſignificationē hic locus poſtulat, ſed vnà eruere, & colligere. ſeu συνεκθροίζειν: vt & apud Varr. *lib. 4. de ling.* Lat. Corbes *ab eo, quòd ſpicas, aliúdve quid conruebant.* Apud *Catullum autem in carmine ad* Manlium, *vbi vulgò legitur, corruerit, legendum, torruerit.* Nam *mihi quam dederit duplex* Amathuntia *curam,* Scitu, *& in quo me torruerit genere. quod mihi indicauit non ita pridem* Adr. Turnebus, *cùm antea ſuſpicatus eſſem legendum, exercuerit.* Proruere *igitur hoc loco repoſui,* Lucretij *ſententiam ſecutus: quod ſignificat longè, latéque percellere, & peruertere, vt apud* Horat. *oda 35. lib.* 1. Iniurioſo *ne pede proruas* Stantem *columnam.* EXSPERGI) *foras diſpergi, & diſſipari.*

HAVD IGITVR LETI, *&c.) id eſt non igitur mens immortalis eſt.* Arnobius *lib. 2. aduerſus genteis. omnis enim paſſio, leti atque interitus ianua eſt, ad mortem ducens via, & ineuitabilem rebus afferens functionem.* Idem *eod. lib.* Rurſus *verò ſi animæ leti adeūt ianuas (*Epicuri. *vt ſententia definitur) nec ſic cauſa eſt competens, cur expeti philoſophia debeat.*

Quòd ſi forte ideò magis immortalis habenda'ſt,
Quòd letalibus ab rebus munita tenetur:
Aut quia non veniunt omnino aliena ſalutis:
Aut quia, quæ veniunt, aliqua ratione recedunt,
Pulſa prius, quàm, quid noceant, ſentire queamus:
Scilicet à vera longè ratione remotum'ſt.
Præter enim quàm quòd morbis tum corporis ægrit,
Aduenit id, quod eam de rebus ſæpe futuris
Macerat, inque metu malè habet, curíſque fatigat:
Præteritíſque admiſſa annis peccata remordent.
Adde furorem animi proprium, atque obliuia rerum:
Adde quòd in nigras lethargi mergitur vndas.
Nil igitur mors eſt, ad nos neque pertinet hilum,
Quandoquidem natura animi mortalis habetur:
Et velut anteacto nil tempore ſenſimus ægri,
Ad confligendum venientibus vndique Pœnis,
Omnia cùm belli trepido concuſſa tumultu
Horrida contremuere ſub altis ætheris auris:
In dubióque fuit, ſub vtrorum regna cadendum
Omnibus humanis eſſet, terráque, maríque:
Sic, vbi non erimus: cùm corporis, atque animaï
Diſcidium fuerit, quibus è ſumus vniter apti:
Scilicet haud nobis quidquam, qui non erimus tum,
Accidere omnino poterit, ſenſúmque mouere:
Non, ſi terra mari miſcebitur, & mare cælo.
Et, ſi iam noſtro ſentit de corpore, poſtquàm
Diſtracta'ſt animi natura, animæque poteſtas:

Nil tamen hoc ad nos,qui cœtu,coniugióque
Corporis,atque animæ conſiſtimus vniter apti.
Nec,ſi materiam noſtram conlegerit ætas
Poſt obitum,rurſúmque redegerit,vt ſita nunc eſt:
Atque iterum nobis fuerint data lumina vitæ,
Pertineat quidquam tamen ad nos id quoque factum,
Interrupta ſemel quom ſit repetentia noſtra.
Et nunc nil ad nos de nobis attinet,antè
Qui fuimus:nec iam de illis nos afficit angor,
Quos de materia noſtra noua proferet ætas.

QVOD SI FORTE IDEO M.) *ἀνθυποφορᾷ:qua occupat, quod dici poterat pro animæ immortalitate,nempe eam à rebus letalibus, & mortiferis eſſe tutam,vel quia incommoda illa non ſint prorſus à ſalute aliena,vel quia quæ ei eueniunt incommoda & noxia,prius repellantur,quàm,quid noceant,ſentire poßit.Id igitur totum vna,eadémque opera remouet,ac refellit, probátque eſſe falſum , cùm à morbis corporis,quibus ipſa quoque laborat,tùm ex ipſius animi propriis,dum & futurorum metu cruciatur , & præteritorum dolore,ac mœrore ; & ceteris affectibus contabeſcit.legendum autem eſt ita,vt excudendum curaui:letalibus ab rebus munita:id eſt tuta ab ea parte,qua res letales eam lædere & perimere poſſent:non, vt vulgò,vitalibus ab rebus. Sic enim loquuntur Latini,à periculo tutus, à frigore, ab iniuria cæli,& ſimilibus munitus.*

AVT QVIA NON VENIVNT,&c.) *hic verſus cum duobus deinceps ſequentibus,fuerant turpiter,& fœdè ſuo ordine,& loco moti. eos autem in ſuum ordinem & locum reſtitui,à codicibus manuſcr.adiutus:nempe poſt verſum,Quòd letalibus &c.& ante verſum,Scilicet à vera lõgè,&c.hoc enim ordine,& ſic legebãtur in omnibus libris,Quod vitalibus,&c.Scilicet à vera longe &c. Aut quia non veniunt &c. Aut quia quæ veniunt &c. Pulſa prius &c. Præter enim quàm &c. Ego tamen velim verſum , Aut quia non veniunt &c. legi poſt hos duos, Aut quia quæ veniunt,&c.Pulſa prius &c. Hæc omnia dißimularunt βάρβαροι homines. Refellit autem(vt dixi)negátq; duas illas rationes,quæ poſſent valere ad confirmandam animi immortalitatem : quarum hæc prima eſt : ea, quæ animo letalia ſunt , non accidere animo prorſus aliena à ſalute . altera eſt : ea,quæ letalia ei eueniunt,prius ab eo repulſa recedere,quàm damnum ſentiatur.*

ALIENA SALVTIS) *vel ſic legendum : nam ita ſcriptum reperi in duobus libr.calamo exaratis : vel aliena ſalute alienum ſalutis autem,vſitatum loquendi genus eſt Latinus,& alienum ſalute, & alienum à ſalute. Legitur autem mendosè in vulgatis,plena ſalutis.* PRÆTER ENIM QVAM QVOD MORBIS TVM CORPORIS ÆGRIT,) *hunc verſum miſere laceratum in libris vulgatis,reſtitui ex veſtigiis antiquorum codicum:quorum in aliis legitur,cum corporis ægrit:in aliis,cum corpore ægre'ſt.quod autem ad principium verſus attinet,cùm in vulgatis quidem,& duobus manuſcript.ita legatur:Præter enim quàm quod morbi eſt , (quæ ſcriptura ſine dubio mendoſa eſt :) in aliis autem duobus partim ita: Præter enim quàm tam:partim ita,Præter enim quod quàm morbi'ſt:neque hoc ſine litura:ego ſic repoſui,Præter enim quàm quod morbis tum corporis ægrit id eſt,præ-*

terquàm enim quòd tum morbis corporis ægra eſt ſeu ægrotat. Ex hoc, ægrit, ſcilicet, quod non intellexerunt arrogantiſsimi Thraſones, declaratum poſtea à docto quodam viro, factum eſt, ægrotat. Sic autem edidi iam tum cùm prodijt editio ſecunda. nam in prima ſic ſcripſeram. Præter enim quod tum morbi'ſt, cùm corpori ægre'ſt. eámque ſcripturam paullum immutatã ſimius ille ſibi adſcripſit, & ſecutus eſt, vt ſuam. quam ſemel iam à me in ſecunda editione repudiatã, ac reiectam, iterum hîc improbo: & alteram illam, Præter enim, quàm quòd morbis tum corporis ægrit, amplector, præſertim ab Adrian. Turnebo eodem tempore approbatam: cum ei idem, quod mihi, paucis antè menſibus, quàm è vita decederet, veniſſet in mentem. Non diſſimulabo tamen, Zoilum iſtam hanc ſecundam ſcripturam in animaduerſis probaſſe, à Turnebo, & à me in ſecunda editione admonitum.

PRÆTERITISQVE ADMISSA ANNIS P. R) *Cum in duobus codicibus manuſcriptis, Præteritíſque admiſſa manis, ſcriptum reperiſſem: lectio autem vulgata, Præteritíſque admiſſa malis peccata, & c. non dico mihi, ſed viris doctiſsimis, non ferenda videretur: ego coniectura ductus, & ſcripturæ veteris veſtigia ſecutus, ſic reſtitui: Præteritíſque admiſſa annis peccata remordent. quæ lectio ſine dubio recta, & germana Lucretiana eſt. Nam quòd alij libri manu ſcripti habẽt, Præteritíſque malè admiſsis peccata, & c. hæc quoque deprauata eſt. Cùm hæc ita edenda curaſſem in duabus iam editionibus, Zoilus meus, ſibi hoc totum vindicauit, hoc tantum immutans à mea emendatione, quòd anis, pro annis poſuit, quaſi verò ignorarem, veteres dixiſſe, anus & anellus, pro ijs, quæ hodie vſurpamus, annus, & annellus. Sic ſolent fures.*

NIL IGITVR MORS EST, AD NOS NEQVE, &c.) *concludit nunc ex eo, quòd anima ſit mortalis, quod probare conatus eſt, mortem nihil eſſe, nihilque ad nos pertinere: qua de re ſic Epicurus apud Laërtium.* συνέθιζε δὲ ἑαυτὸν ἐν τῷ νομίζειν μηδὲν πρὸς ἡμᾶς εἶναι τὸν θάνατον· ἐπεὶ πᾶν ἀγαθὸν καὶ κακὸν ἐν αἰσθήσει. στέρησις δέ ἐστιν αἰσθήσεως ὁ θάνατος· ὅθεν γνῶσις ὀρθὴ μηδὲν εἶναι πρὸς ἡμᾶς τὸν θάνατον. ἀπολαυστὸν γὰρ ποιεῖ τὸ τῆς ζωῆς θνητόν, οὐκ ἄπειρον προστιθεῖσα χρόνον, ἀλλὰ τὸν ἀθανασίας ἀφελομένη πόθον, *&c. id eſt aſſuefac teipſum ei cogitationi, vt putes mortem nihil ad nos pertinere. Nam omne bonum & malum in ſenſu eſt. Mors autem, ſenſus priuatio eſt: ex quo recta opinio, & notitia naſcitur, mortem nihil ad nos pertinere. Dat enim eius mortalitatis, quæ vitæ eſt particeps, fruendæ facultatem, non infinitum tempus adijciẽs, ſed immortalitatis deſiderium auferens. Idem apud Plutarch. libro,* ὅτι οὐδὲ ζῆν ἐστιν ἡδέως κατ' Ἐπίκουρον. βέλτιόν τι τῶν ἐν τῷ βίῳ μετὰ τὸν βίον ἐπινοεῖς; ἐξηπάτησαι. τὸ γὰρ λυθὲν ἀναισθητεῖ· τὸ δ' ἀναισθητοῦν, οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. *id eſt, Tú ne melius quippiam iis, quæ ſunt in vita, poſt vitam tibi cogitatione depingis? magnopere falleris. Nam quod diſſolutum eſt, ſenſu caret. quod autem ſenſu caret, nihil ad nos. Ad eandem ſententiã pertinet Græcum illud epigramma.* Τὸν θάνατον τί φοβεῖσθε, τὸν ἡσυχίας πατέρα, Τὸν παύοντα νόσους, καὶ πενίης ὀδύνας; Μοῦνος ἅπαξ θνητοῖς παραγίνεται, οὐδέποτ' αὐτὸν Εἶδέ τις θνητῶν δεύτερον ἐρχόμενον. Αἱ δὲ νόσοι πολλαί, καὶ ποικίλαι ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλον Ἐρχόμεναι θνητῶν, καὶ μεταβαλλόμεναι. *id eſt, (vt quidem ego ludibundus verti) Quid mortem horretis, cauſam, matrémque quietis? Pellentem morbos, pauperiémque grauem? Sola ad mortaleis ſemel aduenit illa, neque vnquam Aduenientem iterum cernere quis potuit. At multi & varij hinc illinc inuadere pergunt Nunc hunc, illum nunc morbi alij, atque alij.*

ET VELVT ANTEACTO) *Ad hunc locum illuſtrandum pertinent illa.*

M.Tull.lib.1.Tuſcul. Qui enim ſatis viderit, id quod eſt luce clarius, animo & corpore conſumto, totóque animante deleto, & facto interitu vniuerſo, illud animal, quod fuerit, factum eſſe nihil: is plane perſpiciet, inter Hippocentaurum, qui numquam fuerit, & regem Agamemnonem, nihil intereſſe: nec pluris nunc facere M. Camillum hoc ciuile bellum, quàm illo viuo ego fecerim Romam captam, &c. Idem ibidem paucis pòſt verſibus. Natura verò ſic ſe habet, vt, quo modo initium nobis rerum omnium ortus noſter afferat, ſic exitum mors: quæ, vt nihil pertinuit ad nos ante ortum, ſic nihil poſt mortem pertinebit. in quo quid poteſt eſſe mali, cùm mors nec ad viuos pertineat, nec ad mortuos? alteri nulli ſunt, alteros non attingit.

OMNIA CVM BELLI TR. CONC. TVM. HORR. CONTR.) ſic Arnobius lib 7 Hannibalem illum Pœnum. hoſtem potētem ac validum, ſub quo anceps & dubia res Rom. contremuit. & magnitudo trepidauit, &c.

IN DVBIOQVE FVIT, SVB VTRORVM REGNA) nihil ferè diſcrepabāt hoc loco libri manuſcripti à vulgatis: qui ſine dubio corrupti ſunt, cùm ſic habeant, In dubióque fuére vtrorum ad regna cadendum, &c. itaque meum inſtitutum, ne quid mutarem, niſi ex auctoritate veterū codicum, tenere hîc non potui: ſed ſic excudendum curaui, In dubióque fuit. ſub vtrorum regna cadendum Omnibus, &c. id eſt & dubium ſeu incertum fuit, ſub vtrorum imperium caſuri eſſéne omnes homines, Karthaginienſiúm ne, an Romanorum. hæc enim ſcriptura multo facilior, & planior eſt. nam primùm ita alibi loquitur: In dubio fuit, pro dubium fuit, infra eodem libro, in extremo, Poſteráque, in dubio eſt, fortunam quam vehat ætas. deinde Plaut. Trinum. In ambiguo eſt etiam nunc quid de hac re fiat: Deinde cadere ſub imperium, regnum, & leges, & ſimilia, vſitatiora ſunt, quàm ad imperium, &c. vt idem libro quinto, quo magis ipſum Sponte ſua cecidit ſub leges, arctáque iura. M. Tull. oratione pro Fonteio, multóque eius ſudore ſub populi. Rom. imperiū, ditionémque ceciderunt. Arnobius lib. 7. auctos imperij fines, innumerás q; prouincias ſub leges veſtri cecidiſſe dominatus. Iterum M. Tull. accuſ. lib. 5. numquam te ſub legum, & iudiciorum poteſtatem caſurum eſſe putaſti? Recepta autem & vulgata ſcriptura durior, & quæ non videtur aliter explicari poſſe, quàm ſi verbum, fuére, referatur ad illud, quod antecedit, omnia, hoc modo. & cum omnia fuere in dubio ad vtrorum regna cadendum eſſet omnibus hominibus terra, & mari, id eſt in vtrorum, ſeu ſub vtrorum regna omnes homines neceſſariò caſuri eſſent. Nam cadere ad regna, loquendi genus eſt inſolens & inuſitatū. Quod ſequuntur tamen & probant Thraſones. Sed hoc malo, quàm eos rectam ſcripturā, quam reperi, ſibi aſſumere, vt conſueuerunt. Neque hoc eis fuit ſatis. Sed verſum ineptiſſimum finxerunt, Lucretióque affinxerunt: In dubióque fueret, vtrorum ad regna cadendum. Nónne hoc portentum eſt, non verſus?

SIC, VBI NON ERIMVS) ſic, vbi non erimus, id eſt cùm animus à corpore ſeiunctus erit, ex quibus conſtamus, & vnum quiddam effecti ſumus: Scilicet haud nobis quicquam, &c.

QVIBVS E SVMVS VNITER APTI) id eſt ex quibus conflati & coagmentati ſumus. corrupti erant hoc loco vulgati codices. in quibus legitur: quibus hæſimus, pro, quibus è ſumus: quæ ſcriptura ſine vlla litura reperitur in libris manuſcr. VNITER) agnoſcit hoc aduerbium Cariſius.

SCILICET HAVD NOBIS, &c.) hic verſus pertinet ad illa ſuperiora: Sic, vbi non erimus, & cùm animus à corpore diſciſſus ac diuulſus fuerit, ex quibus

ſumus vnum quiddam facti: ſcilicet haud nobis quicquam accidere omnino poterit neque commodi, neque incommodi. verſum autem illum, Nam ſi materiam, &c. qui alieno loco fuerat inculcatus, neque hîc reperitur in libris manuſcript. ſuſtuli.

QVI NON ERIMVS) *ſic habent libri manuſcrip. non, vt vulgati, cùm nõ erimus. nam particula, tum, refertur ad partic. vbi, ſuprà: Sic vbi, &c.*

NON SI TERRA) *non poterit (inquam) nobis quicquam accidere, ne ſi terra quidem mari miſceatur, & mare cælo. hunc verſum imitatus, atq; adeò mutuatus eſt Iuuenalis ſaty. 2. Quis cælum terræ non miſceat, & mare cælo?*

QVI COETV, CONIVGIOQVE) *ſic habent aliquot lib. manuſcripti: alij, qui comtu, alij, qui coitu. cœtus autem idem valet, quod coïtus, mutato i. in e.*

ET SI IAM NOSTRO) *id eſt & ſi iam demus, animam, poſteaquàm diſtracta & diuulſa eſt à corpore, ſentire de noſtro corpore: id eſt ex eo corpore, cum quo iuncta fuit, ſenſum quendam contraxiſſe: tamen nihil hoc ad nos pertinet: qui conſtamus ex animo & corpore.*

NEC SI MATERIAM, &c.) *hoc dicit. nec, ſi poſt obitum noſtrum, ex eadem materia, ex qua cõſtamus, alius homo naſcatur, ita vt videamur quodammodo reuixiſſe: non (inquam) hoc factum quicquam ad nos pertineat, cùm ſemel repetentia noſtra fuerit interrupta.* MATERIAM NOSTRAM) *quidam lib. habent, noſtri.* PERTINEAT) *ſume copulationem negantem, nec. vt ſit hic Lucretij ſenſus, & ſi hoc fiat, non pertineat quicquam ad nos id factum.*

REPETENTIA NOSTRA) *ſic curaui excudendum, fretus auctoritate lib. manuſcr. nam vulgati, alij habent repentia noſtra, alij repentia nobis, alij retinẽtia noſtra. repetentiam autem interpretor ἀνάμνησιν, & recordationem, & retinentiam quandam, vt ſuprà lib eodem. Omnis vt actarum exciderit retinentia rerum. Nota autem eſt vtriuſq; nominis origo. Nam vt à retinendo, retinentia: ſic à repetẽdo repetentia dicta eſt. Iam repetere memoria. & retinere, Latinis ſunt vſitata. voce, repetẽtia, vtitur lib 2. Arnob. Cùm multo facilius ſit credere, diſcere illam quod neſciat, quàm obliuiam quod paullo antè ſciebat: & oppoſitu corporis amitti repetentiam priorũ. quem locum ſuprà retulimus. Idem aliquãto pòſt. Quòd enim rebus ingreſſus priorum repetentiam detrahit, id intra ſe geſta irrecordabili debet oblitteratione deperdere. Quòd ſi quis malet legi, repentia, vt habent etiam nonnulli ſcripti manu, interpretabor tacitam quandam & ſenſim progredientem viuendi aſſiduitatem, vel ſimpliciter, itionem, ſiue ingreſſionem ſiue inceſſum, ſiue curſum vitæ, vt ſit tranſlatio à reptilibus. licet etiam legere, retinentia noſtri, eodem ſenſu. Omnino repetentia mihi magis placet, quàm repentia. atque hanc ſcripturam confirmat verſus ab hoc nonus, infrà. Nec memori tamen id quimus reprendere mente: & auctor vocabularij Latinogræci, in quo ſcriptum eſt, repetentia, ἐπανάληψις. Verumtamen iudicet lector.* ET NVNC NIL AD NOS, &c) *id eſt & neque nunc de iis ſolliciti ſumus, qui fuerunt iidem ipſi, qui nunc ſumus: neque rurſus de iis laboramus, aut eorum incommodis angimur, qui de materia noſtra creabuntur.* ANTE QVI FVIMVS) *qui fuimus anteà alij nos, verbi gratia, finge, me abhinc mille annos fuiſſe & vixiſſe. illius temporis nullus ad me ſenſus peruenit, qui nunc viuo: neque rurſum ſi caſus ita ferat, vt poſt ſexcentos annos alius Lambinus ex mea materia naſcatur, id ad me quicquam nunc pertinet, aut me vlla voluptate, vel moleſtia afficit, ſi Lambino illi futuro fortuna propitia, & benigna, vel ſæua, & maligna futura eſt.*

Nam quom reſpicias immenſi temporis omne
Præteritum ſpatium, cùm motus materiaï
Multimodi quàm ſint: facilè hoc adcredere poſſis,
Semina ſæpe in eodem, vt nunc ſunt, ordine poſta:
Nec memori tamen id quimus reprendere mente.
Inter enim iecta'ſt vitaï pauſa, vagéque
Deerrarunt paſſim motus ab ſenſibus omnes.
Debet enim, miſerè quoi fortè, ægréque futurum eſt,
Ipſe quoque eſſe in eo tum tempore, quom malè poſſit
Accidere. at quoniam mors eximit im, prohibétque,
Illum, quoi poſſint incommoda conciliari
Hæc eadem, in quibus & nunc nos ſumus, antè fuiſſe:
Scire licet, nobis nihil eſſe in morte timendum:
Nec miſerum fieri, qui non eſt, poſſe: neque hilum
Differre, an nullo fuerit iam tempore natus,
Mortalem vitam mors quoi immortalis ademit.
Proinde vbi ſe videas hominem indignarier ipſum,
Poſt mortem fore, vt aut putreſcat corpore poſto,
Aut flammis interfiat, malisve ferarum:
Scire licet, non ſincerum ſonere: atque ſubeſſe
Cæcum aliquem cordi ſtimulum: quamuis neget ipſe
Credere ſe quemquam ſibi ſenſum in morte futurum.
Non (vt opinor) enim dat, quod promittit, abunde:
Nec radicitus è vita ſe tollit, & eicit:
Sed facit eſſe ſui quiddam ſuper inſcius ipſe.
Viuus enim ſibi quom proponit quiſque, futurum,
Corpus vti volucres lacerent in morte, feræq;:
Ipſe ſui miſeret: neque enim ſe vindicat hilum,
Nec remouet ſatis à proiecto corpore: & illud
Se fingit, ſenſúque ſuo contaminat adſtans.
Hinc indignatur ſe mortalem eſſe creatum:
Nec videt, in vera nullum fore morte alium ſe,
Qui poſſit viuus ſibi ſe lugere peremtum,
Stánſque iacentem: nec lacerari, vríve dolere.
Nam ſi in morte malum'ſt, malis, morſúque ferarum
Tractari: non inuenio quî non ſit acerbum,
Ignibus impoſitum calidis torreſcere flammis:
Aut in melle ſitum ſuffocari, atque rigere
Frigore, cùm in ſummo gelidi cubat æquore ſaxi:

Vrgerí ve ſupernè obtritum pondere terræ.

NAM CVM RESPICIAS) *ἀνθυποφορὰ eſt. poterat enim quiſpiam ita dicere: qui fieri poteſt, vt alius ego vel multis antè ſæculis fuerit, vel multis pòſt ſæculis naſcatur ex eadem materia? huic igitur reſpondet, non eſſe incredibile, ſi retro ſpectemus præteriti temporis ſpatium immenſum, & ſi conſideremus materiæ motus varios, & multiplices, primordia rerum, ex quibus conſtat hodie homo aliquis ſingularis, eodem ordine & olim poſita fuiſſe, quo nũc ſunt ordine collocata: & poſthac eodem collocatum iri. negabit tamen infrà, etiam ſi hoc detur, eundem, qui nunc ſit, aut olim fuiſſe, aut poſthac futurum: quia ſcilicet vitæ interruptio facta ſit per mortem.* REPRENDERE MENTE) *ſic habent lib. manuſcrip. vulgati autem deprehendere mente vitioſe.*

INTER ENIM IECTA'ST VITAI) *id eſt vitæ interruptio facta eſt. pauſa, id eſt quies, & ceſſatio quædam. vtitur eodem verbo infrà hoc libro, Frigida quem ſemel eſt vitai pauſa ſecuta. & ſup lib. 2. nec dare pauſam Principiis, &c.*

DEERRARVNT) *vtitur eodem verbo Virgil. Melibæo. Vir gregis ipſe caper deerrauerat. & auctor ad Herenn ſi non deerrabimus ab eo, quod cœpimus exponere. & Plautus Menæch. Inter homines me deerrare, atque inde auehi.*

DEBET ENIM, MISERE QVOI FORTE, &c.) *ſic habet liber Vaticanus, neque admodum ab hac ſcriptura ceteri diſcrepant, niſi quòd Bertinianus, & Mẽmianus habent, Debet enim miſere cùm forte, ægréque futurũ eſt. Eſt autẽ hæc ſentẽtia, Is, cui forte miſerè, ægréque futurum eſt: id eſt is, qui forte miſer, & æger eſt futurus, debet eo eſſe tempore, quo tempore ei male accidere poſſit. alioqui non poterit eſſe miſer. At homo mortuus, deſiit eſſe: ergo nullo modo miſer eſſe poteſt, nulláque in eum miſeria cadit. hæc eadem diſputantur, & demonſtrantur à M. Tullio libro 1. quæſt. Tuſcul.*

AT QVONIAM MORS EXIMIT IM,) *id eſt at quoniã mors eripit & liberat eum, ne poſſit miſer eſſe, &c. im pro eum dictũ eſſe à veteribus teſtantur Pomp. Feſtus, & Cariſius, & ceteri. Quòd autem libri manuſcripti habent, eſſe, illud eſſe factum eſt, ex em, vel im: quod vtrunque idem valet, quod eum. nam cùm à librario ſcriptum eſſet 17. pro im, factũ eſt poſtea, u. deinde ab eo, qui corrigere geſtiret, repoſitum eſt, eſſe: atque ita hic locus deprauatus eſt ignoratione linguæ Latinæ antiquæ. ſic autem vſurpat verbum eximendi Plaut. Epidico. Ita non omnes poterunt ex cruciatu eximere Epidicum.*

PROHIBETQVE, ILLVM, QVOI POSSINT, &c.) *id eſt, & quia mors prohibet, ne ille, cui hæc eadem incommoda, quibus nos conflictamur, vel in quibus verſamur, euenire poſſint, id eſt qui viuat: antè fuerit, Scire licet, &c. Videtur hic locus pugnare cum iis, quæ ſuprà dixit, ex materia alicuius hominis alium hominem multis pòſt ſæculis naſci poſſe, qui ſit quodam modo idem alter. reſpondeo, hoc quidem ſuprà dictum eſſe: ſed non ea mente, eáve gratia, vt aſſeueraret, eum, qui ex materia mei, verbi gratia, multis pòſt vel ſæculis, vel annis naſceretur, fore alterũ me: ſed vt oſtenderet, etiã ſi id fieret, nihil hoc tamẽ neq; ad eũ, qui antè vixiſſet, eius, qui poſtea ex eadẽ materia exſtiturus eſſet, caſus: neq; ad eũ, qui poſteà ex eadẽ materia cõflatus, victurus eſſet, eius, qui antè vixiſſet, incõmoda pertinere.*

IN QVIBVS ET NVNC NOS SVMVS) *ſecutus olim fueram hoc loco libros vulgatos, in eo quòd habent vocem, ægri: in eo quòd habent nunc, antè*

verbum ſumus, manuſcriptos: in quibus partim ita ſcriptum eſt, quibus & nūc nos ſumus, partim ita, quibus è nunc nos ſumus. atque ita edideram, quibu' nunc ægri ſumus, antè f. ſententia aperta. nunc minus longè à ſcriptura antiqua diſcedens, à qua abeſt vox ægri, ſic edendum curaui, Hæc eadem, in quibus & nunc nos ſumus, ante f. ſententia non minus perſpicua: neque ſermone minus vſitato. Sic enim loquuntur Latini, eſſe, ſeu verſari in incommodis, in malis, & ſimil. Si cui autem magis placet primæ editionis ſcriptura: hæc eius ratio eſt. Pronomen, nos, adiectum eſſe putabam ab iis, qui verſum perficere voluerint mutilatum, voce, ægri, lacerata, & corrupta. Licere tamen exiſtimabam etiam ſic legere, quibus ægri nos ſumus, vel ſic, quibu' nos ægri ſumus. Quòd autem quidam retinent ſcripturam antiquam, quibus è nunc nos ſumus, eámque interpretantur hoc modo: è quibus nos nunc ſumus, id eſt conſtamus, valde falluntur. quomodo enim cōſtare poſſumus ex incommodis? Nam relatiuum, quibus, refert vocem, incommoda, quæ antecedit.

MORTALEM VITAM MORS QVOI) mortem immortalem dixit, quia ex veterum illorum ſententia, qui mortuus eſt, reuiuiſcit numquam. Sic quidā apud Athenæum: θάνατος ἀθάνατος. & Catull. Soles occidere, & redire poſſunt: Nobis, cùm ſemel occidit breuis lux, Nox eſt perpetua vna dormiēda. & ita Horat. od. 7 lib. 4. Damna tamē celeres reparāt cæleſtia lunæ Nos, vbi decidimus, &c. deinde ſequitur, Cùm ſemel occideris, & de te ſplendida Minos Fecerit arbitria, &c.

PROINDE VBI SE VIDEAS HOMINEM INDIGNARIER IPSVM, &c.) Hūc verſum cum eo, qui deinceps ſequitur, ſic explico: proinde vbi videas hominem indignari, ſeu indignè ferre, quòd futurum ſit poſt mortem, vt aut putreſcat, &c. Sed, miſerarier, legendum arbitror, non, indignarier, ídque ex veſtigiis obſcuris ſcripturæ veteris. duriuſculum enim videtur ita loqui: hominē ſeipſum indignarier, fore, vt &c. miſerari verò ſeipſum, probatum loquendi genus, pro ſeipſum miſerum queri, & dicere.

CORPORE POSTO) corpore humato, & in foſſa cóndito.

AVT FLAMMIS INTERFIAT) interfiat, pro interficiatur: id eſt conficiatur, abſumatur, nempe in rogum impoſitus. Sic ſuprà eodem libro, confiet, poſuit, pro conficietur. Id quoque enim ſine pernicie confiet eorum.

MALIS'VE FERARVM) aut malis ferarum laceretur: videlicet proiectus inhumatus, atque inſepultus huc pertinet illud Diogenis, qui cùm ſe proiici iuſſiſſet inhumatum, tum amici, volucribúſne & feris? Minimè verò (inquit) ſed bacillum prope me, quo abigam, ponitote. Qui poteris? inquiunt illi: non enim ſenties. Quid igitur (inquit ille) mihi ferarum laniatus oberit, nihil ſentienti?

NON SINCERVM SONERE) ſonere, antiquū pro ſonare. notat Nonius, producitq; teſtem verſum illum, qui eſt ſuprà, Caligare oculos, ſonere aureis, &c.

ABVNDE) libri nonnulli manuſcripti pro, abundè, quod eſt in vulg habent, & vnde. alij, & inde. de quibus ſcripturis nondum dubitare deſij. Quidam docti, & vnde, probant, & interpretantur hoc modo, non dat quod promittit, & vnde promittit, id eſt, non dat ex animo. ET EICIT) eicit, pro eiicit eicit, autem diſyllabum eſt, vt reice apud Virgil. Menalca, Tityre paſcentes à flumine reice capellas & iterum eicit apud Lucret. lib. 4 Eicit enim ſulci recta regione, viáque Vomerem. Verumtamen alij volunt eſſe proceleumaticum pro dactylo, vt Genua labant. Quemadmodum autem in verbis, eicit, & reice, alterum i ſublatum eſt: item fit in voce reiculæ, qua voce vtūtur Cato, & Varro de re pecuaria, Suntq; reiculæ oues,

quas paſtor reiicit ac remouet de toto grege. SED FACIT ESSE, &c.) coniunge verbũ, eſſe, cum præpoſitione, ſuper, vt ſit, eſſe ſuper, pro, ſupereſſe. Quidam legunt: Sed facit ipſe ſui quiddam ſuper inſcius eſſe: quæ ſcriptura eſſet facilior quidem illa, verumtamen nihil mutandum cenſeo.

CORPVS VTI VOLVCRES, &c.) vt, qui iacent inſepulti: quales illi apud Homer. αὐτοὺς δὲ ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν, Οἰωνοῖσί τε πᾶσι.

IPSE SVI MISERET) nihil mutare auſus ſum: quamuis legendum exiſtimem: Ipſe ſui miſeretur, nec ſe diuidit hilum, vel ſic potius, Ipſe ſui miſeretur, nec ſe vindicat hilum, &c. Teſtantur enim Feſtus & Priſcianus antiquos vſurpaſſe, miſereo, res, pro, miſereor, ris. & quidem ita Plautus in Trinũmo: caue tui alius miſereat. ne hoc quidem lectorem celabo, cùm in Italia eſſem, incidiſſe in manus meas librum typis impreſſum, qui fuerat Iouiani Pontani: in quo erat emendatum, aut certè adſcriptum ipſius manu: Ipſe ſibi miſer eſt.

NEQVE ENIM SE VINDICAT HILVM) ſequi volueram initio libros vulgatos, qui habent, ſe diuidit hilum. Sed cùm animaduertiſſem, in manuſcriptis aliis ita legi, neque enim ſe vidit hilum: in aliis, vidit illum, planè mendoſè, ſed vnde tamen vera ſcriptura elici & reſtitui poſſet: ſic exiſtimaui eſſe reponendum, neque enim ſe vindicat hilum, ſeu potius, nec ſe vindicat hilum, &c. vt prior pars verſ. ſic legatur, Ipſe ſui miſeretur. Quidam tamen, vindicit, legi malunt, antiquè pro, vindicat: quod vſurpatum eſt à X. viris in duodecim tab.

ET ILLVD SE FINGIT) & fingit ſe eſſe illud corpus, quod iacet mortuum & inſepultum. SENSVQVE SVO) & corpus exſangue & inanimũ, & ſenſus expers, ſenſu contaminat, ſe adſtantem faciens. cõtaminare autem videtur corpus ſuum ſenſu, quia dum ei tribuit ſenſum, ſui miſeretur, & horret ferarum atque auium morſus: quod non faceret, ſi corpus exanimum omni ſenſu carere ſibi perſuaſum haberet. NEC VIDET, IN VERA) nec videt, exempli gratia, Dionyſius Lambinus, qui indignatur ſe mortalem eſſe natum, ſuámque condicionem deplorat, non videt (inquam) in vera morte nullum alium fore Dionyſium Lambinum, qui viuus & ſtans poßit ſe mortuum, & iacentem lugere, &c.

QVI POSSIT VIVVS, &c.) ordo & ſententia verborum eſt. qui viuus poßit ſibi lugere ſe eſſe peremtum, nec qui poßit dolere ſe à feris, aut auibus lacerari, aut flãmis cremari. ſibi, dandi caſus eſt, ornatus cauſa poſitus: vt ibi, ſuo ſibi hunc iugulo gladio Sic autem legendum, vt ediai, non, vt in aliis libris omnibus ſcriptum & impreſſum eſt, nec lacerari, vríve dolore. NAM SI IN MORTE, &c.) Hæc ad id pertinent, quod proxime addidit, vríve. poterat enim aliquis dicere: lacerari à feris malum eſt: ſed comburi rogo impoſitum, non eſt æquè acerbum, aut omnino non eſt acerbũ. ad hoc ſic reſpondet, dixi lacerari, vríve, quaſi ſint ſimilia. Nam ſi malum eſt in morte maxillis ferarum diripi, & dilacerari: non video quomodo non ſit etiam moleſtum & aſperum, in rogum impoſitum flammis torreri, aut aliis ſepulturæ generibus, quæ ſummo ſtudio ab hominibus procurantur & expetuntur, affici. IGNIB. IMPOS. CAL. TORR. FL.) comburi. Quo more vſi ſunt Romani, & ante eos Græci, atque etiam Barbari. Homer. ἰλ. Α. αἰεὶ δὲ πυραὶ νεκύων καίοντο θαμειαί. id eſt, ſemper autem crebri mortuorum rogi, ſeu aceruũ comburebantur. Ad quem locũ notat Euſtathius, hac cõſuetudine vſos eſſe veteres, vt oſtenderent, partem hominis diuinam, igni, tamquam vehiculo, ſublatam, locum cæleſtem petere: terreſtrem verò in terra manere, partim conſumtam, & in cineres

verſam, partim in oßibus reliquam. Alij dicunt, inquit ille, idcirco mortuorum corpora comburere ſolitos eſſe, quòd eis cadauer videretur non purum: ignem autem purgandi vim habere exiſtimarent. Si quis porrò de barbaris dubitat, etiam Hectoris corpus apud Homer. ἰλιάδ. Ω. *comburitur.*

AVT IN MELLE SITVM) *Hoc quoque fuit ſepulturæ genus à veteribus vſurpatum, aut certè ratio ſeruandorum corporum: quam commemorat Xenophon lib. 5.* Ἑλληνικῶν, *vbi narrat, Ageſipolin Lacedæmonium graui morbo affectum, eóque ipſo morbo die ſeptimo conſumtum, in melle poſitum, & Lacedæmonem reuectum, regia ſepultura fuiſſe decoratum. verba Xenoph. ſunt hæc:* καὶ ἐκεῖνος μὲν ἐν μέλιτι τεθεὶς, καὶ κομισθεὶς οἴκαδε, ἔτυχε τῆς βασιλικῆς ταφῆς. *Varro* περὶ ταφῆς *apud Nonium in nomine, vulgus. Quare Heraclides Ponticus plus ſapit, qui præcepit, vt comburerent, quàm Democritus, qui vt in melle ſeruarent: quem ſi vulgus ſecutus eſſet, peream ſi centum denariis calicem mulſi emere poßimus.*

ÆQVORE SAXI) *in æqualitate ſaxi: id eſt, in ſaxo æquabili, aut exæquato, & polito.* PONDERE TERRÆ) *ſecutus ſum omnes libros vulgatos, quibuſcum conſentiunt nonnulli manuſcripti. Nam alij habent, pondere cratis: quam ſcripturam nonnulli probant, fortaſſe non malè, vt referamus ad morem Karthaginienſium: qui hoc genere ſupplicij vtebantur: vt vel ex Plauto intelligere licet: Pœnulo ibi. Sub cratim vti iubeas ſeſe ſupponi, atque eo Lapides imponi multos, vt ſeſe neces. Sed cùm hîc loquatur Lucretius de ſepulturæ generibus, non de ſuppliciis, malim vulgatam, & receptam ſcripturam tueri.*

Ar iam non domus accipiet te læta, neque vxor
Optima, nec dulces occurrent oſcula nati
Præripere, & tacita pectus dulcedine tangent.
Non poteris factis tibi fortibus eſſe, tuíſque
Præſidio: miſer ô miſer, aiunt: omnia ademit
Vna dies infeſta tibi tot præmia vitæ.
Illud in his rebus non addunt, nec tibi earum
Iam deſiderium rerum ſuper inſidet vnà.
Quod bene ſi videant animo, dictíſque ſequantur:
Diſſoluant animi magno ſe angore, metúque.
Tu quidem, vt es leto ſopitus, ſic eris æui
Quod ſupereſt, cunctis priuatu' doloribus ægris.
At nos horrifico cinefactum te propè buſto
Inſatiabiliter deflebimus, æternúmque
Nulla dies nobis mærorem è pectore demet.
Illud ab hoc igitur quærendum eſt, quid ſit amari
Tantopere, ad ſomnum ſi res redit, atque quietem:
Cur quiſquam æterno poſſit tabeſcere luctu.
Hoc etiam faciunt, vbi diſcubuêre, tenéntque
Pocula ſæpe homines, & inumbrant ora coronis,
Ex animo vt dicant, breuis hic eſt fructus homillis.

Iam fuerit,neque pòſt vmquam reuocare licebit.
Tanquam in morte mali cum primis hoc ſit eorum,
Quòd ſitis exurat miſeros,atque arida terra:
Aut aliæ quoius deſiderium inſideat res.
Nec ſibi enim quiſquam tum ſe,vitámque requirit,
Cùm pariter mens,& corpus ſopita quieſcunt.
Nam licet æternum per nos ſic eſſe ſoporem,
Nec deſiderium noſtri nos adtigit vllum:
Et tamen haud quaquam noſtros tunc illa per artus
Longè ab ſenſiferis primordia motibus errant:
Quin conreptus homo ex ſomno ſe conligit ipſe.
Multo igitur mortem minus ad nos eſſe putandum,
Si minus eſſe poteſt,quàm quod nihil eſſe videmus.
Maior enim turbæ diſiectus materiaï
Conſequitur leto,nec quiſquam expergitus exſtat,
Frigida quem ſemel eſt vitaï pauſa ſecuta.

AT IAM NON DOMVS,&c.) *μίμησις ſtultarum lamẽtationum,quibus vti ſolent qui mortuum lugent.* NEC DVLCES OCCVRR. OSC. N. PRÆR.) *Videtur imitatus eſſe illud Homericum.* ἰλ. ε. Νήπιος, οὐδὲ τὸ οἶδε κατὰ φρένα Τυδέος υἱὸς, Ὅττι μάλ' οὐ δηναιὸς, ὃς ἀθανάτοισι μάχοιτο. Οὐδέ τί μιν παῖδες ποτὶ γούνασι παππάζουσιν Ἐλθόντ' ἐκ πολέμοιο, &c. *i. Stultus eſt Diomedes, neq; hoc intelligit,aut animo comprehendit Tydei filius,eum,non admodum eſſe diuturnum,id eſt non valde diu viuere,qui cum immortalib.pugnet:neque eum filij ſui è prœlio reuerſum,ad genua ore balbo patrem ſalutant. fortaſſè etiam præficarum conſuetudinem ſignificare atque exprimere voluit: quæ huiuſmodi vocibus lacrymas & ploratus excitabant.* NON POTERIS FACTIS TIBI FORTIBVS ESSE.) *ſic reſtitui,ad hanc ſcripturam ab vno libro manuſcripto,quaſi manu ductus.in quo cùm reperiſſem ita ſcriptum,Non poteris facti ti foretibus, ſempérque anteà hic locus mihi ſuſpectus fuiſſet,non dubitaui,quin hæc eſſet vera,& germana Lucretiana ſcriptura.Nam vulgata planè inepta eſt.Non poteris factu florentib.eſſe,tuiſque,&c. non diſſimulabo tamen,me in Vaticano ita ſcriptum reperiſſe, Non poteris factis florentibus eſſe cuiquam Præſidio,&c. de qua ſcriptura iudicet lector. Ego, vt dicam,quod ſentio,alteram malo. Iam fortia facta,& fortibus factis, & ſimil. loquendi genus,eſt bonis ſcriptoribus Latinis vſitatum. Cæſar lib.3.de bello Gall. atq; eo magis,quòd in conſpectu Cæſaris,atque omnis exercitus res gerebatur,vt nullum paullo fortius factum latere poſſet. M.Tullius lib.4 epiſt.ad Atticum. epiſtola,cuius initium eſt,Non dubito,&c.non mihi ſatis idonei ſunt auctores ij,qui à te probantur.quod enim eorum in rep. forte factum exſtitit: Virgilius lib.X.Æneid. Quò fugitis ſocij? per vos,& fortia facta,&c. Idem lib.IX.me nulla dies tam fortibus auſis,&c. Poſtremò in vocabulario Latinogræco Cl.Puteani,manuſcripto,ita ſcriptũ legi: fortia facta,ἀριστεῖαι.qua interpretatione nihil excogitari poteſt aptius.Nam vt ἀριστεὺς dicitur Græcè, qui fortiter facit,aut fecit:ita ἀριστεία, nihil aliud eſt, quàm forte factum. Quod autem Zoilus quærit, quid ſibi velit hoc, tibi, cùm ſit is mor-*

tuus, quem alloquitur: Ridiculum, & ſtolidum hominem: qui non intelligat, hoc ipſum fingi eſſe miſerabile, eum, qui olim viuus ſolebat eſſe ſibi, ſuiſque præſidio, nunc mortuum eſſe, neque poſthac fore neque ſibi, neque ſuis vtilem, aut ſalutarem. Sed quid cum talibus belluis diſputo? valeant cum ſuis verſibus Diphiliis. Nam, ſi diis placet, hunc verſum Diphilium in locum germani Lucretiani ſubſtituit grauis auctor. Non poteris factis florentibus eſſe tuis. Quis non admiretur hominis acumen? Ne hoc quidem loquendi genus, eſſe ſibi, aut alicui alteri præſidio, ei nouum, aut inauditum eſt, qui bonos ſcriptores manib. terit, oculiſque legit. vſurpauit iterum Lucretius ſuprà lib. 2 ibi. Præſidióque parent, decorique parentibus eſſe.

MISERO MISER) quattuor libri manuſcr. habent, miſero miſere, quam ſcripturam ſi recipimus, hæc verba erunt coniungenda cum ſequentib. hoc modo, Vna dies infeſta tibi miſero omnia miſerè ademit tot præmia vitæ.

NEC TIBI EARVM, &c.) qui non deſiderat autem, non videtur carere. Sed videtur ita loqui debuiſſe, nec tibi earum Iam rerum deſiderium ſuper inſidebit vnà, ſi verſus pateretur. Itaque docti quidam ita legendum exiſtimant, nec tibi earum Iam rerum deſiderium ſuper incidet vnà. alij ſic, Iam rerum deſiderium inſidet ſuper vnà: vt ſit à verbo, inſido. Verum tamen nihil mutare auſim.

TV QVIDEM, VT ES LETO SOPITVS,) ſic habent libri manuſcripti, & ita legi debet, non, vt eſt in vulgatis, lecto. leto ſopitus autem, id eſt, mortuus. CINEFACTVM) id eſt in cinerem verſum, & diſſolutum. ſic Nonius, qui hunc verſum profert. hoc autem dixit homo Romanus ex conſuetudine Romanorum: qui mortuos comburebant. M. Tull. epiſtol. lib. XV. Nos hîc D. Syllam patrem mortuum habebamus. alij à latronibus, alij cruditate dicebant. populus non curabat. combuſtum eſſe conſtabat. Atq; hanc tamen conſuetudinem, à Græcis, aut Barbaris ſumſerant, vt ex iis, quæ ſuprà diximus, non longè, intelligere licet.

BVSTO) buſtum (inquit Feſtus) proprie dicitur locus, in quo mortuus eſt combuſtus, & ſepultus, &c. Idem ibid. ſed modò buſta, ſepulcra vocamus.

DEFLEBIMVS) libri manuſcripti habent, defleuimus, quod eò annotaui, vt ſæpe admoneam lectorem u. pro b. & contra b, pro u. in membranis calamo exaratis interdum ſcriptum reperiri.

ET INVMBRANT ORA CORONIS) & capitibus imponunt coronas è floribus: quod erat vſitatum veteribus illis Græcis, & Latinis, vt & ex vtriſque ſcriptoribus intelligere licet, & nos in comment. Horatianis, aliquot exemplis collectis, oſtendimus. BREVIS EST HIC FRVCTVS HOM. IAM FVERIT) μίμησις eorum, quæ dicere ſolent homines in poculis. ſic Apollonides lib. 2. Epigramm. Græc. Ἐσσεῖθ' ὅτ' οὐ πιόμεσθα, πολὺς χρόνος. ἀλλ' ἄγ' ἐπείγου, Ἡ πολιὴ κροτάφων ἅπτεται ἡμετέρων. id eſt Tempus erit longum, quo non potabimus: eia Corripit en nobis tempora canities. Plaut. Bacchid. Non tibi venit in mentem, amabo: ſi dum viuas, tibi bene facias, Iam pol id quidem eſſe haud perlonginquom? neque ſi hoc hodie amiſeris, pòſt in morte id euenturum vmquam? homillis autem excudendum curaui, non homullis, vt habent libri vulgati. nam diminutiuum nomen ab, homine, eſt homulus: deinde ab homulo, homululus, & homillus.

ATQVE ARIDA TERRA) ſic habent duo cod. manuſcr. Faërn. & Tertianus. reliqui duo: arida terrat: nonnulli vulgati, arida torrat: mendoſe. Nam omnino legendum, arida terra, vt edidi: non, torrat, neque torreat.

AVT ALIÆ, QVOIVS DESIDERIVM INSIDEAT RES) duo cod. ma-

cod. manuſcr. habent, Aut aliæ c. d. inſ res. quo modo olim excudendum curaui: neque nunc muto factum. Memmianus autem, Vaticanus, & Bertinian. rei, non male. Licet etiã legere, re. Aliæ autẽ, patrius caſus eſt antiquus, vt notant Diomedes, Soſipater, Priſcianus, & ceteri grammatici. de quo ſuprà plura, ad illum locum, lib. I. neque vllæ Præterea réi, quæ corpora mitt. poſs. &c. Iam patrius eius quintæ declinationis fuit veteribus es, e, ei, & ij: vt dies. genit. dies, vel die, vel diei, vel dij. Ennius 16. ann. Poſtremæ lõginqua dies confecerit ætas. M. Tull. pro P. Sextio. Equites verò daturos illius dies pœnas. Virgil. Georg. lib. I. Libra dij, ſomniq́ue pares vbi fecerit horas. Licet igitur legere hoc loco vel, re, vel, res, vel, rei, vt ſit diſyllabum. quoius autem poſitum pro alicuius, vt ſit hæc ſententia, aut tanquam aliæ cuiuſpiã rei deſiderium inſideat, ac remaneat.

CVM PARITER MENS ET CORP.) *cùm dormimus altum & placidum ſomnum.* NAM LICET ÆTERN. PER NOS) *Nam licet per nos, &c id eſt non recuſamus, vel non obſtamus, quo minus ita ſit æternus ſopor. ſic locutus eſt, vt cùm dicimus, per me ſtertas licet. per me trahantur pedibus omnes rei. id eſt non impedio, quo minus ſtertas: non recuſò, quin omnes rei pedibus trahantur.*

NEC DESIDERIVM NOSTRI NOS ADTIGIT VLLVM) *ſic repoſui, cùm vulgatorum alij habeant, attigit, alij, indigit. manuſcripti autem, adigit: quod deprauatum eſt ex, adtigit. adtigit autem præſentis temporis eſt, pro, attingit, à verbo tago, quo vtebantur antiqui pro, tango. Vide Feſtum in verbo, tagit. & voce, tagax: ſic Plautus in Epid. ne attigas. & itẽ alibi. mendoſè alij, aut qui, adigit, aut qui, adlicit. ſcribi volunt.*

ET TAMEN HAVD QVAQVAM) *cùm dormimus (inquit) noſmetipſos non requirimus, neque vitam noſtram: neque vllo noſtri deſiderio afficimur: & tamen corpora prima, ex quibus animus noſter conſtat, non longè tum aberrant à motibus ſenſiferis, neque tota anima foras eiecta eſt: quin ex ſomno excitamur, & expergiſcimur. Quanto minus mortem ad nos pertinere exiſtimandum eſt, in qua nullus ſenſus remanet?*

HAVDQVAQVAM NOSTR. TVNC ILLA P. ART. LONGE A B) *nam ſi nimis longè aberrarent, & ſi omnis anima eſſet foras eiecta: tũ mortuus eſſet homo, túmque iacêret Æterno corpus perfuſum frigore leti, vt ait lib. 4.*

SI MINVS ESSE POTEST, &c.) *ſi poteſt eſſe aliquid minus eo, quod nihil eſt: quod certè non poteſt.* DISIECTVS) *diſiectio, diſſipatio.*

CONSEQVITVR LETO) *quidam docti legunt, letum libri autem omnes habent, leto quod interpretor, in leto, ſeu in morte, vel per letum.*

EXPERGITVS) *expergitus (inquit Feſtus,) ab alio excitatus: quem ſolemus dicere expergefactum* Lucil. *E ſomno pueros cùm manè expergitu' clamas.* Diomedes: *expergiſcor, experrectus: expergor expergitus.* Arnobius *lib. V. aduerſus genteis, princip. expergitóſque illos ſtatim perdocuiſſe regem, quibus ad terras malis Iupiter poſſet ſacrificiis elici, &c.* FRIGIDA QVEM, &c.) *frigida vitæ pauſa: id eſt mors, quæ eſt vitæ interruptio & ceſſatio Itaque rectè dixit, frigidam, vt ſuprà eod. lib gelidi veſtigia leti & lib. 4 Æterno corpus perfuſum frigore leti. ſic Virgil. lib. 4. Æneid. Et cùm frigida mors anima ſeduxerit artus, &c.*

Denique ſi vocem rerum natura repente
Mittat, & hoc aliquoi noſtrûm ſic increpet ipſa:

Quid tibi tantopere'ſt mortalis, quòd nimis ægris
Luctibus indulges? quid mortem congemis, ac fles?
Nam ſi grata fuit tibi vita anteacta, priórque,
Et non omnia pertuſum congeſta quaſi in vas
Commoda perfluxere, atque ingrata interiere:
Cur non, vt plenus vitæ conuiua, recedis?
AEquo animóque capis ſecuram ſtulte quietem?
Sin ea, quæ fructus cumque es, periere profuſa:
Vitáque in offenſu'ſt: cur amplius addere quæris,
Rurſum quod pereat malè, & ingratum óccidat omne:
Nec potius vitæ finem facis, atque laboris?
Nam tibi præterea quod machiner, inueniámque
Quod placeat, nihil eſt: eadem ſunt omnia ſemper.
Si tibi non annis corpus iam marcet, & artus
Confecti languent: eadem tamen omnia reſtant,
Omnia ſi pergas viuendo vincere ſæcla:
Atque etiam potius, ſi numquam ſis moriturus.
Quid reſpondeamus, niſi iuſtam intendere litem
Naturam? & veram verbis exponere cauſam?
At, qui obitum lamentetur miſer amplius æquo:
Non meritò inclamet magis, & voce increpet acri?
Aufer ab hinc lacrymas barathro, & compeſce querclas.
Grandior hic verò ſi iam, ſeniórque queratur:
Omnia perfructus vitaï præmia, marces:
Sed quia ſemper aues, quod abeſt, præſentia temnis:
Imperfecta tibi elapſa'ſt, ingratáque vita,
Et nec opinanti mors ad caput adſtitit antè,
Quàm ſatur, ac plenus poſſis diſcedere rerum.
Nunc aliena tua tamen ætate omnia mitte:
AEquo animóque, agedum, iam aliis concede: neceſſe'ſt.
Iure (vt opinor) agat, iure increpet, incilétque.
Cedit enim rerum nouitate extruſa vetuſtas
Semper, & ex aliis aliud reparare neceſſe'ſt:
Nec quidquam in barathrum, nec tartara décidit atra.
Materies opus eſt, vt creſcant poſtera ſæcla:
Quæ tamen omnia te, vita perfuncta, ſequentur.
Nec minus ergo antè hæc, quàm nunc, cecidêre, cadéntque.
Sic alid ex alio numquam deſiſtet oriri:
Vitáque mancupio nulli datur, omnibus vſu.

QVID TIBI TANTOPERE) προσωποποιία naturæ: id eſt oratio, in qua Lucretius facit naturam cum homine nimiùm vitæ cupido, mortémque horrente, loquentem grauiſſimáque, atq; acerrima obiurgatione vtentem. Sic M. Tull. in Catil. 1. patriam facit loquentem. ſic Plato leges, in Apologia.

PERTVSVM CONGESTA QVASI IN VAS) quod nihil continet, quódque nunquam expletur. infrà: laticem pertuſum congerere in vas, &c.

ATQVE INGRATA INTER.) & ſi non ingrata interiere.

CVR NON, VT PLENVS) imitatus eſt hunc locum Horat. ſaty 1. lib. 1. Inde fit, vt rarò, qui ſe vixiſſe beatum Dicat, & exacto contentus tempore vitæ Cedat, vti conuiua ſatur, reperire queamus. Marius (vt refert Plutarchus in Mario) cùm annos duos & ſeptuaginta vixiſſet: ſepties conſul primus omnium renuntiatus, ac declaratus fuiſſet: ſuam fortunam deplorabat, quaſi à morte occupatus antè quàm ea, quæ cupiebat, aſſecutus eſſet, quæque cogitabat, perfeciſſet, è vita excederet: tam inexplebilis vitæ cupiditas homines tenet. Melius Plato, qui moriens Genium ſuum, fortunámq. ſuam laudabat, primùm quòd homo, non fera: deinde quòd Græcus, non barbarus: poſtremò quòd ætate Socratis natus eſſet. Quod tamen reprehendit Lactantius lib. III. de falſa ſapientia cap. XIX.

SIN EA, QVÆ FRVCTVS CVMQVE ES) id eſt, ſin ea omnia commoda, quæ in vita percepiſti, tibi è memoria effluxerunt, vel te non expleuerũt, & viuẽdo in aliquas offenſiones incurriſti: cur amplius addere quæris? cur vitam producere & prolatare cupis? fructus autem, excudendum curaui, ſecutus auctoritatẽ librorum manuſcriptorum, cùm in vulgatis legatur, functus, mendosè. fructus ſum enim, præteritum eſt à verbo fruor. M. Tull. in Hortenſio. & humanitate ſumma perfructus eſt. VITAQVE IN OFF.) & ſi vita eſt in offenſu, id eſt in offenſione, vel, vt quidam legendum cenſent, in offenſa, id eſt ſi in vita offendiſti, & incurriſti in aliquas difficultates, & res aduerſas in offenſu, autem repoſui, cùm in omnibus fere libr. offenſo, reperiſſem, memor peruerſæ librariorum illorum conſuetudinis: qui o pro u: & u pro o ſcribere ſolebant. Quòd ſi legimus, in offenſa'ſt, offenſa, accipiendum erit pro offendiculo. alij, in offenſo, retinent, minus rectè, meo quidem iudicio. NAM TIBI PRÆTEREA QVOD MACHINER) nam quod tibi præterea excogitem, aut fabricer, aut comminiſcar, quod tibi placeat, nihil eſt. machinari dixit Latinè, pro eo, quod Græci μηχανᾶσθαι dicunt. Plato in Gorgia, ἐὰν δὲ ἔλθῃ, μηχανητέον ὅπως ἂν διαφύγῃ, καὶ μὴ δῷ δίκην ὁ ἐχθρός. id eſt ſi autem venerit in iudicium, omnis ineunda ratio, omniſque machina adhibenda eſt, vt effugiat, & vt ne det pœnas. Idem Apolog. Socr. in extr. Οὔτε γὰρ ἐν δίκῃ, οὔτ᾽ ἐν πολέμῳ, οὔτ᾽ ἐμὲ, οὔτ᾽ ἄλλον οὐδένα δεῖ τοῦτο μηχανᾶσθαι, ὅπως ἀποφεύξεται πᾶν ποιῶν θάνατον, id eſt, Neque enim in iudicio, neque in bello, neque me, neq; vllum alium hoc oportet machinari, vt omnem rationem expertus mortem effugiat. Xenoph. κύρ. παιδ. α. ἣν δέ τις ἄρα καὶ βελτίων αὐτοῦ φανῇ, θάῤῥει, ἔφη, ὦ κῦρε, οὐδέν σε δεήσει τῷ ἀγαθῷ ἀνδρὶ μάχεσθαι, ἀλλ᾽ ἐκεῖνος ἀρκέσει τοῦτο μηχανώμενος, ὡς ἀπολέσῃ τὸν αὑτοῦ βελτίονα. id eſt, Si quis autem eo melior exſiſtat, bono animo es, Cyre: nõ erit tibi neceſſe cũ viro bono & forti pugnare: ſed ille vnus huic rei ſatis erit, omnem ad hanc rem machinam adhibens, vt virum ſe meliorem de medio tollat. Sic Plaut Captiuis: neque iam ſeruare ſalus, ſi volt, me poteſt: nec copia'ſt, niſi ſi aliquam corde machinor Aſtutiam. quam, malum? quid machiner? quid comminiſcar miſer? Polyb. lib. I. οὔτε ἄλλην οὐδεμίαν εὑρίσκειν πρὸς τοῦτο μηχανὴν δυνατόν. id eſt neq; vllam aliam ad hoc machinam reperire potè.

Lucret.lib.4.Nec reperire,malum id poſſunt quæ machina vincat.

EADEM SVNT OMNIA SEMPER) *facetiſſimus exſtat apud* Lucian. Menippi *&* Chironis *dialogus:in quo* Chiron *interrogatus à* Menippo,*quamobrem, cùm ei immortali eſſe liceret,mori maluerit,reſpondet, perpetuum rerum tenorem, & ſimilia omnia ſuo tempore viciſſim recurrentia,vitæ ſatietatem ſibi peperiſſe.*

QVID RESPONDEAMVS) *omnes quidem libri tum manuſcripti,tum typis excuſi habent,reſpondemus:ſed videtur legẽdum vel,* Quid reſpõdeamus, *vt e, & a cooleſcant in vnam ſyllabam, vel,* Quid reſponderimus,*in præterito coniunctiui.* Sic *ſuprà lib.2.* Conciliantur ita,vt debeant animalia gigni.

AT QVI OBITVM LAMENT. MIS.) *id eſt,At,qui, cùm ſit valde miſer,mortem tamen lamentetur,nónne magis eum increpet, atque obiurget, qui mortẽ,miſeriæ ſuæ portũ,fugiat?* AVFER ABHINC LACRYM. BARATHRO) *barathro:id eſt homo inſatiabiliſſime,atque auidiſſime.ſenẽ enim(vt quidam volunt) alloquitur.itaque verſus,cuius initium eſt,*Grãdior,*debet collocari ante verſum,* Aufer abhinc lacrymas,*&c.vt illi cenſent.à quibus diſſentio: & barathro,ſeu barathre,interpretor,homo barathro digne.*Reperio *enim in* Thomæ *magiſtri lexico,* βάραθρος ἀρσενικῶς ὁ βαράθρου ἄξιος ἄνθρωπος· *id eſt barathrus in genere maſculino,homo barathro dignus.*Secutus *ſum autem hîc libros manuſcriptos, qui partim habent,barathre,partim barathro: quibuſcum conſentiunt nõnulli typis excuſi.vulgati autem habent,barde* Iam *bardus idem valet,quod ſtultus,& ingenio tardus,vt docent* Feſtus, *&* Nonius. *& auctor vocabularij* Latinogræci, *mihi à* Cl. Puteano *commodati,bardus,inquit,id eſt,*ἀναίσθητος,βραδὺς,ἄφρων.*quæ nomina* La*tine reddita,valent.ſenſus expers,tardus,amens.*Sed *ego hoc loco barathro, aut barathre,legendum puto.*Et *fortaſſis apud* Horat. *legendum,*Mẽdici,mimæ, barathrones,hoc genus omne.Sed *nihil mutandum eſt apud* Horatium.Nam *balathrones dicti ſunt à barathrone,aut barathro propter affinitatem liquidarum l, & r. vt contrà parma à palma dicta eſt.*Atque *hæc eſt* Turnebi *noſtri ſententia:cui aſſentior.* In *hoc loco autem,vt ad* Lucretium *redeam,barde,nullo modo probo, natúmque puto ex voce,barathre,aut,barathro,non intellecta.* GRANDIOR HIC VERO, *&c.)ſi quis verò natu grandior queratur, quòd ſibi ſit moriẽdum:ſic eum increpabit natura.*Omnia perfructus vitai præmia,marces:*i. omnibus vitæ præmiis perceptis,atque in vita degenda abunde guſtatis,iam ætate cõfectus es.quare moriendũ tibi æquo animo eſt.perfructus autem legendum,non perfunctus,à verbo perfruor, vt ſup.diximus.*Cum *his congruunt illa* Eurip.in Alceſt. Μάτην ἄρ' οἱ γέροντες εὔχονται θανεῖν, Γῆρας ψέγοντες, καὶ μακρὸν χρόνον βίου. Ἢν δ' ἐγγὺς ἔλθῃ θάνατος, οὐδεὶς βούλεται θνῄσκειν, τὸ γῆρας δ' οὐκ ἔτ' ἔσ' αὐτοῖς βαρύ *i. fruſtrà igitur ſenes optant mori,*Senectutẽ *vituperantes, & longum tempus vitæ:*Quòd *ſi propè accedat mors,nemo vult mori:ſenectus autem non amplius eſt eis grauis.* QVOD ABEST) *videlicet futurũ.*

INGRATAQVE VITA) *& non grata,neque tibi ſatisfaciens.*

ANTE, QVAM SATVR.) Horat *ſatyra,quam ſuprà memorauimus.*Cedas vti conuiua ſatur. NVNC ALIENA TAMEN) *ſic* Horat.*epiſt.2.lib.2 in extrem.*Viuere ſi rectè neſcis,decede peritis.Luſiſti ſatis,ediſti ſatis,atque bibiſti:Tẽpus abire tibi eſt,*&c.*Attende *autẽ,eum iunxiſſe hîc vocem,aliena, cum auferendi caſu:qua de re ſuprà,ibi,aliena ſalutis.* IVRE (VT OPINOR) AGAT) *iure tecum ſic loquatur:vel iure tibi hãc litem intẽdat.* INCILETQVE) *incilare eſt increpare,vel improbare,atq; incuſare,inquit* Feſtus.Attius Meleagro. *Quiq; nõ*

me ſpernens, incilās probris, ſermone indécorans, turpi famà differret. Pacuuius Duloreſte. *Si quis hac me oratione incilet, quid reſpondeā?* Lucillius. *Nunc Cai quoniam incilās nos ledi viciſſim.* CEDIT ENIM RER. NOVIT.) *ſic* Horat. *epiſt. ad* Piſon. *Vt ſiluæ folijs pronos mutātur in annos, &c. ad quem locū lege, ſi vacas, quæ annotauimus.* NEC QVICQVAM) *i. nec quicquā in nihilum interit, vt docuit lib. 1 ſed omnia reſoluūtur, & reuertūtur in corpora prima.* Huc accedit *vti quæque in ſua corpora rurſum* Diſſoluat *natura, neque ad nihilum interimat res.*

DECIDIT ATRA) *ad oram libri* Bertin. *adſcriptū erat à neſcio quo emēdatore, décidit. in ipſo cōtextu ſcriptum, dedit: in vno alio manuſcripto integrum ineſt decidit: in vulgatis, deditur. quod vt nō damno, ita decidit magis probo.*

MATERIES OPVS EST) *ſic ſup. lib. 2. locutus eſt.* Scire *licet nil principiis opus eſſe colores.* M. Tull. *epiſt. ad* Curion. *lib. 2. dux nobis & auctor opus eſt, & eorum ventorū, quos propoſui moderator quidā, & quaſi gubernator.* Sic *lib. 4.* Nec *motus opu' ſunt noſtris vxoribus hilum: & itē alibi.* QVÆ TAMEN OMNIA, &c.) *quæ tamen omnia vbi vita defuncta fuerint, te ſequētur, & morientur, vt tu.* NEC MINVS ERGO ANTE HÆC, QVAM NVNC,) *hic verſus variè reperitur & ſcriptus & impreſſus in codicibus. alij enim habēt quàm nunc cecidere, vt excudendū curaui: alij, quàm tu: alij, quàm tunc: alij, quàm cecidere: ita, vt facilè appareat, mendū ſubeſſe in particula tunc, aut nunc. ego, tunc, nō probo. tu, aut nūc, legendū cenſeo, ita tamen vt, ſi legamus, quàm nunc, videatur legendū antehac: ſi, quàm tu, antè hæc: quorum vtrū ſit melius, iudicet lector. ſentētia quidē vtriuſque lectionis plana eſt. & codices tres manuſcripti habēt, quàm tu: reliqui duo, & aliquot vulgati omniū emendatiſſimi, quàm nunc: quos nunc ſequor: cuius mei facti hanc rationem afferre. ſimúlque huius lectionis ſententiā ſic explicare poſſum.* Nec *minus hæc, è quibus tu nunc cōſtas, antea cecidere, nempe cùm id, quod erat ex his cōcretum, interijt: nec minus cadent poſthac, cùm ſcilicet id, quod ex iiſdem conflatum erit, interibit: quàm nunc cadunt, cùm moreris.* Horat. *hūc locū mutuatus eſt epiſt. ad* Piſones. Multa *renaſcentur, quæ nūc cecidere, cadéntq;, Quæ nunc ſunt in honore vocabula, ſi volet vſus.* Cùm *in prima editione lectionem alterā ſecutus eſſem, quàm tu cecidere: ſuperioráque illa omnia fere ita ſcripſiſſem, hoc excepto:* Thraſo *legendū cēſuit magno ſupercilio:* Nec *minus ergo antè hæc, quàm cecidêre.* Et *verò hæc notās: in, ergo (inquit) o, nō eliditur.* O, *quem te appellem, neſcio. non enim vllum nomen tuo ſtupore, tuaq; confidētia dignum reperio.* Non *te talium portentorū pudet, homo omnium mortalium impudentiſſime?* SIC ALID) *alid pro aliud, ab antiquo nominatiuo alis. de quo ſup. ad illū verſum lib. 1.* Quādo *alid ex alio reficit natura, nec vllā, &c.* DESISTET) *ſic habēt libri manuſcrip. & aliquot typis impreſſi.* VITAQVE MANCVPIO NVLLI D.) *i. nulli datur vitæ proprietas, ſed vſus, aut vſus fructus tātùm. mācipiū ſeu mācupiū, idē ſignificabat apud veteres, quod à poſterioribus iuriſcōſultis dominiū appellatū eſt: dictúmq; eſt à manu capiēdo.* Itaq; *mancipio ea accepiſſe dicimur, quorū dominiū nobis quæſitū eſt. ſeu quorum domini ſumus per abalienationem aliquam, videlicet per emtionē, lege mācipi ſeruata, aut per donationē, aut per in iure ceſſionem: & res mācipi dicūtur, quarū dominiū ab alio in alium trāſferri poteſt, quæq; alienari poſſunt: & mācipio dare eſt rē mācipi, puta, fundū, domū, equū, ſeruū alienare per traditionē, ita vt præſtare debeas emtori: aut per in iure ceſſionem.* M. Tull. Topic. Finge *mācipio aliquē dediſſe id, quod mancipio dari non poteſt: num iccircò id eius factū.*

RESPICE) retrò aſpice tempus præteritum. QVAM NASCIMVR ANTE) antè quàm naſcimur. HOC IGITVR SPECVLVM) vt, quemadmodum præteritum tempus, quo non fuimus, nihil ad nos pertinet, ita neque futurum, quo non erimus, quicquam nos attingat. EXPONIT) proponit, foris ponit, & expromit. POST MORTEM DENIQVE) hæc coniunctè lego cum ſuperioribus. NVM QVID IBI, &c.) ibi, nempe in tempore præterito, quo non fuimus. ATQVE EA NIMIRVM) hic verſus erat deprauatus in omnibus libris impreſſis, in quibus ita legitur, Atqui animarum etiam, quæcumque Acherunte prof. integer & incorruptus in tribus codicibus manuſcriptis, quos ſecuti ſumus. accedit Priſcianus, qui lib. I. hunc verſum ita legit: Atque ea nimirum quæcumque Acherunte profundo, vbi docet, Acherunte, legẽdum per u, non Acheronte per o. idq; more veterum. Nunc Lucretij ſententiam explicemus. Atque ea (inquit Lucret.) omnia, quæ poëtæ prodiderunt eſſe apud inferos, Tantali, Tityi, Siſyphi, Danaidũ pœnæ, Cerberus, Furiæ, Tartarus &c. ſunt nobis in vita, nóſque viuos exercent, lacerant, excruciant, exterrent, fodicant. Ad hunc locum pertinent, quæ ſcribit Seruius ad illum verſum, Cernere erat, per tota nouem, &c. lib. 6. Æneid. his verbis. Sanè de his omnibus rebus mire reddidit rationem Lucretius, & confirmat, in noſtra eſſe vita omnia, quæ finguntur de inferis. dicit enim, Tityon amorem eſſe, hoc eſt libidinem: quæ ſecundum phyſicos & medicos in iecore eſt, veriſus in ſplene, iracundia in felle, &c. NEC MISER IMPENDENS) Eurip. Oreſte. Κορυφῆς ὑπερτέλλοντα δειμαίνων πέτρον ἀέρι ποτᾶται, καὶ τίνει ταύτην δίκην. Sed apud Homer. alia pœna Tantalus afficitur: quam Horatius attigit ſaty. I. lib. I. Tantalus à labris ſitiens fugientia captat Flumina. M. Tull. Tuſcul. quæſt lib. I. ex vetere aliquo poëta. mento ſummam aquam attingens, ſiti enectus Tantalus.

CASSA FORMIDINE) inani metu.

QVEMCVMQVE FERAT FORS.) ita legi debet: & ita ſcriptum eſt in libris antiquis. nam vulgati mendoſè habent, quem cuique ferat fors.

NEC TITYON VOLVCRES) Horat. od. 4 lib. 3. Incontinentis nec Tityi iecur Relinquit ales nequitiæ additus Cuſtos. IACENTEM) porrectum. proiectum. NEC QVOD SVB MAGNO) nec certe poſſent, aut poſſint perpetuò reperire quicquam, quod ſub Tityi pectore ſcrutentur, & paſcantur. quoi, autem, quod vult Zoilus, ferri non poteſt.

QVAMLIBET IMMANI, &c.) i. quantumuis magnũ terræ ſpatium ſuo corpore occupet. de quo ſic Virgil. 6. per tota nouem cui iugera corpus Porrigitur: roſtróque immanis vultur adunco Immortale iecur tondens, fœcundáq; pœnis Viſcera, &c. DISPENSIS) hoc eſt, diſpanſis, & diſtentis, à verbo, diſpando. ſic autem legendum cenſet Turnebus, cùm libri vulgati habeant, diſperſis.

SED TITYVS NOBIS) amator (inquit) Tityus eſt. lege Macrob. lib. I. cap. IO. in ſomn. Scip. de inferorum pœnis.

ANX. ANG.) anxius angor, ſic dictum, atque illud, ſonitu ſonanti, lib. I.

CVPPEDINE CVRÆ) codex Vatic. Memm. & Bertin. habent, cuppedine curæ. quos ſecutus ſum. alij, & pleriq; vulgati, torpedine curæ. Quòd autẽ Thraſones quidã audent dicere, Marullũ ex hoc loco, torpedine, pro cuppedine ſuppoſuiſſe, lib. 5. & lib. 6. hoc ego eum puto, vt multa alia, in virum doctiſſimum, & clariſſimum ementiri. SISYPHVS) ambitioſus (inquit), in hac vita Siſyphus eſt.

QVI PETERE A POP. FASCEIS) qui petere à populo honores, &c.

IMBIBIT) *imbibit petere, id eſt, induxit in animum petere: hoc ſibi perſuaſit, honores eſſe petendos. certum ac deliberatum ei eſt honores petere. ſic loquitur lib. 6. vt ex ira pœnas petere imbibat acreis. & ita M. Tull. orat. pro Quinctio. Quòd ſi facere nolit, atque imbiberit eiuſmodi rationibus illum ad ſuas condiciones perducere: ſeſe nihil precari, &c. ſic enim hic locus legendus, & ita impreſſum eſt in libris Manutianis. Atque hoc de verbo lege cap 5. lib. 1. Variar. lectionum M. Antonij Mureti. Verumtamen Io Auratus, imbitat, legendum exiſtimat. imbitat, autẽ, vult eſſe verbum ab in, & ito, as, at. Ego imbibit, in hanc ſignificationem, non auſim ex omnibus libris, & pæne dicam, ex tota lingua Latina exterminare. Quin tutatur hanc ſcripturam, & hanc huius verbi ſignificationem illud ex Arnobij lib. 5. aduerſus genteis. qui ſub ſpecie cultionis plus in eos ingeratis maledictionum, & criminum, quàm ſi apertè hoc facere cõfeßis maledictionibus combibiſſetis. nam apud Arnobium, combibiſſetis, interpretor, conſtitutum, & fixum in animis haberetis.*

ET SEMPER VICT. TRISTISQVE RECEDIT) *ſic Horat. epiſt. ad Quinct lib. 1. pone meum eſt: pono, triſtiſque recedo.*

ATQVE IN EO SEMPER D. S.) *cod. Vaticanus habet, Atque ideo ſemper, &c. Iccirco autẽ Epicurus negabat ſapientẽ ad remp. acceſſurũ. Horatius in ea, quam modo commemoraui epiſtola, pulchrè oſtẽdit, populareis honores eſſe admodum incertos fluxos, & caducos. Pauſanias in Atticis hoc amplius, grauiter aſſeuerat, nondum cuiquam, qui ſeſe effuſe ad remp gerendam contulerit, ſeſeq; auræ populari crediderit, optabilem exitum contigiſſe. verba eius ſunt hæc:* Εὖ δέ μοι λέγεσθαι δοκεῖ, οὐδένα ἀφειδῶς ἐπιδόντα ἐς πολιτείαν, καὶ πιστὰ ἡγησάμενον τὰ τοῦ δήμου, μήπω καλῶς τελευτῆσαι. HOC EST ADVERSO, &c.) *hoc facere (inquit) eſt nixantem aduerſo monte, ſaxum trudere. ſic de Siſypho vetus quidam poëta, apud M. Tull. quod Siſyphus verſat Saxum ſudans nitendo, neque proficit hilum.*

ÆQVORA CAMPI) *planitiem campi.*

Deinde animi ingratam naturam paſcere ſemper:
Atque explere bonis rebus, ſatiaréque numquam:
Quod faciunt nobis annorum tempora, circùm
Cùm redeunt: fætúſque ferunt, varióſque lepôres,
Nec tamen explemur vitaï fructibus vmquam:
Hoc (vt opinor) id eſt, æuo florente puellas
Quod memorant, laticem pertuſum congerere in vas:
Quod tamen expleri nulla ratione poteſtur.
Cerberus & Furiæ iam verò, & lucis egenus
Tartarus, horriferos eructans faucibus æſtus,
Hæc neque ſunt vſquam, neque poſſunt eſſe profectò.
Sed metus in vita pœnarum pro malefactis
Eſt inſignibus inſignis, ſceleriſque luela,
Carcer, & horribilis de ſaxo iactu' deorſum,
Verbera, carnifices, robur, pix, lamina, tædæ:
Quæ tamen & ſi abſunt: at mens ſibi conſcia facti
Præmetuens, adhibet ſtimulos, torrétque flagellis:

Nec videt

Nec videt interea, qui terminus eſſe malorum
Poſſit, nec quæ ſit pœnarum denique finis:
Atque eadem metuit magis hæc ne in morte graueſcant:
Hinc Acheruſia fit ſtultorum denique vita.

DEINDE ANIMI INGR. NAT. P.) *deinde (inquit) animum paſcere: ſemper bonis rebus, & numquam iis rebus explere, neque ſatiare, quod fit cùm, redeuntibus annis, tanta rerum, quas terra parit, copia fruentes, numquam explemur tamen: hoc eſt aquam in dolium pertuſum congerere: quod de* Danai *puellis fabulantur poëtæ.* Nonius Marcellus *hos verſus profert in verbis, explere & ſatiare: atque ita interpretatur, explere quidem animum bonis rebus, ſed numquam ſatiare: quaſi explere ſit minus, quàm ſatiare. ſed errat, mea quidem ſententia.* Virgil. Æneid. I. Expleri *mentem nequit, ardeſcitque tuendo Phœniſſa, &c.* Idem lib. 3. Nam *ſimul expletus dapib. vinóque ſepultus, &c.* Quis *non videt, hîc, expleri, & expletus, idem valere, quod ſatiari, & ſatiatus? ſic iterum* Lucret. *infrà non longè,* Nec *tamen explemur vitaï fructibus vmquam.*

ATQVE EXPLERE BONIS R. S.) *ordo. atque explere numquam, numquámq; ſatiare bonis rebus. hũc verſum profert* Nonius *(vt dixi) duobus locis.* Taleis *autẽ deſcribit lenas* Argyrippus *ille apud* Plaut. Aſin. *qualeis hîc* Lucretius *homines nimium vitæ cupidos, & infinita viuendi cupiditate ardẽteis.* Qui *modu'ſt dandi? nam numquam tu quidem expleri potes.* Modò *cùm accepiſti, haud multo pòſt aliquid, quod poſcas, paras.* CIRCVM CVM REDEVNT) *cum reuoluuntur,* ὅτι περιέρχονται. *ex quo appellantur* ἐνιαυτοὶ, *quaſi in ſe redeuntes, & anni* περιπλόμενοι *ab* Homero *dicti, quaſi* περιπολούμενοι.

LATICEM PERTVSVM CONG. IN VAS) Horat. *od.* II. *lib.* 3. Audiat Lyde *ſcelus, atque notas* Virginum *pœnas, & inane lymphæ* Dolium, *fundo pereuntis imo, Seráque fata. ad quem locum plura.*

POTESTVR) *ita loquebantur veteres, cùm iungebatur huic verbo infinitiuus paßiuus.* Quadrigarius *annal.* 3. Adeò *memorari non poteſtur.* Cælius *lib.* I. *annal.* Cum *iure ſine periculo bellum geri poteratur.* Virg. Æneid. 8. Quod *fieri ferro, liquidóve poteſtur electro. ſic enim legunt* Nonius, & Priſcianus, *reclamante* Politiano, *qui legendum contendit, poteſt electro.* Vide *quæ notauimus ſupra ad illum locum lib.* I. Dum *veniant aliæ, ac ſuppleri ſumma queatur.*

SCELERISQVE LVELA) *& carcer,* [illegible] *ſceleris expiatio, & pœna.* Sic *ego hunc locum explico.* Sed *nonnulli codices typis excuſi, in quibus ſunt* Aldini *antiq. & quidam manuſcripti, habent, ſcelerísque numella.* Eſt *autem numella (vt docet* Nonius) *machinæ genus ligneum ad diſcruciandos noxios comparatum, quò & collũ, & pedes immittunt.* Feſtus *autem ſcribit, genus eſſe vinculi, quo quadrupedes deligantur.* Plaut. Aſin. Neruos, *catenas, carcerẽ, numellas, pedicas, boias.* Ego *quid ſibi velint hæc, ſcelerísq; numella, non video. quare vulgatam & receptã ſcripturã probo.* ET HORRIBILIS DE SAXO IACTV' DEORS.) *ſic reſtitui facili coniectura ductus.* Nam *cùm reperiſſem in quodam cod. peruetuſto, iactus deorum: ſæpéq; in hoc loco hæſiſſem, neque viderem quò pertineret vox, eorum, quæ eſt in vulgatis, & pleriſque manuſcriptis, facilè adductus ſum, vt reponerem, deorſum. neque eſt quòd quemquam moueat, quòd hoc loco ſit triſyllabum: cùm in* I. *lib. ſit diſyllabum, ibi,* Nam *per aquas quæcumque cadũt, atque aëra deor-*

ſum,& item alibi. fit enim hoc idem in alius vocibus, vt in, ſuenit, ſuadet, ſeorſum: nempe, vt modò ſint diſyllabæ, modò triſyllabæ, vt hoc lib ſup. Conturbatur, *& (vt docui) diuiſa ſeorſum,* Diſiectatur eodem illo, *& c. lib. 4.* Aër, id quod nos vmbram *perhibere ſuemus. & lib. 2. Quin vacuum per inane deorſum cuncta ferantur. deiiciebantur autem olim de ſaxo* Tarpeio*, qui falſum teſtimonium dixiſſe conuicti erant, vt refert* A. Gellius *lib 20. cap. 1. in extr. & perduellionis rei, idque iuſſu tribuni plebis.* Horat. *ſaty. 6. lib. 1. audes* Deiicere è *ſaxo cineis, & tradere* Cadmo? *Quidam putant legi poſſe, deoſſum, antiquè, pro, deorſum.*

ROBVR) *robus (vt docet* Feſtus*) dicitur is locus, quò præcipitatur maleficorũ genus, quòd antè arcis robuſteis includebatur.* Ex quibus Feſti verbis *putabam hîc legendum, robus. Sed fortaſſe tutius eſt per, robur, intelligere equuleum ex robore, in quo ſontes inſidentes cruciabãtur: vel lignum, & fuſtem ex robore, quo tundebantur.* Auctor vocabularij Latinogræci *manuſcr. robor (inquit)* εἶδος ξύλου μεγάλου δρυΐνου.

PIX) *pice feruente infuſa olim quorundam maleficorum hominũ corpora vrebantur.* Plautus Capt. *Atra pix te agitet apud carnificem, ac tuo capiti illuceat.*

LAMINA) *lamina candens.* Horat. *epiſt. ad* Vaalam. *Scilicet, vt vẽtres lamna candente nepotum* Diceret *vrendos.* M. Tullius Verr. *de ſuppliciis. Quid cùm ignes, candentéſque laminæ, ceterique cruciatus admouebantur?*

TÆDÆ) *faces ardẽtes, quæ oculis, aliiſq; ſontium partibus admotæ, eos miſerum in modum cruciabant. quod ſupplicij genus cõmemorat &* Plato Gorgia. Καὶ ἀδικῶν ἄνθρωπος ληφθῇ τυραννίδι ἐπιβουλεύων, καὶ ληφθεὶς στρεβλῶται καὶ ἐκτέμνηται, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐκκάη*), & c. id eſt, & ſi quis, qui iniuſtè faciat, & tyrannidi inſidietur, captus ſit, & captus torqueatur, & exſecetur, & ſi ei oculi deurantur. & c.*

PRÆMETVENS) *antè quàm ſit damnatus, aut accuſatus, metuẽs.* HINC ACHERVSIA) *ex hoc (inquit) ſtultorũ vita ſit anxia, ſollicita, ærumnoſa, omnib. deniq. pœnis & cruciatib. referta, ita vt videantur viui eas pœnas perferre, quibus* Tantalus, *&* Siſyphus, *&* Tityus, *&* Danaides *& c. affici apud inferos putantur.*

Hoc etiam tibi tute interdum dicere poſſis:
Lumina ſis oculis etiam bonus Ancu' reliquit,
Qui melior multis, quàm tu, fuit, improbe, rebus.
Inde alij multi reges, rerúmque potentes
Occiderunt, magnis qui gentibus imperitarunt.
Ille quoque ipſe, viam qui quondam per mare magnum
Strauit, itérque dedit legionibus ire per altum,
Ac pedibus ſalſas docuit ſuperire lacunas:
Et contemſit, aquis inſultans, murmura ponti,
Lumine ademto, animam moribundo corpore fudit.
Scipiades, belli fulmen, Karthaginis horror,
Oſſa dedit terræ, proinde ac famul infimus eſſet.
Adde repertores doctrinarum, atque lepôrum:
Adde Heliconiadum comites: quorum vnus Homerus,
Sceptra potitus, eadem aliis ſopitu' quiete'ſt.
Denique Democritum poſtquàm matura vetuſtas

Admonuit memorem motus langueſcere mentis,
Sponte ſua leto caput obuius obtulit ipſe.
Ipſe Epicurus obît decurſo lumine vitæ,
Qui genus humanum ingenio ſuperauit,& omneis
Præſtinxit,ſtellas exortus vti ætherius ſol.
Tu verò dubitabis,& indignabere obire,
Mortua quoi vita eſt propè iam viuo,atque videnti?
Qui ſomno partem maiorem conteris æui?
Et vigilans ſtertis,nec ſomnia cernere ceſſas,
Sollicitámque geris caſſa formidine mentem?
Nec reperire potes,quid ſit tibi ſæpe mali,cùm
Ebrius vrgeris multis miſer vndique curis,
Atque animi incerto fluitans errore vagaris?

HOC ETIAM TIBI TVTE) *Præſcribit hîc quædam, quæ magnoperè valent ad mortem æquo animo ferendam, cùm recordemur, viros præſtantiſsimos, potentiſsimos, & clariſsimos eadem condicione vſos eſſe.*

LVMINA SIS OCVLIS ETIAM) *ſic reſtitui ex auctoritate quattuor librorum manuſcriptorum. ſis autem, antiquum pro ſuis: quemadmodum, ſum, pro eum poſuit* Ennius *lib.* I. At te non, vt ſum, ſummam ſeruare decet rem: *& lib.* 2. At ſeſe ſum quæ dederat in luminis oras. *& ſos, pro eos antiqui dicebãt.* Idem Ennius. Conſtitit inde loci propter ſos diua dearum. *& interdum pro ſuos, vt cum per datiuum caſum idem* Ennius *effert. ſis, pro, ſuis:* Poſtquam lumina ſis oculis bonus Ancus reliquit. *Hæc ferè ad verbum* Feſtus. *vnde perſpicuum eſt,* Lucretium *hunc verſum ab* Ennio *mutuatum eſſe.* MAGNIS QVI GENTIBVS IMPER) *imitatus eſt hunc verſum* Horat. *ſaty.* 6. *lib.* I. qui magnis legionibus imperitarint.

ILLE QVOQVE IPSE) Xerxes, *qui* Helleſponto *iuncto,* Athone *perfoſſo, maria ambulauit, terrámque nauigauit, vt narrat* Herod. Polyhymn. *refert* M. Tullius *lib.* 2 *de finib. his verbis:* Vt ſi, cùm Xerxes tantis claſsibus, tantiſque equeſtribus & pedeſtribus copiis, Helleſponto iuncto, Athone perfoſſo, maria ambulaſſet, terrámque nauigaſſet, &c. *&* Dion Chryſoſt. *oratione de regno, tertia.* ἢ οὐκ ἀκήκοας, ὅτι Ξέρξης ὁ τῶν Περσῶν βασιλεὺς τὴν μὲν γῆν ἐποίησε θάλασσαν, διελὼν τὸ μέγιστον τῶν ὀρῶν, καὶ διαστήσας ἀπὸ τῆς ἠπείρου τὸν Ἄθω. διὰ δὲ τῆς θαλάττης τὸν πεζὸν στρατὸν ἄγων ἤλαυνεν ἐφ᾽ ἅρματος, &c. *id eſt, an non audiſti,* Xerxem, Perſarum *regem, terram quidem reddidiſſe mare, diuiſo maximo monte, &* Athone *à terra continente ſeparato: per mare autem pedeſtreis copias traiecit in curru, vt* Neptunum, *&c. Et* Æſchines κατὰ κτησιφ. οὐχ ὁ τῶν Περσῶν βασιλεὺς ὁ τὸν Ἄθω διορύξας, ὁ τὸν Ἑλλήσποντον ζεύξας, &c. *id eſt,* Nónne rex Perſarum, qui mõtem Athonem perfôdit, qui Helleſpontum iunxit, &c. *Quibus adde, quæ refert* Plutarchus *lib.* περὶ ἀοργησίας, *eadem de re, ſed maxime de monte* Athone. *Ne* Arnobius *quidem lib.* I. *aduerſus genteis, hoc loco prætereundus eſt: cuius hæc ſunt verba.* Vt ille immanis Xerxes mare terris immitteret, & greſsib. maria tranſiret, noſtri nominis effectum eſt iniuria?

DOCVIT) *tralatio. ſic loquitur* Horat. *epiſt. ad* Villicum: Addit opus pigro riuus, ſi decidit imber, Multa mole docendus aprico parcere campo. *idem epiſt. ad*

Piſon. Seu curſum mutauit iniquum frugibus amnis Doctus iter melius.

SVPERIRE) ſic habẽt quattuor libri manuſcripti: & ita legẽdũ, nõ, vt vulgò, ſuperare. ET CONTEMSIT. AQVIS IMSVLT. MVRM.) & inſultãs aquis, i. põto, ſeu mari, ſubintell. equorũ, & hominũ pedib. cõtemſit murmura ponti. videtur enim legẽdũ, aquis, nõ equis, ſiue intelligas, dici Xerxẽ equitauiſſe in mari, ſiue illã hiſtoriã ſpectes, quæ eſt apud Herodotũ, Polyhymn. vbi narrat ille, Xerxem indignatum, quòd audiſſet, pontẽ in Helleſpõto factum, coorta ſæua tempeſtate eſſe diſturbatũ, & contritum, iuſsiſſe trecentas plagas fluctibus infligi, & mare verberari, & compedibus conſtringi, cùm quidem ij, quibus hoc negotij datum eſſet, talia quædam loquerentur obiurgãtes, ὦ πικρὸν ὕδωρ, καὶ ἁλμυρόν, δεσπότης τοι δίκην ἐπιτιθεῖ τήνδε, ὅτι μιν ἠδίκησας, οὐδὲν πρὸς ἐκείνου ἄδικον παθόν· καὶ βασιλεὺς μὲν Ξέρξης διαβήσεταί σε, ἤν τε σύ γε βούλῃ, ἤν τε μή. σοὶ δὲ κατὰ δίκην ἄρα ὡς οὐδεὶς ἀνθρώπων θύει, ὡς ἐόντι δολερῷ τε καὶ ἁλμυρῷ ποταμῷ· id eſt, ô aqua amara & ſalſa, dominus has de te pœnas ſumit, quia eum iniuſtè læſiſti, nulla ab eo accepta iniuria: & rex quidem Xerxes te traiiciet velis nolis: meritò autem tibi nemo homo ſacrificat, vtpote qui ſis fluuius doloſus & ſalſus. Eodem pertinent illa Plutarchi, libello περὶ ἀοργησίας, eo loco, quẽ ſuprà commemoraui. Iam inſultare eſt contumelioſe quippiam in alterum aut dicere, aut facere. Virgil. Æneid. 8. neque finitimus Mezentius vnquam Huic capiti inſultans tot ferro ſæua dediſſet Funera. Quòd ſi dicas, hoc tãtùm à Lucretio ſignificari, Xerxem equorum pedibus mare pulſaſſe, aut verberaſſe, reſpondeo, primùm ſatis intelligi Xerxem equorum pedibus Helleſpõto inſultaſſe, cùm dicitur inſultaſſe: deinde non ſolùm equorum pedibus Xerxes mari inſultauit, verùm etiam multorum hominum peditum pedibus: deinde inſultare aquis venuſtè dicunt Latini, vt Virgilius, inſultare ſolo, & Varius, inſultare campis, & Horatius, inſultare buſto, quorum poëtarum teſtimonia mox proferemus. Præterea ſi legamus, equis, ſubintelligendum erit neceſſariò, mari, aut aquis, aut aliquid ſimile. at mollius, & tolerabilius eſt ſubintelligi, equis, ſeu equorum pedibus, quam, aquis, aut, mari. Præterea ſi alio verbo vſus eſſet, quàm inſultandi, verbi cauſa, verbo pulſandi, aut verberandi, meritò addidiſſet, equis, vt Horat. oda XVI. epod. & vrbem Eques ſonante verberabit vngula. & Virgil. Culice. Non Helleſpontus pedibus pulſatus equorum. Nunc autem, vt ſupra diximus, verbum, inſultare, ſatis per ſe inſultationem eam, quæ fit equorũ, ſiue hominũ, ſiue vtrorumque pedibus, ſignificat. Nunc proferamus locupletium auctorum teſtimonia. ſic igitur Varius de morte, apud Macrob. lib. VI. cap. 2. Quem nõ ille ſinit lentæ moderator habenæ, Quà velit, ire, ſed anguſto prius ore coërcens, Inſultare docet campis, fingitq; morando. & Virgil. Georg. III. Frena Pelethronij Lapithæ, gyróſque dedere Impoſiti dorſo, atq; equitẽ docuere ſub armis Inſultare ſolo, & greſſus glomerare ſuperbos. vbi notat A. Gell. lib. XVIII. cap. V. equitem pro equo accipiendũ eſſe. Horat. oda. 3. lib. 3. dum Priami, Paridiſq; buſto Inſultet armentum &c. Idem valet & inequitare: quo verbo vtitur Arnobius.

ANIMAM MORIB. CORP. F.) Xerxes ab Artabano interfectus eſt, cùm annos amplius XX. Perſarũ regnũ obtinuiſſet, vt ſcribit Diod. Siculus lib. XI.

SCIPIADES) Scipio. ſic Horat. ſaty. 1. lib. 2. Virtus Scipiadæ, & mitis ſapientia Læli. Lucretius ſup. lib. 1. Memmiadæ noſtro.

BELLI FVLM.) Virgil. Æneid. 6 duo fulmina belli, Scipiadas.

PROINDE AC) tanquam, proinde ac ſi.

FAMVL. INFIMVS) famul, famulus (inquit) Nonius. Ennius. mortalem for-

una repente Reddidit *è ſummo regno vt famul infimus eſſet. ſic autem emendaui* Ennij *verſum, qui corruptus eſt apud* Nonium. *Famuli origo (inquit* Feſtus*) ab* Oſcis *dependet, apud quos ſeruus famul nominabatur: vnde & familia vocata.*

ADDE HELICONIADVM) *Adde (inquit* Lucret.*) Muſarũ comites, nempe poëtas. profert hunc verſum* Nonius, *cum eo, qui deinceps ſequitur, in verbo, potior, docens, hoc verbum interdum iungi cum quarto caſu, vt hic: & ita* Terent. *Adelph. Ille autem ſine labore patria potitur commoda.*

QVORVM VNVS HOM. SC. P) *id eſt, quorũ vnus* Homerus *primus, & principatum obtinens.* EADEM ALIIS SOP.) *Græcorum more locutus eſt.* τῇ αὐτῇ τοῖς ἄλλοις. *id eſt eadem atque alij. ſic lib. 2. Atque animalibu' ſunt mortalibus vna, eadémque. & lib. 4. Nempe eadem facit, & ſcimus facere omnia turpi. &* Horat. *Inuitum qui ſeruat, idem facit occidenti.*

DENIQVE DEMOCR. POSTQ. MAT. VET.) Democritum, *cùm centum & nouem annos vixiſſet, primò mortem propinquam dies aliquot nidore panum retardaſſe: deinde ſponte ſua mortem oppetiſſe, traditum eſt.*

ADMONVIT MEMOREM) *ſic emendaui, reclamantibus codicibus omnibus, in quibus ſcriptum, aut impreſſum eſt, memores. quin autem ita ſit legẽdum, nemo doctus dubitabit. notum prouerbium, memorem mones, ſeu admones.* Plaut. *Sticho. capti conſilij memorem mones. Quòd autem* Zoilus, *ſcripturam vulg. defendens, ait,* Lucretium *per memores motus mentis, mentem ſignificare: dico, per motus mentis, ſine epitheto, memores, ſatis hoc idem ſignificari. memores mentis motus autem, memoriam potius, quàm mentem ſignificarent. At* Lucretius *non vult,* Democritum *ſenſiſſe, ſolam memoriam in ſe langueſcere, ſed totam mentem. neque verum eſt, quod idem dicit, mentis quidem motus, à* Lucretio *memores appellari: corporis verò, ſenſiferos. Quin neque motus corporis, ſenſiferi eſſe poſſũt ſine anima, aut mente: neq; anima, aut mens ſine motibus ſenſiferis, conſtare poteſt, ex ſententia* Lucretij. *Quare nugatur, atque adeò inſanit* Zoilus. *Et ſolet, cùm ei aliquid à me excogitatum, & emendatum, non probatur, adſcribere, mendoſè, malè, peſſimè. Ain' tu, omnium mortalium petulantiſſime, atque impudentiſſime? Immo verò quæ ex tua officina prodierunt, quæque aliis non ſuffuratus es, ſunt peſſima.*

IPSE EPICVRVS) *Ipſe,* κατ' ἐξοχὴν *dictum, &* ἐμφατικῶς. *illud autem alterum, ipſe, quod antecedit, idem valet, quod vltrò. Non enim* Democritus *diem mortis exſpectauit, ſed anteuertit, & caput ei vltro obtulit: niſi quis dicat, legendũ, obtulit ipſi, vt, ipſi, cohæreat cum voce, leto, manente eadem ſententia.*

DECVRSO LVMINE VITÆ) *duæ tralationes diſſimiles concurrentes, & confuſæ. nã decurrere ſpatiũ vitæ, ſeu decurrere ætatẽ, tralatio eſt à curſoribus.* Terent. *Adelph. Nã ego vitã durã, qua vixi vſq; adhuc, propè iam decurſo ſpatio, mitto.* Plaut. *Sticho. Quid mihi opus eſt decurſo ſpatio cum eis gerere bellũ?* M. Tull. *pro Quinctio: propè acta iam ætate, decurſaque. Iam lumen vitæ, altera tralatio eſt: Ita, decurrere lumẽ vitæ, duas continet tralationes permiſtas. ſimile quiddam notat* M. Anton. Muretus *apud* Catull *ad illum locum, Loquẽte ſæpe ſibilum edidit coma. ad faſelum. Non diſſimulabo tamen, legi in aliquibus libris, decurſo limite vitæ.*

ET OMNEIS PRÆSTINXIT, STELLAS) *hic codices manuſcripti, neque cum impreſſis, neq; ipſi inter ſe conſentiunt: ſed alij habent,* Reſtinxit, *alij,* Reſtrinxit, *alij,* Exſtinxit. *Ego autem partim his ſcripturis conſideratis, atque inter ſe comparatis, partim ſententia* Lucretij *exquiſita, non dubitaui reponere,* Præſtinxit.

vt ſit præteritum à verbo, Præſtinguo: quod verbum librariorum culpa penè è tota lingua Latina deletum eſſet, niſi ego à Nonio Marcello commonitus reſtituiſſem. Nam vbicunque apud M. Tull. Plautum, & ceteros legitur, præſtringere, &, præſtrinxit oculorum aciem, legendum eſt, præſtinguere, &, præſtinxit. eſt enim verbũ compoſitum à præ & ſtinguo: quo verbo vtitur Lucretius lib. 2. & 4. Præſtinguere autem (vt docet Nonius) valet obtenebrare. quamquam apud Nonium legitur, præſtringere: mendoſè: fortaſſe ipſo etiam Nonio errante: vt in multis aliis ſolet: quod aliàs oſtendam. Sine dubio enim apud Plautum is locus, quem profert ille ex Milite glor. ſic legendus eſt: præſtinguat oculorum aciem in acie hoſtibus: non, vt vulgò impreſſum eſt, præſtingere. Neque verò me mouent aut ſimioli, aut Zoili vel maleuolentia, liuoréque ſuffuſi, vel ignorantia occæcati. Quantumuis enim reclament, atque adeò dirumpantur licet: plus poteſt apud me ratio & veritas, quàm rumuſculi talium barbarorum. Sed, vt ad Plautum redeam, eundem locum profert Aſconius ad illud Ciceronis Diuinat. in Cæcil. præſtinguat aciem, vbi hæc notat, vel à præſtigiatoribus tranſtulit verbum, vel à tironibus, qui ignari & rudes pugnæ, etiã vano armorum ſonitu terrentur præſtinctis luminibus. Apud Aſconium igitur quis non videt legendum, præſtinctis, non, præſtrictis? quónam modo enim à præſtringẽdo dici poſſit præſtigiarum, aut præſtigiatorum nomen? Cùm igitur hoc loco Lucretius innuat & ſignificet, Epicurum aliorum omnium philoſophorum nominis ſplendorem, & gloriam obſcuraſſe, atque (vt ita dicam) obtenebraſſe, quemadmodum ſol exoriens ſtellarum fulgorem obſcurat: dubitari non poteſt, quin legendum ſit, præſtinxit, non, reſtinxit, aut, exſtinxit. non enim ſol exoriens ſtellarum ſplendorem exſtinguit, ſed duntaxat præſtinguit. reſtinguit autem multo minus. nam reſtinguere de ardore, aut calore dicitur, non de lumine, aut fulgore. Præſtinxit, igitur hic legendum. Ac ſententiam meam adiuuat M. Tull lib. 2. de nat. Deor. Sol dictus vel quia ſolus ex omnibus ſideribus eſt tantus, vel quia cùm eſt exortus, obſcuratis omnibus ſolus apparet. non dixit, exſtinctis, ſed, obſcuratis, id eſt obtenebratis, ac præſtinctis. à quo verbo dictæ ſunt præſtigiæ, & à præſtigiis præſtigiatores, vt videtur ſubindicare Aſconius. Eadem opera etiã Minucium emendabo, in Octauio, circiter medium. Quis ergo dubitat horum imagines conſecratas vulgus orare, & publicè colere? dum opinio & mens imperitorum artis concinnitate decipitur, auri fulgore præſtringitur, argenti nitore & candore eboris hebetatur? legendum, præſtinguitur. quod qui non videat, cæcum ſe in litteris, & lingua Latina fateatur. præſtinxit igitur hîc apud Lucretium interpretor, obſcurauit: vt apud Minucium perſpicuè idem valet, præſtinguitur, quod obſcuratur, & amittit facultatẽ rectè fungendi muneris ſui, id eſt rectè opinandi, rectéque intelligendi. Quoniam autem ſatis multa iam de hoc verbo & hîc, & in notis Ciceronianis, & in commentat. Horatianis verba feci, nihil amplius addam, præter hoc vnum, quod à viro docto & fide digno accepi, cùm de litteris vnà loqueremur: hoc vocabulum, vnum fuiſſe ex ducentis vocabulis Latinis, quod Gul. Pelliſſerius epiſcopus Monpeſſ. homo linguæ Latinæ omnium, qui hodie viuunt, ſcientiſſimus, ſe ſolum tenere prædicare verè ſolebat. Hos verſus proferens Lactantius, ſiue Lutat. lib. 3. de falſa ſapient. Quos equidem verſus (inquit) nunquam ſine riſu legere poſſum Non enim de Socrate, aut Platone hoc ſaltem dicebat, qui velut reges habentur philoſophorum: ſed de homine, quo ſano & vigente nullus æger ineptius delirauit. OMNEIS) omneis philoſophos, & ſapientes: vel omneis homines. & ita adſcribe notam diſtinctionis verbo, præſtinxit.

PROPE IAM VIVO ATQVE VIDENTI) *ζῶντα καὶ ὁρῶντα, prouerbium olet. ſic idem Lucret lib. 5. Viua videns viuo ſepeliri viſcera buſto. Tacit. Terent. Eunuc. viuus, vidénſque pereo. M. Tull pro Quinctio. huic acerbiſſimum viuo, videntique funus ducitur. Idem pro P. Sextio. viuus (vt aiunt) eſt, & videns cũ victu, ac veſtitu ſuo publicatus. Plautus Mõſtell. Ludos ego hodie viuo, præſenti hîc ſeni faciã, quod credo mortuo numquam fore. Antiphon, oratione ſecunda ex accuſatione eius, qui iuuenis ſenem interfecit. ἡμᾶς τε τοὺς ἐπιμωροῦντας αὐτῷ, ζῶν τε καὶ βλέπων φονέας αὐτοῦ φησὶν εἶ[ναι]. id eſt, & nos, qui ei opitulamur, viuus & videns ſui interfectores eſſe dicit. Æſchines κατὰ κτησιφ. τὰ δέκα τάλαντα ὁρώντων, φρονούντων, βλεπόντων ὑμῶν ἔλαθον ὑφελόμενοι: id eſt decem talenta, videntibus, ſentientibus, aſpicientibus vobis furtim ſubſtraxerunt.*

ET VIGILANS STERTIS) *ſic Amphitryo ille in comœd. ſui nominis apud Plautum vix apud me ſum. Vigilans prope dormio: vigilans ſomnio: viuus & ſanus intereo. ex quo dormitator ab eodem pro deliro, & ſtolido ponitur.*

CASSA FORMIDINE) *inani timore.* EBRIVS) *μεθύων. tralatio. ſic Demoſthenes Philippum dicit eſſe ebrium rebus ſecundis: & Horatius Cleopatram fortuna dulci ebriam: & Theocritus quendam ictibus ebrium.*

ATQVE ANIMI INCERTO FL. ERR.) *ordo, fluitans incerto animi errore vagaris. error animi, & error mentis quid ſignificent apud ſcriptores, non obſcurum eſt. M. Tull. lib. 3. epiſt. ad Attic. Nam quòd ſcribis, te audire, me etiam mẽtis errore ex dolore affici, mihi verò mens integra eſt. Idem lib. 5. epiſt. ad familiar. Hoc in ſermone cùm à me exponeretur, quæ mea exſpectatio fuiſſet orationis tuæ, quantóque in errore verſatus eſſem, &c. Horat. epiſt. 2 lib. 2. pol me occidiſtis amici, Non ſeruaſtis, ait, cui ſic extorta voluptas, Et demtus per vim mentis gratiſſimus error. ad quem locum plura exempla collegi. ita neque de veritate huius ſcripturæ dubitandum eſt, & vulgata illa, Atque animo incerto, &c. reijcienda eſt. Veruntamen doctus quidam, idémque mihi amiciſſimus, putabat legendum, Atque animi incerti fluitans errore vagaris: à quo diſſentio. Zoilus hanc ſcripturam tacitus probat, vt alias innumerabileis.*

Si poſſent homines, proinde ac ſentire videntur
Pondus ineſſe animo, quod ſe grauitate fatiget,
Et quibus id fiat cauſis cognoſcere, & vnde
Tanta mali tanquam moles in pectore conſtet:
Haud ita vitam agerent, vt nunc plerumque videmus,
Quid ſibi quiſque velit, neſcire, & quærere ſemper,
Commutare locum, quaſi onus deponere poſſit.
Exit ſæpe foras magnis ex ædibus ille,
Eſſe domi quem pertæſum'ſt, ſubitóque reuertit:
Quippe foris nihilo melius qui ſentiat eſſe.
Currit agens mannos ad villam hic præcipitanter,
Auxilium tectis quaſi ferre ardentibus inſtans:
Oſcitat extemplo, tetigit cùm limina villæ:
Aut abit in ſomnum grauis, atque obliuia quærit:

Aut etiam properans vrbem petit, atque reuiſit.
Hoc ſe quiſque modo fugit: at, quem ſcilicet, vt fit,
Effugere haud potis eſt, ingratis hæret, & angit,
Propterea, morbi quia cauſam non tenet æger:
Quam bene ſi videat: iam, rebus quiſque relictis,
Naturam primùm ſtudeat cognoſcere rerum,
Temporis æterni quoniam, non vnius horæ,
Ambigitur ſtatus, in quo ſit mortalibus omnis
AEtas poſt mortem, quæ reſtat cumque, manenda.
Denique tantopere in dubiis trepidare periclis
Quæ mala nos ſubigit vitaï tanta cupido?
Certa quidem finis vitæ mortalibus adſtat,
Nec deuitari letum pote, quin obeamus.
Præterea verſamur ibidem, atque inſumus vſque:
Nec noua viuendo procuditur vlla voluptas.
Sed dum abeſt, quod auemus, id exſuperare videtur
Cetera: pòſt aliud, cùm contigit illud, auemus:
Et ſitis æqua tenet vitaï ſemper hianteis:
Poſteráque, in dubio'ſt, fortunam quam vehat ætas,
Quídve ferat nobis caſus, quíve exitus inſtet.
Nec prorſum, vitam ducendo, demimus hilum
Tempore de mortis, nec delibrare valemus,
Quo minus eſſe diu poſſimus morte peremti.
Proinde licet quot vis viuendo condere ſæcla,
Mors æterna tamen nihilo minus illa manebit:
Nec minus ille diu iam non erit, ex hodierno
Lumine qui finem vitaï fecit, & ille,
Menſibus, atque annis qui multis óccidit antè.

ET QVIBVS ID FIAT) *ſi ita poſſent homines etiam ægritudinum, & moleſtiarum ſuarum cauſas cognoſcere, vt ſentiunt moleſtiarum aculeos, & grauitatem: non ita viuerent, vt magna ex parte eos viuere videmus. Videtur legẽdum, Et quibus id fiat cauſis cagnoſc. &c. & ita habent cod Pariſienſes, codex Bertinianus manuſcripi. quos nunc ſequor. nam alij habent, E quibus id fiat cauſis quoque noſcere, &c.* MALI TAMQVAM MOLES) *εἰκὼν. quod ſi dixiſſet, mali moles, non addito, tanquam, fuiſſet tranſlatio ſic lib. I. de orat. ad Q. Fratr. princip. in eo maximæ moleſtiarum moles, & turbulentiſſimæ tempeſtates exſtiterunt. Idẽ. lib. 3. Tuſcul. Aut ſemper aliquam molem meditabar mali.*

QVID SIBI QVISQVE) *ſic legendum, & ita habent lib. manuſc. & nonnulli impreſſi.* EXIT SÆPE FORAS MAGN. EX ÆDIB) *talis deſcribitur Charinus ille Plautinus in Mercat. Súmne ego miſer, qui nuſquã bene queo quieſcere? Si domi ſum, foris eſt animus: ſin foris ſum, animus domi eſt: Ita mihi in pectore,*

ctore, atque in corde facit amor incendium. Talis ille, qui otio neſcit vti: de quo Ennius, his verſib. Otio qui neſcit vti, plus negotij habet, Quàm cùm eſt negotium in negotio. Nam cui quod agat, inſtitutum eſt, nullo negotio Id agit: ſtudet ibi: mentem, atque animum delectat ſuum: Otioſo initiò animus neſcit quid velit. Hoc idem eſt. neque domi nunc nos, nec militiæ ſumus. Imus huc, hinc illuc. cùm illuc ventum eſt, ire illinc lubet. Incertè errat animus. præter propter vita viuitur. Exſtant autem hi verſus apud Aul. Gell. lib. 19. cap. 10. His adde hunc Horatianum, ex lib. 1. epiſtolar. epiſt. ad Celſum. Romæ Tibur amem ventoſus, Tibure Romam.

MANNOS) *equos breueis & paruos. Horat. epiſt. ad Mæcen. lib. 1. Impoſitus mannis, aruum, cælúmque Sabinum Non ceſſat laudare.*

AVXILIVM TECTIS QVASI FERRE) *ſignificat ſummam feſtinationem.* OSCITAT EXTEMPLO) *oſcitatio, hominis eſt aliud agentis, & præſentibus non contenti. &, quæ adſunt, faſtidientis, & quæ abſunt; deſiderãtis Gellius lib. 4. cap 20. Deliberatúmque eſt de nota eius, qui ad* CENS. *ab amico aduocatus eſt, & in iure ſtans, clarè nimis ac ſonorè oſcitauit, atque inibi propè vt plecteretur, fuit: tamquam illud indicium vagi animi foret, & halucinantis, & fluxæ, atque apertæ ſecuritatis, &c.*

ATQVE OBLIVIA QVÆRIT) *quærit quomodo ea obliuiſcatur, quæ ſibi moleſta ſunt. ſic Horat. ſaty. 6. lib. 2. O rus: quãdo ego te adſpiciam? quandóque licebit, Nunc veterum libris, nunc ſomno, & inertibus horis Ducere ſollicitæ iucũda obliuia vitæ?* HOC SE QVISQVE MODO) *Horat. ſaty. 7. lib. 2. adde quòd idem Non horam tecum eſſe potes: non otia rectè Ponere: téque ipſum vitas fugitiuus, vt erro, Iam vino quærens, iam ſomno fallere curã, Fruſtra: nam comes atra premit, ſequitúrque fugacem. nemo igitur ſe fugere poteſt, ne ij quidem, qui relicta patria alias terras petunt. Quid igitur (inquit idem Horat. od. 16. lib. 2.) terras alio calenteis Sole mutamus? patriæ quis exſul Se quoque fugit?*

AT, QVEM SCILICET, VT FIT, &c.) *ſecutus fueram initiò codices vulgatos: ſed tamen adſcripſeram, me ſuſpicari hoc in loco ineſſe aliquid vlceris: quòd manuſcrip haberent, ad quem ſcilicet, &c. vt fortaſſè, inquam, legendum ſit, at, quem ſcilicet, vt fit, &c. cuius lectionis hæc eſſet ſententia. at is, quem non poteſt effugere: nempe ipſemet, (nemo enim ſe effugere poteſt) ingratiis hæret: vel ſume ἀπὸ κοινοῦ, vocem, morbus, hoc modo, at morbus, quem effugere non poteſt, ingratiis hæret, & angit, quia ipſius morbi cauſam ignorat. Zoilus, cùm hæc eſſent à me annotata, ea arripuit, ſibiq; vendicauit ſuo more. verùm infinitum ſit ſingula eius furta enumerare.* INGRATIS) *ingratiis, aut ingratis pro ingratiis, vel aduerbium eſt, quod ſignificat inuitè, & præter voluntatem, & non ſponte: quod Græci dicũt ἀκουσίως: vel potius nomen compoſitum ex in, & gratiis: quo modo iniuſſu ex in, & iuſſu: incultus apud Salluſt. ex in, & cultus: intactus ex in, & tactus: de quib ſuprà lib. 1. Tactus corporibus cunctis, intactus inani. in quibus omnibus, in, præpoſitum nominib. ſubſtantiuis, negationem ſignificat. quod ſit vſitatius in adiectiuis, vt improbus, indoctus, impius, &c gratiis, autem, nomen eſſe, caſus ablat. à recto, gratiæ, numeri multitudinis, quid eſt quamobrem quiſquam neget? Plaut. Amphitr. Soſ. Non edepol volo profectò. M. at pol profectò ingratiis. Idem Curcul. Tamen eſt eundum, quò imperauit, ingratiis. idem Ciſtell. Nunc mihi bonæ neceſſu'ſt eſſe ingratiis. Teret. Eunuc. Opus faciam, vt defatiger vſque, ingratiis vt dormiam. Idem Heautont. ea coacta ingratiis Poſt illa cœpit victum vulgo quærere. Velim autẽ non ignorare le-*

ctorem, quoſdam libros vulgatos, in quibus ſunt Pariſienſes, habere hoc loco, Inuitus adhæret, pro vera ſcriptura, ingratiis hæret. quod iccircò notaui, vt meminerit quod ſuprà pluribus verbis egi, ad illum locum, Tum quaſi talipedans, &c. hanc vocem inuitus, ſeu inuito, fuiſſe annotationem: deinde ab imperito, & ſtulto librario in texturam verborum Lucretij tranſcriptam eſſe.

IAM REBVS QVISQVE RELICTIS) *rebus relictis, vſitatum genus loquendi veteribus, quod idem valet, atq;, rebus aliis omnibus relictis. Plaut. Epid. Ego relictis rebus Epidicum operã quærẽdo dabo Idem Trinum. Probus eſt amator, qui, relictis rebus, rem perdit ſuã. Terent. Andr. Herus me, relictis rebus, iuſsit Pamphilum Hodie obſeruare. Idem Heautont. Mihi nunc, relictis rebus, inueniendus eſt Aliquis, labore inuenta meo cui dem bona. vbi tamen vulgati libri habent, relictis omnibus, cum ſit legendum, relictis rebus, itáque ſcriptum ſit in libris manuſcrip.*

TEMPORIS ÆTERN. QVON. N. VN. H. AMB) *quoniã nõ eſt controuerſia, vel non certatur de ſtatu vnius horæ, ſed de ſtatu temporis æterni, atque infiniti, quod eſt poſt mortem, ambigitur: id eſt in controuerſiam vocatur, ἀμφισβητεῖται.* MANENDA) *ſic legendum, non, vt in lib. vulgatis, manẽdo. ordo autem & ſententia eſt: in quo ſtatu temporis æterni, omnis ætas, quæcumque poſt mortem reſtat, mortalibus eſt manẽda: id eſt perduranda: in quo ſtatu temporis æterni, homines omnem ætatem, quæcumque poſt mortem reſtat, neceſſariò permanebunt, & perdurabunt: neque vmquam de integro hanc lucem intuebuntur, etiamſi eandem materiam, ex qua conſtabant viui, temporis longinquitas denuo colligat, & in eundem ordinem, atque in eandem poſituram redigat.*

IN DVBIIS TREP. PERICLIS) *pericula dubia dicuntur, quia incertũ eſt vtrùm quis ex iis ſaluus euadere poſsit, nécne. ſic dicimus, in dubiis rebus. Plaut. Mõſtell. Qui homo timidus erit in dubiis rebus, is nauci non erit. ſic, dubia tempora, & dubij caſus apud Horatium. Quid eſt (inquit) quòd tantopere trepidemus in rebus aduerſis, & periculoſis? nam quamtumuis diligenter, & accuratè vitæ, & ſaluti noſtræ conſulamus, moriendum tamen eſt aliquando.*

NEC DEVITARI LETVM POTE) *pote, id eſt δυνατὸν, quod poſſibile diceremus, ſi liceret.*

SED DVM ABEST) *hîc m non eliditur. qua de re ſuprà diximus ad illum locum, Corporum augebit numerum, lib. 1. nunquam (inquit) fruimur bonis præſentibus, ſed futuris ſemper inhiamus: quæ vbi adepti ſumus, alia item, quæ abſunt. deſideramus. rectè igitur præcipiunt, qui ſuadent, vt in diem viuamus, vt Horat. od. 29. lib. 3 ille potẽs ſui, Lætúſque deget, cui licet, in diem, Dixiſſe, vixi, cras vel atra Nube polum pater occupato.*

VEHAT) *ſic Horat. od. 29 lib. 1. Quod fugiens ſemel hora vexit. & Virgilius Georg. 1. Denique quid veſper ſerus vehat.*

VITAM DVCENDO) *vitam producendo, & diutius viuendo.*

DEMIMVS) *detrahimus, deminuimus.*

NEC DELIBRARE VALEMVS) *nec poſſumus quicquam deripere, ſeu demere, ſeu detrahere de tempore mortis. delibrare valet, librum, ſeu corticem de ligno detrahere: quo verbo vtitur & Cæſar lib. 7. de bello Gall firmis ramis abſciſsis, atque horum delibratis, ac præacutis cacuminibus. vnde per tranſlationem deminuere ſignificat, vt ſup. diximus. delibrare autem habent duo cod manuſcripti, quibuſcum congruunt Pariſienſis: alij, deliberare, quibuſcum conſentiunt Aldus anti-*

quiores: quod quidem factũ eſt ex delibrare, cùm indocti ſiue librarij, ſiue lectores, quid ſibi vellet delibrare, non intelligerent. ſententia autem huius loci hæc eſt. non poſſumus quicquam detrahere, ſeu demere de tempore mortis, quo minus diu mortui ſimus: id eſt, etiam ſi aliquot annis, atque adeò ſæculis tardius moriamur, nõ ideò tamen minus diu mortui erimus. Zoilus, cùm hæc legiſſet, omnia mendosè (inquit) Cenſorem aliquem loqui putes, cùm hoc homine nihil ſit ſtolidius, nihil pinguius, nihil contemtius. Itáne tandem bellua? omnia mendosè? Tu verò omnia mendosè: quæ modò aliis non ſuffuratus es.

MORTE PEREMTI) mortui. Virgil. Æneid 6. indigna morte peremti. idem 9. & primus vna tot cæde peremtis. non celabo lectorem, me ſcriptũ reperiſſe in libr. manuſcriptis, morte perenti, n, ante t. quod eò notandum duxi, vt intelligãt tandem omnes litterarum ſtudioſi, veteres ſcripſiſſe peremtum, ademtum, emtum, comtum, & ſimilia per m, ſine p, ante t: poſteaquàm autem Italiam barbaries oppreßit, alios ſcripſiſſe perentum, & ſimilia per n, ante t. alios per m, interpoſito p, inter m, & t, exiſtimanteis m, ante t, ſine p, nec ſcribi debere, nec pronuntiari poſſe: quorum errorem coarguimus, & conuicimus in epiſtola ad lectorem, quam præpoſuimus commentariis Horatianis. Quòd autem doctus quidam Italus, nulla alia ratione adductus, quàm quòd libri manuſcripti ſic habent, etiam hodie ſcribit, dampnare, & temptare: ſatis eius inſcitiam, ac ſtuporem mirari non poſſum. quaſi verò libri veteres ſint vſquequaque ſequendi, & non cum iudicio tractãdi ac legendi: verbi gratia in eis ferè ſemper ſcriptum reperias, dampnare, antempna, ſompnum, ſolempne, & ſimilia quamplurima: quam ſcripturam tamen nemo eſt mediocriter eruditus, qui non reſpuat: aut quaſi tentandi verbum non oriatur à verbi teneo ſupino, tentũ, ſeu tentu: quæ vel cum m. & p. ſcribenda ſunt, temptum, temptu: quod ſi quis dicat, delirus iudicetur: vel ne in tento quidem his litteris m, & p, locus eſſe poteſt, vt ſcribatur tempto. CONDERE SÆCLA) condere ſæcla, dictum eſt vel vt dicimus condere frumenta, & fructus, vel vt condere mortuum, vel vt condere luſtrum. quoquomodo dictum ſit, tralatio eſſe videtur. Sic fortaſſe Horat. od 5. lib. 4. Condit quiſque diem collibus in ſuis. condere enim diem videtur, qui ad veſperum peruenit, & cui dies totus conſumtus eſt. condere igitur tempora, ſæcula, annos dici poſſe videtur, cui tempora, ſæcula, anni conſumti & præteriti ſunt.

MORS ÆTERNA) θάνατος ἀθάνατος. vt ſuprà. Mortalem vitam mors cui immortalis ademit.

NEC MINVS ILLE DIV, &c.) id eſt, & æque diu mortuus erit ille, qui ex hodierno die viuendi finem fecit, atque ille, qui multis antè annis interiit. nam cùm tempus futurum, ſit infinitum, vterque poſt mortem tempus æquè infinitum mortuus manebit.

EX HODIERNO LVM.) ex hodierno die.

DIONYS. LAMBINVS, M. ANTONIO MVRETO, S. D.

SI quis eſt ex iis, quibuſcũ aliqua mihi neceſſitudo intercedit, cui vnus aliquis è ſex T. Lucretij Cari de natura rerum libris à me ex auctoritate codicũ manuſcriptorum emẽdatis, & explanatis, debeatur: tu profectò Marce Antoni, non in poſtremis dignus es, qui tuam quoq; huius munuſculi iuſtam partem cõſequare. Nam cùm hos libros ſex, hominibus mihi amiciſſimis donare conſtituiſſem: plureis autem, quàm quot eſſent libri, cùm multorũ cauſa, eadem, aut certe pæne par, ac ſimilis eſſet, donare non poſſem: ſi te, vt hominem ſumma mecum neceſſitudine coniunctum, omníq; doctrina liberali præſtantẽ, præteriiſſem: tu neque tibi vllam iniuriã fieri, neque à me ius amicitię lædi fortaſſe meritò queri poſſes. Multos enim viros licet mihi commemorare tibi notiſſimos, atq; adeò communeis amicos, eoſdémque perquàm eruditos: in his P. Paſchaliũ, virũ eloquẽtiſs. hiſtoricum Regiũ: I. A. Baïffium: I. Maludanum: I. Pſſeratiũ, à me neceſſariò, cùm hæ meæ facultates iam exhauſtæ, & conſumtæ eſſent, neque hæc noſtra peranguſta benignitas ad plureis, quàm ad ſex, dimanare poſſet, huius muneris experteis, indonatos, atque adeò inſalutatos relictos. Si igitur amicitiæ, aut eruditionis cauſam duntaxat ſpectare vellem, cùm ſit hoc hominum ferè ingenium, vt, quod quiſque ſe ſcire profitetur, in eo ceteris vel antecellere, vel certè æqualis videri velit: & te talem virum, ac mihi tam carum præterirem: nihilo tu fortaſſe iuſtiorem, quàm multi alij, de me querendi cauſam haberes. Nunc autẽ cùm ad eas cauſas, quæ tibi cum aliis nõnullis poſſunt eſſe cõmunes, accedant quædã propriè, ac præcipuè tuæ: grauiſſimè me peccaturum, & dedecus admiſſurũ eſſe exiſtimarem, ſi te ſiue imprudens, ſiue conſultò præterirem, neque tibi vnum ex mei Lucretij libris librum impertirem. Tu enim mihi, cùm Romæ eſſem, princeps acerrimos ad hoc negotium ſuſcipiendum, ac perficiendũ ſtimulos admouiſti, mihiq; vulgata Lucretij exempla cum exemplaribus antiquis, ac manuſcriptis conferenti aſſiduã operam dediſti. neque hoc tantùm feciſti, verùm etiam, cùm in ſcripturam aliquam à vulgata diſcrepantem ac diuerſam incideremus, atque in ea hæreremus:

tu ſæpe ex obſcuris, & propemodum oblitteratis veteris ſcripturæ veſtigiis veram lectionē (quo ingenio, quáque acumine es) ſagaciſſimè odorabatis. Præterea cùm anno ſuperiore vnà cum clariſſimo viro Hippolyto Eſtenſi, Cardinali Ferrarienſi, Pij IIII. Pōtificis Romani legato, in Galliam noſtram longo interuallo veniſſes, audíréſq; me ſingulos T. Lucretij Cari libros ſingulis amicis dicare in animo habere: videres autē mihi per ciuileis diſcordias, & Reip. calamitatē, huius politiſſimi ſcriptoris editionem maturare non licere: neque tamē dubitares, quin, vbi à tot, tantíſque malis Gallia conquieuiſſet, aut certe reſpiraſſet, id ſtatim párerē, quod iamdiu parturiſſem: paucis antè quàm Galliam, patriam tuam, tua voluntate iterū relinqueres, Romámque repeteres, diebus, certum quendā ex mei Lucretij libris, librum à me ſtipulatus es: non quòd rem ipſam tanti faciendam putares, quamquam tu ſoles noſtras non minimi æſtimare nugas: ſed vt hoc apud omneis mortaleis, & qui hodie viuunt, & qui pòſt aliis erunt in annis, amicitiæ noſtræ monumētum exſtaret ſempiternum. Quod igitur tibi tot nominibus debeo, mi Murete: ſerò quidem, quippe temporibus, quominus hoc æs alienum ad diem repræſentarē, impeditus: ſed aliquando tamen, bona fide, libentérque perſoluo. Tibi autem hoc munuſculum meum eo gratius fore confido, quòd cùm tibi à me poteſtas, optióque eligendi facta fuiſſet, hunc ipſum librum elegiſti. neque verò tibi in eligendo iudiciū defuit. Totam enim hic liber ſimulacrorum, ſeu imaginum Epicurearum, quibus ille ad oculos noſtros affluētibus, viſum laceſſi: ad animum autem accurrentibus, eúmque ferientibus, cogitādi vim, & διανοητικὰς φαντασίας excitarí putabat, explicationem complectitur: idem ſpeculorum rationem, rem varietatis plenam, & cognitione digniſsimam: idem acerrimā ſenſuum defenſionem aduerſus nouos Academicos, qui ſenſus eſſe incertos ac fallaceis, & nihil ſciri poſſe contendebant: idem pleniſsimam atque vberrimam de quinque ſenſibus, de cogitādi ratione, de ingreſſu, de fame & ſiti, & de earum rerum cauſis, de ſomno, & ſomniis, de libidine, & amore, multáque alia vtiliſsima, ac iucundiſsima continet. Hunc igitur librum tibi promiſſum, & debitum, ac pæne dicam tuum, tibi non dono, ſed optima fide reddo. Vale. Lutetiæ, anno à ſalute generi humano data CIↃ. IↃ. LXIII. pridie idus Septemb.

T. LVCRETII CARI DE RERVM NATVRA,

LIBER IIII.

AVia Pieridum peragro loca,nullius antè
Trita ſolo:iuuat integros accedere fonteis,
Atq; haurire:iuuátq; nouos decerpere flores,
Inſignémq; meo capiti petere inde coronã,
Vnde prius nulli velarint tempora Muſæ:
Primùm ꝙ magnis doceo de rebus,& arctis
Religionum animum nodis exſoluere pergo:
Deinde,quòd obſcura de re tam lucida pango
Carmina,muſæo contingens cuncta lepôre.
Id quoque enim non ab nulla ratione videtur.
Nam veluti,pueris abſinthia tætra medentes
Cùm dare conantur,prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci,flauóque liquore,
Vt puerorum ætas improuida ludificetur
Labrorum tenus:interea perpotet amarum
Abſinthi laticem,deceptáque non capiatur:
Sed potius tali tactu recreata valeſcat:
Sic ego nunc,quoniam hæc ratio plerumque videtur
Triſtior eſſe,quibus non eſt tractata,retróque
Volgus abhorret ab hac:volüi tibi ſuauiloquenti
Carmine Pierio rationem exponere noſtram,
Et quaſi muſæo dulci contingere melle,
Si tibi fortè animum tali ratione tenere
Verſibus in noſtris poſſem,dum percipis omnem
Naturam rerum:ac præſentis vtilitatem.
Sed quoniam docui,cunctarum exordia rerum
Qualia ſint,& quàm variis diſtantia formis
Sponte ſua volitent æterno percita motu:
Quóque modo poſſint res ex his quæque creari:
Atque,animi quoniam docui natura quid eſſet,
Et quibus è rebus cum corpore compta vigeret,
Quóve modo diſtracta rediret in ordia prima:
Nunc agere incipiam tibi,quod vehementer ad has res
Attinet,eſſe ea,quæ rerum ſimulacra vocamus:
Quæ quaſi membranæ ſummo de corpore rerum

Dereptæ volitant vltro, citróque per auras:
Atque eadem nobis vigilantibus obuia menteis
Terrificant, atque in ſomnis, cùm ſæpe figuras
Contuimur miras, ſimulacráque luce carentum:
Quæ nos horrificè langueuteis ſæpe ſopore
Excierunt: ne forte animas Acherunte reamur
Effugere, aut vmbras inter viuos volitare:
Néve aliquid noſtri poſt mortem poſſe relinqui,
Cùm corpus ſimul, atque animi natura peremta,
In ſua diſceſſum dederint primordia quæque.

AVIA PIERIDVM) *hi 17. verſus iam ſup. lib. 1. & à Lucretio poſiti ſunt; & à nobis explicati. Quare illinc pete, ſi quid requiris. Atque iis, quæ ibi diximus de ſolo, hoc adde. Denique, ſolum, idem valere interdum, quod ſoleam, licet vel ex his verbis Plautinis intelligere in Bacchidib. etiam rogas, qui ſoccis habeat auro ſuppacto ſolum?* CONTINGENS CVNCTA LEPORE) *duo codic. manuſcripti habēt, cōtingēs cuncta liquore. nō probo. Quòd autē Thraſo ſcribit, contingens, quaſi à verbo, tinguo: ſuo more inſanit. eſt enim à verbo, tango. Nam ſignificat Lucretius leuem quendam contactum, non tincturam ad imas parteis permanantem: idque declarat idem verbum paullo pòſt poſitum. Contingunt mellis dulci, &c. & verbale, tactu, pro quo mendoſè ſcribitur in quibuſdam libris vulg. facto. mendoſiſſime autem Zoilus, tractu, legendum putat. Sic Arnobius lib. III. dixit. Quiſquámne eſt hominum rationis alicuius ſapore contactus, qui pilos, & lanugines credat in deorum corporibus naſci?* PRÆSENTIS) *id eſt antè ſentis. ſic autem habent quinque lib. manuſcr. & nonnulli typis excuſi. alij perſentis.*

CVM CORPORE COMTA) *ſic ſuprà lib. 3. quibúſque Comta modis vigeant. vtrobique tamen quidam legi volunt, iuncta.*

ORDIA PRIMA) *primordia.* NVNC AGERE INCIPIAM, &c.) *Nunc de ſimulacris, ſeu imaginibus diſputare meditatur, quæ εἴδωλα & τύποι nominantur ab Epicuro. Diog. Laërt.* Καὶ μὴν καὶ τύποι ὁμοιοσχήμονες τοῖς στερεμνίοις εἰσὶ, λεπτότησιν ἀπέχοντες μακρὰν τῶν φαινομένων. *&c.* τούτους δὲ τοὺς τύπους εἴδωλα προσαγορεύομεν. *id eſt, atqui & formæ ſunt ſimili figura præditæ, atque ipſa ſolida corpora, ſubtilitate, & tenuitate longè diſtantes ab iis, quæ oculis cernuntur, &c. has autem formas, idola, id eſt ſimulacra, ſeu imagines appellamus.*

SVMMO DE CORPORE RERVM) *id eſt de ſumma, & extrema rerum circumcæſura, de extremis lineamentis rerum.*

DEREPTÆ) *id eſt detractæ. ſic autem legendum eſt, & ita ſcriptum reperi in libris manuſcriptis. de quo verbo alibi diximus.*

VLTRO, CITROQVE) *libri manuſcr. habēt. vltróq; citróq;. quos nō ſequor.*

SIMVLACRAQVE LVCE CARENTVM) *Virgil. Georg. 4. tum corpora luce carentum Exportant tectis. ibid. Vmbræ ibant tenues, ſimulacráq; luce carētū.*

NE FORTE ANIMAS) *hoc dico, eſſe ſimulacra quædam, &c. ne forte putemus, animas, &c.* AVT VMBRAS INTER V. VOL.) *Virgil lib. 10. Æneid. Morte obita qualeis fama eſt volitare figuras, Aut quæ ſopitos deludūt ſomnia ſenſus.* NEVE ALIQ. NOSTRI POST MORT.) *Hæc erat Epicuri ſententia,*

mortem nihil ad nos pertinere. Nam quidquid bonum, & malum eſt, inquit, in ſenſu eſt. At mors, priuatio ſenſus eſt. Ex quo fit, vt hæc cognitio, & perceptio, nihil ad nos mortem pertinere, fructum vitæ dulcem, ac iucundum nobis reddat, non addẽs tempus infinitum, ſed immortalitatis cupiditatem demens. Nihil enim eſt in vita mali ei, qui cognouerit, & penitus comprehenderit, nihil eſſe in non viuendo mali. Itaque inanis eſt is, qui dicit, ſe mortem extimeſcere non eò quòd dolore afficiet, cùm aderit, ſed eò quòd dolorem afferat impendens, & futura. Nam quod adeſt, dolore non afficit: quod exſpectatur, in caſſum afficit. Quod igitur malorum omnium horribiliſſimum eſt, mors, nihil ad nos, quoniam cum quidem ſumus, tunc nõ adeſt: cum verò mors adeſt, tunc non ſumus. Neque igitur ad viuos, neque ad mortuos pertinet, quoniam illos quidem non attingit: hi autem eſſe deſierunt.

PEREMTA) *Feſtus, peremta, & interemta, pro interfectis poni ſolet à poëtis. Lucret. Cum corpus ſimul atque animi natura peremta eſt.*

IN SVA DISCESS. DED. PRIM.) *id eſt, in ſua primordia reſoluta ſint, & diſceſſerint. quod docuit lib 1. idémque approbat Eurip, ἱκετιδ. ὅθεν δ' ἕκαστον εἰς τὸ σῶμ' ἀφίκετο, Ἐνταῦθ' ἀπελθεῖν· πνεῦμα μὲν πρὸς αἰθέρα, Τὸ σῶμα δ' εἰς γῆν. οὔτι γὰρ κεκτήμεθα Ἡμέτερον αὐτό, πλὴν ἐνοικῆσαι βίον· Κἄπειτα τὴν θρέψασαν αὐτὸ δεῖ λαβεῖν. id eſt, vnde autem vnumquicque in corpus peruénit, eò diſceſſit. ſpiritus ad æthera, ſeu cælum, corpus ad terram. nihil enim noſtrum ipſorum poſſidemus, niſi vt vitam incolamus, tanquam inquilini. Deinde terram, quæ aluit, corpus capere oportet.*

Dico igitur, rerum effigias, tenueíſque figuras
Mittier ab rebus ſummo de corpore earum:
Quæ quaſi membrana, vel cortex nominitanda'ſt:
Quòd ſpeciem, ac formam ſimilem gerit eius imago,
Quoiuſcumque cluet de corpore fuſa vagari.
Id licet hinc quamuis hebeti cognoſcere corde.
Principiò, quoniam mittunt in rebus apertis
Corpora res multæ, partim diffuſa ſolutè,
Robora ceu fumum mittunt, ignéſque vaporem:
Et partim contexta magis, condenſáque, vt olim
Cùm veteres ponunt tunicas æſtate cicadæ,
Et vituli cùm membranas de corpore ſummo
Naſcentes mittunt, & item cùm lubrica ſerpens
Exuit in ſpinis veſtem. (nam ſæpe videmus
Illorum ſpoliis vepreis volitantibus auctas:)
Hæc quoniam fiunt, tenuis quoque debet imago
Ab rebus mitti ſummo de corpore earum.
Nam, cur illa cadant mágis, ab rebúſque recedant,
Quàm quæ tenuia ſunt, hiſcendi'ſt nulla poteſtas.
Præſertim cùm ſint in ſummis corpora rebus
Multa minuta, iaci quæ poſſint ordine eodem,
Quo fuerint, veterem & formæ ſeruare figuram:

Et multo citiùs,quanto minus indupediri
Pauca queunt,& ſunt in prima fronte locata.
Nam certè iaci,atque emergere multa videmus
Non ſolùm ex alto,penitúſque,vt diximus antè,
Verùm de ſummis ipſum quoque ſæpe colorem.
Et vulgò faciunt id lutea,ruſſáque vela,
Et ferrugina,cùm magnis intenta theatris
Per malos volgata,trabeíſque trementia flutant.
Namque ibi conſeſſum caueaï ſubter,& omnem
Scenaï ſpeciem patrum,matrúmque,Deorúmque
Inficiunt,cogúntque ſuo fluitare colore.
Et quanto circùm mage ſunt incluſa theatri
Mœnia,tam magis hæc intus perfuſa lepôre
Omnia conrident,conrepta luce diei.
Ergo lintea de ſummo cùm corpore fucum
Mittunt,effigias quoque debent mittere tenueis
Res quæque:ex ſummo quoniam iaculantur vtræque.
Sunt igitur iam formarum veſtigia certa,
Quæ volgò volitant,ſubtili prædita filo:
Nec ſingillatim poſſunt ſecreta videri.
Præterea omnis odos,fumus,vapor,atque aliæ res
Conſimiles,ideò diffuſæ è rebus abundant,
Ex alto quia dum veniunt intrinſecus ortæ,
Scinduntur per iter flexum,nec recta viarum
Oſtia ſunt,quà contendunt exire coortæ.
At contrà tenuis ſummi membrana coloris
Quom iacitur,nihil eſt,quod eam diſcerpere poſſit,
In promtu,quoniam'ſt in prima fronte locata.
Poſtremò in ſpeculis,in aqua,ſplendoréque in omni
Quæcunque appárent nobis ſimulacra,neceſſe'ſt,
Quandoquidem ſimili ſpecie ſunt prædita rerum,
Eſſe in imaginibus miſſis conſiſtere eorum.
Nam,cur illa cadant magis,ab rebúſque recedant
Corpora,res multæ quæ mittunt corpore aperto,
Quàm quæ tenuia ſunt,hiſcendi'ſt nulla poteſtas.
Sunt igitur tenues formarum,conſimiléſque
Effigiæ,ſingillatim quas cernere nemo
Cùm poſſit:tamen adſiduo,crebróque repulſu
Reiectæ,reddunt ſpeculorum ex æquore viſum:

Nec ratione alia ſeruari poſſe videntur
Tantopere, vt ſimiles reddantur quoique figuræ.

EFFIGIAS) *ſic habent lib. manuſcripti, Plaut. Rud. Proh dij immortales, Veneris effigia hæc quidem eſt.*

SVMMO DE CORPORE EARVM) *ſecutus ſum cod. Vaticanum. nam ceteri habent, ſummo de cortice: quam ſcripturam reieci, quia ferri non poteſt. eam tamen tuetur Zoilus, ne ſit ſui diſſimilis. Atqui ſe ipſa refellit. Nam quid ineptius, quàm ita loqui, effigias tenueis ab reb. mitti, de ſummo earum cortice: quæ effigiæ, ſunt nominandæ membrana, aut cortex? Adde quòd, ſummo de corpore, idem valet, quod, ἀπὸ τῆς ἐσχάτης ἐπιπολῆς. quibus verbis vtebatur Epicurus, quæ Latinè reddita, ſignificant, de extremo corporum libramento, ſeu de corporum extremitate, ſiue, vt vulgus loquitur, de ſuperficie.*

QVÆ QVASI MEMBRANA, VEL COR.) *profert hunc verſum Nonius Marcellus, vbi docet, nomen, cortex, interdum reperiri generis fœminei: & præterea illum Virgilianum in Sileno. Tum Phaëtontiadas muſco circundat amaræ Corticis. membrana autem, legitur apud Nonium, non membranæ; neque nos mouere debet ſyllaba vltima, na, breuis.*

ID LICET HINC) *hinc, id eſt ex iis, quæ deinceps dicturus ſum.*

PRINCIPIO QVONIAM) *primum argumentum, quo probat eſſe rerum imagines, eſt à ſimili. multæ res (inquit) mittunt ex ſe corpora quædam partim diffuſa, & tenuia, & rara, vt lignum in ignem coniectum mittit fumum: ignis vaporem, ſeu calorem: partim magis contexta, & ſpiſſa, vt cicadæ tunicas tenueis æſtate ponunt: ſic & imagines à rebus fluunt.*

IN REBVS APERTIS) *manifeſtis, & quæ ſunt in promtu.*

OLIM) *aliquando, ποτέ.* CVM VETERES) *al. Cùm tereteſ.*

ILLORVM SPOLIIS, &c.) *profert hunc verſum Nonius in voce, vepres, docens, eſſe & maſculini generis, vt apud Virgil. lib. 8. ſparſi rorabant ſanguine vepres: & fœminini, vt hîc: profert & in voce, ſpolia. Sed quæri poteſt, cur, cùm dixerit, lubricam ſerpentem exuere veſtem in ſpinis: ſubiungat, Illorum ſpoliis. videbatur enim dicere debuiſſe, Illius ſpoliis, aut certè mutato duntaxat numero, quod ſæpe fieri ſolet, Illarum, nempe ſerpentium lubricarum: niſi ita dicamus, illorum, nempe cicadarum, vitulorum, & ſerpentium.*

HISCENDI'ST NVLLA POT.) *magnã profectò gratiã debemus codici Bertiniano, & Memmiano: quorũ beneficio hic locus reſtitutus eſt. nam ceteri librĩ ſcripti nihil me iuuerũt, niſi quòd in eis legitur, partim, oſtendi'ſt, partim hoſtẽdi'ſt. vulgati autem, in quibus legitur, partim oſtendit, partim oſtendiſt, multo ſunt deprauatiores. Hæc igitur eſt recta ſcriptura, & germana Lucretiana, hiſcendi'ſt nulla poteſtas. quæ hoc ſignificat, nihil poſſe dici, nullámve cauſam afferri, quare illa, quæ cernuntur, nempe membranæ de vitulis naſcentibus: tunicæ de ſerpentibus, & cicadis: fumus de ligno, & ſimil. magis cadant & defluãt de rebus, quàm quæ ſunt pertenuia, & perſubtilia, vt imagines. ne hiſcere quidem licet: hyperbole.. Sic Plato lib. α. de legib. ἀφασία ἡμᾶς λαμβάνει: loquendi impotentia nos corripit: hiſcere non poſſumus. Hæc Zoilus non probauit. quid mirum? palato corrupto etiam quæ dulcia ſunt, amara videntur. Eſt autem hiſcere, os aperire, hiare. Cicer. Philipp. 3. reſpõdebíſne ad hæc, aut omnino hiſcere audebis? Arnob. lib. 1. aduerſ. Gent. Ipſa denique*

ſi animantia muta hiſcere potuiſſent, &c. Idem lib. 4. experiri volumus, & cupimus ſcire, an mutire, an hiſcere deorum in mentione poſſitis, an concipere eos mente, quos in animis veſtris nullius ſcripti informauerit notio. Ouidius metam. XIII. *Nec Telamoniades etiam nunc hiſcere quicquam Audet.*

VETEREM ET FORMÆ SERV. FIG.) *videtur hæc quidem ſcriptura integra & plana: ſed tamē libri ſcripti alij habent, Quo fuerint, & cum formæ ſeru. fig. alij, veterē formæ, &c. lacuna interiecta inter duas voces, veterem & formæ.* Vaticanus *neque habet vocem, veterē, neque ſolitam, quæ reperitur in vulgatis.* Memmian. *ſic. Quo fuerint & cum forma ſeruare figuram. Vnde mihi ſuſpicio iniecta eſt, hunc locum mendo non vacare, & vocem, ſolitam, eſſe adiectam, vt fortaſſe ſit ita legendum. Quo fuerint & conformem, ſeu potius, conſimilem ſeruare figuram.* Hîc Zoilus *ab ingenio ſuo non diſcedit. commemorat enim, quod à me eſt editum. quæ in ſcholiis notata ſunt, tacet, βασκαίνου [illegible]. legendum tădem cenſet, conformæ ſeru. fig. inepiiſſimè, ac mendoſiſſimè.*

NAM CERTE IACI, ATQVE EMERGERE MVLTA) *Cùm reperiſſem in codicibus manuſcriptis hūc verſum mire deprauatum, ſed ita, vt obſcura quædam apparérent ſcripturæ veteris veſtigia, ſic excudendum curaui. ſic autem habent cod.* Bertinian & Memmian. *Nam certè iacere, ac mergiri, &c. alij, Nam certe iacere ac cergiri, &c. (vulgati autem, Nam certe iacere & iaculari, &c.) ex quibus ſcripturis hanc feci: Nam certè iaci, atque emergere. Quòd ſi quis malet ita reponi, Nam iacier certè, atque emergere (ſeu emergi) multa videmus, non pugnabo. ſatis eſt mihi lectori ingenioſo ſcripturam veterem expoſuiſſe, vt ex ea verā eliciat.* Cùm *hæc iam ſcripſiſſem,* Adr. Turnebus, Aduerſariorum *lib. 7. cap* XII. *ſcripſit, ſibi videri legendum, Nam certe iácere, ac tergeri multa videmus &c. cui in eo, quòd tergeri, reſtituit, aſſenſus ſum in ſecunda editione. iácere, autem non probaui. eſt enim verbum actiuum, nec cum, tergeri, aut cum, emergere, coherere poteſt. tergeri, autem interpretor, eradi, excerpi. emergere tamen, non eſt fortaſſe reÿciendum, neque à ſcriptura antiqua admodum abhorret.* Iudicet lector. *Licet etiam fortaſſe legere. Nam detergeri, atque emergere, ſiue, atque emergi multa videmus, &c. Omnino enim, ne quid diſſimulem, aduerbium, certè, hîc me ſuboffendit. Quòd autē Zoilus noſter vult legi, Nam certe iacier ac tergeri, &c. dij male faciant iſti bellua, qui taleis numeros, ac taleis verſus adſcribat huic politiſſimo poëtæ.*

EX ALTO) *ex intimis, & penetralibus partibus, vt declarat vox penitus.*

DE SVMMIS) *de partibus extremis.*

ET VOLGO FACIVNT) *hoc eſt vnum de multis mathematicis poſtulatis, lucem per res quaſlibet coloratas permanantem, colorari. quod demonſtrari poteſt ſimilitudine liquidorum: quæ colorem contrahunt ex iis locis, per quæ fluunt.*

LVTEA) *lutei coloris, id eſt rubicundi, aut crocei.* Virgil. Alex. *Mollia luteola pingit vaccinia caltha. & apud eundem,* Aurora *lutea, & in* Pollione: *croceo luto, pro, croco luteo, vt vult* Seruius. *& apud* Horat. epod. *oda* 10. *Tibiq; pallor luteus. nam, lutum, priore longa eſt color luteus, quali colore eſt ouorum vitellus.*

RVSSAQVE) *ſic legendum, & ita habent codices manuſcripti. ruſſus color autem rubro finitimus eſt: à quo ruſſata factio nominata. & fortaſſe idem, qui rutilus.*

ET FERRVGINA) *ferruginea. ferrugo autem purpura eſt obſcurior, & propemodum nigra,* Hiſpana, *vt docet* Seruius *ad illum locum* Virgil. Georg. 1. *Cùm*

caput obſcura nigrum ferrugine texit. Cui ſimile eſt illud T. Petronij Arbitri. namq; ore cruēto, Deformis Titan vultus caligine texit. Sic autem legendū eſſe vidit Ioan. Paſſeratius. nam vulgò ſic legitur. Deformis titubans, &c. Idem Virgil. Georg. 4. & ferrugineos hyacinthos. idem Æneid. 11. Ille peregrina ferrugine clarus, & oſtro. Plaut. Mil. glor. Facito, vt venias ornatu huc nauclerico, cauſiam Habeas ferrugineam, culcitam ad oculos laneam: Palliolū habeas ferrugineum. nam is color thalaßicu' ſt. Feſtus porro, Ferrugineum, colorem (inquit) ferri ſimilem eſſe volunt. Verè autem ferrugineus color, cæruleus eſt. Cum Feſto cōgruit auctor vocabularij manuſcripti Latinograeci: in quo ita ſcriptum eſt, Ferrugineum. γλαῦκον, κυάνεον.

TREMENTIA FLVTANT.) Cùm olim ſecutus eſſem lectionē vulgatam, trementia pendent: hæc annotarā. non dubium eſt, quin in verbo, pendent, mendū ſubſit. nam librorum manuſcriptorum alij habent, trementia fluctus, alij trementia circum, alij trementia, deinde lacunam: in qua nihil eſt praeterea ſcriptum, neque pendent, neque circum, neque fluctus. codices Florēt autem, trabeiſque tenentia circum. de hoc igitur loco iudicet lector. nam mihi quidem aqua hæret. Nunc Turnebi coniectura, vt in malis, mihi non videtur reijcienda, vt flutant poſitum intelligamus pro fluitant, atque ita edidi.

CAVEAI) cauea hoc loco ſignificat totum illum locum, in quo ſedent ſpectatores. M. Tull. Catone. Vt Turpione Ambiuio magis delectatur, qui in prima cauea ſpectat: delectatur tamen etiam, qui in vltima.

SCENAI SPECIEM) ſic repoſui cùm reperiſſem in lib. manuſc. Scenali ſpeciem. nam vulg. habent, Scenalem ſp. INFICIVNT) quaſi tingunt ſuo colore.

ET QVANTO CIRCVM MAGE SVNT INCLVSA) ita vt nullus luci pateat aditus à lateribus.

CONRIDENT) tralatio vſitata ſcriptoribus, omnia ſimul renident, & lætitia diffundunt ſpectatorem: vel hilaritatē eiuſmodi præ ſe ferūt, vt ridere videātur.

CONREPTA LVCE DIEI) celeriter & raptim cōcepta, videlicet à parte ſuperna. ſic autem habent lib. manuſcr. non, vt vulgati, concepta.

ERGO LINTEA DE SVMMO CVM CORPORE,) id eſt, Ergo cùm lintea de ſummo corpore: id eſt, de ſua extremitate, fucū, id eſt colorem, mittāt, non debet mirum videri, ſi res quæque etiam imagines tenueis ex ſe mittant.

EFFIGIAS QVOQVE DEBENT) ſic habent lib. manuſcr. non, vt vulgati, effigies. TENVEIS) anapæſtus pro ſpondéo in ſexta ſede: vel tenueis hîc diſyllabum eſt. VESTIGIA CERTA) ſic lib. manuſcripti, & nonnulli vulgati. quidam item vulgati, vt Pariſ. veſtigia cæca.

SVBTILI PRÆD. FILO) ſubtili textura. tralatio eſt à tela, ſeu lino, aut lana, quæ digitis carpitur ac deducitur. Filum interdum eſt res quæque ad tenuitatem ducta: de qua voce ſuprà.

PRÆTEREA OMNIS ODOS.) Sic legit Nonius Marcellus, & ita habent nonnulli libri vet. vulgati verò, odor.

IDEO DIFFVSÆ E REBVS ABVND.) ideò hæ res diſperſæ effluunt è rebus, quia dum ex intimis rerum partibus oriuntur, ſcinduntur per vias flexas, ſiue flexuoſas, & tortuoſas: colores autem & imagines, quæ ex ſummis rerum corporibus fluunt, rectis viis egrediuntur, nec quicquam eſt, quod illa diſcerpere queat.

IN SPECVLIS) de ſpeculis infrà copioſè explicabit.

ESSE IN IMAGINIB.) miſerabilem in modum hic verſus laceratus, &

corruptus eſt in omnibus libris. Nam in manuſcriptis quidem ita legitur, Ex imaginibus miſſu conſ. eorum: planè mendoſe. nam quòd Zoilus hanc ſcripturam tuetur, cùm dicat eſſe choréum pro ſpondeo, ἐρρέτω ἐς κόρακας cum ſuis diſconuenientibus ac diſtortis pedibus, homo ingenio diſtorto, prauóque. in vtriſque Aldinis, Pariſienſib. & Lugdun. Eſſe in imaginibus miſſis conſiſtere eorum. in Florent. Eſſe & imaginibus, &c. Iouianus Pontanus ſic legebat: Hæc ab imaginibus, &c. Ego in tanta varietate mihi licere putaui, quod mihi potiſſimùm videretur, probare. Ita ſecutus ſum codices Venetos: cuius mei facti hanc rationem reddere poſſum, quòd ex hac ſcriptura, probabiliſſima & Epicuri opinioni maxime conſentanea ſententia elici poſſe mihi videtur, nempe hæc, eſſe, ſeu τὸ εἶναι, καὶ τὴν οὐσίαν: id eſt eſſentiam eorum ſimulacrorum, quæ nobis in aqua, & ſpeculis, & ceteris corporibus læuibus apparent, conſiſtere in imaginibus miſſis, id eſt, in iis imaginibus, quas dicimus è ſummo corpore rerum mitti: per quas cernimus, atque adeò cogitamus. Verùm hanc Epicuri opinionem non ſequuntur mathematici. dicunt enim illi, cùm ex omni lumine radij quidam rectis lineis & directò ad res oppoſitas producantur, tùm ex oculis noſtris, qui lumina quædam ſunt, etiam radios quoſdam ad eas res, quæ cernuntur, profluere: atque hanc eſſe cauſam viſus. Quòd autem ad loquendi genus attinet, ſic infrà eodem libro, Præterea meminiſſe iacet, languétque ſopore. Perſpicue ibi poſitum eſt, meminiſſe, pro memoria, vt Græci dicunt, τὸ μεμνῆσθαι, pro nomine μνήμη. ſic Plautus Bacchidib. hic vereri perdidit. vereri, id eſt, verecũdiam, ſeu pudorem. Idem in Curculione, non longè à principio, Ita tuum conferto amare ſemper, ſi ſapis, Ne id, quod ames, populus ſi ſciat, tibi ſit probro. tuum amare, id eſt, tuum amorem.

RES MVLTÆ) *ſic legendum, non res multas. Eſt enim hic ordo. Nam cur ea corpora potius cadant, atque ab rebus recedant, quæ corpora multæ res abs ſe mittunt corpore aperto prædita, quàm corpora tenuia, dici non poteſt. ſed non diſſimulabo, hunc verſum, Corpora res multæ, &c. abeſſe à codice Bertiniano. Quem verſum poſtea non delendum cenſuit Zoilus, ſed planè deleuit, cùm tamen eius ſententia non ſit abſurda, ſed cùm Lucretij ſenſu, & totius loci ſententia conſentanea. Si quem autem ego verſum ineptum, & Lucretio indignum, delendum cenſeo, dirumpitur, conuiciatur, obgannit, atque oblatrat. Tantum ſibi licentiæ ſumit barbarus.* TENVES FORMARVM, CONSIMILESQVE) *ſic legendum, non diſſimiléſque. atque hanc meam coniecturam Zoilus ſecutus eſt, tacitus & diſſimulans, ſuo more.*

ADSIDVO, CREBROQVE REPVLSV REIECTÆ) *ſingulæ enim imagines, quæ in ſpeculis cernuntur, ex ſententia Epicuri, non ſunt vnæ: ſed multæ, perpetuo repulſu multarum imaginum à nobis in ſpecula breui tempore defluentium ita continuatæ, vt, quæ ſunt plures, vna videantur.*

SPECVLORVM EX ÆQVORE) *ex æquabilitate, & læuore ſpeculorum.*

Nunc age, quàm tenui natura conſtet imago,
Percipe: & in primis quoniam primordia tantùm
Sunt infra noſtros ſenſus, tantóque minora,
Quàm quæ primùm oculi cœptant non poſſe tueri.
Nunc tamen id quoque vti confirmem, exordia rerum

Cunctarum quàm ſint ſubtilia, percipe paucis.
Primùm animalia ſunt iam partim tantula, eorum
Tertia pars nulla vt poſſit ratione videri.
Horum inteſtinum quoduis quale eſſe putandum'ſt?
Quid? cordis globus aut oculi: quid? membra: quid? artus:
Quantula ſunt? quid? præterea primordia quæque,
Vnde anima, atque animi conſtet natura neceſſum'ſt,
Nónne vides, quàm ſint ſubtilia, quámque minuta?
Præterea, quæcumque ſuo de corpore odorem
Exſpirant acrem, panaces, abſinthia tætra,
Abrotoníque graues, & triſtia centauréa:
Horum vnumquodūis leuiter ſi fortè ciebis,
Quamprimùm noſcas rerum ſimulacra vagare
Multa modis multis, nulla vi, caſſáque ſenſu.
Quorum quantula pars ſit imago, dicere nemo'ſt
Qui poſſit, neque eam rationem reddere dictis.
Sed ne forte putes ea demum ſola vagare,
Quæcumque ab rebus rerum ſimulacra recedunt:
Sunt etiam, quæ ſponte ſua gignuntur, & ipſa
Conſtituuntur in hoc cælo, qui dicitur aër:
Quæ multis formata modis ſublime feruntur,
Nec ſpeciem mutare ſuam liquentia ceſſant:
Et quoiuſquemodi formarum vertere in ora.
Vt nubeis facile interdum concreſcere in alto
Cernimus, & mundi ſpeciem violare ſerenam,
Aëra mulcenteis motu. nam ſæpe gigantum
Ora volare videntur, & vmbram ducere latè:
Interdum magni montes, auolſáque ſaxa
Montibus anteire, & ſolem ſuccedere præter:
Inde alios trahere, atque inducere bellua nimbos.

NVNC AGE QVAM TENVI) *nunc incipit docere, imagines eſſe tenuiſsima natura præditas, idque à ſimilitudine primorum corporum. Sic Laërtius.* εἶτ' ὅτι τὰ εἴδωλα ταῖς λεπτότησιν ἀνυπερβλήτοις κέχρηται, οὐδὲν ἀντιμαρτυρεῖ τῶν φαινομένων, *id eſt, Deinde imagines tenuitatibus inexſuperabilibus conſtare, nihil eorum, quæ ſunt in promtu refellit.* TANTVM SVNT INFRA SENS. N.) *id eſt, tanto ſunt à noſtris ſenſibus remotiora, &c. vel, vt poſtea videtur ipſe interpretari, tanto ſunt minora, &c. Vide quæ adnotauimus ad illum verſum lib. 3. Nec magis hac infrà quicquam eſt in corpore noſtro.*

QVID? PRÆTEREA) *Aliud argumentum, à ſimili, quo docet, imagines eſſe tenuiſsima natura præditas, & ſubtiliſsimo, vt ita dicam, filo contextas. Eſt autē*

tale. Quid? primordia, ex quibus conſtat anima, ſunt ſubtiliſſima, longéque ſubtiliora, quàm ea, ex quibus corpus humanum conflatum eſt, vt expoſitum eſt lib. 3. Non debet igitur cuiquam eſſe incredibile, fluere à rebus omnibus imagines, quas dicamus eſſe natura tenuiſſima, & ſubtiliſſima præditas.

HORVM INTESTINVM QVODVIS, &c.) hunc verſum profert Nonius in voce, inteſtinum, ſed mendoſè. adde quòd veteres codices diſſentiunt à vulgatis. Sic enim in illis legitur: Harum inteſtinum quo quis volet eſſe putandum. quam iccirco propoſui, vt conſideret lector, ecquid ex ea boni trahi poſſit. Dicam nihilominus quod ſentio. ſcriptura recepta mihi videtur integra. nã illud, quo quis, quod eſt apud Nonium, deprauatum eſt, ex recto, quoduis: & p. illud eſt d. inuerſum. volet, quoque corruptum eſt, & peruerſum ex, quale.

ODOREM EXSPIRANT) ſic ſæpe loquitur, vt verbo exſpirandi, quartum caſum tribuat, ſuprà lib. 3. Vnde cadauera rancenti iam viſcere vermeis Exſpirant? ABSINTHIA TÆTRA) ſuprà lib. 1. Sed veluti pueris abſinthia tætra medentes Cùm dare conantur, &c. PANACES) panaceam vocat Virgil. lib. 12. Æneid. Ambroſiæ ſuccos, & odoriferam panacéam. à nonnullis Heracléum nominari ſcribit Dioſcorides lib. 3. cap. 55. ipſo nomine omnium morborum remedium promittit, inquit Plin. lib. 25. c. 4.

LEVITER SI FORTE CIEBIS) cùm in quinque libr. manuſcriptis reperiſſem ſcriptum, ſi forte duobus: quia ciebis, propius abeſſe ab antiqua ſcriptura mihi videbatur, quàm, mouebis, quod eſt in vulgatis, ita excudendum curaui.

SVBLIME FERVNTVR) vltima ſyllaba vocis, ſublimè, ſemper corripitur à bonis ſcriptoribus. Iam verò ordinem horum decem verſuum fœdè perturbatum, reſtitui. AERA MVLCENTEIS MOTV: NAM, &c.) ſic reſtitui ex auctoritate duorum librorum manuſcriptorum: quibuſcum cõſentit Memmianus: alij duo habent, Aëra mulcẽtes motum. quam ſcripturam non damno. Vulgati autem, Aëra mulcenteis, magnorum ſæpe gigãtum, &c. quam lectionem reieci. Porrò autem fortaſſe etiam legere licet, Aëra mulcantes motu. quod Simeoni Boſio videbatur, hac maxime ratione, quòd paullo antè dixerit, & mundi ſpeciem violare ſerenam. mulcare autẽ, verberare, & pæne mutilare eſt, vt oſtendimus in commentariis ad Æmilium Probum, ſeu Cornelium Nepotem, de vita clarorum Græciæ imperatorum, indicauitque huius verbi vſum prior Petr. Victorius, in notis ad Cic. epiſtolas. reperi etiam in vocabulario Latinogræco huic verbo hanc interpretationem Græcam ſubiunctam, mulcauit, ᾐκίσατο. αἰκίζειν autem, ſiue αἰκίζεσθαι eſt indecoris verberibus afficere, fœdè verberare, fœdare.

INTERDVM MAGNI MONTES) ſic habent quattuor lib. manuſcripti: Memm. autem, Interdum montes magni. ordo eſt: interdum magni montes, & ſaxa montibus auulſa videntur anteire, & præter ſolem ſuccedere: id eſt ſurſum ire & ſubtre vltra ſolem, vel potius ante ſolem, & è regione ſolis. præter, enim, interdum idem valet, quod, antè. ſic orat. in Verr. frumentar. Apronius interea pocula & cenam poſcebat. ſerui autem eius, qui & moribus iiſdem eſſent, quibus dominus, & eodem genere ac loco nati, præter oculos Lollij hæc omnia ferebant. præter oculos Lollij, id eſt ante oculos Lollij, inquit Non. ſic & Varro Eumen. præter matris Deûm ædem exaudio cymbalorum ſonitum. Quòd autem Zoilus legit, montes magni, auolſáque ſaxa, quia (inquit) Lucretio placet hiatus, conſideret lector hominis confidentiam ſingularem pari ſtultitia, & ignorantia coniunctam.

INDE ALIOS TRAH. ATQVE IND. BELL. NIMBOS) *ſic habent quinque lib. manuſcripti, ne quis forte contendat legendum, nubila, vt eſt in vulgatis. Et videtur, inquit, bellua trahere, & inducere alios nimbos. quidam tamen hanc ſcripturam modicè emendantes, legunt, Inde aliàs trahere, &c.*

Nunc ea quàm facili, & celeri ratione genantur,
Perpetuóque fluant ab rebus, lapſáque cedant.
Semper enim ſummum quidquid de rebus abundat,
Quod iaculentur: & hoc alias cùm péruenit in res,
Tranſit, vt in primis veſtem: ſed in aſpera ſaxa,
Aut in materiem vt ligni peruênit: ibi iam
Scinditur, vt nullum ſimulacrum reddere poſſit.
At cùm, ſplendida quæ conſtant, oppoſta fuerunt,
Denſáque, vt in primis, ſpeculum'ſt: nihil áccidit horum.
Nam neque vti veſtem, poſſunt tranſire, neque antè
Scindi, quàm meminit læuor præſtare ſalutem.
Quapropter fit, vt hinc nobis ſimulacra genantur.
Et quamuis ſubitò, quouis in tempore, quamque
Rem contra ſpeculum ponas, appáret imago:
Perpetuò fluere vt noſcas è corpore ſummo
Texturas rerum tenueis, tenueiſque figuras.
Ergo multa breui ſpatio ſimulacra genuntur,
Vt meritò celer his rebus dicatur origo.
Et quaſi multa breui ſpatio ſummittere debet
Lumina ſol, vt perpetuò ſint omnia plena:
Sic à rebus item ſimili ratione neceſſe'ſt
Temporis in puncto rerum ſimulacra ferantur
Multa modis multis in cunctas vndique parteis.
Quandoquidem ſpeculum queiſcumque obuertimus oris,
Res ibi reſpondent ſimili forma, atque colore.
Præterea modò quom fuerit liquidiſsima cæli
Tempeſtas, perquàm ſubitò fit turbida fœdè
Vndique, vti tenebras omneis Acherunta rearis
Liquiſſe, & magnas cæli compleſſe cauernas.
Vſqueadeò tætra nimborum nocte coorta,
Impendent atræ formidinis ora ſupernè.
Quorum quantula pars ſit imago, dicere nemo'ſt,
Qui poſsit, neque eam rationem reddere dictis.

NVNC EA QVAM FACILI, ET CEL. RAT. GENANTVR) *Nunc incipit docere, quàm facile & celeriter gignãtur imagines: quã de re ſic apud Laërtium.*

Laërtium. ἡ γένεσις τῶν εἰδώλων ἅμα τῷ νοήματι συμβαίνει. καὶ γὰρ ῥεῦσις ἀπὸ τῆς σωμάτων ἐπιπολῆς συνεχὴς, ἡ μειώσει διὰ τὴν ἀναπλήρωσιν σώζουσα τὴν ἐπὶ τοῦ στερεμνίου, θέσιν, καὶ τάξιν τῶν ἀτόμων ἐπὶ πολὺν χρόνον, εἰ καὶ ἐνίοτε συγχεομένη, ὑπάρχει. id eſt, ortus imaginũ celeritate cogitationem æquat. Fluxus eſt enim ab extremitate corporum, continuatione, aut diminutione per ſuppletionem diu conſeruans ſitum, & ordinem corpuſculorum primorũ in ſolido, &c. GENANTVR) gignantur. ſic ſine dubio hîc legendum, reclamantibus omnibus codicibus. gerantur autem, quod retinet homo βάσκανος, ferri non poteſt neque hîc, neque infrà aliquot locis. ſic ſuprà paullo antè locutus eſt. Sunt etiam, quæ ſponte ſua gignuntur, &c. & verba Laërtij meam ſententiam confirmant, ἡ γένεσις τῶν εἰδώλων, &c. & alter Lucretij verſus infrà, celer his rebus dicatur origo. nam origo quid aliud eſt, quàm γένεσις? Deſinant igitur oblatrare barbari, & priuſquàm reprehendant, diſcant, neque ſe plumis alienis ornent. SVMMVM QVIDQVID) id eſt ſummum quidque, vt ſæpe aliàs.

DE REBVS ABVNDAT) de rebus fluit.

ALIAS CVM PERVENIT IN RES) hoc dicit. cùm ſimulacrum peruenit in res nullo ſplendore, nullóque læuore præditas: aut eæ res ſunt tenues, aut denſæ: ſi tenues, tranſit: ſin denſæ, ſcinditur.

VESTEM) veſtem aliquam tenuiſſimam intellige, vt Coam.

AT CVM SPLENDIDA) duo ſunt omnium fere conſenſu neceſſaria ad ſpeculorum naturam, nempe corporis læuitas, ſeu læuor, qui numquã eſt ſine ſplendore: alterum eſt, denſitas nam ſi corpus ſit læue quidem & ſplendidum, ſed ita tenue, vt ſimulacrum à re fluens tranſeat: non erit ſpeculum, neque reddet imagines. Quo magis miror, Platonem in Timæo, vbi de ſpeculis diſputat, & cauſas imaginum, quæ à ſpeculis redduntur, affert, denſitatem omiſiſſe, cùm ſplendorem, & læuitatem poſuiſſet. ſic enim ille: τὸ δὲ περὶ τὴν τῶν κατόπτρων εἰδωλοποιίαν, καὶ πάντα, ὅσα ἐμφανῆ, καὶ λεῖα, κατιδεῖν οὐδὲν ἔτι χαλεπόν. Ἐκ γὰρ τῆς ἐκτὸς, ἐντός τε τοῦ πυρὸς ἑκατέρου κοινωνίας ἀλλήλοις, ἑνός τε αὖ περὶ τὴν λειότητα ἑκάστοτε γενομένου, καὶ πολλαχῇ μεταρρυθμισθέντος, πάντα τὰ τοιαῦτα ἐξ ἀνάγκης ἐμφαίνεται, τοῦ περὶ τὸ πρόσωπον, τῷ περὶ τὴν ὄψιν πυρὶ περὶ τὸ λεῖον καὶ λαμπρὸν συμπαγοῦς γινομένου: id eſt, Quamobrem autem ſpecula, & quæ ſunt ſplendida, læuiáque adſpectu, reddãt imagines, non eſt difficile etiam cognoſcere. Nam ex ignis externi, & interni inter ſe communicatione, qui aſſidue, & continenter in læuore fit vnus, & ſæpenumero ad eum applicatur, atque accommodatur, tales imagines neceſſariò repræſentantur, cùm is ignis, qui ori & faciei circundatus eſt, ſeſe cum eo igne, qui oculis offuſus eſt, in corpore ſplẽdido & læui coniunxit, & confudit. Cùm ſint autem duæ de ratione ſpeculorum, id eſt, quamobrem ſpecula reddant, & repræſentent imagines, ſentẽtiæ: (alij enim dicunt corporum, quæ ſpeculo oppoſita ſunt, imagines, cerni in ſpeculo, non quòd ipſæ imagines, quæ cernũtur, ſint in ſpeculo, ſed quòd ipſa oculorum acies in ſpeculum per rectam lineam proiecta, in ſeipſam à ſpeculo per aliam rectam lineam reflectatur: alij ſimulacra ipſa cerni putant à noſtris corporibus miſſa & profuſa in corpus læue, & ſplendidum, & denſum:) horum ſententiam ſequitur Epicurus: Pythagorei & mathematici alteram probant. NIHIL ACCIDIT HORVM) neque imago ſcinditur, neque tranſit. quidam libri tamen habent, nihil óccidit horum.

VT HINC SIMVLACRA GENANTVR) i. gignãtur. In quibuſdam libris & manuſcriptis & impreſſis legitur, redundent. in nonnullis, reſultent. quæ verba puto eſſe ſubdita ab iis, qui videbant verbum, gerantur, huic loco conuenire

non poſſe. ET QVAMVIS SVBITO) *& quantumuis ſubitò.*

PERPETVO FLVERE VT NOSCAS) *quamcumque rem ſpeculo oppoſueris, eius rei quantumuis ſubitò imago appâret. ex quo intelligere licet, tenueis rerum quaſi membranas, & texturas è ſummu rerum corporibus perpetuò & continenter, & indeſinenter fluere. Vnde efficitur quod antè dixi, & Plato probat, imaginem, quæ in ſpeculo cernitur, non eſſe vnum quiddam ſtabile & certum, & idem: ſed alias, atque alias eſſe imagines alteram in alterius locum deinceps, & ſine vlla interruptione ſuccedenteis: quod probat & Lucretius à ſimilitudine luminum & radiorũ ſolis.* VT MERITO CELER HIS) *nomen, celer, hîc fæminini generis eſt, vt ſit, hic, & hæc, & hoc celer ſic autẽ legitur in lib. manuſcriptis: & ita legebat Auancius.* HIS REBVS) *his texturis rerum, id eſt imaginibus.* ORIGO) φύσις. *Itaque rectè, & meritò dicuntur gigni imagines, ſeu geni, non geri, vt volunt Thraſones.* ET QVASI) *Cùm lib. manuſcripti haberent, Et quaſi multa, &c. idque lectori indicare olim ſatis habuiſſem: vulgati autem, Et ceu: ego coniectura ductus, quòd quaſi, pro quemadmodum, videretur eſſe minus vſitatum, in prima editione repoſueram, Atque vt: in ſecunda verò mutaui factum, & libros veteres ſecutus, excudendum curaui, Et quaſi. quod item & nunc teneo. Et quaſi, autem, id eſt, Et quemadmodũ. Sic lib. 3. Et quaſi cùm caput, atque oculus, tentante dolore, Læditur in nobis, &c.*

QVEISCVMQVE OBVERTIMVS ORIS, RES IBI) *cùm in duobus cod. manuſcr. Bertin. & Memm. ſcriptũ reperiſſem: quocumq; obuertimus oris, curaui excudẽdum, quiſcũq; obuertimus oris: id eſt, quibuſcũq; regionibus obuertimus. Vaticanus porro habet, quocũq; obuertimus, illuc Res tibi reſpondent, &c. nẽpe, ſpeculum. Adr. Turnebus hanc ſcripturam antiquã: quocumque obuertimus oris, paullùm immutatam, tuetur, nempe ex ea faciens, quoicumq; obuertimus æris: eámque ſic explicat, cuicumque æru, id eſt, cuicũque ſpeculi parti obuertimus, &c non placet. Alij ſcripturã cod. Vaticani retinent. ego, ſi quid ſit mutandũ, ſic malim legi, quoicũque obuertimus oræ, vel quã-umq; obuertimus orã: pro, ob quãcumq; vertimus orã.* PRÆTEREA) *aliud ſimile.* TEMPESTAS) *tẽpeſtas, nomen eſt* μέσον, *id eſt medium. ſic enim loquuntur Latini, tẽpeſtas liquida, idonea, bona, egregia: & contrà, turbida, aduerſa, mala. Varro lib. 6. de ling. Lat. in XII. tabulis. ſolu occaſus, diei ſuprema tempeſtas eſto.* ACHERVNTA REARIS) *ſic habet codex Vatic. Bertin. & Memm. alij, reamur: nonnulli, Acherunte relicto, planè mendoſe. Iteratur autem hic verſus cum tribus deinceps ſequentib. lib. 6.*

CÆLI COMPLESSE CAVERNAS) *ſic Varro Marcipore, apud Nonium. Nubes aquaï frigido velo lenes Cæli cauernas aureas ſubduxerant. & M. Tull. in Arato. Dicitur & latè cæli luſtrare cauernas. Ennius, cæli ingentes fornices.*

QVORVM QVANTVLA) *quidam docti exiſtimant, hunc verſum cum eo, qui deinceps ſequitur, alieno loco eſſe inculcatos, cùm ſuprà ſuo poſiti fuerint. ego eos ſcriptos reperi in quattuor codicib. manuſcrip. & excuſis omnibus. neque continuò, ſi ſuprà poſiti ſunt, hinc ſunt expungendi.* DICERE N. ST. QVI POSS.) *Idem dicit, quod ſuprà, hiſcendi'ſt nulla poteſtas.*

Nunc age, quàm celeri motu ſimulacra ferantur,
Et quæ mobilitas ollis tranantibus auras
Reddita ſit, longo vt ſpatio breuis hora teratur,

In quemcumque locum diuerſo numine tendunt,
Suauidicis potius,quàm multis verſibus edam:
Paruus vt eſt cycni melior canor,ille gruum quàm
Clamor,in ætheriis diſperſus nubibus Auſtri.
Principiò perſæpe leueis res,atque minutis
Corporibus factas,celereis licet eſſe videre.
In quo iam genere'ſt ſolis lux,& vapor eius,
Propterea quia ſunt è primis facta minutis:
Quæ quaſi truduntur,pérque aëris interuallum
Non dubitant tranſire,ſequenti cóncita plaga.
Suppeditatur enim confeſtim lumine lumen,
Et quaſi protelo ſtimulatur fulgure fulgur.
Quapropter ſimulacra pari ratione neceſſe'ſt
Immemorabile per ſpatium tranſcurrere poſſe
Temporis in puncto:primùm quòd paruola cauſa
Eſt,procul à tergo quæ prouehat,atque propellat:
Deinde,quòd vſqueadeò textura prædita rara
Mittuntur,facilè vt quaſuis penetrare queant res,
Et quaſi permanare per aëris interuallum.
Præterea,ſi,quæ penitus corpuſcula rerum
Ex alto in terras mittuntur,ſolis vti lux,
Ac vapor,hæc puncto cernuntur lapſa diei
Per totum cæli ſpatium diffundere ſeſe:
Pérque volare mare,ac terras,cælúmque rigare,
Quod ſuperà'ſt:vbi tam volucri hæc leuitate feruntur:
Quid?quæ ſunt igitur iam prima in fronte parata,
Cùm iaciuntur,& emiſſum res nulla moratur,
Nónne vides citius debere,& longius ire:
Multipléxque loci ſpatium tranſcurrere eodem
Tempore,quo ſolis peruolgant lumina cælum?

NVNC AGE QVA'M CELERI) *nunc de motus imaginum celeritate incipit explicare. Qua de re & Diog. Laërtius pluribus verbis. Sed de multis hæc pauca adſcribam.* Καὶ μὴν καὶ ἡ διὰ τοῦ κενοῦ φορὰ κατὰ μηδεμίαν ἀπάντησιν τῶν ἀντικοψάντων γινομένη, πᾶν μῆκος περιληπτὸν ἐν ἀπερινοήτῳ χρόνῳ συντελεῖ, *id eſt, Porrò autem motus (imaginum) qui fit per inane, nulla re, quæ earum, dum feruntur, impetum remoretur, ac retardet, occurrente, longitudinem omnem, quæ comprehendi poteſt, in tempore, quod cogitatione comprehendi non poteſt, peragrat. Animaduertat autem lector, hoc loco Lucretium vti verbo, feruntur, vbi de motu, & celeritate imaginum ſermo habetur. ſuprà autem, vbi de ortu earumdē loquitur, verbū gignendi, & genendi, vſurpaſſe: ibique verbum gerendi, quod Zoilus pro ferendi, verbo poſitum eſſe contendit, nullo modo conuenire poſſe.*

REDDITA SIT) *id eſt, attributa ſit, vt ſuprà iam non ſemel. & multis verbis, multiſque exemplis docuimus.*

VT BREVIS HORA TERATVR) *ſic legendum cenſeo, ſecutus tamen nonnullos libros typis excuſos. ſignificat autem Lucretius, ſimulacra eſſe mobiliſſima, & celerrime ferri, quia breuiſſimo tempore longum ſpatium peragrant. hoc enim ſignificant hæc verba, longo vt ſpatio breuis hora teratur: vt breue ſpatium temporis, longo loci ſpatio conteratur. Et verò Ariſtoteles lib. 4. phyſic. celere ſic definit, quod breui tempore, longum ſpatium percurrit: tardum, quod longo tempore breue ſpatium permetitur.*

IN QVEMCVMQVE LOCVM DIV. NVMINE TENDVNT) *ſic habet cod. Vaticanus, niſi quòd habet, tendit: planè mendoſè: tendunt enim legendum, cùm ſubintelligatur vox numeri multitudinis, ſimulacra. Præterea codex Bertinianus, & Memm. habent: In quem quæque locum. diuerſo numine, autem, id eſt diuerſo nutu. quidam tamen legi volunt, diuerſo momine, vt habent nonnulli libri vulgati: id eſt diuerſo motu.* PARVVS VT EST CYCNI MELIOR) *ſic ſuprà initio libri 3. dicit non eſſe, quòd hirundo contendat cum cycnis. Sed cum hoc loco maxime congruit illud Antipatri in Erinnam lib. 3. epigrãm.* Λωίτερος κύκνου μικρὸς θρόος, ἠὲ κολοιῶν Κρωγμὸς, ἐν εἰαριναῖς κιδνάμενος νεφέλαις: *id eſt Paruus cycnorum melior cantus, ſtrepitus quàm Graccorum nebulis ſparſus in ætheriis.*

ÆTHERIIS) *quidam libri habent, ætherij.*

SOLIS LVX) *Nam etiam mathematici docent, lumen non impeditum, per totum id ſpatium, quod ei ex proportione reſpondeat, puncto temporis, & tempore, quod ſenſum effugit, diffundi.* ET VAPOR EIVS) *& calor eius.*

E PRIMIS) *è primordiis, ſeu principiis. ſic lib. 2. Nec quicquam commutari ſine conciliatu primorum. vbi tamen legendum videtur potius, ſine conciliatu principiûm, & propius accedit ad ſcripturam receptam: vide quæ ad illum locum adnotauimus.* QVÆ QVASI TRVDVNTVR) *ſic habet cod. Scipionis Tertij, & item cod. Faërni. ceteri, Quæ quaſi cuduntur.*

NON DVBITANT) *ſic locutus eſt lib. 6. A pedibúſque minutatim ſuccedere frigus Non dubitabat.* PROTELO) *impulſu producto. perpetuo, & continuo, vt ſup. diximus.* FVLGVRE FVLGVR) *id eſt fulgore fulgor. Fulgor enim & fulgur pro eodem vſurpantur à Lucretio, & nonnullis aliis.*

IMMEMORABILE) ἀδιήγητον, καὶ ἀμύθητον, *& ita, immenſum.*

QVOD PARVOLA CAVSA EST, PROCVL A TERGO) *ſic edi iuſſeram iam in prima editione: quod intelligere licet ex annotatione iam olim adſcripta ad locũ illum, vbi tam volucri, infrà. Neque eſt quòd quemquam ſecunda editio, quæ hoc loco cum prima congruit, moueat. Nam ſæpe, & multis locis me inſcio, & imprudente typographus primam ſecutus eſt, cùm iuſſiſſem mutari.*

PRÆTEREA, SI, QVÆ PENITVS, &c.) *Præterea, ſi ea, quæ ex alto, & ex intimis rerum partibus mittuntur, puncto temporis per immenſum ſpatium ſeſe diffundunt, tantáque leuitate feruntur: quanto celerius moueri, quantoq; longius interuallum tranſcurrere credibile eſt ea, quæ è ſummis corporibus mittuntur, & quæ ſunt in prima fronte, atque in promtu poſita, nempe imagines?*

QVOD SVPERA'ST) *cælum, quod eſt ſuprà.*

VBI TAM VOLVCRI) *propterea quòd multa interpoſuerat, ab illo loco, ſi quæ penitus, &c. vt ſuccurrat memoriæ lectoris, ſubiungit quaſi de integro,*

vbi hæc, id eſt quãdoquidem hæc, &c. non diſsimulabo tamen hunc verſum abeſſe hoc loco à quibuſdam lib. manuſcr. & poſitum eſſe ſuprà poſt verſum, Eſt, procul à tergo, &c. Ex quo ſuſpicatus aliquando ſum, eum non eſſe Lucretianum.

QVID? QVÆ SVNT IGITVR IAM PRIMA IN FR.) *ſic habebant aliquot libri veteres, & recentiores. alij, tam prima fr. alij, in prima fr. Ego ſic legendum puto, Quid quæ ſunt igitur iam prima infr. loc.*

ET EMISSVM) *Mutat numerum. Debuerat enim dicere, ſi numerum priorem ſequi vellet, & emiſſa. nempe illa, quæ ſunt prima in fronte locata, &c.*

MVLTIPLEXQVE LOCI SPAT.) *nihil muto, quamuis Vaticanus codex habeat, Multiplicisque loci ſpat. & item Bertinianus: quamuis eos, qui alteram lectionem probant, non reprehendam.*

Hoc etiam in primis ſpecimen verum eſſe videtur,
Quàm celeri motu rerum ſimulacra ferantur,
Quòd ſimul ac primùm ſub diuo ſplendor aquaï
Ponitur: extemplò, cælo ſtellante, ſerena
Sidera reſpondent in aqua radiantia mundi.
Iámne vides igitur, quàm puncto tempore imago
AEtheris ex oris ad terrarum áccidat oras?
Quare etiam atque etiam mitti hæc fateare neceſſe'ſt.
Corpora, quæ feriant oculos, viſúmque laceſſant:
Perpetuóque fluunt certis ab rebus odores:
Frigus vt à fluuiis, calor à ſole, æſtus ab vndis
AEquoris, exeſor mœrorum litora circum.
Nec variæ ceſſant voces volitare per auras:
Denique in os ſalſi venit humor ſæpe ſaporis,
Cùm mare verſamur propter: dilutáque contrà
Cùm tuimur miſceri abſinthia, tangit amaror.
Vſque adeò omnibus ab rebus res quæque fluenter
Fertur: & in cunctas dimittitur vndique parteis.
Nec mora, nec requies inter datur vlla fluendi:
Perpetuò quoniam ſentimus, & omnia ſemper
Cernere, odorari licet, & ſentire ſonorem.

SPECIMEN VERVM) *indicium, & quaſi argumentum certum. ſic autem legitur in quattuor libr. manuſcriptis, quo modo & in pleriſque vulg. in vno manuſcr. & item in impreſſo Pariſ. ſpecimen veri. de qua ſcriptura iudicet lector.*

QVOD SIMVL AC PRIMVM) *hoc ſpecimen & argumentum eſt, quàm celeriter ferantur imagines.*

QVAM PVNCTO TEMPORE) *id eſt quàm breui tempore.*

AD TERRARVM ACCIDAT ORAS?) *Sic habent quinque libri manuſcr niſi quòd Vaticanus habet, accidit: & itẽ Pariſienſes. ceteri vulgati, incidat. ego puto legendum, accidat. & ita paucis pòſt verſibus hic idem ſcriptor loquitur.*

QVARE ETIAM ATQVE ETIAM MITTI) *ſic reſtitui coniectu-*

ra ductus, cùm in codicibus manuſcript. reperiſſem ſcriptum, mira: in aliis, minima: quod vtrũque ſcilicet deprauatum eſt ex antiqua & vera ſcriptura, mitti. nam ex mitti, factum eſt, mini: deinde nunc, minima, nunc, mira. Meam coniecturã adiuuat verſus ille, qui eſt lib 6. Perpetuo fluere, ac mitti, ſpargique neceſſe eſt Corpora, *&c.*

PERPETVOQVE FL. CERT. AB R. ODORES) *ſecutus eram initiò codices Florent typis excuſos, qui habent, certis ab rebus obortu. nam ceteri omnes & manuſcr. & typis impreſsi habent, certis ab rebus odores. idque olim indicaram in commentariis: ſed hanc ſcripturam mendoſam eſſe exiſtimaram, Marullum ſecutus, qui hoc. obortu. ſubſtituerat. Nunc ſententia mutata, odores, probo. ſed primum. fluunt, lego, non fluant: deinde exiſtimo, totum hunc locum hoc ordine eſſe legendum, viſũmque laceſſant. Frigus vt à fluu. &c. Æquoris, exeſor mærorũ, &c. Perpetuóque flu cert. ab reb odores. Nec variæ ceſs. &c. Si quis autem lectionem Florentinam forte probabit, certis ab rebus obortu: quam & Donatus Ianotius Florentinus amplectebatur, ego autem nunc minus probo: vox, obortu, coniungẽda erit cum adiect. Perpetuo, vt ſit, Perpetuóque obortu, id eſt, & perpetua agnatione, atq; acceſsione. oboriri enim idem valet, quod adnaſci, vt docet Feſtus. nam præpoſitionem, ob, ſolitam eſſe vſurpari pro, ad, teſtis eſt hic verſus (inquit ille) Tantum gaudium oboriri ex tumultu maximo: & hic Ennianus,* Ob Romam noctu legiones *ducere cœpit. ſuperior autem verſus cum duodecim deinceps ſequentibus iteratur lib. 6.* ÆSTVS) *commotio, vel impetus maris. & ita Nonius, qui hunc verſum profert. aliàs apud hunc eundem ſcriptorem, calorem ſignificat, vt lib. 1. At neque quo pacto perſederit humor aquai Viſum'ſt, nec rurſum quo pacto fugerit æſtu.*

EXESOR MOERORVM) *ſic legi debet, & ita ſcriptum eſt in quinque libris manuſcript. niſi quòd in Vaticano eſt, mœororum: in Faërn. maurorum. Pariſiẽſes plane habent, mærorum. dictum autem, mærorum, pro, murorum, antiquè, vt notat Seruius ad illum locum Virg lib. 10. Aggeribus mærorum, his verbis: nam veteres pleraque eorum, quæ nos per u dicimus, per diphthongum œ pronuntiabãt: hinc eſt mærorum pro murorum: & contrà punio pro pœnio: quod verbum à pœna venit: quod Græcum eſt vocabulũ ποινή. hinc eſt, Punica regna vides, cùm Pœnos vbique legerimus. & apud Varron. lib. 5 de ling. Lat. cùm circum mæros mittitur, & cùm contio aduocatur. Exeſor autem dictus ab exedendo.*

PER AVRAS) *Turnebus mauult legi, per aureis.*

TANG. AMAROR.) *hunc verſum integrum cum duobus ſuperioribus profert A Gellius lib 1. capite* XXI. *eundem reſpexit Seruius ad illum Virgilij locum Georg. 2. & ora Triſtia tentantum ſenſu torquebit amaror.*

NEC MORA, NEC REQVIES) *hoc imitatus, atque adeò mutuatus eſt Virg. Georg 3. & Æneid 6.* SENTIRE SONOREM) *Olim coniectura ductus edendum curaram, exaudire ſonorem, pro eo, quod eſt in libris omnibus vulg. & pleriſque manuſcr ſentire ſonorem neque hoc temere mihi feciſſe videbar. nam cùm ita ſcriptum in vno cod. reperiſſem, ec ſantire ſonorem. ex c, feceram ſ. ex n, u. ex t, d ita ex illis corruptis ecſantire, feceram, exaudire. quam emendandi rationem omnibus politi iudicij hominibus probatum iri ſperabã. Nunc vulgatam lectionem magis probo: aut certe tutiorem arbitror. Nam ſentire, commune eſt omnium ſenſuũ. exempli cauſa infr. eod. lib non lõgè, pro, videre vſurpauit. ibi. Et facit, vt prius hũc omnem ſentire queamus, & c. eod. lib. infr. Et ſeorſum varios rerum ſentire colores.*

Præterea quoniam manibus tractata figura

In tenebris quædam,cognoſcitur eſſe eadem,quæ
Cernitur in luce,& claro candore:neceſſe'ſt
Conſimili cauſa tactum,viſúmque moueri.
Nunc igitur,ſi quadratum tentamus,& id nos
Commouet in tenebris:in luci quæ poterit res
Accidere ad ſpeciem,quadrata niſi eius imago?
Eſſe in imaginibus quapropter cauſa videtur
Cernendi,neque poſſe ſine his res vlla videri.
Nunc ea,quæ dico,rerum ſimulacra,feruntur
Vndique:& in cunctas iaciuntur dídita parteis.
Verùm,nos oculis quia ſolis cernere quimus,
Propterea fit,vti,ſpeciem quò vertimus,omnes
Res ibi eam contrà feriant forma,atque colore.
Et quantùm quæque à nobis res abſit,imago
Efficit,vt videamus,& internoſcere curat.
Nam cùm mittitur,extemplo protrudit,agítque
Aëra,qui inter ſe cumque'ſt,oculóſque locatus.
Iſque ita per noſtras acies perlabitur omneis:
Et quaſi perterget pupillas,atque ita tranſit.
Propterea fit,vti videamus quàm procul abſit
Res quæque:& quanto plus aëris antè agitatur,
Et noſtros oculos perterget longior aura,
Tam procul eſſe magis res quæque remota videtur.
Scilicet hæc ſummè celeri ratione geruntur,
Quale ſit vt videamus:& vnà quàm procul abſit.

PRÆTEREA QVONIAM) *hoc argumentũ tale eſt. Figura(inquit) aliqua in tenebris, & noctu, manibus tractata, eadẽ eſſe cognoſcitur, atq; ea, quæ luce cernitur. At figura non poteſt cognoſci in tenebris, niſi per ſpeciem & imaginẽ. ergo neque in luce cerni Sed hæc facile refelli poſſunt ab iis, qui Ariſtotelis ſcholam ſectantur ſunt enim quædam ſingulis ſenſibus propriè ſubiecta, vt color, videndi ſenſui, ſonus, auditui, &c. quædam plurium ſenſuum communia: vt figura & magnitudo communiter aſpectui, & tactui ſubiecta eſt: motus & quies, omnibus, præterquàm guſtatui, &c.* IN LVCE, ET CLARO C.) *Quid ſi dicamus ſcriptum eſſe à Lucretio: in luci claro, & candore? luce claro enim dixiſſe veteres teſtatur Nonius Marcellus. Verumtamen nihil mutandum puto. Attendat autem lector. ſimilitudinem, atque affinitatem lucis & candoris vel hoc verſu declarari. Itaque non temere, vt lux tenebris opponitur, quæ nigræ ſunt: ita lux cãdida dici ſolet à poëtis.*

SI QVADRATVM TENTAMVS) *legendum fortaſſe eſt, tractamus. Immo verò tentamus retinendum. tentat enim quis figuram in tenebris, qui eam tractat ea gratia, vt ſciat qualis ſit: tractat autem etiam is, qui, qualis ſit figura, ſcire nõ laborat.* IN LVCI) *luci pro luce.*

ESSE IN IMAGINIBVS QVAPROPTER) *ex imaginibus rerũ perpetuò effluẽtibus, & in oculos noſtros aduolantibus, atq; incurrentibus fit viſus, ex ſententia Epicuri. Platoni ex coniunctione, & cognatione duorum ignium, ſeu luminum, alterius ex oculis noſtris exeuntis: alterius à ſole manantis, efficitur viſus. Mathematici aiunt, radios quoſdam ex oculis noſtris effluenteis, & ad rem, quæ cernitur, accidenteis, videndi cauſas eſſe. Ariſtot. lib. 2 de anima, docet, non ex emiſsione radiorum ab oculis, viſum effici: ſed ex functione, & actu rerum, quæ ſub aſpectum cadunt, in oculos crebrò ventitante. Arnobius lib. 2 aduerſ. gẽt. nihil horum ſciri poſſe putat, quorum hîc & deinceps cauſas explicat Lucretius, quibus cauſis mergamur in ſomnos, quibus euigilemus, quibus modis fiant inſomnia, quibus viſa, &c. ſequitur mox. radiorum & luminis intentione videamus, an rerum imagines aduolent, & noſtris in pupulis ſidant: vtrùm ſapor in rebus ſit, an palati contagionibus fiat, &c.* DIDITA) *diſtributa, diſsipata, diſperſa. nonnulli libri ſcripti habent, dedita. ego, didita, retineo.*

PROPTEREA FIT VTI, &c.) *propterea (inquit) quòd ſolis oculis cernimus, ideò fit, vt, tametſi imagines ex omnibus rebus in omneis parteis affluant, ea parte tamen duntaxat rem cernamus, in quam os, & faciem vertimus.*

SPECIEM) *os, faciem, ὄψιν, adſpectũ. Quamuis autem ſic habeant omnes libri, quos quidem viderim, malim tamen legi, faciem.*

ET QVANTVM QVÆQVE) *id eſt, & cuiuſquerei diſtantiam cognoſcimus, ſeu internoſcimus per imagines.* CVRAT) *tralatio. ſic infrà eod. lib. Quód ne miremur, ſopor atque obliuia curant.* PROTRVDIT. AGITQVE) *ſic repoſui fretus auctoritate trium librorum manuſcriptorũ. alij procudit legi malunt.*

PERTERGET) *permulcet.* SVMME CELERI) *valde celeri.*

QVALE SIT VT VIDEAMVS) *vt eodem tempore videamus, & qualis res ſit, & quàm longè diſtet. Fortaſſe legendum, Quali ſit vt vid. id eſt, Qualis res ſit. alioqui dicemus, eum mutaſſe genus.*

Illud in his rebus minimè mirabile habendum'ſt,
Cur ea, quæ feriant oculos ſimulacra, videri
Singula cùm nequeant, res ipſæ perſpiciantur.
Ventus enim quoque paullatim cùm verberat, & cùm
Acre ferit frigus, non primam quamque ſolemus
Particulam venti ſentire, & frigoris eius:
Sed magis vniuerſum: fierique perinde videmus
Corpore tum plagas in noſtro, tamquam aliquæ res
Verberet, atque ſui det ſenſum corporis extrà.
Præterea lapidem digito cùm tundimus, ipſum
Tangimus extremum ſaxi, ſummúmque colorem:
Nec ſentimus eum tactu, verùm magis ipſam
Duritiem penitus ſaxi ſentimus in alto.

ILLVD IN HIS REBVS) *non debet (inquit) mirum videri, quamobrẽ, cùm ſimulacra ſingula non cadant ſub adſpectum: res ipſæ per ſimulacra cernãtur: & ita ipſa vniuerſa ſimulacra quodammodo videantur.*

NON PRIMAM QVAMQVE) *ſic legendum, & ita habent non ſolùm*

omnes,

omnes, quos vidi, vulgati cod. verumetiam manuſcrip. Qui autem, priuam quamque, legi volunt, falluntur, meo quidem iudicio. quiſque enim, ſignificat ἕκαστον, ſeu, ſi dicere licet, ſingulum: deinde, priuum, ſignificaret etiam ἕκαστον. Quid igitur hoc ſibi vellet, ſingulam ſingulam? Nunc autem, primus quiſque homo, prima quæque particula, & ſimilia, Latinè luculentè dicitur. Adiuuat tamen ſcripturam, priuam quamque, verſus ille, in lib. III. Sentimus, nec priua pedum veſtigia quæque.

VENTVS ENIM QVOQVE) *id probat non eſſe mirandum, à ſimili. Cuius hæc ſententia eſt. Quemadmodũ cùm à vento pellimur, & verberamur, cúmque acri frigore vrgemur: nõ ſentimus ſingulas venti, & frigoris particulas, ſed vniuerſum ventum, & vniuerſum frigus: ita cùm rem aliquam cernimus, (quam ſine imaginibus cernere ſcilicet nequimus,) ſingulas imagines, quarum adiumento, & interuentu rem cernimus, videre non poſſumus, ſed rem ipſam totam.*

TAMQVAM ALIQVÆ RES, *ſic habet codex Bertinianus: quæ ſcriptura ſi recta eſt, aliquæ res, dictum intelligetur. pro, aliqua res. alij, aliqua res, legẽdum putant, aiúntque a, vltimam vocalem eſſe longam, etiam ſi ſit recti caſus. quidam docti legendum cenſent, tamquam aliqua re, in ſeptimo caſu. verberet autem, nempe ventus. ego aliquæ res legendum arbitror. aliqua res, reijcio.*

IPSVM TANGIMVS EXTR.) *negaret Ariſtoteles, tangi colorem. color enim non tangitur, ſed cernitur: niſi quis dicat, extremum colorem ſaxi hic accipiẽdum pro ipſa ſaxi extremitate, quam ſuperficiem vulgus appellat. Præterea ſtatim Lucretius, quaſi ſe ipſe reprimens & corrigens, negat nos ſentire tactu colorem, ſed potius ipſam duritiem.* PENITVS SENTIMVS IN ALTO.) *in alto, & penitus, idem valent. ita fit* σχῆμα ἐκ παραλλήλου.

Nunc age, cur vltra ſpeculum videatur imago,
Percipe. nam certe penitus remmota videtur.
Quod genus illa, foris quæ verè tranſpiciuntur,
Ianua cùm per ſe tranſpectum præbet apertum,
Multa facítque foris ex ædibus vt videantur.
Is quoque enim duplici, geminóque fit aëre viſus.
Primus enim'ſt, citra poſteis qui cernitur aër.
Inde fores ipſæ dextra, læuáque ſequuntur.
Pòſt extraria lux oculos perterget, & aër
Alter, & illa, foris quæ verè tranſpiciuntur.
Sic vbi ſe primùm ſpeculi proiecit imago,
Dum venit ad noſtras acies, protrudit, agítque
Aëra, qui inter ſe cumque'ſt, oculóſque locatus:
Et facit, vt prius hunc omnem ſentire queamus,
Quàm ſpeculum. ſed vbi ſpeculum quoque ſenſimus ipſum:
Continuò à nobis in id hæc, quæ fertur, imago,
Péruenit, & noſtros oculos reiecta reuiſit:
Atque alium præ ſe propellens aëra voluit,
Et facit, vt prius hunc, quàm ſe, videamus: eóque

Diſtare à ſpeculo tantùm remmota videtur.
Quare etiam atque etiam minimè mirarier eſt par,
Illis, quæ reddunt ſpeculorum ex æquore viſum,
Aēribus binis, quoniam res confit vtroque.

NVNC AGE CVR VLTRA SPECVLVM) *imago, quā reddit ſpeculū, non appāret in ſummo ſpeculo, ſed vltra ſpeculū. Nunc igitur quāobrē id fiat, rationem affert, eámque illuſtrat à ſimili.* REMMOTA VIDETVR) *ſic habet codex Bertinianus. Memmianus, remota, vulg. ſemota. remmota autē eadē ratione dictum pro remota, qua repperit pro reperit, rettulit pro retulit, reccidere, refferre, & ſimilia, pro recidere, referre.* QVOD GENVS, *cuius generis: quemadmodū.*

PRIMVS ENIM'ST, CITRA POSTEIS QVI CERNITVR AER) *ſic repoſui, ſecutus partim libros vulgatos, partim manuſcriptos. Sic enim habet codex Bertinianus: citra poſt æſtum cernitur aēr. Memmianus autem & Vatic. habent poſtes cur cernitur aēr. Pariſ. poſtes cōcernitur. Veneti & Lugdun. Primus enim, citra poſtes qui cernitur aēr. Quidam, tum cernitur, probant: & tum, referunt ad illū verſum, qui antecedit, Ianua cum per ſe tranſp. &c.* CITRA POSTEIS,) *id eſt citra oſtium, ſeu foreis, ſeu ianuam. ſic ſup. lib. 3 pag. 223. Iam magis exemtis oculis debere videtur Cernere res animus, ſublatis poſtibus ipſis. poſtibus ipſis ſublatis. i. ianua ipſa ſublata. atque ita Adr. Turneb. explicat. Idem locum illū apud Varron. lib. 4. de ling. Lat. reſponſum eſt, Deum manium poſtuleonē poſtulare, &c. ſic reſtituendū putat: reſpōſum eſt, Deum, manium poſti leonē poſtulare. maniū poſti (inquit ille,) id eſt, ianuæ, ſeu oſtio inferorum, leonem, id eſt virum fortem.*

SPECVLI PROIECIT IMAGO) *ſpeculi imaginē accipe, nō eam imaginē, quam reddit, & repræſentat ſpeculum, ſed eam, quæ ex ſpeculo mittitur, & iacitur, quemadmodum docuit ſuprà, ex omnibus rebus ſummis fluere imagines.*

PROTRVDIT, AGITQVE AERA) *hic eſt primus aēr, nempe is, quem imago à ſpeculo miſſa & proiecta, dum ad oculos noſtros peruenit, protrudit, ac propellit: qui quidem aēr eſt inter oculos, & ſpeculum interiectus.*

ATQVE ALIVM PRÆ SE) *hic eſt ſecundus aēr: nempe is, quem imago à nobis fluens, & in ſpeculum adiecta, atque inde in oculos noſtros reiecta, præ ſe pellit: quem quia prius cernimus, quàm imaginē noſtri, idcirco fit, vt imago à ſpeculo remota videatur.* CONTINVO A NOBIS IN ID HÆC, &c.) *ſic mihi nunc legendū videtur: non, vt in vulgatis, à nobis in eū, & cet. neque vt olim, Continuò hæc in id, à nobis, quæ fertur imago. nimis enim lōgè aberat à recepta ſcriptura, Et tamē eam ſecutus eſt Zoilus, tacitus, vt ſuam, non vt à nobis acceptā, ſuum inſtitutum tenens, ſuóque ingenio indulgens. Sententia autem horum verborum hæc eſt. continuò (inquit) imago quæ à nobis fertur, ad ſpeculum peruenit: & à ſpeculo reiecta, noſtros oculos reuiſit.* QVARE ETIAM, ATQVE ETIAM, &c.) *hunc verſum cum duobus ſequentibus delendos cenſeo, vt ſpurios. eos tamen excudendos curaui, vt leguntur in codicibus manuſcriptis. Cùm hæc ſcripſiſſem, Zoilus grauis auctor, ſic de his verſibus pronuntiauit, me perperam eos delendos cenſuiſſe, cùm ſit eorum ſententia optima, (inquit.) Vellem oſtendiſſet, [illegible]. Præterea ego non deleui: quod ille me feciſſe ſcribit, impudentiſſime mentiens, Delet hos verſus Lambinus, inquit ille. Mentiris nebulo. aliud enim eſt delere, aliud delendos cenſere. addit deinde, perperam, Ain' tu, omnium mortalium audaciſſi-*

me, atque impudentiſſime? Itáne? perperam? Vnde tibi iſta de quoquam, ne dicam de me, ſic pronuntiandi auctoritas, ſycophanta nequiſſime?

Nunc ea, quæ nobis membrorum dextera pars eſt,
In ſpeculis fit vt in læua videantur, eò quòd
Planitiem ad ſpeculi veniens cùm offendit imago,
Non conuertitur incolumis: ſed recta retrorſum
Sic eliditur, vt ſiquis prius, arida quàm ſit
Cretea perſona, adlidat pilæ've, trabíve:
Atque ea continuò rectam ſi fronte figuram
Seruet, & eliſam retrò ſeſe exprimat ipſa:
Fiet, vt, antè oculus fuerit qui dexter, hic idem
Nunc ſit læuus, & è læuo fit mutua dexter.
Fit quoque, de ſpeculo in ſpeculum vt tradatur imago:
Quinque etiam, ſéxve vt fieri ſimulacra ſuerint.
Nam quæcumque retro parte interiore latebunt,
Inde tamen, quamuis tortè, penitúſque remota,
Omnia per flexos aditus educta licebit
Pluribus hæc ſpeculis videantur in ædibus eſſe.
Vſqueadeò è ſpeculo in ſpeculum tralucet imago:
Et cùm læua data'ſt, fit rurſum, vt dextera fiat:
Inde retrorſum reddit ſe, & conuertit eòdem.
Quinetiam, quæcumque latuſcula ſunt ſpeculorum
Adſimili lateris flexura prædita noſtri:
Dextera ea propter nobis ſimulacra remittunt:
Aut quia de ſpeculo in ſpeculum tranfertur imago:
Inde ad nos eliſa bis aduolat: aut etiam quòd
Circumagitur, quom vênit imago, propterea quòd
Flexa figura docet ſpeculi conuertier ad nos.

NVNC EA, QVÆ NOBIS, &c.) *Cùm ex hoc loco, tùm ex aliis multis intelligere licet, quod traditũ eſt, Epicurum neque mathematicis artibus, neque vllis aliis diſciplinis, quibus qui inſtructi ſunt, eruditi dicũtur, politum fuiſſe. Affert enim rationem admodum ineptam, & infirmam, & popularem, quare quæ nobis dextra ſint, in ſpeculis læua videantur, & cõtrà: nempe quia imago à nobis in ſpeculum iacta, & in id offendens, non reuertatur ad nos incolumis, ſed retrorſum elidatur, quemadmodum ſi quis perſonam aliquã è creta etiam nũc humidam, & madidã, allidat ad columnam, aut trabem: & ea retro conuertatur expreſſa, ita vt ſeruet priorẽ figuram, tum enim fiet, vt, qui antea dexter erat oculus, nunc ſit læuus, & cõtrà. Sic igitur Epicurus, ſeu Lucretius. At Mathematici longè aliter, quemadmodum, & quamobrem hoc fiat, demonſtrãt: exſtátque huius rei cognitio, & perceptio (ſeu θεωρήματι) ordine 19. apud Euclidem. docẽt igitur illi, reflexionis angulum, ei angulo, quem facit linea à puncto rei viſæ in ſpeculum incidens, æqualẽ eſſe. Itaq; ſemper*

ſit reflexio in partem oppoſitam ei parti ſpeculi, in quam incidit linea à puncto rei viſæ producta. Præterea imagines, quæ in ſpeculo cernuntur, qualecumque ſit ſpeculum, quàm breuiſsimis fieri poteſt, lineis continentur. Cùm igitur pars dextera rei viſæ, lineæ reflexionis ſiniſtræ reſpondeat ac ſubiaceat, potius quàm dexteræ, & contrà pars læua rei viſæ, dexteræ reflexionis lineæ ſubiecta ſit potius, quàm læuæ: fit vt linea reflexionis, quæ magis dextera ſit, ſub dexterā imaginis partē cadat: & quæ ſit magis læua, læuam imaginis partē tangat. Quare læua rei viſæ pars, dextræ imaginis parti opponitur: & contrà dextera rei viſæ pars, læuæ imaginis parti reſpondet. Denique rei viſæ imago, & res viſa ſic ſe habent inter ſe, vt duo gladiatores, qui frontibus aduerſis inter ſe certant. hic enim alterius oculus læuus, alterius oculo dextro opponitur, & contrà. Plato denique in Timæo paucis verbis hanc rationem affert, ὅτι τοῖς ἐναντίοις μέρεσι τῆς ὄψεως περὶ τὰ ἐναντία μέρη γίγνεται ἐπαφὴ παρὰ τὸ καθεστὸς ἔθος τῆς προσβολῆς: id eſt, quia contrariis partibus aſpectus contrariæ partes ſpeculi attinguntur, pro conſuetudine adiectionis, ſeu commiſſuræ. Sciendum eſt autem hoc fieri dumtaxat in ſpeculis planis, & conuexis. nam in concauis, reſpondent dextra dextris, & læua læuis, cuius rei rationem diſces etiam ex Platone & Euclide. IN SPECVLIS FIT VT IN LÆVA) ſic quidem habēt libri omnes & manuſcripti, & typis excuſi, niſi quòd in codice Tettiano non eſt præpoſitio, in: in eóq; ita ſcriptum eſt, fit, vt læua videatur. ex qua ſcriptura Muretus ſuſpicabatur eſſe legendum, vti læua videatur, cùm diceret ille, non eſſe quòd quēquam moueat, ua. ſyllaba breuis: ſæpe enim poni tribrachū pro dactylo, & choréum pro ſpondéo. Cùm hæc ſcripſiſſem, Zoilus hanc Mureti coniecturam tacitus arripuit: & damnauit eam, quam ſecuti ſumus, non ſolùm iniuſtè, verùm etiam imperitè. nam genus hoc loquendi fit, vt, quæ pars nobis membrorum dextera eſt, ea in læua ſpeculi parte videatur (hoc eſt cernatur) non eſt barbarū, meo quidem indicio. Mureti coniecturā tamen neque olim damnauimus, neq; nunc improbamus: quam ille non debuit prærepiā ſibi vindicare. PLANITIEM AD SPEC.) Planitiē ſpeculi hîc dicit, quam aliàs, æquor ſpeculi, & lib. I. glaciē aris. CRETEA PERS.) ſic mihi legendū videtur: & ita ſcriptū eſt in cod. Bertin. & Memm. In Vaticano autē, cetera, litteris tranſpoſitis. Quòd autem in nōnullis impreſsis legitur, Cerea perſona, ferri non poteſt, nam neq; quod hic dicit Lucretius, ex cerea perſona fieri poteſt, neq; cera areſcit, ſed dureſcit potius. quidam putāt legendū, Terrea quod minus probo. malim tamen legi, Creſſam perſonam. Liceat etiam, Creteam, legere, vt e, & a, per συνίζησιν coëant in vnam ſyllabā. RECTAM SI FRONTE FIGVRAM) quidam legendum cenſent, rectam ſi forte figuram. MVTVA) mutuò.

FIT QVOQVE DE SPECVLO) fit etiam (inquit) vt de ſpeculo in ſpeculum transferatur imago, adeò vt quinque, aut ſex eiuſdem rei ſimulacra reddantur, dum è ſpeculo in ſpeculum trāſlucent. Nam ſi qua ſunt in ædibus quantumuis remota, atque abſtruſa, & retro condita, ea, pluribus ſpeculis adhibitis, per flexos quoſdam aditus, in ædibus eſſe videbuntur. Immò verò pluribus ſpeculis certo modo ſitis, & compoſitis, fieri poteſt, vt tergum tuū cernas. Exempli gratia: ſumito duo ſpecula plana: eorúmque alterum à tergo ita collocato, vt ſit reſupinatum, id eſt, neque prorſus rectum, neque prorſus ſupinum: alterum ſublime & ſuſpenſum ſupra caput teneto, ita vt ob oculos tuos obuerſum ſit, prono, & proclini ſitu. ſine dubio tergum tuum in ſpeculo illo ſublimi, & tuis oculis ſuperne oppoſito cernes, tui videlicet tergi imagine à poſteriore & reſupinato ſpeculo, in alterum tranſlata. Erat autem ordo verſuum hoc loco in libris vulgatis mirum in modū perturbatus: quem

ego inuita inuidia princeps reſtitui. QVINQVE ETIAM, SEXVE VT FIERI) *codex Bertinianus non habet diſiunctiuam, ue. ſic enim in eo ſcriptum eſt. Quinque etiam ſex vt. atque ita fortaſſe legi debet. ſic Horat. epiſt. 1. lib. 1. Si quadringentis ſex ſeptem millia deſunt. quem verſum tamen aliter, quàm vulgò intelligi ſolet, explicaui in ſecunda editione Horatiana. Zoilus ſuperiorem hanc annotationem arripuit, & ſecutus eſt, ab ingenio ſuo non diſcedens.*

INDE RETRORSVM REDDIT SE, ET CONVERTIT EODEM) *cùm in codicibus quattuor manuſcriptis, Inde retrorſum redit, ſcriptum reperiſſem, ſine copulatione, que, continuò iudicaui ab aliis ita eſſe repoſitum, vt habent libri vulgati, Indéq; retrorſum redit: ab aliis, Inde retrorſum etiam redit, &c. vt habent tres manuſcripti. Nam Bertinianus neque habet copulationem, que, neque, etiam. Itaque ſic reſtitui: Inde retrorſum reddit ſe, & conuertit eôdem. ſententia autem hæc mihi videtur eſſe. Inde: id eſt ex primo ſpeculo, vel ex parte dextra, imago reddit ſe retrorſum, id eſt in læuam partem, in ſecundo ſpeculo ſcilicet, & conuertit ſe eôdem, nempe in læuam. Cùm hæc ſcripſiſſem, Zoilus exortus, legendum dixit, Inde retrorſum reddit, & conuertit eodem: vt ſit choréus pro ſpondéo, & reddit, & conuertit, ſint abſoluta: quod fieri non poteſt: neque reperietur in tota lingua Latina. Adde quòd verſus erit inconcinnus. cuiuſmodi verſus ipſe facit: non cuiuſmodi ſunt Lucretiani.* QVIN ETIAM QVÆCVMQVE) *ſignificantur, opinor, multa ſpecula coniuncta. columnæ figura conuexa. Numerantur autem à mathematicis ſeptem ſpeculorum genera, ex quibus fiat vſitata, & rata reflexio. ſpeculum planum: ſpeculum columnare, conuexum: ſpeculum columnare, concauum: ſpeculum pyramidis in morem conformatum, conuexum: huic ſimiliter conformatum, concauum: ſpeculum globoſum, ſeu ſphæricum, conuexum: globoſum, concauum.* DEXTERA) *id eſt, quorum dextræ partes noſtris dextris reſpondent.* FLEXA FIGVRÂ) *teres ſpeculi figura, inſtar columnæ.*

CONVERTIER) *videlicet imaginem.*

Indugredi porrò pariter ſimulacra, pedémque
Ponere nobiſcum credas, geſtúmque imitari,
Propterea quia, de ſpeculi qua parte recedas,
Continuò nequeunt illinc ſimulacra reuerti.
Omnia quandoquidem cogit natura referri,
Ac reſilire ab rebus ad æquos reddita flexus.
Splendida porrò oculi fugitant, vitántque tueri:
Sol etiam cæcat, contrà ſi tendere pergas,
Propterea quia vis magna'ſt ipſius: & altè
Aëra per purum grauiter ſimulacra feruntur,
Et feriunt oculos turbantia compoſituras.
Præterea ſplendor, quicumqu'eſt acer, adurit
Sæpe oculos, ideò quòd ſemina poſſidet ignis
Multa, dolorem oculis quæ gignunt inſinuando.
Lurida præterea fiunt quæcumque tuentur
Arquati, quia luroris de corpore eorum

Semina multa fluunt ſimulacris obuia rerum,
Multáque ſunt oculis in eorum denique miſta,
Quæ contage ſua palloribus omnia pingunt.

INDVGREDI PORRO PARITER) *Hæc etiam ad ſpeculorum conſideratione m pertinẽt. idcircò hos ſex proximos verſus hoc loco excudendos curaui, eóque magis, quod hoc ordine leguntur in cod. Bertiniano. Siue, Indugredi, autem, ſiue, Endogredi, legatur, nihil refert. Nam vtroque vſos eſſe veteres, endo, & indu, pro in, & veteres grammatici teſtantur, & multorum antiquorum ſcriptorũ teſtimonia probant. Adde quòd libri veteres ſic habent hoc loco. Poſtremò vocabulariũ Latinogræcum mihi à Cl. Puteano commodatũ, ſic habet, Induperat, ἐνδόσει. & indu, εἰς, ἐν, ἔνδον, ἐντός. Et Lucil. apud Nonium in verbo, concelebrare, Multis indu locis ſermonibu' concebrarunt. ſic enim legendum: non, vt vulgò, inductis: neque, vt habent libri vet. inde locis.* PROPTEREA QVIA, DE SPECVLI) *hæc ratio eſt admodum arguta, facilis, atque illuſtris. ſimulacra (inquit) videntur nobiſcum ingredi in ſpeculo, quia, qua de parte ſpeculi recedas, ſtatim ex ea parte non poßint ſimulacra reuerti. huius rationis ratio eſt, quia quæcumque ab rebus ſimulacra mittuntur, ea ad æquos & pares angulos referuntur. Mathematici autem docent, idcircò imaginem rei viſæ in ſpeculo moueri videri, quia cùm omnia pũcta rei viſæ ab aliis, atque aliis identidem punctis reflectantur, noua totius rei viſæ efficitur imago. Vnde per motum rei viſæ puncta, à quibus facta eſt reflexio, permutantur. ita forma moueri videtur, cùm re vera non moueatur, ſed potius noua imago, ſitu rei viſæ mutato, gignatur. id autem áccidit propter continuationem punctorum reflexionis, quæ fit in extrema cæſura ſpeculi.*

SPLENDIDA PORRO OCVLI) *Abſoluta de ſpeculis diſputatione, & eorum ratione, docet quamobrem ſplendida oculos offendant, maximè ſi nimium ſint ſplendida: cuius rei hanc etiam cauſam afferri poſſe puto. Quæ ſub ſenſum videndi cadunt, actionem quandam in eum explicant, ita vt videndi ſenſus à rebus, quæ cernuntur, patiatur. Cùm igitur actio & perpeßio ſunt intra modum, & altera alteri ex proportione reſpondet, iuuatur videndi ſenſus à re, quæ cernitur potius, quàm offenditur: & probe ſuo munere fungitur: Cùm verò perpeßio actionem ſuperat: id eſt, cùm id, quod cernitur, plus æquo acre, & validum eſt: oculum, & videndi ſenſum offendit. ex quo fit, vt ingens & immoderatus ſonitus, audiendi ſenſum corrumpat: & nimius ſplendor, videndi ſenſum exſtinguat: de qua re mox dicemus. Huc tamen antè adſcribam Laberij verſus de Democrito, & quodã ſene, quos profert Gell. lib. 10. cap. 17. quòd ad hunc locum mihi maximè pertinere videantur, & eo magis, quòd mendoſè & perturbatè apud Gellium legantur. Democritus Abderites phyſicus philoſophus Clypeũ conſtituit cõtra exortum Hyperionis, Oculos effodere vt poſſet ſplendore æreo: Radiis ſolis ſibi aciẽ effodit luminis, Malis bene eſſe ne videret ciuibus: Sic ego ſplendore fulgentis pecuniæ Volo elucificare exitum ætatis meæ, Ne in re bona videam eſſe nequam filium.* SOL ETIAM CÆCAT, &c.) *Sic M. Tull. lib. 6. de rep. Hic verò tantus eſt totius mundi incitatiſſima conuerſione ſonitus, vt eum aures hominum capere non poßint: ſicut in terris intueri ſolem nequitis aduerſum, eiúſque radiis acies veſtra, ſenſúſque vincitur. Ariſtot. lib. 3. de anima, tradit hoc eſſe commune omnium ſenſuum, vt ea, quæ ſub eos cadunt, ſi modum ſuperent, corrumpant ſenſus, aut certe ſenſuum inſtrumenta.*

verbi gratia, ſonitus nimius, & modum ſuperans, exſurdat: nimius ſplendor, oculorum aciem præſtinguit, atque adeò exſtinguit: & ita de ceteris ſentiendum. cuius rei hanc rationem affert, quòd ſenſus, ratio quædam eſt: omnis autem ratio corrumpitur ab eo, quod eſt nimium, & ab eo, quod eſt parum. quemadmodum ſymphonia corrumpitur, ſi chordæ vehementius, quàm par ſit, pulſentur: aut ſi vel nimis remiſſæ, vel nimis contentæ fuerint. CONTRA SI TENDERE) *ſic habent noſtri omnes libri veteres, & item vulgati. In, tendere, autem ſubintelligendum, oculos. Sic autem loquuntur boni ſcriptores, tendere, & contendere oculos. Sic ſup. lib. 1. Primùm Graius homo mortaleis tendere contrà Eſt oculos auſus. neque eſt quòd quiſquam mihi dicat, vocem, oculi, aut nimis longè abeſſe, aut nuſquam hîc eſſe poſitam. Eſt enim in ſuperiore verſu proximo. ſic in hoc eodem dixit, Sol etiam cæcat, nempe oculos. Quòd ſi in his verbis, Sol etiam cæcat, rectè ſubintelligitur, oculos: cur non & in, contrà tendere? Sic enim procedit ſententia. Sol cæcat oculos, ſi pergas oculos contrà tendere. Zoilus autem legit, cernere, non rectè, & contra omnium librorum auctoritatem.* COMPOSITVRAS) *τὰς ἁρμογὰς, τὰς συναφάς.*

LVRIDA PRÆTEREA FIVNT) *Luridi (inquit Feſtus) ſupra modum pallidi. Luridum autem dictum à lura, id eſt corio. Auctor vocabularij Latinogræci, luridus, inquit, ὠχρὸς, πελιός, ἰκτερικός. In quibuſdam libris vulgatis tamẽ impreſſum eſt, lutea. Lutea autem, id eſt crocei coloris, ſeu, qualis eſt color ouorum vitellis. Varro. Sed Cynicis inuolucrum, & pallium luteum non eſt. Sed quærat aliquis, cur hoc fiat. propter oculi vitium ſcilicet. nam cùm viſus fiat per aduentum formarum aſpectabilium, in oculos: quicquid autem recipit, debeat eſſe omnis qualitatis expers, ſi futurum eſt, vt formas probè recipiat, quemadmodum materia debet eſſe omnium formarum expers, & informis, vt ſit formarum capax: meritò oculis arquatorum, cùm ſint lurore infecti, quæ non ſunt lurida, lurida videntur.*

ARQVATI) *qui morbo regio laborãt. Arquatus morbus (inquit Nonius) dictus (qui & regius appellatur,) quòd arquo, ſeu arco: id eſt iridi, ſit concolor virore: vel quòd ita ſtringat corpora, vt in arcum ducat. Varro Eumenid. Nam, vt arquatis, & veternoſis, quæ lutea non ſunt, æquè vt quæ ſunt, lutea videntur: ſic inſanis ac furioſis, ſani, & inſani videntur eſſe inſani. Profert iterum eadem verba, in voce, Luteus, ſed vtrobique mendosè, vt intelliget qui attentius conſiderabit. Ego, quomodocumque potui, emendaui: ſed non omni ex parte. nam manet mendum in voce, veternoſis, cui quomodo hîc locus eſſe poſſit, non video. fortaſſe delenda.*

CONTAGE) *contagione, vt ſuprà.*

E tenebris autem quæ ſunt in luce, tuemur,
Propterea, quia cùm propior caliginis aër
Ater inît oculos prior, & poſſedit apertos:
Inſequitur candens confeſtim lucidus aër,
Qui quaſi purgat eos, ac nigras diſcutit vmbras
Aëris illius. nam multis partibus hic eſt
Mobilior, multíſque minutior, & mage pollens.
Qui ſimul atque vias oculorum luce repleuit:
Atque patefecit, quas antè obſederat ater:
Continuò rerum ſimulacra adaperta ſequuntur

Quæ ſita ſunt in luce,laceſſúntque vt videamus.
Quod contra facere in tenebris à luce nequimus,
Propterea,quia poſterior caliginis aër
Craſſior inſequitur,qui cuncta foramina complet:
Obſidítque vias oculorum,ne ſimulacra
Poſſint vllarum rerum contecta moueri.

E TENEBRIS AVTEM) *Quamobrem è tenebris ea,quæ ſunt in luce,cernamus,non cōtrà,per longas ambageis hoc loco rationem exponit. Sed ex Ariſtotelis & mathematicorum ſententia,multo breuior ratio reddi poteſt,hoc modo.nihil per ſe videtur præter lucem & colorem.Itaque quicquid cernitur,opera, & beneficio coloris,à luce illuſtrati,cernatur neceſſe eſt.At videndi ſenſus fit per contactū quendam,nempe forma rei,quæ cernitur,ad oculos perueniente,& ſuam vim in videndi ſenſum explicante.Ita fit,vt è tenebris ea,quæ ſunt in luce poſita,cernamus.*

ATER INIT OCVLOS) *nit ocu- tribrachus pro ſpondéo,ſeu dactylo:niſi dicamus,inīt,dictum pro,iniit:proptereáque,nīt,eſſe longū: quod malo: vt ſuprà lib.1. Inritât animi virtutem. itaque ſequitur, poſſedit, eiuſdem temporis. Quòd ſi quis,init,in præſenti legere malet,quod probari poteſt,neq; eſt inuſitatum, poſsidit, erit legendum, in præſenti à verbo poſsido,dis. vt iam dicam. Sed omnino malo legi,poſſedit: &,inît,ſic accipi vt ſit præteritum.*

ET POSSEDIT.) *quidam legunt,poſsidit:à verbo,ſido,dis: vt infrà: Obſidítque vias oculorum. & lib.1. poſsidat inane. & alibi perſidit, &,reſidit. ego nihil muto.* LVCIDVS AER) *Ariſtoteles diceret,ad oculum peruenire ἐνέργειαν, id eſt actionem coloru luce perfuſi.* E LVCE) *ſic habent libri manuſcripti duo,in quibus eſt Memmianus: non, vt alij,à luce. ſic ſuprà dixit: E tenebris autem.*

CONTECTA MOVERI) *omnes fere libri manuſcripti habent, contecta: vnde olim ſuſpicabar legendum,coniecta,aut conlecta. nam apud hūc ſcriptorem, coniectus,idem valet interdum,quod,collectus, &,congregatus. niſi dicamus vbique legendum,conlectus. Sed placet nunc retineri ſcripturā veterem,contecta: quod opponitur illi,quod ſuprà poſitū eſt,adaperta. Verumtamen iudicet lector eruditus.*

Quadratáſque procul turreis cùm cernimus vrbis,
Propterea fit,vti videantur ſæpe rotundæ,
Angulus obtuſus quia longè cernitur omnis,
Siue etiam potius non cernitur, ac perit eius
Plaga,nec ad noſtras acies perlabitur ictus,
Aëra per multum quia dum ſimulacra feruntur,
Cogit hebeſcere eum crebris offenſibus aër.
Hinc, vbi ſuffúgit ſenſum ſimul angulus omnis
Fit,quaſi tornata vt ſaxorum ſtructa tuantur:
Non tamen vt coram quæ ſunt,veréque rotunda,
Sed quaſi adumbratim paullùm ſimulata videntur.
Vmbra videtur item nobis in ſole moueri,
Et veſtigia noſtra ſequi,geſtúmque imitari,

Aëra

Aëra ſi ctedas priuatum lumine, poſſe
Indugredi, motus hominum, geſtúſque ſequentem.
Nam nihil eſſe poteſt aliud niſi lumine caſſus
Aër, id, quod nos vmbram perhibere ſüemus.
Nimirum, quia terra locis ex ordine certis
Lumine priuatur ſolis, quacumque meantes
Officimus: repletur item, quod liquimus eius.
Propterea fit, vti videatur, quæ fuit vmbra
Corporis, è regione eadem nos vſque ſecuta.
Semper enim noua ſe radiorum lumina fundunt,
Primáque diſpereunt, quaſi in ignem lana trahatur.
Propterea facile & ſpoliatur lumine terra:
Et repletur item, nigráſque ſibi abluit vmbras.

QVADRATÁSQVE PROCVL TVRREIS) *Nunc nonnullas viſus fallacias, ſeu captiones proponit: quas tamen negat eſſe fallacias ſenſus, ſed animi opinationes, qua de re legendus Q. Septimius Florens Tertullianus lib. de anima, vbi de quinq; ſenſibus diſputat. cuius ſententia neque ſenſus mentitur, neq; opinio. ita partim aſſentitur Epicuro, partim diſſentit. Satis autẽ probabilẽ, & acutam rationem reddit, quare quadrata figura procul rotunda videatur: quoniã ſcilicet omnis angulus, ſi longius diſtet, obtuſus videtur, ſeu potius non videtur: cuius rationis cauſa eſt, quòd, dum ſimulacra rei, quæ cernitur, per multum aëra feruntur, ab eo aëre anguli ictus, ſiue ipſe angulus, obtunditur: & ita videndi ſenſum effugit. quo fit, vt, quæ ſunt quadrata, tamquam rotunda videantur. Mathematici, & optici hoc ſic demonſtrarẽt. quicquid cernitur, definitam habet loci diſtantiam, vltra quam non poteſt cerni. finge igitur, magnitudinem aliquam in vltima diſtantia cerni. cernetur igitur ſub quàmminimo fieri poteſt angulo. remoueatur nũc hæc magnitudo longius ab oculo. proculdubio non cernetur. alioqui ſub minore angulo cerneretur, quàm qui eſt minimus. quod fieri non poteſt. magnitudo autem angulis prædita circa ſuos angulos minor eſt, quàm circa quaſlibet alias ſuas parteis. Ita fiet, vt oculus, corporis quadrati longiſſime diſtantis angulũ, quamuis ſibi propinquiorẽ, minus cernere poſſit, quàm reliquas illius corporis parteis ex quo efficietur, vt quadratũ, rotundũ videatur. Huc pertinent illa Alexandri Aprodiſ. lib. I. problem. 37. διὰ τί τετράγωνα πόῤῥωθεν, στρογγύλα νομίζονται. ἢ τῷ τὴν ὄψιν μὴ δύνασθαι μακρόθεν ὁρᾶν τὰς γωνίας, ὡς ὀξείας, μὴ βλέπειν αὐτὰς ὡς γωνίας; τούτων δ' ὑπεξαιρεμένων, κατ' ἀπάτην τῆς ὄψεως τὸ λοιπὸν σῶμα στρογγύλον φαίνεσθαι; id eſt, Quamobrem quadrata è longinquo loco rotunda putantur? an quòd viſus cùm angulos procul cernere nequeat, vt acutos, non cernat eos, vt angulos? his autem detractu fallacia oculorum reliquum corpus rotundum videtur?* NEQVE AD NOSTRAS ACIES PERLABITVR) *ſic nunc repoſui. Olim autem cùm ex libris vulgatis alij haberent, illabitur, alij, delabitur. ex manuſcriptis autem alij, delabitur, cum vulgatis aliquot conſentientes, alij, derisbitur: cuius ſcripturæ rationem exputare non poterã: adlabitur, ediderã: pro quo vulgati fere omnes habent, delabitur. Placet igitur nũc mihi, perlabitur: quod ego ex, derlabitur, corrupto elicio: ex, der, ſcilicet, per ex, i, l, omnis facile & ſine vi, & vſitato more. nam d. eſt p. inuerſum.* HEBESCERE EVM) *obtundi angulũ, ſiue anguli ictũ.*

v

QVASI TORNATA VT SAX.) *ordo eſt ſit vt ſtructa ſaxorum: id eſt ſaxa, quæ ſtructa ſunt, tuantur, id eſt videantur. quaſi tornata, τετορνευμένα, id eſt rotundata, & torno facta. ſtructa ſaxorum autem, ſic dictum, vt, ſepta, & clauſa domorum, apud eundem: ſtrata viarum, apud Virgil. & apud hunc eundem: ficta rerum, amara curarum, apud Horat. & ſimilia, quæ in commentariis Horatianis notauimus. Cùm hæc ſcripſiſſem, Adr. Turnebus lectionem receptam, ſit quaſi vt ad tornum ſaxorum, &c. defendere conatus eſt in libris Aduerſ. ſed fruſtrà. Ferri enim non poteſt. hoc autem, ad tornum, natum ex interpretatione eſt, quæ poſtea in contextum irruit. ad vocem enim, tornata, adſcripſit aliquis, ad tornum facta. Hinc nata huius loci, deprauatio eſt. tornare autem idem interdum valere, quod teres, aut rotundum efficere, declarāt illa Ciceronis in Timæo: idque ita tornauit, vt nihil effici poßit rotundius.* ADVMBRATIM) *παχυλῶς, non adamußim, non exquiſitè rotunda.* SIMVLATA) *id eſt ſimulata.*

VMBRA VIDETVR ITEM) *Cùm corpus inter ſolem & locum à ſole illuſtratum, interpoſitum, vmbram efficiat, eo quòd locū illum, qui à ſolis radiis percuſſus, erat luminoſus, ſua interpoſitione, lumine priuet (nihil enim aliud eſt vmbra, quàm aër à lumine vacuus,) cùmque, quocumque in loco, in ſole ambulantes, ſoli officimus, is locus lumine priuetur: non eſt mirum, ſi vnà cum corpore noſtro vmbra moueri videatur. Quòd ſi quis quærat, quamobrem vmbra, nigra videatur: ratio eſt in promtu. vmbra omnis lumini contraria eſt, vt priuatio habitui. at lumen omne, clarum eſt. ergo vmbra obſcura. at quod obſcurum eſt, quodammodo nigrū eſt. Poteſt & hoc dici. Omne lumen candidū eſt. vmbra priuatio luminis eſt. vmbra igitur lumini contraria, meritò nigra eſt.* LVMINE CASSVS) *à lumine vacuus, lumine priuatus.* OFFICIMVS) *obſtamus ſoli.* SEMPER ENIM NOVA) *numquam manet idem lumen, ſed primum quodque perit, & aliud atq; aliud continuè à ſole fluit. idem de flamma ſentiendum. qua de re pluribus verſibus diſſeret lib. 5. eo loco, vbi probare conatur, hunc mundum eſſe interiturum. ibi. Largus item liquidi fons luminis ætherius ſol, &c.* PRIMAQVE DISPEREVNT QVASI IN IGNEM) *illuſtri & luculenta ſimilitudine demōſtrat, prima quæque lumina diſperire, & ſemper recens ſuboriri: nempe, quemadmodum ſi lana in ignem, aut flammam aliquam traheretur: quicquid lanæ in ignem incideret, abſumeretur: ita & de lumine ſentiendum. videtur non longè abludere à prouerbio, εἰς πῦρ ξαίνειν: quod eſt, in ignem, ſeu in igni nere. quod vſurpat Plato lib VI. de legibus. cuius verba adſcribam.* τὸ δ' ἔχει οὕτω πεφυκὸς τὸ ὀρθῶς ἂν γίγνεσθαι, γιγνόμενον, νῦν τε οὐδαμῶς γιγνόμενον, ὀλίγου τε ποιεῖ τὸν νομοθέτην τὸ τῶν παιζόντων, εἰς πῦρ ξαίνειν, καὶ μυρία ἕτερα τοιαῦτα ἀνήνυτα ποιοῦντα δρᾶν, οὐ ῥᾴδιον οὔτ' εἰπεῖν, οὔτ' εἰπόντα ἀποτελεῖν. *id eſt, Deinceps autem, quod & rectè fieri poteſt, ſi fiat: & nunc nulla ratione fit, & propemodum facit, vt ſcriptor legis in igne lanam trahat, & ſimilia ſexcēta inania faciēs agat, non eſt facile neque dicere, neque cùm dixeris, perficere. Trahere lanam autem pro nere dixerunt veteres. Varro Γέροντι διδάσκαλος. Sed ſimul manibus trahere lanam, necnon oculis obſeruare ollam pultis ne aduratur. Ex quo, tractum genus dicendi, id eſt perpetuum, & vno tenore, tractúque procedens. Hunc locum autem ſic reperi ſcriptū in duobus lib. manuſcr. Bertiniano, & Memiano, vt excudendū curaui, cùm in vulgatis miſerabilē in modū ſit deprauatus alij enim habent, quaſi imagine, alij, qua margine, alij, quaſi margine.* NIGRASQ. SIBI ABL. VMB.) *cur vmbræ nigræ dicantur, ſuprà probabiles rationes attulimus. abluit vmbras autē, tranſlatè dictū.*

Nec tamen hîc oculos falli concedimus hilum.
Nam, quocumque loco ſit lux, atque vmbra, tueri
Illorum eſt. eadem verò ſint lumina, néc ne:
Vmbráque, quæ fuit hîc, eadem num tranſeat illuc:
An potius fiat, paullo quod diximus antè:
Hoc animi demum ratio diſcernere debet:
Nec poſſunt oculi naturam noſcere rerum.
Proinde animi vitium hoc oculis adfingere noli.
Qua vehimur naui, fertur, cùm ſtare videtur:
Quæ manet in ſtatione, ea præter creditur ire:
Et fugere ad puppim colles, campíque videntur,
Quos agimus præter nauim, velíſque volamus.
Sidera ceſſare ætheriis adfixa cauernis
Cuncta videntur: at adſiduo in ſunt omnia motu:
Quandoquidem longos obitus exorta reuiſunt,
Cùm permenſa ſuo ſunt cælum corpore claro:
Sólque pari ratione manere, & luna videtur
In ſtatione, ea quæ ferri res indicat ipſa.
Exſtantéſque procul medio de gurgite montes,
Claſſibus inter quos liber patet exitus: iidem
Apparent: & longè diuolſi licet, ingens
Inſula coniunctis tamen ex his vna videtur.
Atria verſari, & circumcurſare columnæ
Vſqueadeò fit vti pueris videantur, vbi ipſi
Deſierunt verti, vix vt iam credere poſſint,
Non ſupra ſeſe ruere omnia tecta minari.

PAVLLO QVOD DIX.) *nempe noua ſe radiorum lumina identidem fundere, & prima quæque diſperire.* PROINDE ANIMI VITIVM) *ſi quid fallimur (inquit) in rebus cernendis, animi vitium eſt, non oculorum, quare noli hâc culpam oculis adſcribere. Pergit multa exempla commemorare, ex quibus & ſenſus oculorum, & alij, falſi videntur: quod negat ita eſſe. Volebat enim Epicurus, ſenſus eſſe certos, ac veros: qua de re lege M. Tullium in Lucullo, & in I. de natura deor. nos item nonnihil ex Epicuro ipſo infrà referemus.*

QVA VEHIMVR NAVI) *M. Tullius in Lucullo, Vidéſne (inquit) nauem illã? ſtare nobis videtur. at iis, qui in naui ſunt, moueri hæc villa. Mathematici docent, ac demonſtrãt, ex immoderato, atque intemperato habitu octo circunſtantiarum, in motu, & quiete cernenda, errorem obiici poteſtati, ſeu virtuti ad res diſtinguendas valenti in octo autem circunſtãtus illis numeratur nimia diſtãtia. itaq; per immoderatam rei, quæ cernitur, diſtantiam, fit vt & eo, qui cernit, quieſcente, res, quæ cernitur, cùm mouetur, quieſcere: & eo, qui cernit, locum mutante, res, quæ cernitur, cùm quieſcit, & fixa manet, moueri videatur. Itaq; qui nauigãt, ſi è portu*

ſoluunt.& in altum prouehuntur, iis vrbes recedere videntur: contrà ſi ex alto portui appropinquant, vrbes ad eos accedere. Ex hac opinione dixit Virgil. Æneid. lib. 3. *Prouehimur portu: terræque, vrbéſque recedunt. ibidem. & anguſti rareſcẽt ſumma* Pelori. Ibid. *Quarto terra die primùm ſe attollere tandem* Viſa, *aperire procul monteis ac voluere fumum.* Ibid. Mox *&* Leucatæ *nimboſa cacumina montis,* Et *formidatus nautis aperitur* Apollo.

QVOS AGIMVS PRÆTER NAVIM,) *id eſt, præter quos agimus & impellimus nauim.* ÆTHERIIS ADFIXA CAVERNIS) *ſic ſuprà eodem libro, cæli compleſſe cauernas.*

AT ADSIDVO IN SVNT OMNIA MOTV) *cod.* Bertin. *habet, omnia mota. ego hanc ſcripturã, quam ſecutus ſum, ſic declaro: & omnia ſunt in aßiduo motui illam autem* Bertinianam, *ſic paullùm immutatam adiuuarẽ, & aßiduè ſunt omnia mota.* Fortaſſe *etiam, at, pro, &, legendum eſt: vt hoc totum ſic legatur: at aſſiduo in ſunt omnia motu. id eſt, at in aßiduo ſunt omnia motu. quo modo edi iußi.*

IIDEM APPARENT,) *id eſt, coniuncti & continentes appárent: vnum montem efficere videntur: ſeu, cùm duo montes ſint, vnus mons videntur eſſe, ſeu vna inſula.* Sed *non celabo lectorem, hoc totum, ijdem* Apparent, *& longè diuulſi licet, abeſſe à tribus lib. manuſcriptis, in eiſque ita legi: patet exitus, ingens* Inſula, *&c. de qua ſcriptura iudicet lector eruditus. ego quidem probo: atque eam confirmant codices* Pariſ. *&* Veneti *antiquiores.* Quare *delendum hoc totum, quod veruculis confoſſum eſt.*

ATRIA VERSARI, ET CIRCVMCVRSARE) *atria (inquit), vbi pueri circumcurſarunt, & circumacti fuerunt, videntur ipſa pueris circumuolui, & circumagi, vbi illi ſe circumagere deſierunt. huius animi opinationis hæc cauſa eſt, quòd ſpiritus ad viſum pertinentes, intus concußi, ex motu totius corporis, huc & illuc oberrant, & circumaguntur, neque, mouendi corporis fine facto, & quieſcente corpore externo, ſpiritus interni quieſcunt.* Nam *cùm multo ſint leuicres corpore concreto, multo etiam ſunt mobiliores, & minor animæ poteſtas eos commouet: illi autem commoti, formas & imagines rerum commotas atque agitatas, poteſtati, ſeu virtuti res diſtinguenti atque internoſcenti, obijciunt ac repræſentant. ea enim omnia, quorum formæ commotis ſpiritibus animæ poteſtati obijciuntur, etiam quieſcente eo, qui cernit, moueri videntur: quemadmodum rota ab aliquo impulſa, diu mouetur, poſtquàm manus, à qua impulſa eſt, moueri deſita eſt.*

Iámque rubrum tremulis iubar ignibus erigere altè
Cùm cœptat natura: ſupráque extollere monteis:
Quos tibi tum ſupra ſol monteis eſſe videtur,
Comminus ipſe ſuo contingens feruidus igni:
Vix abſunt nobis miſſus bis mille ſagittæ:
Vix etiam curſus quingentos ſæpe veruti.
Inter eos, ſolémque iacent immania ponti
Æquora, ſubſtrata ætheriis ingentibus oris:
Interiectáque ſunt terrarum millia multa:
Quæ variæ retinent gentes, & ſæcla ferarum.
At conlectus aquæ digitum non altior vnum,

Qui lapides inter ſiſtit per ſtrata viarum,
Deſpectum præbet ſub terras impete tanto,
A terris quantum cæli patet altus hiatus:
Nubila deſpicere, & cælum vt videare videre, ˋ&
ˎ Corpora mirando ſub terras abdita cælo.ˀ
Denique, vbi in medio nobis equus acer obhæſit
Flumine, & in rapidas amnis deſpeximus vndas:
Stantis equi corpus tranſuerſum ferre videtur
Vis, & in aduerſum flumen contrudere raptim.
Et, quocumque oculos traiecimus, omnia ferri,
Et fluere adſimili nobis ratione videntur.
Porticus æquali quamuis eſt denique ductu,
Stánſque in perpetuum paribus ſuffulta columnis:
Longa tamen parte ab ſumma cùm tota videtur,
Paullatim trahit anguſti faſtigia coni,
Tecta ſolo iungens, atque omnia dextera læuis:
Donicum in obſcurum conî conduxit acumen.
In pelago nautis ex vndis ortus, in vndis
Sol fit vti videatur obire, & condere lumen:
Quippe vbi nil aliud niſi aquam, cælúmque tuentur,
Ne leuiter credas labefactari vndique ſenſus.

IAMQVE RVBRVM TREM. IVBAR) *ſtella ante ſolem ortum vocatur iubar, quòd ſit iubata, inquit Varro de lingua Latina lib.5. Sic item & Feſtus. iubar, ſtella, quam Græci φωσφόρον, id eſt, luciferum appellant, quòd ſplendor eius diffunditur in modum iubæ leonis. quidam tamen putant hîc à Lucretio poſitum eſſe iubar pro ſplendore & lumine ſolis orientis: à quibus diſſentio, accedat ad Varronis & Feſti auctoritatem, Seruij ſententia, qui notat ad illum locum Virgil. 4 Æn. It portis iubare exorto delecta iuuentus, &c. iubare exorto: id eſt, orto Lucifero. nã propriè Lucifer iubar dicitur, quòd iubar lucis effundat.*

QVOS TIBI TVM SVPRA, *&c. ordo eſt. ij montes, ſupra quos monteis ſol tibi eſſe videtur, è propinquo loco eos ſuo igni contingens, vix abſunt nobis, id eſt noſtro iudicio, vel vix à nobis abeſſe videntur bis mille miſſus ſagittæ, atque adeò quingentos teli curſus, ſeu iactus, cùm tamen inter eos & ſolem, immania: id eſt, ingentia atque immenſa maria interpoſita ſint, &c. tres lib. manuſcripti habent, Quos vbi tum, &c.* VERVTI) *Nonius: veruina, ſeu, vt alij ſcribunt, à quibus diſſentio, verbina. genus teli longi, quod nonnulli verutum nominant.*

RETINENT) *colunt, inhabitant.*

AT CONLECTVS AQVÆ) *ſic repoſui, ſecutus trium librorum manuſcriptorum obſcura quædam veſtigia. conlectum aquæ autem interpretor collectionem aquæ. ſeu aquam collectam. Horat. epiſt. ad Vahalam, Collectóſne bibant imbreis, puteóſne perenneis. Quòd ſi quis malet legi, coniectus, vt habent nõnulli libri manuſcripti, & quidam typis excuſi, non pugnabo: vt coniectũ aquæ intelligamus,*

aquam coniectam, & quæ ex pluribus locis in vnum confluxit. in quibuſdam libris vulgatis, vt in Pariſienſib. impreſſum eſt, commictus: quæ ſcriptura fortaſſe deprauata eſt ex ea, quæ reperitur in Memmiano codice, commixtus. commixtus autem, ſeu commiſtus, idem valet, opinor, quod commixtio, confuſio, & colluuies.

QVI LAPIDES INTER S.) *qui inter lapides ſiſtit, ſiue ſtat.* ἀναστροφή.

PER STRATA VIAR.) *per vias lapidibus ſtratas, vel per viæ parteis, quæ ſunt lapidibus ſtratæ. ſup. lib. 2. Strata quoq́; iam volgi pedibus detrita viarum.*

DESPECTVM PRÆBET) *deſpectum, id eſt, adſpectum è loco ſuperiore. Cæſ. lib. 2. quod cùm ex omnibus in circuitu partibus altiſsimas rupeis, deſpectúſque haberet, &c. idem lib. 3. & loca ſuperiora, vnde erat propinquus deſpectus in mare, ab exercitu tenebantur.* IMPETE TANTO,) *id eſt tanta altitudine.*

TERRIS QVANT. CÆLI.) *Sic Virgil lib. 6 Bis patet in præceps tantum, tenditque ſub vmbras, Quantus ad ætherium cæli ſuſpectus Olympum.*

CORPORA MIRANDO SVB TERR.) *ſi ſcripturam vulgatam retinebimus, vt non ſequatur copula verbum, videre, in verſu ſuperiore: & (quod primum eſt) ſi hunc verſum Lucretianum eſſe iudicabimus, mirando, interpretabimur, dum miraris, ſcilicet corpora, &c. ſin addemus copulationem: mirando, cohærebit cum voce, cælo: vt intelligamus, id cælū eſſe mirabile, quod ſub pedibus noſtris cernatur. ſed libri ſcripti reclamant, in quibus partim ſcriptum eſt, mirādæ, partim mirandè: cuius lectionis rationem explicare nequeo. nam mirandè aduerbium inauditum, & inſolens. Ego ſic putabam reponendum. cælum vt videare videre, & Corpora mirari ſub terras abdita cælo. vel ſic, Corpora mirandi ſub terras abdita cæli. Omnino ſi hic verſus tollatur, nihil de ſententia huius loci depereat. Veruntamen iudicet lector.* EQVVS ACER OBHÆSIT) *ſic habent duo cod. manuſcripti, Bertin. & Memmianus. Cùm hæſit equus (inquit) in medio flumine, deſpicientibus nobis in aquas celeriter labenteis, equus videtur rapi in aduerſam, & ſuperiorem partem fluminis: & flumen ſcilicet ſtare.*

RAPTIM) *celeriter, & rapientis in morem. ſic ſuprà lib. 1. nil ab ſe quod poſsit mittere raptim.* PAVLLATIM TRAHIT ANGVSTI) *porticus (inquit) quæ eſt tùm æqualibus columnis in perpetuum ſuffulta, & ita, æquali omni ex parte conſtat altitudine: tùm parietibus æqualiter inter ſe perpetuò diſtantibus, atque ita æquali perpetua conſtat latitudine: ſi eam ſpectes à ſumma parte, videbitur tibi paullatim supernè, atque infernè, à dextra & læua contrahi, & coarctari, & coni ſimilitudinem præ ſe ferre. eſt autem conus vertex rotundus atque obtuſius cuiuſcumque pyramidis ſiue rotundæ, ſiue quadratæ, & lateribus præditæ. Cauſam autem, cur ita videatur, afferunt mathematici pluribus quidem verbis, ſed ego in pauca conferam. Parallelarum linearum partes ab adſpectu remotiores ad extremū fere concurrere videntur: quod ſic demonſtratur. Primùm lineæ parallelæ plures, eandem neceſſariò ſoli, ſeu planitiei extremitatem occupant, fingamus igitur, duas lineas parallelas eſſe centum pedes longas, atque inter ſe diſtare pedes decem. ducātur lineæ decem tranſuerſæ ab altera illarum duarum parallelarum in alteram. hæ ſingulæ ſcilicet erunt inter ſe æquales, & denos pedes longæ. eſto igitur oculus in ſumma parte huius planitiei, in qua parte ducta eſt prima linea tranſuerſa. dico, ſecundam lineam, quæ eſt oculo proxima, (nam primam non numero, quæ oculū tangit) ei, qui cernit, longiorem videri tertia, & tertiam quarta, & quartam quinta, & ita deinceps, adeò, vt vltima linea tranſuerſa & decima, quæ ab oculo remo-*

tiſſima eſt, breuiſſima videatur: cuius rei ratio eſt, quòd, quo quæque magnitudo à nobis longius abeſt, eo angulum, qui ſub oculum cadit, efficit minorem: & contrà, quo quæque magnitudo à nobis propius abeſt, eo angulum, qui ſub oculum cadit, habet maiorem. ex quo ſequitur, magnitudinem tanto nobis videri maiorẽ, quanto à nobis propius abeſt: & contrà, tanto videri minorem, quanto remotior eſt. Sic fit, vt extrema, & remotiſſima pars tectorum porticus, ſolum propè tangere: & dexter paries læuo confuſus eſſe videatur. CONDVXIT) *συνάγει.*

CONDERE) *abſcondere, occultare.*

NE LEVITER CREDAS) *ſic legendum, & ita ſcriptum eſt in libr. manuſcriptis: non, vt in vulgatis, nec leuiter. pendet autem hic verſus à ſuperiore, & ne, idem valet, quod, vt ne, vel, vt non, proinde ac ſi ita dicat: nõ eſt mirum, ſi nautis ſol in vndis obire, & occidere videatur, quippe cùm præter cælum & aquam nihil cernant, ne forte leuiter ac temere credas ſenſus vndique labefactari.*

At maris ignaris, in portu clauda videntur
Nauigia, apluſtris fractis, obnitier vndis.
Nam quæcumque ſupra rorem ſalis edita pars eſt
Remorum, recta'ſt: & recta ſuperne guberna,
Quæ demerſa liquore obeunt, refracta videntur
Omnia conuerti, ſurſúmque ſupina reuerti:
Et reflexa propè in ſummo fluitare liquore.
Raráque per cælum cùm venti nubila portant
Tempore nocturno: tum ſplendida ſigna videntur
Labier aduerſum nubeis, atque ire ſupernè
Longè aliam in partem, quàm quò ratione feruntur.
At ſi forte oculo manus vni ſubdita ſubter
Preſſit eum: quodam ſenſu fit, vti videantur
Omnia, quæ tuimur, fieri tum bina tuendo,
Bina lucernarum florentia lumina flammis,
Bináque per totas ædeis geminare ſupellex:
Et duplices hominum facies, & corpora bina.
Denique cùm ſuaui deuinxit membra ſopore
Somnus, & in ſumma corpus iacet omne quiete:
Tum vigilare tamen nobis, & membra mouere
Noſtra videmur, & in noctis caligine cæca
Cernere cenſemus ſolem, luménque diurnum:
Concluſóque loco cælum, mare, flumina, monteis
Mutare, & campos pedibus tranſire videmur:
Et ſonitus audire, ſeuera ſilentia noctis
Vndique cùm conſtent, & reddere dicta tacentes.
Cetera de genere hoc mirando multa videmus:
Quæ violare fidem quaſi ſenſibus omnia quærunt;

Nequicquam, quoniam pars horum maxima fallit
Propter opinatus animi, quos addimus ipſi,
Pro viſis vt ſint, quæ non ſunt ſenſibu' viſa.
'Nam nihil egregius, quàm res ſecernere apertas
'A' dubiis, animus quas ab ſe protinus abdit.'

AT MARIS IGNARIS, &c.) *In omni re cernēda aut radij ab oculis incidunt duntaxat in rem viſam quamuis tales radij non ſint cauſa viſus: & hic viſus fit rectà per vnum corpus diaphanes, ſeu pellucidum: aut radij, qui ab oculis in rem viſam inciderunt, reflectuntur in oculos: aut iidem illi radij franguntur. Incidunt duntaxat in rem viſam, cùm verbi gratia, equum, aut corpus aliquod, aut colorem in corpore non læui, aut ſi læui, non tamen denſo, cernimus. reflectuntur radij cùm ſpeculum, id eſt, corpus aliquod politum & denſum cernimus: frāguntur cùm rem aliquam per plura corpora pellucida, verbigratia, per aërem, & vitrum, aut aquam cernimus. Quod igitur dicit hîc Lucret. maris ignaris nauigia in portu, clauda, & eam remorum partem, quæ in mari merſa eſt, fractam & curuam videri: is error oculorum naſcitur ex tertio cernendi modo, qui fit per duo corpora διαφανῶν, quorum alterum ſit magis pellucidum, quàm alterum: vt aër magis pellucidus eſt, quàm aqua: aqua denſior eſt aëre. Nam cùm, verbi gratia, remum, ſeu potius remi partem ſub aqua cernimus, eam remi partem non rectè, ſed obliquè cernimus, neque ipſa remi pars re vera cernitur in eo corpore pellucido, quod eſt denſius aëre, ſed imago, & ſimilitudo duntaxat, quia linea à re viſa non reflectitur rectà ad oculum, ſed in extremitate ſecūdi corporu pellucidi, nempe aquæ, refringitur. Quo fit, vt oculus rem non ſuo loco cernat, ſed alio: immo non rem ipſam, quippe quæ recta ſit, ſed vmbram quandam rei incuruam ac refractam, videat: & cùm remi partes continuæ directè apparere non poſſint, appareant continuatæ indirectè.*

APLVSTRIS FRACTIS) *quid ſint apluſtra diximus ſuprà lib. 2. ad illum locum fluitantia apluſtra.* NAM QVÆCVMQVE) *quæcumque (inquit) remorum pars exſtat ſupra rorem ſalis: id eſt, aquā maris, recta eſt: quæ merſa eſt, refracta videtur. M. Tull. Lucullo Neque verò hoc loco exſpectandum eſt, dum de remo inflexo, aut de collo columbæ reſpondeam. Plutarchus, πρὸς κολώτην, eo loco, vbi diſputat aduerſus ſenſus, oſtendens, eos non ſemper eſſe veros, aut veri nuntios, ait, rei quidem, quæ ſub aqua eſt, imaginem, à qua imagine viſus afficitur, atque (vt ita dicam) patitur, eſſe fractam, remum autem, ex quo fluit imago, non eſſe fractum. τὸ γὰρ εἴδωλον ὑφ' οὗ πάσχει ἡ ὄψις, κεκλασμένον ἐστίν· ἡ κώπη δὲ, ἀφ' ἧς τὸ εἴδωλον, οὐκ ἔστι κεκλασμένη. huc pertinent ea, quæ ſcribit Seneca natur. quæſt lib. 1. cap. 3. Nihil acie noſtra fallacius, non tantùm in his. à quibus ſubtiliter peruidendis illam colorum diuerſitas ſubmouet, ſed etiam in his quoque, quæ ad manum cernit. Remus integer in tenui aqua fracti ſpeciem reddit: Poma per vitrū aſpicientibus multo maiora ſunt: Columnarum interualla porticus longiores iungunt. Sed quæret aliquis φιλομαθὴς, hoc Senecæ loco, quem modò protuli, lecto, de pomus per vitrum adſpectis, quamobrem maiora videantur. hāc rationem affert Alexander Aphrod. lib. 1. problem. 36. niſi fallor. quia (inquit) aqua pomo, aut alij corpori merſo circumdata, colorē corporum illorum in ſe recipit, & ſenſum videndi fallit, quaſi illa ſint maiora, quàm re vera ſunt. Hac enim ratione etiam ſol, & luna, & ſtellæ errantes cùm in finiente, ſeu horizonte orientali, aut occidentali (liceat mihi his nominibus vti)*

vti) verſantur, maiores, quàm alio in loco, putantur, eò quòd aër, qui corpora illa complectitur, cuiuſdammodi ab illis fiat. Hactenus ille. Quæ ratio autem in aqua locum habet, eadẽ in vitro valet. ET RECTA SVPERNE GVBERNA) *ſic legendum, & ita habent libri quinque manuſcripti. Nonius autem docet, guberna, poſitum eſſe ab antiquis, pro gubernacula, vt à Lucill. lib. 20. ſaty. Proras deſpoliate, & detondete guberna. Auctor vocabularij Latinogræci, gubernum, inquit, κυβέρνιον. ſup. lib. 2. Diſiectare ſolet magnum mare tranſtra, guberna. Iuuabit Tertullianũ legere lib. de anima, cap. de quinque ſenſibus, de his omnibus ſenſuum fallaciis diſputantem. Cuius hæc pauca verba adſcribam, loci duntaxat indicandi gratia. Itaque mẽdacium, inquit, obiicitur: quòd remos in aqua inflexos, vel infractos adſeuerat aduerſus conſcientiam integritatis: quòd turrem quadrangulatam de longinquo rotundam perſuadeat: quòd æqualiſſimam porticum anguſtiorem in vltimo infamet: quòd cælum tanta ſublimitate ſuſpenſum mari iungat. Perinde auditus fallaciæ reus: vt cùm cæleſte murmur putamus: & plauſtrum eſt, &c.*

RARAQVE PER CÆLVM CVM) *tempore nocturno (inquit) cælo ſereno, cùm ventus nubila rara: id eſt nubeis inaneis, & pellucidas portat, ſtellæ videntur aduerſum nubila moueri, & nubila ſtare.*

SPLENDIDA SIGNA) *ſtellæ.* ADVERSVM NVBEIS) *ſic legendum, reclamantibus libris omnibus, qui habent, aduerſum nimbos. rara enim nubila, nimbi dici poſſe non videntur.* AT SI FORTE OCVLO) *Quamobrem hoc fiat, rationem afferens Ariſtot. problem. ſect. 3 idem accidit (inquit) ſi quis infernè oculum premat, quod ebriis, nempe, vt vnum cernẽtibus, duo videantur. motum eſt enim principium aſpectus, ita, vt oculus alter cõuenire in vnum non poſſit. hoc tantum intereſt, quòd hic motus fit extrinſecus: ille autem, qui fit à vino, intrinſecus. hactenus Ariſt. licet & hanc cauſam afferre. Tum oculus directè videt, cùm radij à re viſa in pupillam cadunt ad perpendiculum, & recta ad principium viſus, coniunctionémque neruorum ad viſum conferentium feruntur. At cùm oculus alter manu premitur, curuatur aſpectus, & nerui ſurſum ac deorſum mouentur: & huc & illuc diſtrahuntur. ita fit, vt vnum plura videantur.*

PRESSIT EVM) *Sic habent codices manuſcripti, Memm. & Bertin. Hoc eò dico, quòd Thraſo aſſeuerat, qua audacia, & confidentia eſt, in omnibus libris manuſcriptis eſſe ſcriptum, Preſſit, cum quodam ſenſu, &c. Marullum autem ex, cum, feciſſe eum. Atqui certe ſcio Marullum hos duos libr. manuſcrip. numquã attigiſſe, aut vidiſſe.* BINA LVCERNARVM FLORENTIA LVM.) *ſic habent quattuor libri manuſcripti, quibuſcum congruũt libri Pariſienſ. & Veneti antiquiores. ceteri vulgati habent flagrantia. quidam vir doctus putabat legendum, flammantia, vt apud Virg. lib. 3 Georg. Exſilit in ſiccum, & flammãtia lumina torquens Sæuit agris: à quo diſſentio, malóque legi, vel, vt eſt in nonnullis vulgatis, flagrantia. quod tamen minus probo, & ſuppoſitum puto: vel, vt in manuſcriptis, florentia, vt ſit metaphora ducta ab arborum, aut aliarũ rerum floribus. Atque hanc ſcripturam amplector ſic ſuprà, Donec fulſerunt flammai flore coorto.*

DENIQVE CVM SVAVI) *de ſomniis diſputabit pluribus verbis infrà eod. lib ſub extrem.* CENSEMVS) *putamus: & ita ſæpe vſurpat Plautus.*

CONCLVSOQVE LOCO) *lib. Vatic. & Faërn. habent, Concluſiq; loco. verumtamen nihil muto.* SEVERA SILENTIA) *cur ſeuera? an quia triſtia? vt lib. 5 princip. pelagéque ſeuera. an quia ſeueros decent, & σεμνούς? an*

quia ſacra? an legendum ſonora? Vſu enim didicimus, nocte ſilente maximè ſonitus audiri etiam leuiſſimos. an ſerena? ſic enim ſupr. libr. I. nocteis vigilare ſerenas. Sic ferè tamen, vt hîc, lib. 5. Luna, dies, & nox, & noctu ſigna ſeuera.

QVONIAM PARS HORVM MAX. FALL. PROPT.) *hoc tenebat mordicus Epicurus (vt ſuprà diximus) ſenſus eſſe veros: & ſi quid erroris nobis obiiciatur in videndo, aut audiendo, &c. eum errorem naſci ex opinione, non ex ſenſibus dicebat. quod propemodũ probat Ariſt. cùm alibi, tum lib. 3. de Animo. ἡ μὲν γὰρ αἴσθησις τῶν ἰδίων, ἀεὶ ἀληθὴς, &c. id eſt, ſenſus propriorum ſemper verus eſt. ibidem. ἡ αἴσθησις τῶν μὲν ἰδίων ἀληθής ἐστιν, ἢ ὅτι ὀλίγιστον ἔχουσα τὸ ψεῦδος, id eſt, ſenſus quidem propriorum ſubiectorum ſemper verus eſt: aut quàm minimùm mentitur. Hac autem de re ſic M. Tull. in Lucullo. Itaque Timagoras Epicureus negat ſibi vnquam, cùm oculos torſiſſet, duas ex lucerna flammulas eſſe viſas: opinionis enim eſſe mendacium, non oculorum. ibidem ſuprà. Eò enim rem demittit Epicurus, ſi vnus ſenſus ſemel in viſa mentitus ſit, nulli vnquam eſſe credendum. Idem lib. I. de Finibus. iudicia rerum in ſenſibus ponit: quibus ſi ſemel aliquid falſi pro vero probatum ſit, ſublatum eſſe omne iudicum veri & falſi putat.*

OPINATVS) *opinationes. vtitur eodem nomine Arnobius lib. I. explorata ſidei veritate, an rumoris caſſi opinatione ſit creditus.*

NAM NIHIL EGREG.) *ſecutus ſum libr. vulgatos. nam manuſcripti tres habent, Nam nihil ægrius eſt. Memmianus: Nam nihil gregius eſt. Bertinianus. Nam nihil ægrius eſt, quàm res cernere apertas, verſu ſyllaba vna claudicante. ex qua ſcriptura videri poſſit legendum: Nam nihil ægriu' ſit, quàm res ſecernere apertas, &c. quidam legendum cenſent. Nam nihil egregiu'ſt. id eſt egregium eſt. Paucis complectar quod ſentio. hic verſus cum proximo nõ videtur mihi τῶν πάνυ, non quòd comparatiuum, egregius, me offendat (quanquam offendit.) Nam à Catone dictum eſt, induſtriorem, iter arduius, innoxiiorem: à Lucillio, ſtrenuior: à Plauto, Induſtrior: à Pacuuio, egregiiſſima forma, &c. quæ refert Priſc. lib. 3. ſed quia hi duo verſus ſententiam continent perplexam, & abſurdam, & ineptam. quis enim interrogatus quamobrem non fallantur ſenſus, ſed opinionum ſit mendacium, & fallacia, reſpondeat, quia nihil egregius eſt, quàm res apertas à dubiis diſtinguere, ac ſecernere? præterea quid ſibi volunt illa, animus quas ab ſe protinus abdit? Nam ſi hoc ſignificant, animum ſtatim res dubias à ſe repellere, atque à perſpicuis & apertis diſtinguere, quia has intelligat, illas comprehendere non poſſit: falſum eſt nihil eſſe magis egregium, quàm res apertas à dubiis ſecernere. Omnino in hoc loco mihi aqua hæret, neque quidquam aliud dicere poſſum, quàm quod modò dixi, mihi hos verſus non videri Lucretianos.*

Denique, nil ſciri ſiquis putat, id quoque neſcit,
An ſciri poſſit, quo ſe nil ſcire fatetur.
Hunc igitur contra mittam contendere cauſam,
Qui capite ipſe ſuo inſtituit veſtigia retro.
Et tamen hoc quoque vti concedam ſcire, at id ipſum
Quæram, quom in rebus veri nil viderit antè:
Vnde ſciat, quid ſit ſcire, & neſcire viciſſim:
Notitiam veri quæ res, falſiq; crearit:

Et dubium certo quæ res differre probarit.
Inuenies primis ab ſenſibus eſſe creatam
Notitiam veri, neque ſenſus poſſe refelli.
Nam maiore fide debet reperirier illud,
Sponte ſua veris quod poſſit vincere falſa.
Quid maiore fide porrò, quàm ſenſus haberi
Debet? an ab ſenſu falſo ratio orta, valebit
Dicere eos contra, quæ tota ab ſenſibus orta'ſt?
Qui niſi ſint veri, ratio quoque falſa fit omnis.
An poterunt oculos aures reprehendere? an aureis
Tactus? an hunc porrò tactum ſapor arguet oris?
An confutabunt nares, oculíve reuincent?
Non (vt opinor) ita'ſt. nam ſeorſum quoique poteſtas
Diuiſa'ſt: ſua vis quoique'ſt. ideóque neceſſe'ſt,
Quod molle, aut durum eſt: gelidum, feruénſve: ſeorſum
Id molle, aut durum: gelidum, feruénſve videri:
Et ſeorſum varios rerum ſentire colores,
Et quæcumque coloribu' ſunt coniuncta, neceſſe'ſt.
Seorſus item ſapor oris habet vim, ſeorſus odores
Naſcuntur, ſeorſum ſonitus: ideóque neceſſe'ſt,
Non poſſint alios alij conuincere ſenſus.
Nec porrò poterunt ipſi reprendere ſeſe:
AEqua fides quoniam debebit ſemper haberi.
Proinde, quod in quoque'ſt his viſum tempore, verum'ſt.
Et, ſi non poterit ratio diſſoluere cauſam,
Cur ea, quæ fuerint iuxtim quadrata, procul ſint
Viſa rotunda: tamen præſtat rationis egentem
Reddere mendoſè cauſas vtriuſque figuræ,
Quàm manibus manifeſta ſuis emittere quæquam:
Et violare fidem primam, & conuellere tota
Fundamenta, quibus nixatur vita, ſalúſque.
Non modò enim ratio ruat omnis: vita quoque ipſa
Cóncidat extemplò, niſi credere ſenſibus auſis,
Præcipiteiſque locos vitare, & cetera, quæ ſint
In genere hoc fugienda: ſequi, contraria quæ ſint.
Illa tibi eſt igitur verborum copia caſſa
Omnis: quæ contra ſenſus inſtructa, parata'ſt.
Denique vt in fabrica, ſi praua'ſt regula prima:
Normáque ſi fallax rectis regionibus exit:

Et libella aliqua ſi ex parti claudicat hilum:
Omnia mendoſè fieri, atque obſtipa neceſſum'eſt,
Praua, cubantia, prona, ſupina, atque abſona tecta,
Iam ruere vt quædam videantur velle, ruántque,
Prodita iudiciis fallacibus omnia primis:
Sic igitur ratio tibi rerum, praua neceſſe'ſt,
Falſáque ſit, falſis quæcumque ab ſenſibus orta'ſt.

DENIQVE NIL SCIRI) *Hæc, quæ ſequuntur, dicuntur in Academicos, qui nihil ſciri, nihil comprehendi poſſè, ſenſus eſſe fallaceis, ac mendaceis contendunt. Sic Metrodorus Chius, vt refert M. Tull. in Lucullo Nego ſcire nos, ſciamúſne aliquid, an nihil ſciamus: ne id ipſum quidem neſcire, aut ſcire nos: nec omnino ſitne aliquid, an nihil ſit. Idem ibid. Parmenides, Xenophanes minus bonis quamquã verſibus, ſed tamen illis verſibus, increpant eorum arrogantiam, quaſi irati, qui, cum ſciri nihil poßit, audeant ſe ſcire dicere. ibidem. dubitari non poteſt, quin Socrati nihil ſit viſum ſciri poſſe. excepit vnũ tantum ſcire ſe, nihil ſe ſcire: nihil amplius. quid dicã de Platone: qui certe tam multis libris hæc perſecutus nõ eſſet, niſi probauiſſet.*

QVO SE NIL SCIRE FAT.) *libri ſcripti tres habẽt, quoniam nil ſcire fatetur. ego malim legi: quòd ſe nihil ſcire fatetur. vel, quom ſe nil ſcire fatetur quãquam ſcriptura illa antiqua probari poteſt, vt ſubintelligamus, ſe. Hæc autem omnia diſputantur, & dicuntur aduerſus nouos Academicos, quorum fuit princeps Arceſilas. Hic (vt ſcribit Lactantius, ſeu Lutatius Firm. lib. 3. de falſa ſapientia, introduxit genus philoſophiæ ἀσύστατον: id eſt inſtabile, ſeu inconſtans. Vt enim nihil ſciri poſſe ſciendum ſit, aliquid ſciri neceſſè eſt. Nam ſi omninò nihil ſcias, idipſum nihil ſciri poſſe tolletur. Ita ſi nihil ſciri poteſt, neceſſè eſt id ipſum ſciri, nihil ſciri. Si autem ſcitur, nihil poſſe ſciri: falſum eſt ergo quod dicitur, nihil poſſè ſciri. Hæc ille.*

HVNC IGITVR) *hos verſus, vt vulgò leguntur, edidi, eóſque primùm explicabo, meo arbitratu: deinde quid de iis ſentiam, & quomodo ſcripti ſint in libris manuſcriptis, lectori indicabo. Hunc igitur contra: id eſt contra hunc igitur. ἀναστροφή. Sed quidam legi volunt, Hanc igitur.* MITTAM) *omittam.*

CONTENDERE CAVSAM) *ſic loquitur M. Tull. Catil. ſi cauſas contendere velimus. Sed ſi legamus, Hanc igitur: contendere erit verbum abſolutum.*

QVI CAPITE IPSE SVO) *id eſt, qui capite ſuo retro graditur. ſignificat, opinor, eos præpoſtero & peruerſo eſſè iudicio, qui ita ſentiunt. Sed primum quorſum hæc? contra hunc igitur diſputare deſinam, qui capite ſuo retrograditur. cùm præſertim continuò ſubiiciat, Et tamen hos quoque, &c. Deinde ſi horum verſuum ſententia illa eſt, nónne videtur parùm planè expreſſa? Omnino verſus mihi ſuſpecti ſunt. augent ſuſpicionem codices aliquot manuſcripti, in quibus legitur partim, mittuam, partim, mutnam, pro, mittam: deinde pro, cauſam, partim, cuſem, partim, cauſa. deinde pro, retro, ſeſe. Omnino ſi hi duo verſus tollantur, nihil de ſententia depereat. Verumtamen quoniam reperiuntur in libris omnibus manuſcr. (tametſi cognouimus iam, verſus non Lucretianos etiam in veteribus libris eſſe ſæpe inculcatos) videamus ecquid ex antiquæ ſcripturæ veſtigiis boni trahere poßimus. Quid igitur ſi ex, mittam, faciamus, quidnam? ex, cuſem. curem, & ſic legamus? Hunc igitur contra quid'nam contendere curem, Qui capite ipſe ſuo inſtituit veſtigia retro?*

INVENIES PRIMIS AB SENS.) *de hoc conſentiunt inter ſe omnes philoſophi, præter Academicos, ſcientiam oriri à ſenſibus. Sed, quod dicebat Epicurus,* κριτήρια τῆς ἀληθείας εἶναι τὰς αἰσθήσεις, οὐδὲ εἶναι τὸ δυνάμενον αὐτὰς διελέγξαι, *id eſt iudiciũ veritatis penes ſenſus eſſe, neque eſſe quicquam, quod eos refellere queat: id negabant etiam veteres Academici, & multi alij. Mentem enim volebant eſſe rerum arbitram, atque iudicem: ſenſus autem omneis, hebetes & tardos, nec vllo modo res eas percipere, quæ ſibi ſubiecta viderẽtur: vt pote quæ eſſent aut ita tenues & paruæ, vt ſub ſenſum cadere non poſſent: aut ita mobiles, & celeres, vt nihil vnquam vnum & idem eſſet, quia omnia continenter fluerent, & laberentur.*

NEQVE SENSVS) *ſic legendum eſt: & ita ſcriptũ eſt in libris omnibus. Denique, vt ita legatur, ſententia poſtulat, neq; vlla opus eſt coniectura: & Zoilus, qui, neque ſenſibus, vult legi, nihil aliud, quàm ſtuporem ſuum indicat, ac declarat.*

QVI NISI SINT VERI) *ſi ſenſus non ſint veri (inquit) ne ratio quidem ipſa vera ſit, cùm ſit orta à ſenſibus. ſic Epicurus,* πᾶς γὰρ λόγος ἀπὸ τῶν αἰσθήσεων ἤρτηται. πᾶσα δὲ αἴσθησις ἄλογός ἐστιν· *id eſt, omnis enim ratio à ſenſibus pendet: ſenſus autem omnis rationis expers eſt. M. Tullius lib. I. de natura deor. Timuit Epicurus, ne, ſi vnum viſum eſſet falſum, nullum eſſet verũ. omneis ſenſus veri nuntios dixit eſſe.*

AN POTERVNT OCVLOS) *ſic Epicurus,* οὔτε ἡ ὁμοιογενὴς αἴσθησις τὴν ὁμοιογενῆ διελέγξαι δύναται διὰ τὴν ἰσοσθένειαν· οὔτε ἡ ἀνομοιογενὴς τὴν ἀνομοιογενῆ. οὐ γὰρ τῶν αὐτῶν κριτικαί. *id eſt, neque enim ſenſus ſimilis generis, eiuſdem generis ſenſum refellere poteſt, propter virium, & poteſtatis æqualitatem: neque qui diſsimilis generis eſt, eum, qui diſsimili genere eſt, propterea quòd diſsimilis generis ſenſus de iiſdem iudicandi facultatem non habent.*

QVOD MOLLE, AVT DVRVM EST: GEL. FERV. SEORS.) *Quis non videt, hunc verſum deeſſe, librariorum negligentia prætermiſſum? hoc enim ſentit Lucretius. ſuum cuiuſque ſenſus munus eſt, ſua cuique vis & poteſtas data eſt. ideò neceſſe eſt, ſeorſum id videri molle, aut durum: gelidum, aut feruens, quod ſit molle, aut durum, gelidum, aut feruens: nempe hæc tactu ſolo indicari: & ſeorſum colores, eáque, quæ ſunt coloribus coniuncta, ſentire neceſſe eſt, videlicet oculis, & videndi ſenſu, & ita de ceteris. deorſum, autẽ, & ſeorſum, interdũ eſſe diſſyllaba, interdũ triſyllaba, ſuprà oſtendimus. ibi, lib. 3 & (vt docui) diuiſa ſeorſum.*

NEC PORRO POTERVNT) διὰ τὴν ἰσοσθένειαν: *id eſt propter æqualitatem poteſtatis. non poterit (inquit) viſus viſum refellere, nec auditus auditum, nec guſtatus guſtatum, propter æqualem vtriuſque poteſtatem, fidem, atque auctoritatem. quidam libri habent, Nec porrò poſſunt. ego nihil muto.*

MENDOSE) *perperam, malè.* QVAM MAN. MANIF. SVIS EMITTERE QVÆQVAM) *quàm emittere, ſeu amittere res manifeſtas de ſuis manibus. amittere, autem legendum videtur, non, emittere. amittere, enim valet idem, quod apud Græcos,* ἀποβάλλειν, ἀφεῖναι, ἢ προΐεσθαι. *quoquam autem olim excudendum curaui, quemadmodum habent aliquot libri manuſcripti, & omnes vulgati, præter Florentin. qui habent, quenquam, & Pariſienſ. in quibus eſt, quæquam. quibuſcum conſentiunt nonnulli etiam veteres. atque hãc poſtremam lectionem nunc magis probo: &, quæquam, interpretor, vlla, ſeu, aliqua. licet tamẽ etiam legere, quemquam: id eſt aliquem.*

NISI CRED. SENSIB. AVSIS,) *id eſt ſi diffidas, & fidem deroges ſenſibus: ſi dicas ſenſus eſſe fallaceis, & incertos.*

SEQVI, CONTRARIA. QVÆ SINT) *ſequi quæ ſint contraria fugiendu, id eſt quæ ſint expetenda.* ET VIOLARE FIDEM PRIMAM) *eam ſcilicet, quæ debetur ſenſibus. M. Tull. in Lucullo ait, Chryſippum, dum ſtudioſè omnia conquiſierit contra ſenſus, & perſpicuitatem, contra omnium conſuetudinẽ, contráque rationem, ipſum ſibi reſpondentem, ſe inferiorem fuiſſe. Itaque ab eo armatum eſſe Carneadem Academicum contra ſenſus diſputantem.*

NON MODO ENIM) *Sic Q. Sept. Fl. Tertullianus lib. de anima, cap. de quinque ſenſib. Quid agis Academice procaciſsime? totum vitæ ſtatum euertis: omnem naturæ ordinem turbas: ipſius dei prouidentiam excæcas: qui cunctis operibus ſuis intelligendu, incolendis, diſpenſandis, fruendiſque fallaceis & mendaceis dominos præfecerit ſenſus.* CASSA) *vana, inanis.*

OMNIS, QVÆ CONTRA SENS. INSTR. PARATA'ST) *Hunc verſum habent codex Vaticanus, Tettianus, & Memmianus: & eius ſententia eſt non inconcinna, meo quidem iudicio. Thraſo autẽ non delendum iudicauit, ſed funditus deleuit. Si quos verſus negamus eſſe Lucretij, tragædias excitat: clamat, indignum facinus. Cur tam indulgens in ſe ipſe, in alios tam ſeuerus eſt?*

DENIQVE VT IN FABRICA) *vult, ſenſus eſſe tamquam omnium rerum normas, ac regulas. Quemadmodum igitur ſi fabri regulu, normis, libellis fallacibus vtantur, ædificia, quæ ſtruunt, praua, & diſtorta ſint: Ita ſi ſenſus noſtri ſint fallaces, actiones omnes noſtræ, ratio quoque ipſa, quæ ſenſibus nititur, incerta, abſurda, praua, peruerſa ſit. Licet etiã hoc modo ſenſus defendere. Scientiæ certæ ſunt. principia ſcientiarum oriuntur á ſenſibus. nam inductiones conſtant ex ſingularibus. ſingularia autem in ſenſibus poſita ſunt. At ſyllogiſmi, qui ſunt principia & cauſæ ſcientiarum, confirmantur, & probãtur inductionibus. Ergo ſenſus certi ſunt, miniméque fallaces. alioqui ſcientiæ, quæ oriuntur à ſenſibus, eſſent ipſæ quoque fallaces, atque incertæ. Regula, lignum eſt rectum, oblongum, & latum, quo fabri vtuntur ad rectitudines exigendas, & parietes ædificiorum dirigẽdos. fiunt etiam è ferro regulæ regulã Græci κανόνα appellant. Norma autẽ ex duabus regulis conſtat inæqualibus, ita coniunctis, vt angulũ rectũ efficiant: γνώμονα Græci: ſquadrã fabri noſtri nominant.* ET LIBELLA) *libella conſtat regulis duabus æqualibus, ita iunctis inter ſe alteris duobus capitibus, & diuaricatis duobus alteris, vt rectum angulum efficiant additur tertia regula, & ab vtroq. ſuo extremo cũ ceteris duabus per medias circiter parteis compingitur pendet præterea è filo ab angulo, quem efficiunt duæ maiores regulæ, plumbea paruula maſſa turbinata. collocatur iam libella hoc modo, vt duarum regularum longiorum extremis nitatur, & illæ regulæ pronæ altera in alteram incumbant: ab angulo autem plumbum deorſum demiſſum ita filum ad tranſuerſam regulam adplicet, vt eam mediam tangat, & æqualiter à ceteris duabus regulis diſtet.* ALIQVA SI EX PARTI) *id eſt ſi aliqua ex parte. parti, pro, parte, vt ſuprà, contagi, pro, contage, & ſimil.* ATQVE OBSTIPA) *i. curuata, obliqua, inflexa. Ennius lib. 18. Montibus obſtipis, obſtantibus, vnde oritur nox. M. Tull. Arato. Obſtipum caput, & tereti ceruice reflexum. Horat. ſaty. 5. lib. 2. Dauus ſis comicus, atq; ſtes capite obſtipo, multùm ſimilis metuẽti Perſius ſaty. 3 ærumnoſiq; Solones, Obſtipo capite, & figentes lumine terram. Ne quis autem dubitet de hac ſcriptura, ſic reperi ſcriptum in quinque libris manuſcriptis. quod eo teſtatus ſum, quòd apud Feſtum legitur, obſtitum, non, obſtipum: fortaſſe mendosè: niſi dicamus aliud eſſe, obſtipum, quàm, obſtitum: qua de re iudicet lector.*

Nunc alij ſenſus quo pacto quiſque ſuam rem
Sentiat, haud quaquàm ratio ſcrupoſa relicta'ſt,
Principiò auditur ſonus, & vox omnis, in aureis
Inſinuata ſuo pepulere vbi corpore ſenſum.
Corpoream quoque enim vocem conſtare fatendum'ſt,
Et ſonitum, quoniam poſſunt impellere ſenſus.
Præterradit enim vox fauceis ſæpe: facítque
Aſperiora foras gradiens arteria clamor.
Quippe, per anguſtum turba maiore coorta
Ire foras vbi cœperunt primordia vocum:
Scilicet expletis quoque ianua raditur oris.
Rauca ſuis, & iter lædit, qua vox it in auràs.
Haud igitur dubium eſt, quin voces, verbáque conſtent
Corporeis è principiis, vt lædere poſſint.
Nec te fallit item, quid corporis auferat, & quid
Detrahat ex hominnm neruis, ac viribus ipſis
Perpetuus ſermo nigraï noctis ad vmbram,
Auroræ perductus ab exoriente nitore,
Præſertim ſi cum ſummo'ſt clamore profuſus.
Ergo corpoream vocem conſtare neceſſe'ſt,
Multa loquens quoniam amittit de corpore partem.

NVNC ALII SENSVS) *Nunc docebit quo pacto rem ſibi ſubiectam quiſque ſenſus ſentiat: atque initium ducet ab auditu.*

SCRVPOSA) *difficilis, aſpera. tralatio à viis. Scrupi autem dicuntur ſaxa aſpera: ex quo ſcrupoſam rem dicimus, quæ aliquid habet in ſe aſperitatis. Proprie dixit Plautus in Capt. ſcrupoſam viam, id eſt, aſperam, & ſaxis impeditam, quamuis totus ille ſermo ſit allegoria tectus. Sic igitur Plautus, I modò, venare léporem: nunc irim tenes. Non meus ſcrupoſam victus commeat viam.*

INSINVATA.) *Ordo eſt, vox & ſonus inſinuata in aureis.*

CORPOREAM QVOQVE ENIM) *quia dixerat, pepulere: pellere autē quicquā nullà res poteſt, niſi corpus (Tangere enim & tangi niſi corpus, nulla poteſt res) iccirco ſubiunxit, Corpoream quoque enim, &c. Plato (ve ſcribit Gell. lib. 5. cap. 15.) non putat vocem corpus eſſe: quia non percuſſus aër, ſed plaga ipſa, atque percuſsio, vox eſt. Neque verò quæuis aëris plaga, vox eſt: aërem enim verberat etiam digitus motus, neque tamen vocem efficit: ſed acris, & valida plaga: tanta denique vt aureis feriat, auditúmque laceſſat. quo loco videtur φωνῆς, id eſt vocis, nomen pro ſono poſuiſſe. Oportet enim vocem ab aëre per aureis & cerebrum, & ſanguinem ad animum peruenire. alioqui plaga aëris, ſonus erit, non vox. Stoici autem vocem, corpus eſſe volunt. quicquid enim facit, aut patitur, corpus eſſe: vocem facere & pati: facere quidem cùm aureis & aërem, qui eſt in capite, verberat, cúmque ab ea imprimitur auditus, tanquam cera ab annulo: pati autem, cùm ea incidens in loca læuia, & ſolida refringitur, ac repellitur. Plato in Timæo ſic vocem deſinit,* [illegible]

ὑπ᾽ ὤτων ἀέρος, ἐγκεφάλου τε, καὶ αἵματος μέχρι ψυχῆς πληγὴν διαδιδομένην, id eſt plagam, quæ ab aëre per aureis, cerebrum, & ſanguinem vſque ad animum diditur. Ariſtot. autem lib. 2. de animo, ſic, φωνὴ δή ἐστι πληγὴ τοῦ ἀναπνεομένου ἀέρος ὑπὸ τῆς ἐν τούτοις τοῖς μορίοις ψυχῆς πρὸς τὴν καλουμένην ἀρτηρίαν, id eſt, vox, eſt plaga aëris, qui reſpiratur ab anima, quæ eſt in his particulis, ad eam, arteria quæ appellatur. hunc verſum cùm tribus deinceps ſequentibus profert A. Gellius lib. 10. cap. 26.

ARTERIA) *arteria vſurpauit in neutro genere, numero multitudinis, cùm ſit vſitatius in fœminino. M. Tull de nat. Deor. lib. 2. Primùm enim à pulmonibus arteria vſque ad os intimum pertinet: per quam vox principium à mente ducens, percipitur & funditur lege apud eundem eod. libro præclara de auditu, & auribus.*

SCILICET EXPLETIS Q. IAN. RADITVR ORIS) *ſic excudendum curaui, ſecutus quinque librorum manuſcriptorum auctoritatem. verſum autem, qui proxime ſequitur in vulgatis libris, Rauca ſuis, & iter lædit, quà vox it in auras, vel, vt eſt in aliis, Rauca ſuis, & iter reddit, qua vox, &c. vel vt in aliis, Rauca viis, & iter lædit, &c. ego veruto confodi iuſsi, quia eum non reperi in libris manuſcriptis. oris autem expletis, ſunt ablatiui caſus abſolutè poſiti. oris enim nõ eſt ab os, ris, ſed ab ora, æ. Cùm hæc ſcripſiſſem, Zoilus, grauis auctor, ſcripſit, ſe hunc verſum non admiſiſſe. dicere voluit, non recepiſſe: quaſi verò ei primo hoc venerit in mentem. Sed non eſt hoc in hac bellua nouum.*

NIGRAI N. AD VMBR.) *vſque ad noctem perductus.*

AVRORÆ PERD. AB EX. N.) *ab aurora, ſeu à matutino tempore.*

Aſperitas autem vocis fit ab aſperitate
Principiorum, & item læuor læuore creatur.
Nec ſimili penetrant aureis primordia forma,
Quom tuba depreſſo grauiter ſub murmure mugit,
˙Aut reboant raucum retro cita cornua bombum: ˙
Vallibus & cycni gelidis orti ex Heliconis
Cùm liquidam tollunt lugubri voce querelam.
Haſce igitur penitus voces cùm corpore noſtro
Exprimimus, rectóque foras emittimus ore:
Mobilis articulat verborum dædala lingua,
Formaturáque labrorum pro parte figurat.
Atque vbi non longum ſpatium'ſt, vnde illa profecta
Perueniat vox quæque: neceſſe'ſt verba quoque ipſa
Planè exaudiri, diſcerníque articulatim.
Seruat enim formaturam, ſeruátque figuram.
At ſi interpoſitum ſpatium ſit longius æquo:
Aëra per multum confundi verba neceſſe'ſt,
Et conturbari vocem, dum tranſoluat auras.
Ergo fit, ſonitum vt poſſis audire, neque hilum
Internoſcere, verborum ſententia quæ ſit,
Vſqueadeò confuſa venit vox, inque pedita.

ASPERITAS AVTEM VOC.) *Docet vnde naſcatur vocis aſperitas, & læuor, ſeu læuitas: Et oſtendit, creari vocis aſperitatem à principiis aſperis: læuorem, læuibus. Ordo autẽ horum verſuum perturbatus erat in libris vulgatis, & in nonnullis manuſcriptis, quem reſtitui, ab aliis libris, & ratione ipſa admonitus. Præterea cùm libri vulgati ſic haberent, læuis læuore creatur: manuſcripti, partim læuor lætiore, partim lætio lætiore, partim læuor læuore: hanc poſtremam, vt rectam, amplexus ſum. Eſt enim hæc, vt dixi, ſententia: læuor vocis, læuore principiorum creatur.* NEC SIMILI PENETRANT AVREIS, &c.) *id eſt, nec ſimili forma prædita primordia vocum, aureis penetrant, cùm tuba grauiter murmure mugitum edit, atque cùm cycni moribũdi canunt: hoc eſt, alius eſt tubæ ſonitus, alitérque aureis afficit, quàm cycni cantus, & diuerſæ ſunt primordiorum vtriuſque ſonitus figuræ.*

ET REBOANT RAVCVM RETRO CITA CORN. B.) *hunc verſum olim ὠβέλισα, tanquã ſpurium, & interiectum, quamuis eum repererim in libr. manuſcrip. non tamen vno modo ſcriptum. in nonnullis enim ita ſcriptus eſt, Et reuocat raucũ retro cita barbara bombum: in Memmiano verò ſic, Et reboat raucum retrocita cornua bomb. in Tettiano, Aut reboant raucum retro cita cornua bombum: quam ſcripturam ſecutus ſum in ſecunda editione, vt longè omnium optimam. eãdémque nunc retineo. Pariſienſes autem, cum quibus cõgruunt Aldini antiquiores, in eius locum habent, Et reflexa retrò dant cornua barbara bombum. Ego neque hunc, neque illos, Lucretianos eſſe arbitror: ſuſpicor autem, quiſquis hos verſus affinxerit, eum Catullianos illos ſpectaſſe in carmine de nupt. Pelei. & Thet. Multáq; raucíſonos efflabãt cornua bombos, Barbaráque horribili ſtridebant cornua cantu.*

VALLIBVS ET CYCNI GELIDIS ORTI EX HELICONIS) *ſic reſtitui, partim codices manuſcriptos, & nonnullos impreſſos ſecutus, partim cõiectura ductus. nam cùm in manuſcrip. ſic ſcriptũ reperiſſem, Vallibus & validis ne tortis ex Heliconis: in Pariſienſ. autẽ, Vallibus, & cycni nece detorti ex Heliconis: in aliis ferè omnib. vulg. Et gelida cycni nece torti ex antro Heliconis: ego veteris ſcripturæ, tametſi mẽdoſæ, veſtigia ſagaciter (abſit verbo inuidia) odorãs, & cum vulgata comparans, hanc eſſe putaui veram & rectam ſcripturã, aut certe veræ proximam, non pugnaturus, ſi quis vel ingenioſior coniecturam afferat meliorem, vel emendatiores codices nactus, ſcripturam veriorem. ordo autem & ſentẽtia eſt: Nec primordia ſimili forma prædita aureis penetrant, cùm tuba grauiter mugit ſub murmure graui & demiſſo, atque cùm cycni ex vallibus gelidis Heliconis orti liquidam querelam voce lugubri tollunt. De cycnorum cantu ſuprà diximus ad illum locum: Paruus vt eſt cycni melior canor, &c. Cùm hæc olim ſcripſiſſem, Zoilus hanc ſcripturam verbo damnauit, & hanc ſubſtituit: Vallibus & cygni nece torti ex Heliconis. re magnam partem approbauit. Atque vbi probauit, non peccauit: vbi ſibi indulſit, fœdè lapſus eſt. Nam primùm verſus ab eo ſubſtitutus, numeris & verbis ineptus eſt. deinde ſententia abſurda eſt. quid enim ſibi vult, cycni nece torti? nam cycnos morte torqueri, dici Latine poteſt: nece torqueri, ſi ſine vi moriantur, non poteſt. præterea quid ſibi vult hoc totum, cycni torti nece ex vallibus Heliconis? neminem eſſe puto in his litteris mediocriter exercitatum, & iudicio aliquo, ſenſúque communi præditum, qui non intelligat, verſum eſſe & ſuo auctore dignum, & Lucretio indignum.*

VERBORVM DÆDALA LINGVA) *id eſt, verborum opifex, formatrix, fictrix, figuratrix. M. Tull. de natura Deorum. lib. 2. deinde in ore ſita lingua eſt, finita dentibus. ea vocem immoderate profuſam fingit & terminat, ſonóſque vocis diſtinctos, & preſſos efficit, cũ & ad dẽteis, & ad alias parteis pellit oris. Itaque plectri ſimilem linguam noſtri ſolens dicere, chordarum denteis, nareis cornibus iis, quæ ad neruos reſonant in cantibus.*

NEQVE HILVM INTERNOSCERE) *ſic reſtitui, probabiliſsima cõiectura ductus, cùm in libris eſſet partim, illa, partim, illam. Hunc porrò verſum profert Nonius in nomine, ſententia: quam interpretatur hoc loco ſenſibilitatem: in quo eum falli puto.*

Præterea edictum ſæpe vnum perciet aureis
Omnibus in populo, miſſum præconis ab ore.
In multas igitur voces vox vna repentè
Diffugit, in priuas quoniam ſe diuidit aureis,
Obſignans formam verbis, clarúmque ſonorem.
At, quæ pars vocum non aureis accidit ipſas,
Præterlata perit fruſtra diffuſa per auras:
Pars ſolidis adliſa locis, reiecta ſonorem
Reddit: & interdum fruſtratur imagine verbi.
Quæ bene cùm videas, rationem reddere poſſis
Tute tibi, atque aliis, quo pacto per loca ſola
Saxa pareis formas verborum ex ordine reddant,
Palanteis comites cùm monteis inter opacos
Quærimus, & magna diſperſos voce ciemus.
Sex etiam, aut ſeptem loca vidi reddere voces,
Vnam cùm iaceres: ita colles collibus ipſis
Verba repulſantes iterabant dicta referre.
Hæc loca capripedes ſatyros, Nympháſque tenere
Finitimi fingunt, & Faunos eſſe loquuntur:
Quorum noctiuago ſtrepitu, ludóque iocanti
Adfirmant volgò taciturna ſilentia rumpi,
Chordarúmque ſonos fieri, dulceíſque querelas,
Tibia quas fundit, digitis pulſata canentum:
Et genus agricolûm latè ſentiſcere, cùm Pan
Pinea ſemiferi capitis velamina quaſſans,
Vnco ſæpe labro calamos percurrit hianteis,
Fiſtula ſilueſtrem ne ceſſet fundere muſam.
Cetera de genere hoc monſtra, ac portenta loquuntur,
Ne loca deſerta ab diuis quoque fortè putentur
Sola tenere: ideò iactant miracula dictis,

Aut aliqua ratione alia ducuntur, vt omne
Humanum genus eſt auidum nimis auricularum.

PRÆTEREA EDICTVM) *aliquot libri manuſcripti habent, Præterea verbum.*

PERCIET AVR.) *permouet aureis omnibus in populo ad contionem vocato: ad omnium aureis peruenit, & ab omnibus exauditur.*

PRÆCONIS AB ORE.) *Præconum munus erat, præter cetera, contionē aduocare, ſilentium indicere: cauſam, & ſententiam dicturos citare. Itaque contione aduocata, attētionē cōparabāt, audiētiāq; faciebāt & ſibi, & alijs dicturis: hoc modo, εὐφημεῖτε, id eſt, fauete linguis: ἀκούετε λαοί, id eſt audite ciues, ſeu populi. ſed in ſacris, potius illo vtebātur, & iubebant εὐφημεῖν: in edictis, altero, ἀκούετε λαοί. in contione verò, in qua de bello, aut pace, & ſimilibus rebus conſultabatur, ita prædicabant, τίς ἀγορεύειν βούλεται; id eſt, quis vult dicere?*

PRIVAS) *proprias, aut ſingulas: lege Nonium, Gellium, Feſtum.*

NON AVREIS ACCIDIT IPSAS) *ſic repoſui, à Plauto, & ceteris Latini ſermonis auctoribus admonitus, qui ita loqui ſolent. Plautus Rudēte, certò enim mihi paternæ vocis ſonitus aureis accidit. ſi quis tamen malet legi, non auribus accidit ipſis, nō repugnabo. incidit, quod erat in omnibus libris, reieci. ſolet enim coniungere hoc verbum cum dandi caſu, vt lib. 1. Incidere è ſupero leuioribus.*

PARS SOLIDIS ADLISA LOCIS) *hæc eſt ea, quæ à Græcis Echo nominatur, id eſt, vocis imago, ſeu redditio, reiectio, & repulſio: Reſonam appellant Latini, vt docet auctor vocabularij Latinogræci: quæ fit in locis læuibus, tortuoſis, & concauis, vt vallibus; & antris, & parietibus, & muris, & ædificijs cameratis, maxime vetuſtis. Ex quo Virgil. Georg. 4. aut vbi concaua pulſu Saxa ſonant, vociſque offenſa reſultat imago. ἠχὼ γίνεται (inquit Ariſtotel. lib. 2. de anima) ὅταν ἀπὸ τοῦ ἀέρος ἑνὸς γενομένου διὰ τὸ ἀγγεῖον τὸ διορίσαν καὶ κωλῦσαν θρυφθῆναι, πάλιν ὁ ἀὴρ ἀπωσθῇ, ὥσπερ σφαῖρα. id eſt, Echo fit cùm ab aëre, qui vnus efficiatur, propter vas definiens & prohibens ne frangatur, aër repulſus ſit, vt globus. Sed non diſsimulabo, in quibuſdam libris veteribus ſcriptum eſſe, pars ſolis, pro, pars ſolidis: & lopis, pro, locis. Et verò ſic habet codex Bertinianus. Solis, quid ſit, in promtu eſt, quin fortaſſe ferri poteſt, vt per ſola loca, deſerta ſignificari intelligamus, vt infrà non longè. Lopis quid valeat, non video. mihi quidem corruptum videtur.*

PER LOCA SOLA) *per loca deſerta. Terent. Phorm. Nónne hoc publicitus ſcelus hinc deportarier in ſolas terras? Catullus carm. de Pelei & Thet. nupt. Deſertam in ſola miſeram ſe cernit arena. Plautus Rudente. Neque quà quæram, conſultum eſt, neque quem rogem, quemquam interea Inuenio: neque magis ſolæ terræ ſunt, quàm hæc loca, Atque hæ regiones.*

ET MAGNA DISPERSOS) *lectorem non me pigebit admonere de re leui quidem illa, ſed tamen non negligenda, in codice Bertiniano ſcriptum eſſe, magna diſperſus, mendosè, u, pro o.*

SEX ETIAM, AVT SEPTEM) *Plutarchus refert περὶ τῆς πολυφιλίας. βιβ. β. in Ægypti pyramidibus vocem vnam intus editam, quatuor & quinque reddere. Idem lib. περὶ ἀδολεσχ. in princip. commemorat porticum quandam, quæ Olympiæ fuit, ἑπτάφωνον appellatā, quia ſcilicet vocē ſepties iteraret. Pauſan. in Corinth. narrat ad dextram templi Chthoniæ Cereris, porticum eſſe, quam incolæ*

Echonis porticum nominant: cuius ea natura ſit, vt imaginem vocis triplicet. Nos in vico Lutetiæ admodum propinquo, (diſtat enim ab vrbe non multo amplius, quàm tria millia paſſuum,) cui nomen eſt Charento, Echonem audiuimus voces ſepties iterantem. Sed quid mirum ter, quater, quinquies, ſexies & ſepties imaginem vocis iterari, ac multiplicari, cùm Ticini in aula magna Baſilicæ ter & decies referatur? Eadem autem propemodum ratio eſt vocis imaginis ſæpius redditæ, atque imaginum à ſpeculis in ſpecula tranſlatarum. Iam Echonis exquiſitæ, & perfectæ hæc propria ſunt, vt citò reſpondeat, vt longam verborum ſeriem connectat, vt aliquoties, & iterum atque iterum vocem articulatam referat.

CAPRIPEDES) *τραγόποδες. vtitur eadem voce Horat. odarum lib. 2. od. 19. Nympháſque diſcenteis, & aureis Capripedum ſatyrorum acutas.*

SILENTIA RVMPI) *id eſt, vocem mitti. Virgil. 10. Æneid. quid me alta ſilentia cogis Rumpere? pro eodem fere dicimus, rumpere vocem, quod Græci dicunt ῥῆξαι φωνήν, vt notauimus in comment. Horatianis.*

AGRICOLVM) *agricolarum.* CVM PAN PINEA SEMIFERI) *Pan pineam coronam in capite gerit, cornutúſque fingitur. cornua autem, radiorum ſolis, & cornuum Lunæ ſimilitudinem quandam præbēt. Fiſtulam ſeptem calamis compactam altera manu tenet, altera pedum, id eſt, baculum inflexum, & incuruum. pedibus caprinis præditus eſt. adde quòd ſolitudine delectatur, & maxime loca maritima colit. ideóq; αἰγιπαλίκτης à Græcis appellatur, & Echonem amare exiſtimatur. mare autem πολύηχον eſt, id eſt ſonorum, vocale, & clamoſum.*

CALAMOS PERCVRR. HIANT) *lib. 5. Et ſupera calamos vnco percurrere labro. ex ſeptem calamis imparibus ordine iunctis cōſtat fiſtula. Virg. Alex. Eſt mihi diſparibus ſeptem compacta cicutis Fiſtula Pan autē fiſtulæ inuentor. Idem Virgil. ibidem. Pan primus calamos cera coniungere plureis Inſtituit.*

VT O. H. G. EST AVID. NIMIS AVRICVL.) *vt omnes homines ſunt immodicè cupidi auditorū. quia autē homines ſunt auditorū auidi, idcircò res admirabileis & portēti ſimileis confingūt, quibus alliciant & retineant auditores.*

Quod ſupereſt, non eſt mirandum, qua ratione
Quæ loca per nequeunt oculi res cernere apertas,
Hæc loca per voces veniant, aureíſque laceſſant.
Conloquimur clauſibus foribus: quod ſæpe videmus.
Nimirum, quia vox per flexa foramina rerum
Incolumis tranſire poteſt, ſimulacra renutant.
Perſcinduntur enim, niſi recta foramina tranant:
Qualia ſunt vitri, ſpecies quæ trauolat omnis.
Præterea parteis in cunctas diuiditur vox:
Ex aliis aliæ quoniam gignuntur, vbi vna
Diſſiluit ſemel in multas exorta, quaſi ignis
Sæpe ſolet ſcintilla ſuos ſe ſpargere in igneis.
Ergo replentur loca vocibus, abdita retrò
Omnia quæ circùm fuerint, ſonitúque cientur.
At ſimulacra viis directis omnia tendunt,

Vt ſunt miſſa ſemel. quapropter cernere nemo
Se ſupra potis eſt: at voces accipere extrà.
Et tamen ipſa quoque hæc, dum tranſit clauſa viarum
Vox, obtunditur, atque aureis confuſa penetrat:
Et ſonitum potius, quàm verba, audire videmur.

QVÆ LOCA PER) *ἀναστροφή. quæ loca per, pro, per quæ loca, vt proximo verſu, hæc loca per, pro, per hæc loca. Nunc docebit, quamobrem acies oculorũ, ſeu, vis & poteſtas videndi eò penetrare non poßit, quò vox, & ſonus permanant. Interpoſito enim inter nos, qui audimus, & eos, qui loquuntur, pariete, audire eorum ſermonem poſſumus: faciem, aliámve corporũ partem cernere non poſſumus. Nam & M. Tull. ſcribit in Topicis, Stalenum quendam ea locutum eſſe bonis viris ſubauſcultantibus, pariete interpoſito, quibus patefactis, in iudiciúmq; prolatis, rei capitalis damnatus eſt: & Thucydides lib. I. ſimile quiddam de Pauſania tradidit.*

CONLOQVIMVR CLAVS. FORIB.) *ſic excudendũ curaui, non ita longè diſcedens à vulgata ſcriptura: quæ talis eſt: Cùm loquimur, &c. Nam Bertinianus, & Memm. & Tettian. codex, & item vulgati Pariſienſes habent, Conloquium cl. forib. hoc differt Mēmianus ab illis, quòd habet, quod ſæpe videmus: alij, vt vulgati omnes, quoque ſæpe videmus. nonnulli etiam, tenemus, pro videmus. indicet lector emunctæ naris. Mihi quidẽ, vt dicam quod ſentio, verſus ſuſpectus eſt, ſiue legamus, Conloquimur &c. vt edidi: ſiue, Cùm loquimur, &c. vt habent vulgati cod. ſiue, Conloquium cl. for. quoque ſæpe videmus: ſeu, tenemus. Nam & ſententia inepta eſt, neq; id dicitur, quod ſentit Lucret. Natum autem puto eſſe ex annotatione ad orã libri poſita, è regione huius loci, hoc modo, vt cum loquimur clauſis foribus. quæ verba librarius aliquis coniecit in contextum, & ſeriem verſuum: alius neſcio quis, ſuppleuit quod verſui deerat. hæc mea coniectura eſt, Omnino hoc verſu detracto, nihil de ſententia huius loci demitur. Superuacaneus igitur videtur eſſe: & idcircò delendus.* RENVTANT) *renuunt, nolunt.*

QVALIA SVNT VITRI) *foramina, ἀπὸ κοινοῦ. intelligẽdum eſt hoc eſſe verum in vitro ſimplici, & nudo, & ita pellucido. nam ſi eſſet à poſtica parte plũbo, aut alio metallo inductũ, & ita denſum factum, imago per vitrum non permanaret, cũ vitri foramina non paterent: ſed à vitro reiecta redderetur. qua de re ſup.*

SPECIES QVÆ TRAVOLAT OMNIS) *nihil ego quidem mutaui, verùm tamen non celabo lectorẽ, in aliquot lib. manuſcriptis legi, ſpecies quà trãſuolat omnis. in aliis, ſpecies quæ trauiat omnis: in vno, ſpecies quæ tramat omnis. vnde quidam faciunt, trameat, non malè: & fortaſſe hæc ſcriptura recta, & germana Lucretiana eſt. tranſuolat, tamen, aut, trauolat, non eſt reiiciendũ. Licet etiã legere, ſpecies quà trameat omnis.* PRÆTEREA PARTEIS IN CVNCTAS) *aliam rationem affert magis (meo quidem iudicio) philoſophicã, videlicet quia vox miſſa ſurſum, deorſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum, in multas parteis diſſecatur. ita fit, vt loca etiam abdita vocibus compleantur, & aër etiam remotus, atq; interclusus, per conſenſum verberetur, ipſéque verberatus, ſonitũ, aut vocem ad aureis perferat. auditus enim ſemper patet, vt ſonos omni ex parte editos accipere poſſit quod eo fit facilius, quòd aër natura ſua continuum & continens quiddã eſt. ita quauis parte aëris à ſonitu impulſa, non longo pòſt tempore alia eius pars longè remota ſiue ſuprà, ſiue infrà, ſiue à frõte, ſiue à tergo, ſiue ad dextram, ſiue ad læuam*

partem, eiuſdē motus ſit particeps, eodémq; tempore aërem in auribus noſtris incluſum, cui cognatus ipſe eſt, verberat, & laceſſit. At viſus ſit è regione, & per rectas lineas à re, quæ cernitur, ad oculos, aut certè, vt mathematicus aliquis dicere poſſit, per directam quandam pyramidem, cuius baſis ſit in re, quæ cernitur: angulus in oculo: qui angulus quo minor eſt, eo res, quæ videtur, minor videtur: quo maior, eò res maior apparet. Quare ea quidem cernimus, à quibus ad oculos rectæ lineæ produci poſſunt, ita tamē, vt angulus, qui in oculos cadit, non ſit minor, quàm eſſe debeat. quod ſit cùm res ita à nobis remota eſt, vt videndi ſenſum effugiat: audimus autem etiam ea, quæ ſunt ab auribus noſtris diſcluſa, & diſparata, parietibus ac muris interpoſitis. VBI VNA DISSILVIT). *ſic reſtitui, cùm in libris manuſcriptis reperiſſem ſcriptum partim, vbi nam, partim, vbina partim, vbinu.*

CLAVSA VIARVM) *ſic legendum, & ita ſcriptum eſt in codicibus manuſcriptis pro quo libri vulgati habent, clauſtra viarum. mendoſè. Sic dicta ſunt illa, ſtrata viarum, aperta domorum, amara curarum, vilia rerum, &c. de quib. alibi.*

Hæc, queis ſentimus ſuccum, lingua atque palatum,
Pluſculum habent in ſe rationis, plúſque operaï.
Principiò ſuccum ſentimus in ore, cibum cùm
Mandendo exprimimus: ceu plenam ſpongiam aquaï
Si quis fortè manu premere, exſiccaréque cœpit.
Inde, quod exprimimus, per caulas omne palati
Diditur, & raræ per plexa foramina linguæ.
Hæc vbi læuia ſunt manantis corpora ſucci:
Suauiter attingunt, & ſuauiter omnia tractant
Humida linguaï circùm ſudantia templa.
At contrà pungunt ſenſum, laceràntque coorta,
Quanto quæque magis ſunt aſperitate repleta.
Deinde voluptas eſt è ſucco in fine palati.
Cùm verò deorſum per fauceis præcipitauit:
Nulla voluptas eſt, dum diditur omnis in artus.
Nec réfert quicquàm, quo victu corpus alatur,
Dummodo, quod capias, concoctum didere poſſis
Artubus, & ſtomachi humectum ſeruare tenorem.

HÆC, QVEIS SENTIMVS SVCC.) *Nunc de guſtatu, de lingua ac palato, quibus ſuccum ſentimus, diſputare incipit. ait autem paullo plus ineſſè rationis in diſputatione de guſtatu, plúſque operæ, ac laboris, quàm in ſuperioribus. ſecutus ſum porrò libros Pariſienſeis. & nonnullos alios typis excuſos. nam manuſcripti quidem habent, Hoc, qui ſentimus: excuſi autem fere alij omnes, Nec qui ſentimus, planè, opinor, mendoſè.*

EXSICCAREQVE COEPIT) *cùm ex libris manuſcriptis alij haberent, exſiccaréque cœpit, & ita nonnulli vulgati, alij, ac ſiccare cepit, ceteri vulgati, ac ſiccare recepit: exſiccaréque cœpit, excudendum curaui, non improbaturus, ſi quis malit, ac ſiccare recepit. recepit autem, interpretabor ἀνεδέξατο.*

PER CAVLAS) *per cauernas, & cauitates, ſeu meatus, & (vt Græci nomi-*

nant) poros. ſuprà lib 3. Diſpertitur enim per caulas corporis omneis. *& lib. 2.* Diſperſámque foras per caulas eiicit omneis. *& lib.* VI. Vndiqué quandoquidem per caulas ætheris omneis, *&c. eod. lib.* Diſpergunt animas per caulas corporis omneis.

DIDITVR) *diſpergitur, ſeu diſsipatur ſeu differtur.*

PER PLEXA FORAMINA) *ſiue legas, perplexa, vno nomine: ſiue, per plexa, ſeparatim, & duabus vocibus, parum réfert. in Bertiniano quidem codice, & Memmiano ſcriptum eſt, perplexa, coniunctim: in Faërn. neque, perplexa, neque, per plexa, ſed. per flexa.* MANANTIS CORPORA SVCCI) *corpora prima, ex quibus ſuccus aliquis conſtat.* SVAVITER OMNIA TRACTANT) *ſuauiter permulcent, & delectant linguam.*

DEINDE VOLVPTAS EST) *quæ ex cibis & ſuccis percipitur voluptas (inquit) ea tota palati & linguæ finibus & regionibus continetur, ac terminatur. Vbi enim cibus in ventriculum præceps actus eſt, nulla iam reliqua eſt voluptas. Itaque non immeritò Nigrinus ille eos irridebat, qui plus nimio ſtudij in cenarum apparatu, & ſuccorum varietate, & ciborum condimentis adhiberent. Nam hos breuis voluptatis amore captos multum negotij, moleſtiæque ſuſcipere. oſtendebat enim, quattuor digitorum cauſa totum hunc ab iis laborem perferri. quam longitudinem longiſsimum hominū guttur non ſuperat. Nam neque antè quàm comeſſent, ex obſoniis magno pretio emtis fructum capere, neq; obſoniis illis iam in ſtomachum primùm, deinde in ventriculum linguæ motu depulſis, ac detruſis, ſatietatem ex cibis carioribus profectam, ſuauiorem eſſe. Ita illos eam voluptatem, quæ fit in tranſmiſsione, & quaſi traiectu gutturis, tanta pecunia parare. Hæc ex Luciano in Nigrino: quæ noſtro arbitratu vertimus.* HVMECTVM SERV. TEN.) *codex Bertin. habet, humidum ſeruare tenorem: planè mendosè: ſed tamen ne hoc quidē lectorem celare volui, vt intelligat, credibile eſſe, hoc, humidum, natum eſſe ex annotatione, &, vera ſcriptura eiecta, in contextum irruiſſe.*

Nunc aliis alius cur ſit cibus, vt videamus,
Expediam: quaréve, aliis quod triſte, & amarum'ſt,
Hoc tamen eſſe aliis poſſit prædulce videri.
Tantáque in his rebus diſtantia, differitáſque'ſt,
Vt quod aliis cibus eſt, aliis fuat acre venenum.
Eſt vtique: vt ſerpens hominis contacta ſaliuis
Diſperit, ac ſeſe mandendo conficit ipſa.
Præterea nobis veratrum eſt acre venenum:
At capris adipes, & coturnicibus auget.
Vt, quibus id fiat rebus, cognoſcere poſſis,
Principiò meminiſſe decet, quæ diximus antè,
Semina multi'modis in rebus miſta teneri.
Porrò omnes, quæcumque cibum capiunt animantes,
Vt ſunt diſſimiles extrinſecus, & generatim
Extima membrorum circum cæſura coërcet,
Proinde & ſeminibus diſtant, variántque figura.

Semina cùm porrò diſtent, differre neceſſe'ſt
Interualla, viaſque, foramina quæ perhibemus,
Omnibus in membris, & in ore, ipſóque palato.
Eſſe minora igitur quædam, maioráque debent,
Eſſe triquetra aliis, aliis quadrata neceſſe'ſt:
Multa rotunda, modis multis multangula quædam.
Namque figurarum vt ratio, motúſque repoſcunt,
Proinde foraminibus debent differre figuræ:
Et variare viæ proinde ac textura coërcet.
Ergo vbi quod ſuaue'ſt aliis, aliis fit amarum:
Illis, queis ſuaue'ſt, læuiſſima corpora debent
Contrectabiliter caulas intrare palati.
At contrà, quibus eſt eadem res intus acerba:
Aſpera nimirum penetrant, hamatáque fauceis.
Nunc facile ex his eſt rebus cognoſcere quæque.
Quippe, vbi quoi febris bili ſuperante coorta'ſt,
Aut alia ratione aliqua'ſt vis excita morbi:
Perturbatur ibi totum iam corpus, & omnes
Commutantur ibi poſituræ principiorum:
Fit, prius ad ſenſum vt quæ corpora conueniebant,
Nunc non conueniant, & cetera ſint magis apta,
Quæ penetrata queunt ſenſum progignere acerbum.
Vtraque enim ſunt in mellis commiſta ſapore,
Id quod iam ſuperà tibi ſæpe oſtendimus antè.

NVNC ALIIS ALIVS CVR SIT CIBVS) *hac eadem de re pauca quædam perſtringit etiã lib. 5 ibi. Quippe videre licet pingueſcere ſæpe cicuta Barbigeras pecudes, &c. & lib 6 ibi, Barbigeras oleaſter eò iuuat vſque capellas, &c.*

TANTAQVE IN HIS REBVS) *profert hunc verſum Nonius in voce, differitas. differitas autẽ, id eſt differentia. Vtitur hac voce & Arnobius lib. 2. aduerſ. genteis. Vultu fauore depoſito, cogitationibus tacitus peruidere, animantia nos eſſe aut conſimilia ceteris, aut non plurima differitate diſtantia? Idem lib. 7. Quid ergo ceſſatis cuiuſlibet arboris viſcum ſine vlla paßim differitate comburere?*

VT QVOD ALIIS CIB. EST, AL. FVAT) *citat & hunc idem Nonius in verbo, fuat: docétque, poſitum eſſe ab antiquis pro, ſit. Virgil. Æneid. 10. Tros, Rutulúſue fuat, nullo diſcrimine habebo. Terent. Hecyra. Fors fuat pol. vbi Donatus. fuat, ſit, ſignificat. Iterum Lucret. lib 5. Quanta hæc cumque fuat, tanta hinc videatur in alto. Plautus Amphitr. Nec quiſquam tam audax nũc fuat homo, qui obuiam obſiſtat mihi. Idem Aulul. Neutrubi habeam ſtabile ſtabulum, ſi quid diuortij fuat.*

EST VTIQVE VT SERP. H. CONTACTA) *ſic reſtitui, probabili coniectura, ad hanc ſcripturam, tanquam manu, ductus. Adiuuit me Plinius, cuius hæc verba ſunt lib. 7. cap. 2. Et tamen omnibus hominibus contra ſerpẽteis ineſt venenũ:*

ferúntque

ferîntque, eas ictum ſalinæ, tamquam aquæ feruentis contactum fugere. Recepta *autem ſcriptura, Eſt vtique, vt ſerpens, hominis quæ tacta ſaliuis, &c. ferri non poteſt. Nã ſi ita eã explicemus, Eſt vtique, id eſt, id, nẽpe quod dico, profectò verũ eſt: id quod ſequitur, vt ſerpens, h. quæ &c. non cohærebit. Quin hoc ipſum, Eſt vtiq. vt ſerpens, non admodum mihi probatur. Itaq. ſic olim edideram, fortaſſe non male, niſi quòd nimis longe à veterib libris, Sæpe etenim ſerpens hominis contacta ſaliuis, &c. Neque verò me offendit participium tacta pro, contacta. ſæpe enim tangere, pro contingere, &, tactum, pro cõtactu vſurpat, vt aliàs indicauimus: ſed hoc maximè, vt ſerpens, quòd nihil ſit, quò referatur, quóve pertineat, ſi legatur, quæ tacta, & non, contacta, vt edidi.* PRÆTEREA NOBIS VERATRVM) *veratrum, elleborum Græci appellant.* Arnobius *lib. 1. aduerſus gentes. Veratrum, venenum eſt hominibus. numquid ob hanc cauſam non debuit naſci?*

COTVRNICIBVS AVGET) *Plin. lib. 10. cap. 23. Coturnicibus veratri ſemen, gratiſſimus cibus.* GENERATIM) *per ſingula animantium genera.*

CIRCVM CÆSVRA) *expreſſit vocem Græcam, περικοπήν, id eſt περιοχὴν, extremitatem cuiuſlibet rei, & extremum lineamentum, extremámque deſcriptionem. libri nonnulli tamen habent, circum textura. ſuprà lib 3. Quàm tenui conſtet textura. & hoc eodẽ libro paucis pòſt, proinde ac textura coërcet. Ego circum cæſura probo. qua voce vtitur & Arnobius lib. 3. Deos filo atterminatis humano: &, quod indignius multo eſt, terrenorum corporum circum cæſura finitis.*

PROINDE ET SEMINIBVS) *ita ex ſeminibus diſſimilibus, variíſque figuris conſtant.* TRIQVETRA) *triangula, τρίγωνα.*

MVLTANGVLA) *expreſſit Græcum nomen πολύγωνα.*

ERGO VBI QVOD SVAVE'ST) *id eſt, ergo cùm id, quod aliis ſuaue eſt, aliis amarum ſit, credibile eſt, atque adeò neceſſariò verum eſt, corpora prima politiſſima, & læuiſſima, quæ ſunt in eo cibo, aut potu, qui linguã & palatum dulcedine & voluptate afficit, linguæ & palati meatus inter penetrandum permulcere. Nam omnibus in rebus genitis omnia & omnis figuræ inſunt primordia, vt ſuprà docuit, & mox admonendi cauſa repetet: ſed cuius figuræ plura conuenerunt ad quanque rem gignendam principia, ab eius figuræ pluribus principiis res & eſt, & appellatur. alij legunt, Hinc vbi, &c. non male.*

FEBRIS) *ſic lib. 6. At cùm membra hominis percepit feruida febris, Tum fit odor vini plagæ mactabilis inſtar.* QVÆ PENETR.) *quæ penetrata: id eſt quæ vbi penetrauerunt, &c. nam videtur ſignificare actionem,*

VTRAQVE ENIM) *vtraque, & amara, & dulcia: ſed plura ſunt primordia, quæ dulcedinem in melle creant, quàm quæ amarorẽ: & hæc ab illis ita numerò ſuperantur, vt illa maximè excellant, ſenſumq; moueãt, hæc ne ſentiantur quidem.*

ID QVOD IAM SVPERA) *lib. 2.*

Nunc age, quo pacto nareis adiectus odoris
Tangat, agam. primùm res multas eſſe neceſſe'ſt,
Vnde fluens voluat varius ſe fluctus odorum.
Nam fluere, & mitti volgò, ſpargíque putandum'ſt.
Verùm aliis alius magis eſt animantibus aptus,
Diſſimileis propter formas, ideóque per auras

Mellis apes quamuis longè ducuntur odore:
Volturiíque cadaueribus:tum fiſſa ferarum
Vngula quò tulerit greſſum,promiſſa canum vis
Ducit:& humanum longè præſentit odorem
Romulidarum arcis ſeruator,candidus anſer.
Sic aliis alius nidor datus,ad ſua quemque
Pabula ducit,& à tætro reſilire veneno
Cogit:eóque modo ſeruantur ſæcla ferarum.
Hic odor ipſe igitur,nareis quicumque laceſſit,
Eſt alio vt poſſit permitti longius alter.
Sed tamen haud quiſquam tam longè fertur eorum,
Quàm ſonitus,quàm vox,mitto iam dicere,quàm res,
Quæ feriunt oculorum acies,viſúmque laceſſunt.
Errabundus enim tardè venit,ac perit antè
Paullatim facilis diſtractus in aëris auras:
Ex alto primùm quia vix emittitur ex re.
Nam penitus fluere,atque recedere rebus odores
Significat,quòd fracta magis redolere videntur
Omnia,quòd contrita,quòd igni conlabefacta.
Deinde videre licet maioribus eſſe creatum
Principiis voci:quoniam per ſaxea ſæpta
Non penetrat,quà vox volgò,ſonitúſque feruntur.
Quare etiam quod olet,non tam facile eſſe videbis
Inueſtigare,in qua ſit regione locatum.
Refrigeſcit enim cunctando plaga per auras:
Nec calida ad ſenſum decurrit nuntia rerum.
Errant ſæpe canes itaque,& veſtigia quærunt.

NVNC AGE) *Nunc de odoratu,& odoribus diſputare incipit.*

ADIECTVS) *id eſt appulſus,ſeu appulſio odoris. Vide quæ annotata ſunt ſuprà lib.I.ad illum locum:& noſtros adiectu tangere tactus.*

VNDE FLVENS VOLVAT) *cod.Memmian.& Bertinian. habent,vnde fluens ſoluat,&c.*

QVAMVIS LONGE DVCVNTVR) *ſecutus ſum quattuor codic. manuſcriptos,& treis typis impreſſos, Pariſ.& vtroſque Venetos antiquos,& recentiores.ceteri habent,quamuis longo.quamuis longe autē,i.quantūuis longe.& cōiunge vocem odore,cum voce,Mellis,hoc modo, Apes quantumuis longè ducuntur odore mellis.licet tamen & ita verba ſtruere.Mellis apes,quātumuis longè ducuntur odore,ſibi grato.& iucundo ſcilicet.* VOLTVRIIQ. CAD.) *Plin.lib.X. cap.VI.narrat,vultures,ſeu vulturios triduo antè,aut biduo,eò volare,vbi cadauera futura ſunt,quaſi præſentiant multo antè cadauerum odorem,quod eſt mirabilius.quàm magno locorum interuallo interiecto ſentire.*

FISSA FERAR. VNG.) *σχίποδας, pro eo, quod eſt, eæ feræ, quarum vngulæ fiſſæ ſunt, vt cerui.*

PROMISSA CANVM VIS) *id eſt canes odoratu valentes, & ſagaces, promiſſi. promiſſa, enim legẽdum videtur potius, quàm, præmiſſa, vt, promiſſa, idẽ valere intelligamus, quod longè & porrotenus miſſa, vel è longinquo loco odores ſentiens. quod mihi nunc magis probatur. nam olim, præmiſſa, edideram. quod tamen non eſt fortaſſe damnandum.* ROMVLIDARVM ARCIS, &c.) *id eſt Romanorum arcis, &c. nota hiſtoria eſt, Capitolium, vrbe à Gallis capta, ſeruatum eſſe anſerum voce. Plin. lib. 10. Eſt & anſeri vigil cura Capitolio teſtata defenſo, per id temporis canum ſilentio proditis rebus. Quamobrem cibaria anſerum Cenſores in primis locant. M. Tull. pro Roſcio Amerino. Anſeribus cibaria publicè locantur. Liuius lib 5. annal. Galli nocte ſubluſtri tanto ſilentio in ſummum euaſere, vt non cuſtodes ſolùm fallerent, ſed ne canes quidem, ſollicitum animal, ad nocturnos ſtrepitus, excitarent: anſeres non fefellere, &c.*

EST, ALIO VT POSSIT, &c.) *ordo eſt, Eſt igitur vt, id eſt contingere poteſt vt hic odor, quicumque nareis laceſſit, alius longius alio ad nareis perueniat. permitti, id eſt ita mitti, vt perueniat quò mittitur. Sic Hircius lib. 8. de bell. Gall. Quo ſtior altitudine eſſet, longiùſque tela permitteret. Qui hîc, promitti, legũt, delirant.*

MITTO IAM DICERE QVAM RES, QVÆ, &c.) *nullus odor tam longe fertur, quàm vox & ſonitus, nedum quàm imagines. ratio eſt, quia odor tarde fertur, & prius perit interdum, quàm ad ſenſum peruenire poſſit: cuius rationis ratio eſt, quia odores ex alto & penitus manant, cùm imagines ex ſummis rerum cæſuris fluant. Plato in Timæo ait, odores omneis eſſe aut fumum, aut nubem, ſeu nebulam: Atque horum quidem id, quod ex aëre in aquam mutatur, eſſe nebulam: quod autem ex aqua in aërem, fumum: Ex quo tenuiores quidem aqua eſſe odores: aëre autem craſſiores: Cui rei argumento eſſe, quòd ſi quis nareis obturet, aërem quidem trahet vnà cum ſpiritu ducto: odorem autem nullum intromittet. Ariſtoteles lib. 2. de animo, & lib. de ſenſu, & iis, quæ ſub ſenſum cadunt, odoris vim in calido, ac ſicco ſitam eſſe dicit: iccirco non eſſe mirum, ſi congelatio, & frigus odores obtundant. odores nihil conferre ad alendum, neq; ea, quæ benè olent, edendi, aut bibendi cupiditatem excitare, immò potius nauſeam mouere: ſuaueis odores valetudinẽ adiuuare eò, quòd cerebrum tùm ſua natura, tùm propter exhalationes alimenti humidum, ſuo calore temperent atque exſiccent: præterea nullas animanteis, quæ reſpirant, odorari, niſi reſpirent. Cùm igitur reſpirando, eum aërem, qui nobis eſt proximus, ducamus, non abſque ratione odores & non ita longinquo ex loco ſentiuntur, & tardius ad nareis noſtras perueniunt. Quòd ſi dicas, aërem eſſe continuum, & iccircò per conſenſum fieri debere, vt etiam ex longinquo loco odores à nobis ſentiantur, reſpondebo; quominus id fiat, craſſam odorum naturam impedimento eſſe.*

NAM PENITVS FLVERE, ATQVE RECED. REB. ODORES, *ſecutus ſum libros manuſcr. Nam vulgati habent: ac procedere rebus odorem. Ego tamen malim legi, ac decedere rebus, ſeu, atque excedere rebus odores. verumtamen nihil mutare auſim. ſæpe enim alibi ita loquitur.*

QVOD CONTRITA, QVOD IGNI CONLABEFACTA) *ſic habent tres codices manuſcripti, & totidem typis excuſi. nonnulli, concalifacta ego conlabefacta, magis probo. ſic enim ſuprà locutus eſt lib 1. Conlabefactatus rigor*

auri ſoluitur æſtu. & Virgil. Æneid. 8. notúſque medullas Intrauit calor, & labefacta per oſſa cucurrit. ſi quis tamen malet legi, cõcalefacta, non pugnabo. quamquam videtur eſſe πλεονασμὸς, concalefacta igni. cur enim igni potius, quàm ſole? Huius autem totius loci hæc ſententia eſt. quòd fracta omnia magis redolere videntur, quàm non fracta: quòd contrita, quòd igni victa: hæc ſignificant, atque declarant, odores à rebus penitus manare.

MAIORIBVS ESSE CR. PRINC. VOCI) *voci, id eſt voce, ſeu, quàm vocem. videre (inquit) licet, odorem creatum eſſe ex maioribus atomis, voce. Quòd autem in vulgatis lib. & manuſcriptis legitur, quàm vox, culpa librariorum ſcriptorum eſt, qui cùm ad oram librorum adſcriptum reperiſſent, è regione nominis, voci, quàm vocem, hoc ipſum in texturam verborum Lucret. cõiecerũt: deinde, cùm ij, ad quos libri illi peruenerant, hunc verſum propter ſyllabam in tertio pede ſuperantem, eſſe mendoſum ſentirent, ſubſtituerunt, quàm vox. Ita Lucretium vitiosè & mẽdosè ſua lingua loquentẽ fecerũt. Nã cùm coniunctio quàm, vt ceteræ, copulet ſimileis caſus, Latine dici nõ poteſt, videre licet odorẽ maioribus principiis conſtare, quàm vox.* QVARE ETIAM QVOD OLET) *Quare (inquit) videbis non eſſe tam facile veſtigiis exquirere, vbi ſit id, quod olet, id eſt, quod odorem mittit, quàm facile eſt cognoſcere & reperire vnde mittatur vox.*

NEC CAL. AD SENS. DEC. NVNTIA RERVM) *ſic reſtitui, ſecutus obſcura veteris ſcripturæ veſtigia, ipſamque adeò veritatem. nuntia enim numeri ſingularis eſt hoc loco, generis fœminini, & cohæret cum nomine plaga, vt ſit hic ordo, hæcque ſententia verborum, nec plaga decurrit ad ſenſus calida nuntia, id eſt recens nuntiatrix rerum. Sic eod. lib. infrà. Nuntia præclari voltus, pulchrique coloris. & lib 6. Nec de corpore quæ ſancto ſimulacra feruntur In menteis hominũ diuinæ nuntia formæ, &c. Sic M. Tull. lib. 1 de orat ad Q. Frat. Hiſtoria teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuntia vetuſtatis. Errant igitur, qui ex his locis probare conantur, nuntium, ſubſtantiuum neutrius generis vſitatum eſſe. nam in his, plaga nuntia, & ſimulacra nuntia, perſpicuè vox, nuntia, eſt ad nomen adiuncta, ſeu adiectiua: illic quidem fœminini generis, numeri ſingul. hîc verò neutr. numeri multitud.*

Nec tamen hoc ſolis in odoribus, atque ſaporum
In genere eſt: ſed item ſpecies rerum, atque colores
Non ita conueniunt ad ſenſus omnibus omnes,
Vt non ſint aliis quædam magis acria viſis.
Quin etiam gallum, noctem explaudentibus alis
Auroram clara conſuetum voce vocare,
Nenu queunt rapidi contrà conſtare leones,
Inque tueri: ita continuò meminere fugaï:
Nimirum, quia ſunt gallorum in corpore quædam
Semina: quę, cùm ſunt oculis immiſſa leonum,
Pupillas interfodiunt, acrémque dolorem
Præbent, vt nequeant contrà durare feroces:
Cùm tamen hæc noſtras acies nil lædere poſſint.

Aut quia non penetrant, aut quòd penetrantibus illis,
Exitus ex oculis liber datur, in remeando
Lædere ne poſſint ex vlla lumina parte.

NEC TAMEN HOC SOLIS IN OD.) *id eſt, Nec tamen hoc ita ſe habet in odoribus, & ſaporib. vt ſint inter ſe diſsimiles, & diſsimilib. primordiis conſtent, verùm etiam colores ipſi inter ſe ſunt diſpares ac diuerſi: & quidem ſunt alij alijs viſu acriores: & nonnullæ ſpecies aliis ſunt adſpectu grata, & iucundæ: alijs ingratæ, atque iniucundæ.* QVINETIAM GALL. NOCTEM EXPLAVD.) *ſic legēdum, & ita ſcriptum eſt in quattuor cod. manuſcriptis, Vaticano, Bertiniano, Memm. Tettiano, non, vt eſt in vulgatis, nocte. noctem autem explaudentibus alis, interpretor, alis noctē cum ſonitu, & veluti plauſu excutientibus, atque exturbantibus. Videntur enim vel gallorum alæ ſuo comploſu, vel galli ipſi ſuarum alarum ad latera appulſu, noctē exigere, & expellere. Plin lib. 10. cap. 22. Proximè gloriam ſentiunt & hi noſtri vigiles nocturni: quos excitandis in opera mortalibus, rumpendóque ſomno natura genuit. Norunt ſidera, & ternas diſtingunt horas interdiu cantu. Cum ſole eunt cubitum, quartáque caſtrenſi vigilia ad curas, laborémque reuocant. Nec ſolis ortum incautis patiuntur obrepere, diémque venientem nuntiant cantu: ipſum verò cantum pulſu laterum. Huc pertinet illud Demoſthenis ex oratione κατὰ Κόνωνος αἰκίας. ᾖδε γὰρ τοὺς ἀλεκτρυόνας μιμούμενος τοὺς νενικηκότας, οἱ δὲ κροτεῖν τοῖς ἀγκῶσιν αὐτὸν ἠξίουν ἀντὶ πτερύγων τὰς πλευράς, id eſt. canebat enim, gallos imitans, qui vicerunt. illi autem dicebant eum debere cubitis pro alis latera verberare. Mēdosè autem apud Demoſth. vulgò legitur, κραλεῖν, pro κροτεῖν. Totius autem huius loci hæc ſententia, atque hic verborum ordo eſt: Quinetiam rapidi leones non queunt cōſtare contra gallum, conſuetū, id eſt qui conſueuit, aurorā clara voce vocare, idq; alis noctē explodentibus, ſiue explaudentibus, id eſt ſuo comploſu excutiētibus, atq; expellentibus: & gallū nequeunt intueri: ita continuò, &c. vt infra.*

CONSVETVM VOCE VOC.) *conſuetū vocare, id eſt ſolitum vocare. ſæpe vtitur hoc participio Lucret. ἐνεργητικῶς addito infinitiuo, vt infrà hoc eodem lib. Vitai cauſa valido conſueta bidenti Ingemere, & lib. 6. Floru odore hominem tætro conſueta necare, & item alibi.* NENV QVEVNT R. C.) *ſic reſtitui, ſecutus codicē Bertinianū, & Memmianū, & Tettianum nenu autē valet nō, vt ſup. lib. 3 At contra lapidū coniectum, ſpiclorúmque Nenu poteſt. Plin. lib. 8. cap. 16. de leonib. Atque hoc tale, tam ſæuū animal, rotarū orbes circumacti, currúſq; inanes, & gallinaccorū criſtæ, cātúſque etiā magis terrent. Lege eundem lib. 10. cap. 21. de gallis gallinaceis.* INQVE TVERI) *& nō queunt intueri.*

ITA CONTIN. MEMINERE FVGAI) *epiphonema. Ita continuò, inquit, memores ſunt fugæ potius, quàm pugnæ. meminere fugæ. pro eo. quod eſt, ſeſe in fugam conijciunt, figuratū eſt loquēdi genus. neq; fortaſſe lōgè abeſt ab illo Homerico, quod eſt ἰλ. τ. νῦν δὲ μνησώμεθα χάρμης, id eſt nunc autem meminerimus pugnæ: neq; ab illo, quod eſt in eodē lib Μνήσασθαι πόσιος καὶ ἐδητύος, id eſt meminiſſe potionis & cibi. neque ab illo, quod nō ſemel, ſed ſæpius vſurpatur, μνήσαντο δὲ θούριδος ἀλκῆς.* PVPILLAS INTERFODIVNT) *pupillas leonum pungunt, & ſtimulant.* FEROCES) *quantumuis feroces, & virtute freti.* IN REMEANDO) *in redeundo, dum redeunt illa ſemina, ſi forte in noſtras acies penetrarunt.*

Nunc age, quæ moueant animum res, accipe, & vnde,

Quæ veniunt, veniant in mentem, percipe paucis.
Principiò hoc dico, rerum ſimulacra vagari
Multa modis multis in cunctas vndique parteis
Tenuia, quæ facilè inter ſe iunguntur in auris,
Obuia cum veniunt, vt aranea, bracteáque auri.
Quippe etenim multo magis hæc ſunt tenuia textu,
Quàm quæ percipiunt oculos, viſúmque laceſſunt:
Corporis hæc quoniam penetrant per rara: ciéntque
Tenuem animi naturam intus, ſenſúmque laceſſunt.
Centauros itaque, & Scyllarum membra videmus,
Cerbereáſque canum facies, ſimulacráque eorum,
Quorum morte obita tellus amplectitur oſſa:
Omne genus quoniam paſſim ſimulacra feruntur,
Partim ſponte ſua quæ fiunt aëre in ipſo:
Partim quæ variis ab rebus cumque recedunt:
Et quæ conſiſtunt ex horum facta figuris.
Nam certè ex viuo Centauri non fit imago:
Nulla fuit quoniam talis natura animalis.
Verùm vbi equi, atque hominis caſu conuênit imago:
Hæreſcit facilè extemplò, quod diximus antè,
Propter ſubtilem naturam, & tenuia texta.
Cetera de genere hoc eâdem ratione creantur.
Quæ cùm mobiliter ſumma leuitate feruntur,
Vt prius oſtendi: facilè vno commouet ictu
Quælibet vna animum nobis ſubtilis imago.
Tenuis enim mens eſt, & mirè mobilis ipſa.

NVNC AGE QVÆ MOVEANT.) *Nunc docet, animum tenuiſsimis, & celerrimis imaginibus moueri. Epicurus enim exiſtimabat, non ſolùm videndi ſenſum, verùm etiam* διανοητικὰς φαντασίας: *id eſt viſiones ad cogitandum, intelligendumq; valêteis, ſimulacris & imaginibus excitari, & quemadmodum ſine imaginibus cernere non poſsimus, ita ſine imaginibus cogitari non poſſe. qua de re ſic M. Tull. lib. 1. de natura Deorum. Sic enim dicebas, ſpeciem Dei percipi cogitatione, non ſenſu: nec eſſe in ea vllam ſoliditatem, neque eâdem ad numerum permanere: eámque eſſe eius viſionem, vt ſimilitudine, & tranſitione cernatur, neque deficiat vmquam ex infinitis corporibus ſimulacrorum acceſsio. &c. ſequitur paullo pòſt. Hoc, per ipſos deos, de quibus loquimur, quale tandem eſt? Nam ſi tantummodo ad cogitationem valent, nec vllam habent ſoliditatem, nec eminẽtiam: quid intereſt vtrum de hippocentauro, an de deo cogitemus? Omnem enim talem cõformationem animi ceteri philoſophi motum inanem vocant: nos autem aduẽtum in animos, & introitum imaginum. Vt igitur Ti. Graccum cùm videor cõtionantẽ in Capitolio videre: M. Octauiũ deferentem ſitellam: tum eum motum animi dico eſſe inanem: tu autem*

& Gracci, & Octauij imagines remanere, quæ in Capitolium cùm peruenerint, tum ad animum meum referantur: hoc item fieri in Deo, cuius crebra facie pellãtur animi: ex quo beati, atque æterni intelligantur. Fac imagines eſſe, quibus pulſentur animi: ſpecies duntaxat obiicitur quædam, & c. ſequitur paucis pòſt. Nam quid eſt, quod minus probari poſſit, quàm omnium in me incidere imagines, Homeri, Archilochi, Romuli, Numæ, Pythagoræ, Platonis: nec ea forma, qua illi fuerunt? & c. Eodem pertinẽt illa ex epiſt. eiuſd. ad C. Caſſium, epiſtolarum ad famil. lib. 15. Fit enim neſcio quomodo, vt, quaſi coràm adeſſe videar, cùm ſcribo aliquid ad te, neque id κατ' εἰδώλων φαντασίας, *vt dicunt tui amici noui, qui putant etiam* διανοητικὰς φαντασίας *ſpectris Catianis excitari, & c. nam ſatis eſt mihi locum indicaſſe: & alibi hunc eundem locum fortaſſe proferemus.*

BRACTEAQVE AVRI) *& tenuiſſima auri veluti membrana.*

PERCIPIVNT OCVLOS) *ſic habent quinque libri manuſcripti, & omnes typis impreſſi, præter Aldinos antiquiores: in quibus legitur, percipiunt oculi, mendoſè. nam percipere, hîc ponitur pro occupare, ſeu afficere, ſeu perfundere. Sic lib. 5. Eſt etiam quoque vti non magno ſolis ab igni Aëra percipiat calidis feruoribus ardor. eadem ratione dicuntur illa, percipit me odium, horror, fames, & c.*

CORPORIS H. Q. PEN. PER RARA) *rara corporis dixit, corporis (vt ita dicam) raritates, quas alibi, inania, cauernas, & caulas, appellat.*

VIDEMVS) *videre videmur, nempe ſomniantes: vel videmus animo, & cogitamus vigilantes. vel dic Centauros, id eſt, Centaurorum imagines, & c. Centauri autem, Scyllæ, Cerberi non fuerunt, vt ſtatim dicet, cùm tamen eorum imagines ad animos noſtros perueniant. Ad hunc locum pertinent illa Ciceronis ex lib. 1. de nat. deorum. Quid quòd eiuſdem hominis imagines aliæ in meum animum incurrunt, aliæ in tuum? quid quòd earum, quæ numquam omnino fuerunt, neque eſſe potuerunt, vt Scyllæ & Chimæræ, & c. Ibid. Quis enim Hippocentaurum fuiſſe, aut Chimæram putat? ſic Virgil. lib 6 cõiunctè poſuit Centauros & Scyllas, vt res inaneis. Centauri in foribus ſtabulant, Scyllæque biformes. Iterum M. Tull. libro. 1. Tuſcul. quæſt. Qui enim ſatis viderit, id quod eſt luce clarius, animo & corpore conſumto, totóque animante deleto, & facto interitu vniuerſo, illud animal, quod fuerit, factum eſſe nihil: is planè perſpiciet, inter Hippocentaurum, qui numquam fuerit, & regem Agamemnonẽ, nihil intereſſe Sed hac de re infrà plura fortaſſe dicẽtur.*

QVORVM MORTE OBITA) *ſic ſup. lib. 1. Cernere vti videamur eos, audiréq; corã, Morte obita quorũ tellus amplectitur oſſa.* PARTIM SPONTE SVA) *vt Cerberorũ, Scyllarũ, & ſimilium rerũ, quæ ſcilicet numquam fuerunt.*

PARTIM QVÆ VAR. AB R. CVMQVE) *quæcumque, tmeſis.*

ET QVÆ CONSISTVNT) *ſic legi debet, non, vt in vulgatis, conficiũt, niſi quis malit legere, conſiunt, vt habent nonnulli lib. ſcripti, (quod tamen vix probem, propterea quòd inconcinnum videatur ita loqui, conſiunt facta:) vel, vt quidam doctus putat, conueniunt. Videtur Lucretius tertium ſimulacrorum genus hoc verſu feciſſe, vt tria genera ab eo facta eſſe intelligamus: Primum genus eorum, quæ ſponte fiunt, id eſt per ſe, vt quæ non fluunt ab vlla re, quæ ſit in rerum natura, verbi gratia, ſimulacra Scyllæ, Cerberi. & ſimil. Secundum genus eorum, quæcumque ex rebus, quæ ſunt, fluunt, vt ſimulacra hominis, equi, lecti, & ſimil. Tertium eorum, quæ compoſita & conſtituta ſunt ex pluribus earum rerum, quæ partim ſunt, partim nõ ſunt, figuris, vt ſunt Centaurus, ſeu Hippocentaurus, Chimæra, tragelaphus.*

nã hippocẽtaur⁹ ſit ex homine, & equo: chimæra, à prima parte, ex leone: à media, ex capra: à poſtrema, ex dracone: tragelaph⁹, ex altera parte hircus eſt, ex altera ceruus. Itaq; fortaſſe ita legendũ eſt potius, Partim quæ cõſtant ex harũ facta figuris. alioqui ſecundũ genus ſimulacrorũ continebit & ſimulacra rerum, quæ ſunt, & ſimulacra rerum, quæ non ſunt. NAT. ANIMALIS) *ſic reſtitui ex cod. Bertiniano, In quo memini ſcriptum eſſe, animaus. nam animaĩ quod eſt in libris vulgatis, ferri non poteſt.* CONVENIT IM.) *ſic habent noſtri omnes libri veteres: neque hîc, mea quidem ſententia, quicquam mutandum. quamquam nonnulli legi volunt, concurrit.* HÆRESCIT FACILE) *ſic habent tres libri manuſcripti. quibuſcum cõſentiunt omnes typis excuſi, quos quidem viderim: duo reliqui manuſcripti, Accreſcit facile, &c. quos non ſequor. puto enim ſcriptum eſſe à librario, acreſcit, ſine aſpirationis nota, deinde poſtea ab alio librario factum, accreſcit, ex, acreſcit. Si quis tamen, accreſcit, probabit: non pugnabo.*

Hæc fieri (vt memoro) facilè hinc cognoſcere poſſis,
Quatinus hoc ſimile eſt oculis, quod mente videmus,
Atque oculis ſimili fieri ratiòne neceſſe'ſt:
Nunc igitur quoniam docui me forte leones
Cernere per ſimulacra, oculos quæcumque laceſſunt:
Scire licet mentem ſimili ratione moueri
Per ſimulacra leonum cetera, quæ videt æquè,
Nec minus, atque oculi: niſi quòd mage tenuia cernit.
Nec ratione alia, cùm ſomnus membra profudit,
Mens animi vigilat, niſi quòd ſimulacra laceſſunt
Hæc eadem noſtros animos, quæ, quom vigilamus:
Vſqueadeò, certè vt videamur cernere eum, quem
Reddita vitai iam mors, & terra potita'ſt.
Hoc ideò fieri cogit natura, quòd omnes
Corporis affecti ſenſus per membra quieſcunt,
Nec poſſunt falſum veris conuincere rebus.
Præterea meminiſſe iacet, languétque ſopore,
Nec diſſentit, eum mortis, letíque potitum
Iampridem, quem mens viuum ſe cernere credit.

HÆC FIERI (VT MEMORO) FACILE) *probat, animi rationem & cogitationem, imaginum accurſu cõmoueri, à ſimilitudine videndi. hoc ita fieri (inquit) vt dico, ex hoc intelligere poſſis, quatinus, id eſt, quoniã, ſeu quia, hoc, quod mente videmus ſimile eſt oculis, id eſt ſimile eſt, atque illud, quod oculis cernimus. Sic autem reſtitui iam ab initio, cùm in omnibus libris vulgatis impreſſum, neque aliter ſcriptum eſſet in pleriſque veteribus, quatinus hoc ſimile eſt illi. quam emendationem Thraſones ſecuti ſunt, diſſimulantes, & taciti, more ſuo, quaſi in libris vulgatis repertam.* ATQVE OCVLIS SIMILI) *id eſt, & neceſſe eſt nos cernere mente atque animo ſimiliter oculis, id eſt, ſimiliter, vt oculis videmus.*

FORTE LEONES) *adiecit aduerbium, forte, quia leones poſuit potius,*

quàm

quàm aliud animal quaſi ita dicat. finge, me aliquo caſu leones videre. hos igitur leones, quos forte video, non niſi per ſimulacra à leonibus in aciem oculorum meorum affluentia, cernere queo. at cogitatio ita fit, vt viſus. ergo leones cogitare non poſſum ſine imaginibus leonum ad animum meum accurrentibus. non celabo lectorem, legi in cod. manuſcrip. me forte leonum, mendoſè opinor.

PER SIMVLACRA LEONVM CETERA) copulationem, &, quæ erat poſt vocem, leonum, ſuſtuli, ſecutus auctoritatem codicis Bertiniani. tollendam autem eſſe etiam ratio peruincit. Nam hoc ſentit Lucret. quoniam docui, me leones, & alias res cernere per leonum, & aliarum rerum ſimulacra, quæ oculos laceſſunt: poſitum autem & conceſſum eſt, cogitationem ſimili ratione, atque viſum, fieri: ſequitur, mentem ſimiliter per alia ſimulacra magis tenuia moueri, & me leones cogitare per ea ſimulacra, quæ mens ita cernit, vt oculi ea, quæ ſunt maiora, cernunt.

NEC RATIONE ALIA CVM SOMNVS) de ſomno cognoſcemus hoc eodem libro, non multis pòſt verſibus.

MENS ANIMI) ita ſæpe hæc duo coniunguntur, vt lib. 5. animi vix mente videtur. & libro 6. Perturbata animi mens in mærore, metúque. & ſup. lib. 3 Denique cur animi numquam mens, conſiliúmque Gignitur in capite? ſic & Plautus Ciſtell. Nullam mentem animi habeo: vbi ſum, ibi non ſum: vbi non ſum, ibi eſt animus. ſed de hoc genere plura ad illum locum Horat. epiſt. ad Villic. lib. I. tamen iſtuc mens, animúſque Fert. REDDITA VITAI) mors vitæ reddita, hoc eſt (vt opinor) mors cum vita commutata.

TERRA POTITA'ST) quem terra potita eſt: id eſt, quem terra humatum tenet. De hoc verbo, & id cum accuſandi caſu interdum iungi, ſuprà notatum. lib. 3. quorum vnus Homerus Sceptra potitus, & cet.

QVOD OMNES CORP. AFFECTI) quidam libri ſcripti habent, offecti: alij, effeti: alij, affecti: nonnulli typis excuſi, effecti. ego, offecti, non improbò: quod interpretor, obſtructi, & ſomno, quaſi obice quodam, impediti. ſup. lib. I. extrà Officiuntur, vti cogantur tardius ire. ne, affecti, quidem eſt reiiciendum. de quo ſuprà lib. 2. in extr. Vſqueadeò fracta'ſt ætas, affectáque tellus.

PRÆTEREA MEMINISSE IACET) meminiſſe, id eſt memoria, ſeu vis & poteſtas animi, qua res præteritas meminimus. τὸ μεμνῆσθαι. ſic loquitur Ennius. Aut occaſus vbi, tempúſve audere repreſſit. audere, id eſt audaciam, τὸ τολμᾶν. Plautus Bacchid. hic vereri perdidit. τὸ αἰδεῖσθαι, id eſt, τὴν αἰδῶ, ſeu pudorē. Idem Lucret. ſup. eod. lib. Eſſe in imaginibus miſſis conſiſtere eorum. eſſe, id eſt, τὸ εἶναι. & eod. libr. infr. Nec fuit ante videre oculorum lumina nata. videre, id eſt, τὸ ὁρᾶν. & M. Tull. lib. 2. de Finib. Id primùm videamus beatè viuere veſtrum quale ſit. meminiſſe, autem, legendum eſſe, non (vt eſt in quibuſdam vulgatis) mens ipſa, teſtantur quinque libri manuſcripti. MORTIS, LETIQVE POTITVM) qui dormit (inquit) quia vis memoriæ ſopita eſt, non diſſentit, neque negat, eum eſſe mortuum, quem ſibi viuum cernere videtur. potitum, autem, mortis, dixit, pro eo, quod eſt, in poteſtatem mortis redactum. ſic Plautus, potitus hoſtium. Captiuis. Nam poſtquàm meus rex eſt potitus hoſtium, &c. id eſt, in hoſtium poteſtatem peruēnit. Itémque alibi non ſemel. Sic & Iulianus iuriſconſultus digeſtis, titulo de Captiuis & poſtlim. reuerſis. cap 22. Apparet ergo eadem omnia pertinere ad heredē eius, quæ ipſe, qui hoſtium potitus eſt, habiturus eſſet, ſi poſtliminio reuertiſſet. Et Triphonius eod. tit. cap. 12. Cetera, quæ in iure ſunt, poſteaquàm poſtliminio rediit, pro

eo habentur, ac ſi numquam hoſtium potitus eſſet. Et Vlpian.*titulo, ex quibus cauſ. maiores.* Ego *autẽ etiam nomine eius, qui hoſtiũ potitus eſt, ſi curator, vt plerumq;, fuerit bonis conſtitutus, auxilium competere exiſtimo.* Idem *titulo, de teſtamento milit. cap.* 10. *Facere teſtamentum miles hoſtium potitus, nec iure militari poteſt.*

Quod ſupereſt, non eſt mirum, ſimulacra moueri,
Brachiáque in numerum iactare, & cetera membra.
Nam fit, vt in ſomnis facere hoc videatur imago.
Quippe, vbi prima perit, alióque eſt altera nata
Endo ſtatu, prior hæc geſtum mutaſſe videtur.
Scilicet id fieri celeri ratione putandum'ſt.
'Tanta eſt mobilitas, & rerum copia tanta,
'Tantáque ſenſibili quouis eſt tempore in vno
'Copia particularum, vt poſſit ſuppeditare.'
Multáque in his rebus quæruntur, multáque nobis
Clarandum'ſt, planè ſi res exponere auemus.

QVOD SVPEREST) *docet non eſſe mirum imagines moueri, & ſaltare, & ſimilia facere: aut certe facere videri. Quod ſupereſt, id eſt, quod reliquum eſt.*

IN NVMERVM) *aptè, compoſitè, numeroſè. ſic lib.* 2. *Armati in numerũ pulſarent æribus æra* Virg. Georg 4. *de cyclopib. Illi inter ſeſe magna vi brachia tollunt In numerum, verſántq; tenaci forcipe ferrum. cuius contrarium eſt, extra numerũ.* Idem Lucret. lib 5. *Atq; extra numerum procedere membra mouentes Duriter, & duro terram pede pellere matrem.* Horat. *epiſt. ad* Loll. 2. *lib.* 1. *Quamuis nil extra numerum feciſſe, modúmque Curas. ad quem locum plura à nobis annotata ſunt.*

ENDO STATV) *ſic repoſui, cùm legatur in libris omnibus, Inde ſtatu, planè mendoſè. legendũ enim, Endo, quamquam fateor me olim repoſuiſſe, Indu, quod item reperitur in omnibus fere libris pro, endo. ſed malo, endo. idque rectum puto. quod valet, in. ſententia autem eſt hæc. Videtur (inquit) imago in ſomnis membra mouere & geſticulari in numerum, quia poſtea quàm prima imago periit, ſecundáque continuò in alio ſtatu, quàm erat prima, nata eſt: videtur hæc prima ſtatũ, geſtúmque mutaſſe. quod longè aliter eſt. nam imago imagini ſuccedit, & vno, eodémque tempore, aliæ, atque aliæ imagines creãtur: quemadmodum non eſt vnum lumen, quod à corpore luminoſo, quale eſt corpus ſolis, fluit: ſed aliud, atque aliud, quod per ſucceſſionem quandam non interruptam cõtinuatur, ac perpetuatur. qua de re ſuprà.* TANTA'ST MOBILITAS) ἐπιφώνημα, *vt ſupr. lib.* 1. *Tantum relligio potuit ſuadere malorum. Sed hic verſus hinc auferendus eſt, vt alieno loco poſitus. Nam infrà ſuo loco ponitur, ibique duntaxat legendus.*

TANTAQVE SENSIBILI, &c.) *neque hic verſus, neque qui deinceps ſequitur, Lucretianus eſt nam primùm non eſt eorum pura, immo ne Latina quidem oratio: deinde ſententia ex eis nulla probabilis, aut huic loco cõſentanea elici poteſt.*

COPIA PARTIC. VT P.' SVPP.) *ſuppeditare, id eſt, ſuppetere,* [illegible]. *Verùm, vt dixi, non puto, hunc verſum eſſe poëtæ, ſed ſpuriũ. Itaq; ſublatis duobus his verſib. vt ſpuriis, ſublato & illo, qui hos proximè antecedit, quia fruſtrà, & nõ ſuo loco locatus eſt, ſic cenſeo hunc locum eſſe legendum. Scilicet id fieri celeri ra-*

tione putandũ eſt: Multáq; in his rebus quæruntur, &c. ſed non celabo lectorẽ, ſcriptum eſſe in quibuſdã vulg. cod. quærendum. CLARANDVM EST) *clarare oportet, δηλωτιον. ſic ſup. lib. 1. Æternas quoniam pœnas in morte timendum.*

Quæritur in primis, quare, quod quoique libido
Venerit, extemplò mens cogitet eius idipſum.
An'ne voluntatem noſtram ſimulacra tuentur?
Et ſimulac volumus, nobis occurrit imago?
Si mare, ſi terram cordi'ſt, ſi denique cælum,
Conuentus hominum, pompam, conuiuia, pugnas,
Omnia ſub verbóne creat natura, parátque?
Quom præſertim aliis eâdem in regione, locóque
Longè diſſimileis animus res cogitet omnis?
Quid porrò, in numerum procedere quom ſimulacra
Cernimus in ſomnis, & mollia membra mouere,
Mollia mobiliter quom alternis brachia mittunt?
Et repetunt oculis geſtum pede conuenienti?
Scilicet arte madent ſimulacra, & docta vagantur,
Nocturno facere vt poſſint in tempore ludos?
An magis illud erit verum, quia tempore in vno
Cum ſentimus id: vt cùm vox emittitur vna:
Tempora multa latent, ratio quæ comperit eſſe:
Propterea fit, vti quouis in tempore quæque
Præſtò ſint ſimulacra locis in queiſque parata?
Tanta eſt mobilitas, & eorum copia tanta.
Et quia tenuia ſunt, niſi ſe contendit, acutè
Cernere non potis eſt animus. proinde omnia, quæ ſunt
Prætereà, pereunt, niſi ſic ſeſe ipſe parauit.
Ipſe parat ſeſe porrò, ſperátque futurum,
Vt videat, quod conſequitur rem quamque. fit ergo.
Nónne vides, oculos etiam, quom, tenuia quæ ſint,
Cernere cœperunt, contendere ſe, atque parare:
Nec ſine eo fieri poſſe, vt cernamus acutè?
Et tamen in rebus quoque apertis noſcere poſſis,
Si non aduertas animum, proinde eſſe, quaſi omni
Tempore ſemotæ fuerint, longéque remotæ.
Cur igitur mirum eſt, animus ſi cetera perdit,
Præter quàm quibus eſt in rebus deditus ipſe?
Deinde adopinamur de ſignis maxima paruis:
Ac nos in fraudem induimus, fruſtramur & ipſi.

QVÆRITVR IN PRIMIS, QV. QV. QVOIQ. L. V. EXT. M. C.) Sic M. Tull. oratione pro Milone. Fingite animis. Liberæ enim ſunt cogitationes noſtræ: & quæ volũt, ſic intuentur, vt ea cernimus, quæ videmus. Fingite igitur cogitatione imaginem huius condicionis meæ. Idem lib. 1. de nat. deorum. Chryſippus, qui Stoicorum ſomniorum vaferrimus habetur interpres, magnam turbam congregat ignotorum deorum, atque ita ignotorum, vt eos ne coniectura quidem informare poßimus, cùm mens noſtra quiduis videatur cogitatione poſſe depingere. Hæc quæſtio, quare quod cuique libuerit, id cogitet, cùm cogitatio ſimulacris excitetur, pendet ex ſuperiore, quamobrem ſimulacra moueri videantur. Itaque vtriq; quæſtioni eadem opera reſpondet: ſed Peripateticorum atque Academicorum veterum more, qui ad propoſitam quæſtionem, & ad interrogatum pluribus modis, quaſi dubitantes, & ſibi diffidentes, reſpondebant: & tamen poſtremo loco, quam ſententiam, & rationem magis probabant, ponebant. ſic igitur Lucretius hoc loco. Quæritur (inquit) quare, quod cuique libuerit, idipſum continuò mens eius cogitet. An quia ſimulacra noſtro arbitratu ad nos accurrunt, nobíſque obtemperant, cùm de re aliqua cogitare volumus? an potius quia in vno tempore multa deliteſcunt tempora, quæ non niſi ratione eſſe intelliguntur? Atque iccircò fit, vt quouis tempore, & quibuſuis in locis ſimulacra præſtò ſint, atque ad nutum noſtrum parata nobis aßiſtant? Hanc de imaginibus, & de cogitandi per imaginum appulſum ratione, Epicuri ſententiam irridet, & improbat M. Tull. epiſt. quadam ad Caßium lib. 15. epiſt. his verbis. Fit enim neſcio quomodo, vt quaſi coràm adeſſe videare, cùm ſcribo aliquid ad te: neque id κατ' εἰδώλων φαντασίας, vt dicunt tui amici noui: qui putant etiã διανοητικὰς φαντασίας ſpectris Catianis excitari. (Nam, ne te fugiat, Catius Inſuber Epicureus, qui nuper eſt mortuus, quæ ille Gargettius, etiam antè Democritus, εἴδωλα, hic ſpectra nominat.) His autem ſpectris etiam ſi oculi poſſent feriri, quòd, cùm velimus, ipſa accurrunt, animus qui poßit, ego non video. doceas tu me oportebit, cùm ſaluus veneris, in meáne poteſtate ſit ſpectrum tuum, vt, ſimulatque mihi collibitum ſit de te cogitare, illud accurrat: neq; ſolùm de te, qui mihi hæres in medullis, ſed ſi inſulam Britanniã cœpero cogitare, eius εἴδωλον mihi aduolet ad pectus. Idem lib. 1. de nat. deor. Quid quòd ſimul ac mihi collibitum eſt, præſtò eſt imago? quid quòd etiam ad dormientem veniunt inuocatæ? Tota res Vellei nugatoria eſt. Eodem pertinent illa eiuſdem lib. 2. de diuinatione. Igitur me imago Mary in campum Atinatem perſequebatur. Nulla enim ſpecies cogitari poteſt, niſi appulſu imaginũ. Quid ergo? iſtæ imagines ita nobis dicto audientes ſunt, vt, ſimulatque velimus, accurrant? etiámne earum rerum, quæ nullæ ſunt? &c.

OCCVRRIT IMAGO) ſic quidem habent libri omnes, & manuſcripti, & typis excuſi, quibus vſus ſum: ſed videtur potius legendum, accurrit, vt declarant ea, quæ paullo antè ex Marco Tullio protulimus, ibi: cùm velimus, ipſa accurrunt, &c: & ibi. eius εἴδωλον mihi ad pectus aduolet, &c. niſi dicamus, occurrit, poſitũ eſſe pro, accurrit, antiquè, quod aliàs notauimus. lege Feſtum in præpoſitione, Ob.

OMNIA SVB VERBONE CREAT) omniáne ſimulacra ſub verbo gignit natura? Vel ex hoc locò perſpicuum eſt, vbicunq; legitur in codicibus ſiue manuſcriptis, ſiue impreßis, ſimulacra geruntur, legendum, genuntur, id eſt, gignuntur.

QVID PORRO, IN NVMERVM) videtur reuerti ad priorem quæſtionem, quamobrem ſimulacra in numerum moueri videantur: eámque vna opera diſſoluere.

ET REPETVNT OCVLIS,&c.) *puto hunc eſſe verborum ordinem: Et repetunt geſtum pede oculis conuenienti:* καὶ τοῖς ὀφθαλμοῖς ἁρμόζοντι: *vel legẽdum, Et repetunt manibus geſtum pede conuenienti.*

SCILICET ARTE MADENT) *Sic habent libri manuſcripti, Scilicet arte madent,&c. inquam, quod ego olim quidem lectori indicaram: neque ſatis probaram, tantúmque lectoris iudicio rem totam permiſeram: nunc autem, reiecta vulgata lectione, Scilicet arte valens,&c. quæ eſt ſuppoſita, antiquam amplector.*

AN MAGIS ILLVD) *id eſt an potius illud erit verum, quia in vno tempore multa incluſa ſunt tempora: quibus ſingulis temporibus, ſingulæ nobis paratæ praſtò ſint imagines?*

CVM SENTIMVS,&c.) *hunc verſum delendum puto, vt ſpurium: Nam & corrumpit ſententiam huius loci, & nullam ipſe probabilem ſententiam continet, niſi quis dicat, hoc modo retineri & interpretari poſſe. An magis illud erit verum, tum cùm id ſentimus: id eſt cùm videntur nobis imagines in numerum brachia iactare, & ſaltare, in vno tempore, multa incluſa latêre tempora, vt cùm vox vna vno tempore miſſa, plura tempora metitur? Omnino in hoc loco, atque in hoc verſu mihi aqua hæret. Adde quòd in quattuor libris manuſcriptis, ita eum ſcriptum reperi, Conſentimus, id eſt, cùm vox emittitur vna: cuius ſcripturæ quæ ſententia, aut quæ ratio ſit, non ſatis diſpicio. Putaui aliquando ſic legendum, Cùm ſentimus item, vt, cùm vox emittitur vna: vel ſic, Cùm ſentimus idem, vt cùm vox emittitur vna. ſed quorſum hæc, cùm mihi delendus eſſe videatur?*

LOCIS IN QVEISQVE PARATA) *ſic habent quattuor libri manuſcripti, Vatic. Scipionis, Faërni, Bertinianus: & ita legendum eſt. cum his congruunt illa Marci Tullij lib. 1. de nat. Deor. quem paullo antè protuli: fluentium frequenter tranſitio fit viſionum, vt è multis vna videatur.*

TANTA HIS MOBILITAS, ET EOR.) *hoc loco duntaxat & ſcribi, & legi debet hic verſus. Iam duos verſus, qui deinceps in omnibus libris leguntur, ſuſtuli, vt alieno loco inculcatos, & fruſtra repetitos, & minime ad hunc locũ quadrantes. leguntur enim ſuprà ſuo loco poſt verſum, Nam fit vt in ſomnis facere hoc videatur imago. aptè enim ſequitur, Quippe vbi prima perit, &c. prima autem, imago ſcilicet. At hîc non licet ita dicere, quia nõ antecedit nomen, imago, ſed vox, ſimulacra, quæ eſt numeri multitudinis.*

ET QVIA TENVIA SVNT) *quærere aliquis poterat: ſed ſi mens cogitare nõ poteſt, niſi per occurſum, ſeu accurſum ſimulacrorum, & ſi, quod cuique libuerit, id cuiuſque mens facile cogitare poteſt, quia quouis tempore, & quouis in loco parata ſunt, & præſtò ſunt ſimulacra: qui fit, vt, cùm infinita & omnis generis ſimulacra ei præſtò ſint, non æquè videat eodem tempore ea, quæ non vult, atq; ea, quæ vult? reſpondet Lucretius, ea ſimulacra, quibus mens mouetur, & quæ videt, eſſe tenuiſſima, & longè tenuiora ſcilicet, quam quæ oculis cernimus. Quapropter animus non niſi ſe contendit, acutè ea cernere poteſt. ea igitur, quæ accuratè, & contentè cernit, cernit acutè: quæ verò leuiter, & (vt ita dicam) aliud agens cernit, ea dilabuntur, & pereunt. Idque ex ſimilitudine oculorum intelligere licet, qui cùm rem aliquam cernere cœperunt (quod ſine ſimulacris facere non poſſunt) eam rem acutè cernere non poſſunt, niſi ſimulacra illa contenta acie cernant.*

NISI SE CONTENDIT, ACVTE CERN.) *ſic reſtitui, reclamantibus omnibus codicibus, admonitus ab eo loco, qui eſt infrà ſeptimo abhinc verſu:*

in quo ita loquitur: contendere ſe, atque parare. Contendere autem his locis agendi vim habet, vt cùm dicimus, contendere neruos, contendere aciem oculorum, cōtendere vireis. Idem Lucret infr. eod. lib. Et quaſi de palma ſummas contendere vireis. idem lib. 1. Primùm Graius homo mortaleis tendere contrà Eſt oculos auſus. ad quem locum plura. OMNIA QVÆ SVNT PRÆTEREA) id eſt omnia ſimulacra, quæ ſunt præter illa, ad quæ cernenda animus ſeſe contēdit, & parat, pereūt.

NISI SIC SESE IPSE PAR.) id eſt niſi ſeſe contendit, vt ea cernere queat, nempe dum rerum conſecutionem, & ſeriem conſiderat.

IPSE PARAT P.) porrò (inquit) ipſe animus ſeſe componit, & parat ad cernendum, ſperátque fore, vt videat id, quod quamque rem conſequitur, id eſt quod cuique rei eſt conſequens. NONNE VIDES) hoc oſtendit à ſimili.

NEC SINE EO) id eſt niſi ſe contendant, & parent ad cernendum. Etiam mathematici docent, primùm adſpectus alios fieri per lineas à punctis rerum adſpectabilium ad perpēdiculum in oculum, ſeu in viſum incidēteis: & hi adſpectus diſtincti appellantur: alios per lineas, quæ à rebus aſpectabilibus nō cadunt in viſum ad perpendiculum: & hi indiſtincti nominātur: deinde omnem adſpectum fieri vel inſpectione ſimplici, & ſubita oculi adiectione ad rem aliquam: vel cōtuitione accurata, & intenta. Vt igitur rem aliquam acutè cernam, & planè ac perfectè inſpiciendo cognoſcam, duo concurrere oportet: vnum, vt res, quæ cernitur, oculo ſit ad perpendiculum oppoſita, lineæque à re, quæ cernitur, in oculum ad perpendiculum incidentes, pyramidem efficiant, cuius vertex ſit in puncto medio oculi, baſis verò in extremitate, ſeu ſumma cæſura rei, quæ cernitur: alterum, vt rei contuitio ſit diligens & accurata, & tam diuturna, quantùm ſatis ſit.

ET TAMEN IN REBVS) licet (inquit) intelligere, etiam in rebus apertis, ac manifeſtis, niſi animam attendas, dum eas cernis, & ſi aliud agas, aut ſi peregrinetur animus, proinde eſſe, quaſi eæ ipſæ res omni tempore abs te fuerint remotiſſimæ, tibíque obſcuriſſimæ. ſic M. Tull. lib. 1. Tuſcul. Itaque ſæpe aut cogitatione, aut aliqua vi morbi impediti, apertis atque integris oculis, & auribus, nec videmus, nec audimus. SEMOTÆ FVERINT, LONGÆQVE REMOTÆ) ſic legendum vel inuitis omnibus codicibus, in quibus legitur, ſemotum fuerit, longéque remotum. &, vt ita legatur, ſententia ipſa flagitat.

PRÆTERQVAM QVIBVS EST IN R.) ſecutus ſum cod. Pariſienſ. Venetos antiq. Florent. etiam Bertin. & Memm. manuſcriptos. hoc tamen intereſt inter Venetos & Florent. quòd in Florent. legitur, queis eſt in rebus, & ita in Bertiniano: in Venetis, quibus eſt in rebus, & ita in Pariſ. Iam hoc loquendi genus, deditus in rebus, deditus in ſtudio, vſitatum fuit antiquis. Catull. in nuptias Iuliæ & Manlij. Non tuus leuis in mala Deditus vir adultera. Iterum Lucret. ſuprà lib. 3 Et ſimul in pugnæ ſtudio quòd dedita mens eſt. Cato. poeticæ arti honos non erat. ſi quis in ea re ſtudebat, aut ſeſe ad conuiuia applicabat, graſſator vocabatur.

AC NOS IN FRAVDEM INDVIMVS) eleganter & venuſtè dictum, induere ſe in fraudē. ſic M. Tull Verr. de iure dicundo Hic videte in quot laqueos ſe induerit. Idem in Lucullo: Philo autem dum noua quædam cōmouet, quòd ea ſuſtinere vix poterat, quæ cōtra Academicorum pertinaciā dicebantur: & apertè mentitur, vt eſt reprenſus à patre Catullo, &, vt docuit Antiochus, in idipſum ſe induit, quod timebat. Idem de diuin lib. 2 cur vos induitis in eas captiones, quas nūquam explicetis? Plaut Caſina. Mea præda eſt illa: proin tu te in laqueum ne induas.

FRVSTRAMVR ET IPSI) *cùm in codicibus quibuſd. manuſcriptis reperiſſem ſcriptum, Fruſtraminipſis, idque cum litura: in aliis, fruſtramur id ipſi, & ita in Pariſ & Venetis antiq ego fruſtramur & ipſi, repoſui: quæ ſcriptura perſpicuè vera eſt. Iam verò etiam Ariſtot. lib. de inſomniis ſcribit, nos facilè decipi, ac falli circa ſenſus, maxime cùm perturbati aliquo animi motu ſumus, vt amantes videntur ex parua ſimilitudine eam, quam amant, cernere: timidi & ignaui, hoſtium cōſpectum ſibi fingunt, &c. cuius rei exſtat exemplum apud Cæſ. lib. I. de bello Gall. vbi narrat, Conſidium quendam, alioqui rei militaris peritiſſimum, cùm exploratum, quid hoſtes agerent, miſſus eſſet, metu perterritum, quod non vidiſſet, pro viſo ſibi renuntiaſſe.*

Fit quoque, vt interdum non ſuppeditetur imago
Eiuſdem generis: ſed fæmina quæ fuit antè,
In manibus vir tum factus videatur adeſſe:
Aut alia ex alia facies, ætáſque ſequatur:
Quód ne miremur, ſopor, atque obliuia curant.
Iſtud in his rebus vitium vehementer, & iſtum
Effugere errorem, vitaréque præmeditator,
Lumina ne facias oculorum clara creata,
Proſpicere vt poſſimus: &, vt proferre viaï
Proceros paſſus, ideò faſtigia poſſe
Surarum, ac feminum pedibus fundata plicari:
Brachia tùm porrò validis ex apta lacertis
Eſſe, manúſque datas vtraque à parte miniſtras,
Vt facere ad vitam poſſimus, quæ foret vſus.
Cetera de genere hoc inter quæcumque pretantur:
Omnia peruerſa præpoſtera ſunt ratione.
Nil ideò quoniam natum'ſt in corpore, vt vti
Poſſemus: ſed quod natum'ſt, id procreat vſum.
Nec fuit ante videre oculorum lumina nata:
Nec dictis orare prius, quàm lingua creata'ſt:
Sed potius longè linguæ præceſſit origo
Sermonem: multóque creatæ ſunt prius aures,
Quàm ſonus eſt auditus: & omnia denique membra
Antè fuere, (vt opinor) eorum quàm foret vſus.
Haud igitur potuere vtendi creſcere cauſá.
At contrà conferre manu certamina pugnæ,
Et lacerare artus, fœdaréque membra cruore,
Antè fuit multo, quàm lucida tela volarent.
Et volnus vitare prius natura coëgit,
Quàm daret obiectum parmaï læua per artem,

Scilicet & feſſum corpus mandare quieti,
Multo antiquius eſt,quàm lecti mollia ſtrata.
Et ſedare ſitim prius eſt,quàm pocula,natum.
Hæc igitur poſſunt vtendi cognita cauſa
Credier,ex vſu quæ ſunt,vitáque reperta.
Illa quidem ſeorſum ſunt omnia,quæ prius ipſa
Nata,dedere ſuæ pòſt notitiam vtilitatis.
Quo genere in primis ſenſus,& membra videmus.
Quare etiam atque etiam procul eſt,vt credere poſſis,
Vtilitatis ob officium potuiſſe creari.

SOPOR, ATQVE OBLI. CVR.) *hoc ſignificat.non miramur,dum dormimus,quæ antè fæmina nobis viſa ſit,eam nũc virum eſſe factam,propterea quòd tum meminiſſe iacet,languétque ſopore, vt ſuprà dixit ſopor & obliuia curant, id eſt efficiunt,ne hoc miremur.tralatio eſt.ſic loquitur lib. 3. calidique vaporis* Semi*na curare,in membris vt vita moretur.& lib.5.Ignis enim curauit,vt alſia corpora frigus* Non ita iam poſſent cæli ſub tegmine ferre.

ILLVD IN HIS REB. VIT. VEH. ET ISTVM EFF. ERR. VITAREQVE PRÆMEDITATOR) *hos duos verſus indignis modis corruptos,ego veſtigia ſcripturæ veteris odoratus,& Lucretij ſententiam ipſis cubilibus perſecutus,non infeliciter,mea quidem ſentẽtia,reſtitui.* Sed *proponam primùm ſcripturarum diſsimilitudines:deinde eius ſcripturæ,quam probaui,ſententiam explicabo.*Sic *igitur ſcriptum eſt in cod.*Vatic*. Illud in his rebus vitium vehementer ineſſe* Effug *errore,multaréque præmetuentor: in* Tett. & Faërn. *Effugere errores, multáſque præmetuentur.* in Bertin. *Effugere errorem, vitaréque præmetuenter. in* Memm. *Effugere errore, vitaréque præmetuenter.cod.typis impreſſi,*Pariſ. & Venet. *antiq. Effug:re errorem, vitaréque præmeditemur. ceteri vulgati ita corrupti ſunt, vt pigeat me referre.*Sic *igitur repono.Illud in his rebus vitium vehementer, & iſtũ Effugere errorem,vitaréque præmeditator, &c. id eſt, multò antè meditator in his rebus illud vitium,iſtúmque errorem effugere,ac vitare,ne ſcilicet facias, néve exiſtimes,oculos eius rei gratia eſſe creatos,vt cernamus: ſuras & pedes, vt ambulemus:brachia & manus ad ea facienda, quæ ad vitam ſint vtilia, &c* Non *enim membra,aut quicquam omnino in corporibus noſtris natum eſt, vt eo vtamur: ſed ex eo,quod natum eſt,proficiſcitur vſus.*Neque *enim viderunt homines, antè quàm oculos à natura habuerũt, neq, antè orationes habuerũnt , aut omnino locuti ſunt, quàm lingua creata eſt: ſed contrà & oculi prius creati ſunt, quàm quicquam cernerent, & lingua prius nata eſt, quàm loqui poſſet. Quòd ſi id verum eſſet, quod quidam arbitrantur,membra eſſe creata, vt eis cerneremus, audiremus, fabricaremur, ambularemus, &c. ſequeretur ex eo, nos & prius, quàm oculos haberemus, cernere,& ſine manibus fingere, aut pingere, & ſine pedibus ambulare potuiſſe.* Nam *quicquid alicuius rei ſit gratia id ea re, cuius rei cauſa comparatur, poſterius eſt tempore: vt lectus dormiendi & quiſcendi cauſa factus eſt:poculum bibendi cauſa comparatum eſt:parma tegendi corporis & vitãdæ plagæ gratia reperta eſt. at prius quàm lecti,pocula,parmæ eſſent: & quieſcebant, & bibebant, & plagam vitabant*

vtebant homines. Cùm igitur neque antè quàm oculi eſſent creati, cernere, neque ante pedum originem, paſſus proferre, neque ante manus factas, quicquam contrectare potuerint homines: falſum eſt & oculos, cernẽdi, & pedes, ambulãdi, & manus, contrectandi cauſa eſſe factas. Aliter ſentiebant Stoici, vt refert M. Tull. lib. 3. de Finib. Iam membrorum, id eſt partium corporis alia videntur propter eorum vſum à natura eſſe donata, vt manus, crura, pedes, & ea, quæ ſunt intus in corpore, quorũ vtilitas quanta ſit à medicis diſputatur: alia autem nullam ob vtilitatem, quaſi ad quendã ornatũ, vt cauda pauoni, plumæ verſicolores columbis, viris mãmæ atque barba. Hanc autem Epicuri opinionem refellit & Lutatius, ſiue Lactantius lib. de opificio dei, his verbis. Dixit enim neque oculos ad videndum eſſe natos, neque aures ad audiendum, neque pedes ad ambulandum: quoniam membra hæc prius nata ſunt, quàm eſſet vſus videndi, & audiendi, & ambulandi. ſed horum omnia officia ex natu extitiſſe. Vereór ne huiuſmodi portenta, & ridicula refutare non minus ineptum eſſe videatur. Sed libet ineptire, quoniam cum inepto agimus, ne ſe ille nimis argutum putet. Quid ais Epicure? Non ſunt ad videndum oculi nati? &c. Cùm hæc ſcripſiſſem, Zoilus hac mea emendatione improbata, ſic emendandũ cenſuit, Illud in his rebus vitium vehementer ineſto Effugere, illorúmque errorem præmeditemur, Lumina qui faciunt, &c. non ſolùm contra omnium librorum manuſcript. auctoritatem, verùm etiam præter rationem, & ſine vlla ſententia. Sed omnino malo mea ab iſtis Zoilis improbari, quàm compilari, & harpagari. Simeo Boſius, homo acerrimi iudicij, cùm hæc iam ſcripſiſſem, & ita excudi curaſſem, dixit mihi, ſibi videri, ita poſſe legi, Illud in his rebus vitium vehementer viſe Effugere, errorem vitaréque præmetuenter, &c. viſe effugere, inquit, id eſt, vide vt effugias: præmetuenter, inquit, id eſt, præcautè, προπεφυλαγμένως.

QVÆ FORET VS) *id eſt, quæ foret opus. quidã tamẽ legũt, quæ ferat vſus.*

INTER QVÆCVMQVE PRETANTVR) *quæcumque interpretantur. tmeſis.* NEC FVIT ANTE VIDERE) *ordo eſt: nec videre fuit ante oculorum lumina nata. videre autem interpretor, ἢ ὁρᾷν, ἢ ὅρασις, vt ſuprà. Præterea meminiſſe iacet. niſi quis malit dicere, nec fuit, id eſt, nec licuit, videre, &c.*

PRÆCESSIT) *ſic legendum, & ita ſcriptum eſt in lib. manuſcrip. quibuſcum conſentiunt Pariſienſ. & Veneti antiq. alij enim vulgati habẽt, præcedit, non rectè.*

OBIECTVM) *πρόβλημα. obiectum autem parmæ daret, dixit pro eo, quod eſt, parmam obiiceret. Iam verò parmam, eſſe Θρᾳκικὸν ὅπλον, docet auctor vocabularij Latinogræci: Feſtus autem, ſcutum breue.*

HÆC IGITVR POSSVNT) *hæc, nempe tela, parma, lectus, pocula.*

Illud item non eſt mirandum, corporis ipſa
Quòd natura cibum quærit quoiuſque animantis.
Quippe etenim fluere, atque recedere corpora rebus
Multa modis multis docui: ſed plurima debent
Ex animalibus iis, quæ ſunt exercita motu:
Multáque per ſudorem ex alto preſſa feruntur:
Multa per os exhalantur, quom languida anhelant.
His igitur rebus rareſcit corpus: & omnis
Subruitur natura: dolor quam conſequitur rem.

Propterea capitur cibus, vt ſuffulciat artus:
Et recreet vireis interdatus, atque patentem
Per membra ac venas vt amorem obturet edendi.
Humor item diſcedit in omnia, quæ loca cumque
Poſcunt humorem: glomeratáque multa vaporis
Corpora, quæ ſtomacho præbent incendia noſtro,
Diſſupat adueniens liquor: ac reſtinguit, vt ignem:
Vrere ne poſſit calor amplius aridus artus.
Sic igitur tibi anhela ſitis de corpore noſtro
Abluitur, ſic expletur ieiuna cupido.

ILLVD ITEM NON EST) *Nunc cur eſuriant, & ſitiant animantes, rationem affert.* QVIPPE ETENIM) *Aiunt medici, cibum & potum ab animante propter magnitudinem caloris natiui deſiderari: qui, niſi cibo & potu reſtingueretur, membra depaſceretur, atque abſumeret. nunc autem, alimento ſicco & humido refrenatus, & vireis imminutas reficit, & quæ depereunt, reparat ac reſarcit.*

DOCVI) *ſuprà hoc libro, non longè à princip.* ATQVE RECEDERE) *fortaſſe legendum, ac decedere. vt ſuprà lib 2 Nam certè fluere, ac decedere corpora rebus Multa, manus dandum ſt. Cùm multa (inquit) corpora fluunt è rebus, & corporibus noſtris, tum longè plurima ex iis animantibus, quæ plurimum exercẽtur, atque agitantur.* EXERCITA) *fatigata.*

INTERDATVS) *interea datus: vt & alibi.*

VT AMOREM OBTVRET EDENDI) *ſic legendum eſt, tametſi hoc loco mendoſi ſint codices manuſcripti, præter Vertinianum, qui perſpicuè habet, obturet, vulgati autẽ, obduret Sic Homer. idque non ſemel. Αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος, καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο cui prope par eſt hic verſus Virgil. Poſtquam exemta fames epulis, menſæq; remotæ. Cùm hæc ſcripſiſſem, & iam ſic bis edidiſſem: homo ἀναιδής. meã emendationem ſequens & probans, ita lego, inquit, ex veterib. libris. Talis eſt vſquequaque iſtius, βδελυρὸς ἀναισχυντία, καὶ ἀδικία.*

HVMOR ITEM DISCEDIT) *Atqui cibus & potus in ventriculo commiſcentur. atque vnà concoquuntur. quibus concoctis, ſuccus ex illis expreſſus, atque ab alienis ſecretus, permanat ad iecur, ibique in ſanguinem vertitur.*

VAPORIS) *caloris.* DISSVPAT) *diſcutit.*

SIC IGITVR TIBI ANHELA SITIS, &c.) *id eſt ſic ſedatur ſitis, ſic expletur fames.* IEIVNA CVPIDO) *id eſt, eſuries, ſeu fames.*

Nunc quî fiat, vti paſſus proferre queamus,
Cùm volumus, variéque datum ſit membra mouere:
Et quæ res tantùm hoc oneris protrudere noſtri
Corporis inſuerit, dicam: tu percipe dicta.
Dico, animo noſtro primùm ſimulacra meandi
Accidere, atque animum pulſare, vt diximus antè.
Inde voluntas fit. neque enim facere incipit vllam
Rem quiſquam, quàm mens prouidit, quid velit, antè.

At, quod prouidet, illius rei conſtat imago.
Ergo animus cùm ſeſe ita commouet, vt velit ire,
Inque gredi: ferit extemplò, quæ in corpore toto
Per membra, atque artus, animaï diſſita vis eſt.
Et facile'ſt factu, quoniam coniuncta tenetur.
Inde ea proporrò corpus ferit: atque ita tota
Paullatim moles protruditur, atque mouetur.
Præterea tum rareſcit quoque corpus: & aër,
Scilicet vt debet, qui ſemper mobilis exſtat,
Per patefacta venit, penetrátque foramina largus:
Et diſpergitur ad parteis ita quaſque minutas
Corporis. hinc igitur rebus fit vtrinque duabus,
Corpus vti, vt nauis velis, ventóque, feratur.
Nec tamen illud in his rebus mirabile conſtat,
Tantula quòd tantum corpus corpuſcula poſſint
Contorquere, & onus totum conuertere noſtrum.
Quippe etenim ventus ſubtili corpore tenuis
Trudit agens magnam magno molimine nauim:
Et manus vna regit quantouis impete euntem:
Atque gubernaclum contorquet quolibet vnum.
Multáque per trochleas, & tympana pondere magno
Commouet, atque leui ſuſtollit machina niſu.

NVNC QVI FIAT) *Cauſam motus ad locũ vult eſſe ſimulacra quędã ad meandũ apta, mentẽ ſeu animum pulſantia, & voluntatẽ mouendi è loco ad locũ corporis efficientia. idẽ lib. ſecundo ſimplicius, & planius, voluntatẽ vult eſſe principiũ motus, & à corde initiũ motus exſiſtere. ſic enim illo loco. Nam dubio procul his rebus ſua cuique volũtas Principium dat: & hinc motus per mẽbra vagãtur, ſeu genuntur ibid. Vt videas initium motus à corde creari, &c. Ariſtoteles duas huius motus cauſas eſſe vult lib. 3 de animo* ὄρεξιν, καὶ νοῦν, *id eſt appetitum. & mentem.*

ONERIS) *quidam libri ſcripti habent, honoris: vt fortaſſe legendum ſit, honeris cum aſpirationis nota honorem enim ab honere dictum eſſe docet Varro lib. 4. de ling. Latin.* INSVERIT) *inſueuerit, ſolita ſit. quidam tamen inſuerit, poſitũ eſſe volunt pro inſuefecerit.* ACCIDERE) *accidere animo noſtro, id eſt, accidere ad animum noſtrum, vt ſup locutus eſt eod lib. in luci quæ poterit res Accidere ad ſpeciem, &c. & ſup. eod. ad terrarum accidat oras.*

REM QVISQVAM QVAM MENS) *ordo eſt. neque enim quiſquam vllam rem facere incipit antè quàm mens prouidit, quid velit.*

AT QVOD PROVIDET) *At id, quod mens prouidet, ſeu præuidet, (inquit) illius rei quam quiſque facere inſtituit, eſt imago. Licet autem hunc verſum dimetiri duobus modis, vel vt pronominis illius, ſecunda ſyllaba longa ſit: rei, vnius ſit ſyllabæ: vel vt, illius, ſecunda ſyllaba ſit breuis, & s. abſumatur: rei ſit diſſyllabum.*

IN QVE GREDI) & ingredi: tmeſis. FERIT EXTEMPLO) animus ferit animam per totum corpus fuſam & permanantem.

QVONIAM CONIVNCTA) quoniam anima cum animo coniuncta eſt. ſic lib.5. Nónne vides etiam quàm magno pondere nobis Suſtineat corpus tenuiſſima vis animai, Propterea quia tam coniuncta, atque vniter apta'ſt?

PRÆTEREA TVM RAR.) altera cauſa motum adiuuans.

CORPVS VTI, VT NAVIS) ſic repoſui, paullùm diſcedens à ſcriptura vulgata, quæ eſt: Corpus vt ac nauis, &c. Inuſitatum autē, & inſolens loquendi genus, ac nauis, pro, proinde ac nauis, vel, ita vt nauis. Adde quòd libri ſcripti à vulgatis diſſentiunt, & ipſi inter ſe diſſident In aliis enim ſcriptum eſt, Corporis, vt de nauis: in aliis, Corporis, vt ac nauis. ex qua ſcriptura Muretus ſuſpicabatur legendū eſſe, Corporis vt nauis, velis, &c. vt per nauim corporis, corpus ipſum intelligamus. Cùm ita bis edidiſſem, Zoilus coniecturam Mureti arripuit, neque tamen eam integram ſeruauit: ſed corrupit. Sic enim vult legi, Corporis, vt hæc nauis, &c. quā ſcripturā quis mediocriter doctus non videt ferri non poſſe? nam quòd ait in voce, corporis, s. abſumi, hoc non ſolet fieri, niſi ante conſonantem. ita iacet iſtius βασκάνου acumen. Omnino corpus noſtrum, quod ad eius motum attinet, cum naui comparat hoc modo: Quemadmodum nauis velis, ventóque agitur: ita corpus noſtrum impellitur, & mouetur ab animæ poteſtate, & ab aëre multo, corpus rarefactū penetrāte.

QVIPPE ETENIM VENTVS) Ariſtoteles μηχανικῶν, cap.7. rationem affert, quamobrem, quāto antemna ſit altius elata, tanto citius nauis feratur, eodem velo, eodémque vento. quæ ratio intelligi non poteſt, niſi ab eo, qui; quare vectis tantam vim habeat mouendorum grauiſſimorum onerum, cauſam cognorit. (eſt autem vectis palus ligneus, ſeu ferreus lingulatus, ſeu roſtratus, μοχλὸν Græci appellant.) Nam (vt ſcribit Vitruuius lib.10. cap.8.) quod onus manuum multitudo mouere non poteſt, ſuppoſita, veluti centro, & porrecta preſſione (quod Græci ὑπομόχλιον appellant) & vectis lingua oneri ſubdita, eiuſdem vectis caput, vnius hominis viribus depreſſum, id onus extollit. Cauſa igitur huius rei eſt (vt docet ibidē Vitruu.) quia prior pars vectis breuior ab ea preſſione, quæ eſt loco cētri, ſubit onus: & quia caput eius longius ab eo centro, id eſt, à preſſione diſtans, cùm per id ducitur, faciendo motus circinationem, cogit preſſionem paucis manibus oneris maximi pondus examinare. Semper enim, quanto poſterior pars, id eſt ea, quæ eſt à centro, ſeu à preſſione ad vectis caput, quod à motore premitur, fuerit lōgior priore, id eſt ea parte, quæ à centro ad lingulam, ſeu roſtrum pertinet, tanto facilius onus mouebitur. His igitur cognitis, & prępoſitis, quamobrem velum vento inflatum, maximè ſi antemna non procul abſit à cacumine mali, celerrimè nauē moueat, facile intelligere licet. Malus enim rationem vectis obtinet: mali ſedes, ſeu mali calx, eſt loco hypomochlij, id eſt preſſionis: ventus, qui velum implet, eſt veluti motor. Itaque ſi antemna longiſſime abſit à ſede mali (ἑδώλιον nominat Ariſtoteles) quæ quidem mali ſedes centri rationem obtinet, nauis citiſſime feretur. Linea autem quo longius abeſt à centro, eo maiorem circulum deſcribit. At, vt maximus quiſque circulus eſt, ita celerrime & concitatiſſime mouetur. eodem enim temporis ſpatio, quo circulus minor, nempe is, qui propius abeſt à centro, certi loci ſpatium metitur & conficit, circulus maior ampliorem locum percurrit.

ET MANVS VNA REGIT) Vitruuius eodem quem commemoraui, libro, Quemadmodum etiam (inquit) nauis onerariæ maximæ gubernator anſam

gubernaculi tenens: quod οἴαξ à Græcis appellatur, vna manu momento per centri rationem preſsionibus artus agitans, verſat eam ampliſsimis & immanibus mercis & penus ponderibus oneratam, &c. Ariſtoteles cap. 6 μηχανικῶν, huius rei cauſam hanc affert, quòd gubernaculum vectis locum obtineat, nauis oneris, gubernator motoris, cardines, in quibus vertitur gubernaculum, hypomochlij.

VNVM) *nempe gubernaculum. alij legunt, vna, vt ſubintelligatur manus: à quibus diſſentio. non diſsimulabo tamen, in nonnullis libris legi, vnus: quam ſcripturam nihilo magis probo. Omnino hæc mihi huius loci ſententia videtur eſſe. Atque vnum gubernaculum, non plura, nauem quolibet torquet.*

MVLTAQVE PER TROCHLEAS) *trochlea, machina eſt tractorij generis, cum æreo, aut ligneo orbiculo, qui per axiculum verſatur, traiecto fune ductario. ea vtimur etiam in haurienda è puteis aqua. fit autem trochlea, auctore Iſidoro Etymolog. lib. 19. cap. 2. ad ſimilitudinem Θ. litteræ Græcæ octauæ, dicta à trochis, id eſt rotis.* TYMPANA) *tympanum, quod Græci γέρανον appellant, genus rotæ eſt, magno circuitu prædita, cuius axis fune obuoluitur, interea dum eam circumagunt homines, regulas pro gradibus affixas quaſi aſcendentes.*

SVSTOLLIT) *ſurſum tollit. vtitur eodem verbo Plaut. Ciſtell. amiculum hoc ſuſtolle ſaltem. & item alibi. & Catull. de nupt. Pelei & Thet. Dulcia nec mæſto ſuſtollens ſigna parenti. & Cicero Arato: Iſtius in Boream quod ſe ſuſtollit acumen. vtitur & Arnob. non ſemel. vno exemplo nunc contentus ero. ſic ille lib. 1. qui pecudes vos eſſe, qui fugitiuos, qui exſules prædicant, & inſanos: admirantes, plaudentes, ad cæli ſuſtollitis ſidera.*

Nunc quibus ille modis ſomnus per membra quietem
Inriget, atque animi curas è pectore ſoluat:
Suauidicis potius, quàm multis verſibus, edam,
Paruus vt eſt cycni melior canor, ille gruum quàm
Clamor, in ætheriis diſperſus nubibus Auſtri.
Tu mihi da tenueis aureis, animúmque ſagacem:
Ne fieri negites, quæ dicam, poſſe: retróque
Vera repulſanti diſcedas pectore dicta:
Tutemet in culpa quom ſis, ne cernere poſſis.
Principiò ſomnus fit, vbi eſt diſtracta per artus
Vis animæ, partímque foras eiecta receſſit:
Et partim contruſa magis conceſsit in altum.
Diſſoluuntur enim tum demum membra, fluúntque.
Nam dubium non eſt, animaï quin opera ſit
Senſus hic in nobis: quem cùm ſopor impedit eſſe:
Tum nobis animam perturbatam eſſe putandum'ſt,
Eiectámque foras, non omnem: namque iacêret
Æterno corpus perfuſum frigore leti:
Quippe vbi nulla latens animaï pars remaneret
In membris, cinere vt multa latet obrutus ignis:

Vnde reconflari ſenſus per membra repentè
Poſsit,vt ex igni cæco conſurgere flamma.
Sed quibus hæc rebus nouitas conflетur,& vnde
Perturbari anima,& corpus langueſcere poſsit,
Expediam:tu fac ne ventis verba profundam.

NVNC QVIBVS ILLE MODIS) *Nunc de ſomno diſputare incipit.*

PER MEMBRA Q. INR.) *Sic Virgil. Æneid.1 placidā per mēbra quietem Irrigat. Furius Bibac mitémque rigat per pectora ſomnum.*

CVRAS E PECTORE SOLVAT) *vtroque modo loquimur, & animi curas ſoluere, & animum curis ſoluere ſic Catull. ad Sirm. peninſ. O, quid ſolutis eſt beatius curis?* SVAVIDICIS POTIVS) *hi verſus ſuprà leguntur hoc eod. lib non longè à princip.* NE FIERI NEGITES) *ne fieri, iterum atque iterum neges: hoc eſt ſæpius neges. quamquam verba frequentatiua ſæpe vſurpantur pro primitiuis. idque apud Plautum maximè cernere licet.*

RETROQVE VERA REP. DISCEDAS) *non putaui quinq; librorū manuſcr. in quibus legitur, diſcedas, non, vt in pleriſque vulgatis, diſcedant, auctoritatem mihi eſſe reiiciendam: quam adiuuant cod. typis impreſſi, Veneti antiq. & Pariſ. Si quis tamen pluris faciet vulgatam ſcripturam. diſcedant, non repugnabo.*

NE CERNERE POSSIS) *aliquot lib. manuſcr. habēt, neq; cernere poßis.*

PRINCIPIO SOMNVS FIT) *ſic ſomni cauſam inueſtigat. ſomno ſenſus impediuntur: (quod eſt cōſentaneum cum iis, quæ docet Ariſtot. ſomniū eſſe ἀδυναμίαν. id eſt, impotentiā animi poteſtatis, quæ vt ſentiamus efficit, ex alimenti halitu profectā) at ſenſus, qui eſt in nobis fit opera animæ. Itaq; neceſſe eſt, cùm dormit animal, partim foras eiecta anima receſſerit, partim in penetralem corporis ſedes cōceſſerit. partim ſit per membra diſsipata.* PARTIMQVE FORAS EIECTA) *ſic infrà non longè. Eiectámq; foras. & itē inferius. vt pars inde animai Eiiciatur, & inferius. Fit ratione eadem cōiectus porro animai Altior atque foras eiectus largior eius.* ET PARTIM CONTRVSA) *ſic fere Ariſtot lib. de ſomno & experrectione, vbi ὕπνον dicit eſſe σύνοδον ὅια τοῦ θερμοῦ εἴσω, καὶ ἀντιπερίστασιν φυσικὴν διὰ τὸ ἀπωθεῖσθαι τὸ θερμὸν κάτω ὑπὸ τοῦ ψυχροῦ τῆς ἀναθυμιάσεως πάλιν δὲ ἐγρήγορσις: id eſt ſomnum eſſe coitionem calidi in intimis partibus, & eius naturalem ab aduerſo frigore circumfuſo contractionem. & compreßionem, quia calidum ab humore exhalationis reuertentis, ad inferiora repellatur, ac detrudatur Sic Plin. lib. II. cap. vlt. ait, ſomnum eſſe animi in ſeſe medium receſſum.*

NAM DVB. N. E ANIM.) *nam dubium non eſt, inquit, quin hic ſenſus, qui eſt in nobis. ab anima oriatur, vel gignatur.* NON OMNEM: NAMQVE) *nam ſi tota anima eiecta foras eſſet, iacēret corpus exanimum.*

CINERE VT MVLTA) *ſic habent quattuor libri manuſcr. & tres typis excuſi, Pariſienſes, & vtrique Veneti. Nonius quidem teſtatur, apud Cæſarem, Catull. Caluum, cinis, eſſe fœminini generis. Caluus: Cùm iam fulua cinis fueris. idem. Forſitan hoc etiam gaudeat ipſa cinis. quæ proferuntur etiam à Soſipatro. Catull. ad Manlium: Troia virūm, & virtutum omnium acerba cinis. Optime autem conſeruatur ignis, ſi cinere tegatur. Nam ita fit, vt & cinis igni impoſitus, eius calorem contineat, & ignis tamen per cinerem rarum quaſi reſpiret, ac viuat. ignem enim dicimus viuere, & mori: viuere, dum calorem naturalem continet: mortuum eſſe, vbi*

exſtinctus eſt. Lucret lib 1. extr. & viuāt labentes ætheris igneis. idē infrà eod. lib. Quod cupido adfixum cordi viueſcit, vt ignis. Ad hunc autem locum pertinet illud Virgil lib. 8. Æneid. Impoſitum cinerem, & ſopitos ſuſcitat igneis. & illud Horat. od 1. lib. 2. & incedis per igneis Suppoſitos cineri doloſo.

VT EX IGNI CÆCO) *ſic repoſui. ſecutus auctoritatem librorum manuſcriptorum. nam vulgati habent, tecto. quæ erat interpretatio nominis, cæco.*

SED QVIBVS HÆC) *Nunc docere incipit, qui fiat, vt anima partim foras eiici, partim in altum conijci & contrudi, partim per membra diſpergi, ac diſsipari poſsit.* NE VENTIS VERBA PROF) *id eſt in fac, vt verba mea ad aureis tuas perueniant, & in animo tuo penitus inſideant, non abs te negligantur, aut etiam reſpuantur ſic Catull. carm. de Pelei & Thet. nupt. Quæ cuncta aerij diſcerpunt irrita venti. ibidem. Irrita ventoſæ linquens promiſſa procellæ. plura exempla ſi deſideras, lege quæ annotauimus ad illum locū Horat. Tradam proteruis in mare Creticum Portare ventis: od 36 lib. 1.*

Principiò externa corpus dē parte neceſſum'ſt,
Aëriis quoniam vicinum tangitur auris,
Tundier, atque eius crebro pulſarier ictu.
Proptereáquē ferè res omnes, aut corio ſunt,
Aut ſeta, aut conchis, aut callo, aut cortice tectæ.
Interiorem etiam partem ſpirantibus aër
Verberat hic idem cùm ducitur, atque reflatur.
Quare vtrinque ſecus quom corpus vapulet: & quom
Perueniant plagæ per parua foramina nobis
Corporis ad primas parteis, elementáque prima:
Fit quaſi paullatim nobis per membra ruïna.
Conturbantur enim poſituræ principiorum
Corporis, atque animi, ſic, vt pars inde animaï
Eiciatur, & introrſum pars abdita cedat:
Pars etiam diſtracta per artus, non queat eſſe
Coniuncta inter ſe, nec motu mutua fungi.
Inter enim ſæpit aditus natura, viáſque.
Ergo ſenſus abit mutatis motibus altè.
Et quoniam nōn eſt, quaſi quod ſuffulciat artus,
Debile fit corpus, langueſcunt omnia membra:
Brachia, palpebræque cadunt, poplitéſque procumbunt.
Sæpe etiam ſummittuntur, vireíſque reſoluunt.
Deinde cibum ſequitur ſomnus, quia quæ facit aër,
Hæc eadem cibus, in venas dùm diditur omneis,
Efficit: & multo ſopor ille grauiſſimus exſtat,
Quem ſatur, aut laſſus capias, quia plurima tum ſe
Corpora conturbant magno contuſa labore.

Fit ratione eàdem coniectus porrò animaï
Altior, atque foras eiectus largior eius,
Et diuiſior inter ſe, ac diſtractior intus.

PRINCIPIO EXTERNA) *primùm (inquit) corpus extrinſecus ab aëre externo verberatur: deinde hic idem aër cùm ducitur, & cùm reflatur, corpus pulſat. quæ plagæ vbi per foramina, & meatus corporis peruenerunt ad primordia corporis: quodammodo ſenſuum in nobis fit ruina, &c.*

PROPTEREA'QVE FERE RES OMNES) *& propterea, id eſt, vt res ſint ab iniuria aëris externi tutiores, ac munitiores, aut corio, aut ſeta, &c. tectæ ſunt. Vberius hanc rem perſequitur* M. Tull. lib. 2. de nat. deorum. *Animantium aliæ coriis tectæ ſunt, aliæ villis veſtitæ, aliæ ſpinis hirſutæ: pluma alias, alias ſquamma videmus obductas: alias cornibus armatas: alias habere effugia pennarum. ſic* Plin. lib. 7. *procem.* Ante omnia *vnum animantium cunctorum alienis velat opibus: ceteris varia tegumẽta tribuit, teſtas, cortices, coria, ſpinas, villos, ſetas, pilos, plumam, pennas, ſquammas, vellera.* AVT SETA, AVT CONCHIS) *ſic reſtitui partim coniectura ductus, partim auctoritate codicum calamo exaratorum fretus: in quibus ita reperi ſcriptum:* Aut etiam, aut conchis, *&c.* Nam *vulgati, mendoſiſſimi ſunt, in quibus legitur,* Aut cute concluſæ. INTERIOREM ETIAM PARTEM) Sic M. Tull. *eodem lib.* Cùm *aſpera arteria ad pulmones vſque pertineat, excipiátque animam eam, quæ ducta ſit ſpiritu, eandémque à pulmonibus reſpiret, & reddat, &c.* CVM DVCITVR, ATQVE REFLATVR) *id eſt cùm attrahitur, & cùm reſpiratur, ſeu redditur.* εἰσπνεόμενος καὶ ἐκπνεόμενος.

EIICIATVR) *ſic repoſui. ſuprà enim ita locutus eſt:* Eiectámque foras, *&c.*

MVTVA) *mutuò, vt ſup. lib. 2. & inter ſe mortales mutua viuunt.*

INTER ENIM SÆPIT ADITVS) *ſic reſtitui, & ita legendum, non vt in nonnullis vulgatis, ſæpit ſeptus, neque vt in quibuſdã manuſcriptis, ſæpe cætus, neque vt in aliis, ſæpit coitus.* Errati *cauſam puto præbuiſſe librarios, aut librariorum operis poſteriorem ſyllabam verbi, ſæpit, breuem, exceptam à vocali, cùm exiſtimarent neceſſariò dactylum hoc loco eſſe debere.* Ita *factum eſt, vt hunc locũ corruperint, & modò ſuppoſuerint, ſæpit cætus, modò, ſæpit ſeptus. ſed ſciunt docti, tribrachum pro dactylo interdum poni ſolere, non ſolùm in tertia ſede, verùm etiam in ſecunda.* Virgil. 4 Æneid. Pectoribus inhians. *ſic ſup.* Lucret. *eod. lib.* Ater init oculos. *quamquam, init, illo loco præteriti temporis eſſe poteſt, vt ſit, init, pro iniit. &* Horat. od. 3. lib. 1. Perrupit Acherunta Herculeus labor. Idem *ſaty.* 3. *lib.* 2. Excluſus qui diſtat, agit vbi ſecum, eat, an non? Cùm *hæc edidiſſem,* Zoilus *cenſuit legendũ, ſæpit coitus, quod ferri non poteſt, neque coitus aditum ſignificat: quæ vox hîc deſideratur. neque coitus porrò neque coëtus hîc locum habere poſſunt, quæ voces congreſſum, & conuentum ſignificant.* Et *tamen audet ille* κυνώπης *ita pronuntiare de me. malè erga* Lambinus. Ain *tu omnium mortalium profligatiſſimè, & flagitioſiſſimè?* Immo *verò tu planè fœdiſſimè.*

BRACHIA, PALP.) *ſic* Ariſtot. *de ſomno.* καὶ διὰ ψῦξιν καταπίπτει τὰ βλέφαρα. *id eſt, & propter refrigerationem decidunt palpebræ. ibid. ſup.* καὶ ἀδυνατοῦσιν αἴρειν τὴν κεφαλὴν, καὶ τὰ βλέφαρα. *id eſt & non poſſunt attollere caput & palpebras. profert hunc verſum* Nonius. *mendoſè, vt & mendoſè legitur in libris omnibus etiã manuſcriptis: in quorum duobus cùm ſcriptum reperiſſem, poplitéſque procubant, re cum*

re cum Adriano Turnebo communicata, procumbunt, repoſui: quàmuis ille legendum cenſeat, cubant pro. quod probare non potui. neque eſt quòd quemquam moueat prima ſyllaba, quæ apud Virg ſemper producitur. Nam præpoſitionem, pro, in cōpoſitione, & in talibus verbis, propello, protrudo, procudo, & ſimil. nunc corripiebāt, nunc producebāt veteres. Quòd ſi cui tamen placebit legi, cubāt pro, quod mauult vir ille doctiß. pro eo, quod eſt, procubant, ſeu procumbunt, non pugnabo. Iam verſum, qui deinceps ſequitur, Sæpe etiam ſummittuntur, vireisque reſoluunt, delendum cenſeo, vt ſpurium. fuit enim additus hoc verſu corrupto. Hæc cùm edidiſſem, Zoilus ſcripſit, ſe hūc verſum deleuiſſe, vt ineptum, ac nothum: nihil ab ingenio, aut more ſuo diſcedens: in verſu ſuperiore autem, Brachia, palpebræque, &c. neſcio quibus furiis agitatus, procubant, legendum cenſet. non procumbunt, vt nos, neque, cubant pro, vt Turnebus, vt ſit (inquit) verſus luxatus, optimè congruens luxatis poplitibus. Atqui non ſunt ei continuò luxata genua, cui genua ſumma procumbunt: neq; ſi eſſent, tali verſu luxatio genuum eſſet exprimēda. ſeruet igitur ſibi tam inelegantem & inuenuſtum verſum, neque Lucretio tam polito poëtæ ſuas ſordeis allinat. DEINDE CIBVM SEQVITVR) *Idem tradit Ariſtot. lib. de ſomno & experrectione: nempe cibi & potus halitus humidos ſurſum ferri: qui vbi in ſupernum locum peruenerint, tunc, quia ſunt graues & corporei, deorſum referuntur & recidunt, & vnà ſecum calorem vitalem & natiuum, qui ſua ſponte ſurſum fertur, rapiunt, & ad interiora detrudunt. quo facto creatur ſomnus. Itaque à cibo ſomnus altiſſimus & grauiſſimus eſſe ſolet: itémque à labore. labor enim liquefacit, & quaſi tabefacit. quicquid autē ex corpore liqueſcente deteritur, eſt veluti cibus non coctus, & crudus.*

ET MVLTO SOPOR ILLE GRAVISS.) *Sic Ariſtot. eod. loco,* μετὰ τὰ σιτία ἰσχυρότατος ὁ ὕπνος γίνεται. *id eſt poſt cibos validiſſimus fit ſomnus.*

MAGNO CONTVSA LABORE) *codex Vatic. habet, concuſa: vnde ſuſpicatur Muretus legendum, concuſſa. ceteri ſcripti, in his Bertinianus, cum vulgatis conſentiunt, qui habent, contuſa.*

CONIECTVS PORRO ANIMAI ALTIOR) *id eſt anima in altiores & interiores parteis cogitur, & colligitur, ſeu contruditur. altior, id eſt abſtruſior, reconditior. nonnulli libri tamen habent, Arctior, ſeu, Artior.*

Et quoi quiſque ferè ſtudio deuinctus adhæret:
Aut quibus in rebus multùm ſumus antè morati:
Atque in qua ratione fuit contenta magis mens:
In ſomnis eadem plerumque videmur obire:
Cauſidici cauſas agere, & componere leges:
Induperatores pugnare, ac prœlia obire:
Nautæ contractum cum ventis cernere bellum:
Nos agere hoc autem: & naturam quærere rerum.
Semper, & inuentam patriis exponere chartis.
Cetera ſic ſtudia, atque artes plerumque videntur
In ſomnis animos hominum fruſtrata tenere.
Et, quicumque dies multos ex ordine ludis

Adſiduas dederunt operas:plerumque videmus,
Quom iam deſtiterint ea ſenſibus vſurpare,
Relliqüas tamen eſſe vias in mente patenteis,
Quà poſſint eadem rerum ſimulacra venire.
Permultos itaque illa dies eadem obuerſantur
Ante oculos,etiam vigilantes vt videantur
Cernere ſaltanteis,& mollia membra mouenteis:
Et citharæ liquidum carmen,chordáſque loquenteis,
Auribus accipere,& conſeſſum cernere eundem,
Scenaïq; ſimul varios ſplendere decóres.
Vſqueadeò magni réfert ſtudium,atque voluntas,
Et quibus in rebus conſuerint eſſe operati.
Non homines ſolùm,ſed verò animalia cuncta.
Quippe videbis;equos forteis,cùm membra iacebunt,
In ſomnis ſudare tamen,ſpiraréque ſæpe,
Et quaſi de palma ſummas contendere vireis:
Tunc quaſi carceribus patefactis ſæpe quiete:
Venantúmque canes in molli ſæpe quiete
Iactant crura tamen ſubitò,voceſque repentè
Mittunt,& crebras redducunt naribus auras,
Vt veſtigia ſi teneant inuenta ferarum.
Expergefactique ſequuntur inania ſæpe
Ceruorum ſimulacra,fugæ quaſi dedita cernant:
Donec diſcuſſis redeant erroribus ad ſe.
At conſueta domi catulorum blanda propago
Degere,ſæpe leuem ex oculis,volucrémque ſoporem
Diſcutere,& corpus de terra corripere inſtant,
Proinde quaſi ignotas faciés,atque ora tuantur.
Et quàm quæque magis ſunt aſpera ſemina eorum;
Tam magis in ſomnis eadem ſæuire neceſſum'ſt.
At variæ fugiunt volucres,penníſque repentè
Sollicitant diuûm nocturno tempore lucos,
Accipitres ſomno in leni ſi prœlia,pugnáſque
Edere ſunt perſectantes,viſæq; volantes.

ET QVOI QVISQVE F. ST. DEVINCTVS ADH.) *Sic reſtitui ex auctoritate quinque librorum manuſcr. Nam libri vulgati mendosè habent, Et quo quiſque ferè ſtudio defunctus adhæret, &c. Incipit ab hoc loco de ſomnis diſputare: quæ inania arbitrabatur Epicurus, & prorſus diuinitatis expertia: nec mirũ, qui diuinationem omnem tollebat. Cùm ſomnia ſint (vt ait Ariſtot.) reliquiæ earum rerum, quas vigilantes ſenſu percipimus: vel (vt idem Ariſtoteles definit) viſa ex mo-*

tionibus rerum à vigilantibus ſenſu perceptarum, animantibus inter dormiendum obiecta, quà dormiunt: cúmque ea, quæ à vigilantibus ſenſu percepta ſunt, non ſtatim vt ſenſus afficere deſierunt, euaneſcant, ſed aliquantiſper maneant: quemadmodum ſi rem aliquam mobilem agitaueris, non continuò, ſimulatque eam mouere deſieris, & manum continueris, ea quoque conquieſcit: non eſt mirum dormientibus nobis eorum imagines obiici, quæ vigilantes aut egimus, aut locuti ſumus, aut cogitauimus. Cum his Lucretianis congruunt illa Claudiani. Omnia, quæ ſenſu voluuntur vota diurno, Pectore ſopito reddit amica quies. Venator defeſſa toro cùm membra reponit, Mens tamen ad ſiluas, & ſua luſtra redit. Iudicibus lites: aurigæ ſomnia currus, Vanáque nocturnis meta cauetur equis. Sic fere & Ennius. Quæ in vita vſurpant homines, cogitant, curant, vident, Quæque agunt vigilantes, agitántque, ea ſi cui in ſomno accidunt, Minus mirum eſt. De ſomniis legẽdus Tertullianus libro de anima. CONTENTA) *attenta, defixa. ſup. niſi ſe contendit, acute Cernere non potis eſt animus.* CERNERE BELLVM) *quidam libri ſcripti habent, degere velum: quidam, degerere velum. nonnulli, gerere bellum, vt vulgati fere omnes. ſunt & qui habeant, gerrere bellum. nos certiſſima, & inexpugnabili coniectura ducti, cernere bellum, repoſuimus iam in ſecunda editione: à qua in hoc quidẽ loco, nõ diſcedimus. ſic autem loquitur & lib. V. Tantum ſpirantes æquo certamine bellum Magnis de rebus inter ſe cernere certant. ſic Plautus, Nunc ſpecimen ſpecitur, nunc certamen cernitur.*

NOS AGERE HOC) *nos autem hoc agere, nempe naturam rerum quærere.*

ET QVICVMQVE DIES) *Et quicumque (inquit) dies aliquot, tragœdos, aut comœdos ſpectauerunt, eóſque recitanteis audierunt, vbi deſierunt ſpectare & audire, ſibi tamen eoſdem ſpectare, & cantores, fidicines, ac tibicines audire videntur. dederunt, autem, &, deſtiterunt, habet codex Memmianus & Bertinianus.*

SENSIBVS VSVRPARE) *oculis, & auribus percipere. ſic Plaut. Trinum. quas ego neque oculis, neque pedibus vmquam vſurpaui. Lucretius lib. I. nec frigora quimus Vſurpare oculis.* RELLIQVAS) *cod. Bertin. & Memm. habent, Rellicuas tamen eſſe vias. Vatican. Relliquias tamen eſſe viaï in mente patenteis. ego priorem ſcripturam hac editione ſecutus ſum, ceteris omnibus reiectis, ex quibus olim vulgatam, At reliquas tamen eſſe vias, &c. ſecutus eram. & tamen hanc antiquam, meo more lectori indicaram in prima & ſecunda editione.*

SALTANTEIS) *chorum, vel eos, ex quibus conſtabat chorus. Saltabat enim chorus, & cantabat.*

CHORDASQVE LOQVENTEIS) *tralatio eſt. Catullus ad arborem vento agitatam tranſtulit carm. ad Faſelum: Loquente ſæpe ſibilum edidit coma.*

DECORES) *pulchritudines, ſpecies decoras, & venuſtas.*

VSQVE ADEO MAGNI REFERT) *vſque adeò magnum momentum affert cuiuſque ſtudium, ac voluntas: vel vſque adeò intereſt quo quiſque ſtudio teneatur, quáque voluntate ſit.* OPERATI) *occupati, in opere verſati.*

SPIRAREQVE SÆPE) *libri manuſcripti tres habent, ſpiraréque ſemper. ego nihil muto.* ET QVASI DE PALMA) *id eſt de victoria. ſic reſtitui cum in tribus libris manuſcriptis reperiſſem ſcriptum, palmas.*

TVM QVASI CARCERIBVS) *verſus hic iam olim mihi viſus eſt tollendus, vt ſpurius. Atque vt magis intelligas, eum eſſe inculcatum, is, qui deinceps ſequitur, qui eſt germanus Lucretianus, aberat à Bertiniano. licet tamen eum retinere,*

& ita legere: Tum quaſi carceribus patefactus tempore puncto, vt lib. 2. Nónne vides etiam patefactus tempore puncto Carceribus, &c. ex quo loco fortaſſe in hunc locum alienum delatus eſt. Sed Simeo Boſius homo perquàm eruditus, & perquàm ingenioſus, putabat retineri poſſe, & ſic eſſe emendandum: Tum quaſi carceribus patefactus exequitet quis.

VENANTVMQVE CANES) *prouerb. κύων ἄγρας ὀνειρώττων: id eſt canis prædam ſomnians.*

ET CREBRAS REDDVCVNT NARIBVS AVRAS) *& crebrò reſpirant. crebrò attrahunt aërem quaſi odorantes ferarum veſtigia. cod. Bertinianus habet, & crebrò redducunt naribus auras.*

ERRORIBVS) *ſic reſtituit Adrianus Turnebus, cum in libris omnibus legatur, terroribus. cui aſſentior nam canes feras inſequentes non terrentur, neque vigilantes, neque in ſomnis: ſed ſi in ſomnis inſequantur, ſeu videantur ſibi inſequi: tum errant. Non probat hæc Zoilus. Quid mirum? poteſt ne quicquam homini barbaro placere, & probari, quod Adriano Turnebo (non enim dicam mihi) placuerit?*

AT CONS. DOMI CAT) *locutus eſt de canibus venaticis: nũc de iis, qui domui cuſtodiendæ præponuntur, & de domeſticis.*

DEGERE, SÆPE LEVEM EX OC. VOL. QVE SOP.) *hũc verſum reſtitui, qui hoc loco deſiderabatur, vt videbunt, qui ſuperiora cum iis, quæ ſequuntur, conferẽt, & ſenſum Lucretij conſiderabunt. Iam verbum, diſcutere, perſpicue non habebat nomen, cum quo cohæreret, vt ſomnum, aut ſimile. nam neque corpus diſcutere, neque diſcutere ſine nomine aliquo accuſandi caſus, conſtare poteſt. Præterea vox, conſueta, ſola, & ſine infinitiuo, illepidè & inuſitatè iacebat: cùm tamen numquam, ne ab ipſo quidem Lucretio ſine verbo infinitiuo vſurpetur. quod oſtendam exemplis aliquot collectis (neque plura tamen reperiri poſſunt) vbi hoc participio vſus ſit. ſic igitur hoc eodem libro ſuprà. Auroram clara conſuetum voce vocare. & lib. 5. ni vis humana reſiſtat, Vitai cauſa valido conſueta bidenti Ingemere. & lib. 6. Floris odore hominem tetro conſueta necare. ibid. Interdum fugere atque ſequi conſueta viciſſim. Accedat Arnobius, cuius hæc ſunt lib. 1. Tyndaridæ. Caſtores, equos vnus domitare conſuetus, alter pugillator bonus, &c. Idem eodem lib. neque alia ſectãtur aucupia verborum, quibus capi conſueti ſunt audiẽtes.*

CONRIPERE) *vt hîc Lucretius, corpus corripere è terra, dixit: ſic Virg. Æn. 3. Corripio è ſtratis corpus. Iterum Lucret. lib. 3. Conripere ex ſomno corpus, mutaréq; voltum. ibid. Quin conreptus homo ex ſomno, &c.*

PROINDE QVASI IGN.) *rectè dixit, ignotas facies. nam canibus ignoti omnes etiam ij, qui nunquàm læſerunt, hoſtiũ ſunt loco, vt ſcribit Plato lib. 2. de rep.*

ET QVAM QVÆQVE MAGIS) *ſic repoſui, etiam repugnantibus libris omnibus. ſic enim legi debet, vt docui in ſcholiis ad lib. 1.*

SEMINA EORVM) *libri quinque manuſc. habẽt, ſeminiorum, vt fortaſſe legendum ſit, ſeminia horum. eorum autem, ſiue horum, nempe canum.*

PENNISQVE REPENTE) *libri ſcripti habent, pinniſque.*

SOLLICITANT DIVVM NOCT) *timore & pauore lucos complent, ſomniantes ſibi à tergo inſtare accipitres inſectanteis.*

ACCIPITRES SOMNO IN LENI) *profert hunc verſum Nonius, vt probet, nomen, accipitres, vſurpari interdum in gen. fœmin.*

Porrò hominum mentes magnis quæ motibus edunt?
Magna etenim ſæpe in ſomnis, faciúntque, gerúntque.
Reges expugnant, capiuntur, prœlia miſcent:
Tollunt clamores, quaſi ſi iugulentur ibidem.
Multi depugnant, gemitúſque doloribus edunt:
Et quaſi pantheræ morſu, ſæuíve leonis
Mandantur, magnis clamoribus omnia complent.
Multi de magnis per ſomnum rebu' loquuntur:
Indicióque ſui facti perſæpe fuere.
Multi mortem obeunt: multi de montibus altis
Se quaſi præcipitent ad terram corpore toto,
Exterrentur, & ex ſomno, quaſi mentibu' capti,
Vix ad ſe redeunt permoti corporis æſtu.
Flumen item ſitiens, aut fontem propter amœnum
Adſidet, & totum propè faucibus occupat amnem.
Puſi ſæpe lacum propter, ſe, ac dolia curta,
Somno deuincti credunt extóllere veſtem,
Totius humorem ſaccatum vt corporis fundant:
Cùm Babylonica magnifico ſplendore rigantur.
Tum, quibus ætatis freta primitus inſinuantur,
Semen vbi ipſa dies membris matura creauit:
Conueniunt ſimulacra foris è corpore quoque,
Nuntia præclari voltus, pulchríque coloris:
Qui ciet irritans loca turgida ſemine multo:
Vt, quaſi tranſactis ſæpe omnibu' rebu' profundant
Fluminis ingenteis fluctus, veſtémque cruentent.

PORRO HOMINVM MENTES) *redit ad hominum ſomnia.*

TOLLVNT CLAMORES *ſic loquuntur boni ſcriptores. M. Tull. lib. 4. accuſ. clamor à vigilibus, fanique cuſtodibus tollitur. Virgil. lib. 2. Æneid. Clamores ſimul horrendos ad ſidera tollit. Idem lib 9. vndique clamor Tollitur.*

DOLORIBVS) *ob dolores: ſeu præ doloribus.*

INDICIOQVE SVI FACTI,) *id eſt, & ſæpe ſuum factum indicauerunt. M. Tull Topic. & per ſomnum, vinum, inſaniam, multa ſæpe patefacta ſunt. Lucret. lib 5. Quippe vbi ſe multi per ſomnia ſæpe loquẽtes, aut morbo delirantes procraxe ferãtur.* PVSI SÆPE LACVM PR.) *cùm in libris ſcriptis reperiſſem ſcriptũ, Puri, ſciremq́; veteribus pueros, puſos, & puſiones, & pupos, eſſe dictos, vt etiam Iſidorus docet, in voce, pupus: ſic à Lucretio eſſe ſcriptũ putaui, vt excudendũ curaui. Puſum autẽ, & puſam: puerũ & puellã ſignificare, intelligere licet etiam ex illo epigrãmatio Põponij in Caſcã adoleſcentẽ: quod exſtat apud Varr lib. 6. de ling. Lat. Ridiculũ eſt quod te Caſcum tua dicit amica Filia Petroni ſeſquiſenex puerũ. vel, vt vulgò legitur: Caſca Philetonis ipſa ſenex puerũ. Dic tu illam puſam: ſic fiet,*

mutua muli: Nam verè puſus tu, tua amica ſenex'ſt. licet etiam hoc loco legere, pxpi. fuit enim facilis lapſus à P littera in R. licet & legere, Pueri, vt ſit tribrachus pro ſpondéo, aut dactylo. Ne Turnebi quidem ſententia mihi diſplicet, exiſtimãtis, nihil eſſe mutandũ, & Puri, legendum. dixerũt enim (vt ait ille) veteres puri pro pueri, vnde pulli. Pueri igitur (inquit) ſæpe putant ſe in ſomnis prope lacũ, ac dolia veſtem attollere, vt meiant, cùm interea veſteis ſingulas & lectum lotio madefaciunt, & cõmeiunt. Fuiſſe Romæ, cùm aliis in vrbis locis, tùm in angiportis dolia quædã breuia, & amphoras, & ſimilia vaſa meiendi cauſa comparata, ac diſpoſita, declarãt illa verba ex oratione C. Titij apud Macrob lib. 3. cap. 17. Dum eunt, nulla eſt in angiporto amphora, quam non impleant: quippe qui veſicam plenam vini habeant.

TOTIVS HVMOREM SACCATVM, &c.) *ſic eſſe legendum indicauit mihi Adr. Turneb. cõiectura facta ex cod. Bertiniani ſcriptura, ſaccatum. lotium autem ſignificat Lucretius per humorẽ totius corporis ſaccatum. Lotium enim nihil aliud eſt, quàm humor corporis ſaccatus, id eſt, per totum corpus quaſi per ſaccũ percolatus. Atque hoc eodẽ nomine lotium appellat Arnob. lib. 2. aduerſus Genteis, de animab. loquens: Corporibus inuolutæ inter pituitas & ſanguinẽ degerẽt: inter ſtercoris hos vtres, & ſaccati obſcæniſſimas ſerias. Saccatum autem participiũ eſt paſſ. à verbo ſaccor, aris. quo vtitur Martialis lib. 2. epigr. ad Tongilium. Cæcuba ſaccentur, quæque annus coxit Opimi: Condantur parco fuſca Falerna vitro.*

BABYLONICA) *Babylonica, veſtes ſtragulæ auectæ ex Babylonia, diuerſis coloribus intextis pictæ. In vocabulario Latinogræco manuſc. ſic explicatur. babylonicum, πολύμιτος. id eſt, veſtis filis verſicoloribus contexta. Plaut. Sticho. Tum Babylonica periſtromata, conſutáque tapetia. Plin. lib. 8. cap. 48. Colores diuerſos picturæ intexere Babylon maxime celebrauit, & nomen impoſuit. Martialis. Babylonia picta ſuperbe Texta, Semiramia quæ variantur acu.*

RIGANTVR) *lotio conſperguntur à pueris ſomniantibus.*

TVM, QVIBVS ÆTATIS FRETA) *Tum adoleſcentes (inquit) quibus freta: id eſt æſtus, & feruores ætatis primùm inſinuantur, &c. id eſt, qui incipiunt rebus Venereis idonei eſſe. Fretum (inquit Varro) à ſimilitudine feruẽtis aquæ, quòd in fretum ſæpe concurrat æſtus, atque efferueſcat.* NVNTIA PRÆCLARI VOLTVS) *i. quæ nuntium formæ alicuius eximiæ ad eorum animos in ſomnis perferunt. nuntia, id eſt, nuntiantia: adiectiuum eſt, nuntius, a, um.*

QVI CIET) *qui vultus eximius, quique color pulcher commouet irritando loca, in quibus ineſt ſemen virile. Nam per loca hoc loco ſedes eas virileis, in quas ſemen virile iam concoctum, & ad gignendum aptum confluxit, ſignificat. Aliàs per loca magis propriè membra muliebria ſignificantur. infrà eodem lib. quia ſic loca ſumere poſſunt Pectoribus poſitis. eod. lib. atque locis auertit ſeminis ictum.*

TVRGIDA) *ſeminis & ſpiritus plena. Horat. ſatyr. 7. lib. 2. turgentis verbera caudæ.* VT QVASI TRANSACTIS) *adeò vt, quaſi re Venerea tranſacta, & ad extremũ perducta, profundãt ſemen. Perfica autẽ dicta eſt ea dea, quæ rẽ Venereã perficit: vt ſup diximus. ἐξονειρωγμὸν porrò, i. ſeminis profuſionẽ nocturnã, & in ſomnis factã ſignificat tectis verbis: quam deſcribit Horat. ſimplicius ſaty. 5. lib. 1. ſomnus tamen auferet Intentum Veneri tum immundo ſomnia viſu Nocturnam veſtẽ maculant, ventrémq; ſupinũ.* FLVM. INGENT. FLVCT) *i. magnã copiã ſeminis fluentis quidam tamen legendũ cenſent, Seminis ingenteis fluctus. Atque hoc quidem modo in ſecunda editione edendũ curaui. Nunc verò veterem ſcripturã*

tum, & receptam retineo, Fluminis, exiſtimans, dictum à Lucretio fluctus fluminis ἀφθονώς, pro multo ſemine fluente. Sic ferè lib. 2. Sanguinis exſpirans calidum de pectore flumen. CRVENTENT) *id eſt polluant, inquinent, & maculent. ſemen enim virile, ſanguis eſt. ſanguis autem cruentat, id eſt contaminat, & inquinat: ex quo cruentum pro impuro vſurpatur etiam à Lucretio, lib. 6.*

Sollicitatur id in nobis, quod diximus antè,
Semen, adulta ætas cùm primùm roborat artus.
Namque alias aliud res commouet, atque laceſſit:
Ex homine humanum ſemen ciet vna hominis vis.
Quod ſimulatque ſuis eiectum ſedibus exit:
Per membra, atque artus decedit corpore toto.
In loca conueniens neruorum certa, ciétque
Continuò parteis genitaleis corporis ipſas.
Inritata tument loca ſemine, fitq́; voluntas
Eiicere id, quò ſe contendit dira libido:
Incitat inritans loca turgida ſemine multo,
Idq́; petit corpus mens, vnde'ſt ſaucia amore.
Namque omnes plerumque cadunt in volnus, & illam
Emicat in partem ſanguis, vnde icimur ictu,
Et ſi comminus eſt, hoſtem ruber occupat humor.
Sic igitur, Veneris qui telis accipit ictum,
Siue puer membris muliebribus hunc iaculatur,
Seu mulier toto iactans è corpore amorem,
Vnde feritur, eò tendit, geſtítque coire,
Et iácere humorem in corpus de corpore ductum.
Namque voluptatem præſagit multa cupido.
Hæc Venus eſt nobis: hinc autem'ſt nomen amoris:
Hinc illæ primùm Veneris dulcedinis in cor
Stillauit gutta, & ſucceſſit frigida cura.
Nam ſi abeſt, quod ames: preſtò ſimulacra tamen ſunt
Illius, & nomen dulce obuerſatur ad aureis.

SOLLICITATVR) *commouetur, concitatur, ἀνασείεται. Sic enim interpretatur auctor vocabularij manuſcripti, Latinogræci. Feſtus autem, ſollicitare, inquit, ſolo citare, id eſt, ex ſuo loco mouere: quod & alibi retulimus.*

ADVLTA ÆTAS CVM PRIM. ROB.) *Statim ineunte iuuenta, ſeu initio ætatis adultæ & corroboratæ.* INRITATA TVMENT) *hic verſus, & is, qui proxime ſequitur, mihi ſuſpecti ſunt. Nam de tertio, cuius initium eſt, Incitat inritans, &c. non dubito quin ſit adulterinus, & ſpurius. tument autem, id eſt, ὀργῶσι.* FITQVE VOLVNTAS) *ſic habēt quinque lib. manuſcr. quibuſcum conſentiunt omnes typis excuſi, præter Florent. qui habent fitq́ue voluptas.* INCITAT INRITANS, &c.) *hūc verſum ex illo, qui paullo antè poſitus eſt, Quæ ciet inritās, &c. inepte à neſcio quo, alieno loco repetitum, delendum cenſeo.*

NAMQVE OMNES PLERVMQVE) *hunc verſum & duos deinceps ſequenteis, vt ſpurios, delendos cenſeo. fuerunt enim adiecti ab aliquo inepto, qui putaret aliquid deeſſe ante verſum illum: Sic igitur, &c. quaſi Lucretius vti voluiſſet ſimilitudine hominis ab altero vulnerati, cuius ſanguis continuò in percuſſorem propinquum redundaret. ſed neque Lucretius vti voluit illa ſimilitudine, niſi quòd dixit, mentem id corpus petere, vnde eſt ſaucia amore: neque hi verſus ſatis ſignificant, quod voluit eorum auctor. Præterea illud, omnes plerumque cadunt, ineptè dictum eſt. ſic potius dictũ oportuit, omnes plerique. Terent. Andr. quod plerique omnes faciunt adoleſcentuli. Cæſar lib. 2. de bello Gall. Nam pleriſque omnibus Gallis præ magnitudine corporum ſuorum breuitas noſtra contemtui eſt. præterea illud, icimur ictu, impropriè, & inuſitatè dictum eſt. Tùm hoc totũ, Etſi comminus eſt, hoſtem, ſiue, vt habent alij lib. os tum, ruber, &c. neque ſatis Latinè dictum eſt, & obſcurum eſt. Denique tota elocutio, & ſententia horum verſuum, frigida, & inconcinna eſt. Cùm hæc ſcripſiſſem atque edidiſſem: Thraſo ſcripſit, me hos verſus treis ἰσχίζειν peſſimè. immo verò tu ſycophanta eos peſſimè, & indoctiſſimè retines. &. ſi aliquid ſaperes, iſta non ſcripſiſſes: ſi os haberes, aut niſi eſſes κυνώπης, iſto modo nõ ſcripſiſſes.* VENERIS QVI TELIS ACC. ICTVM) *qui amat: qui amore ſaucius eſt. Virgil. lib. 4. Æneid. At regina graui iamdudum ſaucia cura Vulnus alit venis.* SIVE PVER MEMBR. MVL.) *ſiue hic pueri amore captus eſt, vt eius flore ætatis abutatur ad rem veneream, &c.*

MEMBRIS MVLIEBRIBVS) *membris mollibus, qualia ſunt muliebria: vel parte poſtica. τῷ πρωκτῷ.* IACVLATVR) *tamquam iaculo ferit. tranſlatio. propriè Horatius poſuit od. 2. lib. 1. ſacras iaculatus arceis.*

NAMQVE VOLVPT. PRÆSAGIT) *duo libri manuſcrip. habent: Iámque voluptatem præſagit muta cupido. Sentẽtia autem hæc eſt. nam vehemens, & acris cupido, ſiue libido voluptatem quaſi auguratur, & ſibi antè promittit. ſic infrà non longè: cùm iam præſagit gaudia corpus.*

HINC AVTEM'ST NOMEN) *cod. Vatic. & Faërn. habent. hinc mite eſt nomen amoris.* HINC ILLÆ PRIMVM VEN.) *ſecutus ſum libros quattuor manuſcriptos, qui partim ſic habent, Hinc illa primum Veneris, &c. partim ſic: Hinc illam & primùm, &c. illa enim, & illam &. deprauata ſunt ex, illæ. illæ autem, pro illius poſitum, vt paullò pòſt: rabies vnde illæ germ. ſurgunt. Huius autem loci hæc ſententia eſt. Hinc, nempe ex cupiditate, ſeu ex amore, primùm, gutta dulcedinis, quæ ineſt in Venere, ſtillauit in animum: deinde conſecuta eſt cura, animum grauiter angens, & ſollicitans: vel dic, hinc primùm: id eſt, ex ſimulacris & imaginibus: quod magis probo. Longum ſit autem ad ſingula lectorem admonere, has omneis emendationes ſic ſequi, & probare Thraſonem. vt ſuas.*

FRIGIDA CVRA) *liber Memmian. habet, feruida cura. ego nihil muto. ſic enim Horat. epiſt. ad Iul. Florum, lib. 1. Frigida curarum momẽta relinquere poſſes.*

NAM SI ABEST,) *in particula, ſi, i, non eliditur, & corripitur, ſequente vocali. ſic lib. 5. Nam ſi, vt ipſa petit maieſtas cognita rerum. & lib. 2. Viuam progeniem, qui in oras luminis edant. Quòd autem ad ſententiam attinet, expreſſit amoris affectum, & amantium conſuetudinem, quæ talis eſt, vt abſentium deſiderio tabeſcant, & præſentiam concupiſcant, atque expetant. Quod & Ariſtot. ſignificauit lib 9. de morib. ad Nicomachum, his verbis: μὴ γὰρ προησθεὶς τῇ ἰδέᾳ οὐδεὶς ἐρᾷ· ὁ δὲ χαίρων τῷ εἴδει οὐδὲν μᾶλλον ἐρᾷ· ἀλλ' ὅταν καὶ ἀπόντα ποθῇ, καὶ τῆς παρουσίας ἐπιθυμῇ.*

id eſt.

id eſt. Nemo enim amore capitur, qui non fuerit antè forma, ſpeciéque delectatus. nec tamen is, qui ſpecie delectatur, continuò amat, ſed tum, cùm & abſentem deſiderat, & præſentiam concupiſcit. Conſentanea his ſunt illa Terentiana in Eunucho, quæ Thaidi dicuntur à Phædria. Egóne quid velim? Cum milite iſto præſens, abſens vt ſies: Dies, noctéiſque me ames: me deſideres, Me ſomnies, me exſpectes, de me cogites, Me ſperes, me te oblectes, mecum tota ſis, &c.

Sed fugitare decet ſimulacra, & pabula amoris
Abſterrêre ſibi, atque aliò conuertere mentem:
Et iácere humorem conlectum in corpora quæque:
Nec retinere ſemel conuerſum vnius amore:
Et ſeruare ſibi curam, certúmque dolorem.
Vlcus enim viueſcit, & inueteraſcit alendo,
Inq; dies gliſcit furor, atque ærumna graueſcit,
Si non prima nouis conturbes volnera plagis,
Volgiuagáque vagus Venere antè recentia cures,
Aut aliò poſſis animi traducere motus.
Nec Veneris fructu caret is, qui vitat amorem:
Sed potius, quæ ſunt ſine pœna, commoda ſumit.
Nam certa, & pura eſt ſanis magis inde voluptas,
Quàm miſeris. etenim poriundi tempore in ipſo
Fluctuat incertis erroribus ardor amantum:
Nec conſtat quid primum oculis, manibúſque fruantur.
Quod petiere, premunt arctè, faciúntque dolorem
Corporis, & denteis inlidunt ſæpe labellis,
Oſculáque adfigunt, quia non eſt pura voluptas:
Et ſtimuli ſubſunt, qui inſtigant lædere idipſum,
Quodcumque eſt, rabies vnde illæ germina ſurgunt.
Sed leuiter pœnas frangit Venus inter amorem,
Blandáque refrenat morſus admiſta voluptas.
Namque in eo ſpes eſt, vnde'ſt ardoris origo,
Reſtingui quoque poſſe ab eodem corpore flammam.
Quod fieri contrà coràm natura repugnat:
Vnáque res hæc eſt, quoius quàm pluria habemus,
Tam magis ardeſcit dira cuppedine pectus.
Nam cibus, atque humor membris adſumitur intus:
Quæ quoniam certas poſſunt obſidere parteis,
Hoc facilè expletur laticum, frugúmque cupido:
Ex hominis verò facie, pulchróque colore,
Nil datur in corpus præter ſimulacra fruendum:
Tenuia, quæ vento ſpes raptat ſæpe miſella.

Vt bibere in ſomnis ſitiens quom quærit,& humor
Non datur,ardorem in membris qui ſtinguere poſſit:
Sed laticum ſimulacra petit,fruſtráque laborat:
In medióque ſitit torrenti flumine potans.
Sic in amore Venus ſimulacris ludit amanteis:
Nec ſatiare queunt ſpectando corpora coràm:
Nec manibus quidquam teneris abradere membris
Poſſunt,errantes incerti corpore toto.
Denique quom membris conlatis flore fruuntur
AEtatis:quom iam præſagit gaudia corpus,
Atque in eo eſt Venus,vt muliebria conſerat arua:
Adfigunt auidè corpus,iungúntque ſaliuas
Oris:& inſpirant preſſantes dentibus ora:
Nequicquam,quoniam nihil inde abradere poſſunt,
Nec penetrare,& abire in corpus corpore toto.
Nam facere interdum id velle,& certare videntur:
Vſqueadeò cupidè Veneris compagibus hærent,
Membra voluptatis dum vi labefacta liqueſcunt.
Tandem vbi ſe erupit neruis conlecta cupido:
Parua fit ardoris violenti pauſa parumper.
Inde redit rabies eadem,& furor ille reuiſit:
Quom ſibi,quod cupiant ipſi,contingere quærunt:
Nec reperire,malum id poſſunt quæ machina vincat:
Vſqueadeò incerti tabeſcunt volnere cæco.

SED FVGITARE DECET) *Quàm pulchris verſibus, quàm grauibus ſententiis deterret nos ab amore* Lucretius*? quàm apertè, & luculentè amantium furorem, inſaniámque ob oculos proponit? quàm doctè, & peritè amoris incommoda, & moleſtias enumerat? quàm meritò & verè eiuſdem voluptates extenuat, eleuat, ac deprimit? quàm perſpicuè amantium in re ipſa venerea tranſigenda, atque in ipſo corporum complexu rabiem deſcribit?* Digni *verſus, qui accuratè legantur, atque ediſcantur: digna præcepta, quæ & iuuenes, & viri his leuitatibus amatoriis dediti penitus in animo recōdant. proderit etiam legere, quæ ſcripta ſunt in amorem à* M. Tull. *lib.* 4. *Tuſcul.* ABSTERRERE SIBI) *ſic quidem habent libri omnes, & manuſcripti, & vulgati. ſed videtur mihi legendum eſſe,* Abſtergêre *ſibi. hoc enim loquendi genus eſt inſolens, & prope abſonum, abſterrere ſibi pabula amoris. pro eo, quod eſt, a ſe depellere: alterum autem, abſtergêre ſibi amorem, & abſtergêre amoris pabula, ita conſonum, atque vſitatum, vt, abſtergêre moleſtiam, dolorem, metum, luctum. dixit tamen infrà, eod. lib. in extr.* Nec diuina *ſatum genitalem numina cuiquam* Abſterrent, *&c ſi cui forte illud huic ſimile videatur.* Cùm *hæc ſcripſiſſem olim:* Zoilus *meam coniecturam arripuit, & ſe ita in ſuis libr. veteribus ſcriptum reperiſſe teſtatus eſt: cui non credo.* Sed *tamen cùm me*

laudarit imprudens, atque adeò inuitus, in eo, quòd meam coniecturam auctoritate libr. manuſcript. comprobatam ſignificarit: tum ſuo ingenio indulſit in eo, quòd hãc emendationem ſiue vera ſit, ſiue ſecus, ſibi adſcripſit. ET IACERE HVMOREM CONLECTVM) ſecutus ſum duos cod. manuſcr. mihi tamen non diſplicet amici cuiuſdam mei coniectura, qui putat legendũ, congeſtum: quam adiuuat codex Memm. ceteri libri manuſcr. & item vulg. habent, cõiectum. quæ ſcriptura tamen non eſt repudianda. NEC RETINERE SEMEL CONVERSVM) Olim edideram, conceptum vn. am. quòd ſic haberet cod. manuſcr. Memm. & typis excuſi Florent. nunc, conuerſum, vt habent ceteri, mihi magis probatur. ne hoc quidem diſſimulabo, ad oram libri Memm. annotatas eſſe has varias lectiones, congeſtum, conceptum, concertũ. ex quo poſtremo licet facere, conſertum.

VNIVS AMORE) ſic habent tres lib. manuſcr. & nonnulli vulg. alij, amorẽ.

ATQVE ÆRVMNA GRAVESCIT) verbum aptiſſimum nomini, ærumnæ, adiunxit. SI NON PRIMA NOVIS) id eſt, ſi non veterem amorem nouo amore deleas ex animo. ſic M. Tull. lib. 4. Tuſcul. etiam nouo quodam amore veterem amorem, tanquam clauo clauum, eiiciendum putant.

VOLGIVAGAQ.) expreſſit Græcam vocem, πάνδημον.

NAM CERTA, ET PVRA'ST) Nihil muto, tametſi tres libri manuſcr. habeant: Nam certe pura'ſt. nam etiam hæc ſcriptura, Nam certa, & pura eſt, reperitur in libr. manuſcriptis, in Bertiniano, & Memmiano. ne quis dicat eam à Marullo excogitatam, & confictam, quod ſcripſit κυνώπης: cùm certum ſit, hos libros à Marullo numquam eſſe viſos. Præterea ipſum loquendi genus, Nam certè pura eſt, &c. non eſt ſatis nitidum. Poſtremò certam voluptatem eorum, qui hoc amoris cruciatu vacant, opponit incertæ alterorum voluptati. ſequitur enim, etenim potiundi tempore in ipſo Fluctuat incertis erroribus, &c.

ETENIM POTIVNDI TEMPORE) quàm ſit miſerum amare, vel hoc vnum ſatis arguit ac declarat, quòd eo ipſo tempore, quo voluptate tantopere expetita, atque exoptata potiuntur amantes, ac fruuntur, eo (inquam) ipſo tempore ſe mutuò mordent, vellicant, & cruentant. ET DENTEIS INLIDVNT SÆPE LAB.) Horat. od 13. lib. 1 ſiue puer furens Impreſſit memorem dente labris notam Plaut. Curculione. Pariter hos perire amãdo video. vterque inſaniunt. Viden' vt miſere moriuntur? neque queunt complecti ſatis? Idem Mil. glor. labra labellis ferruminauit: Idem Pſeudolo. Nam vbi amans complexu'ſt amãtem: vbi ad labra labella adiungit, &c: interdum etiam linguam linguæ admouent, duplices vt linguas habeant, quemadmodum idem Plautus loquitur Aſin.

QVODCVMQVE EST, RABIES VNDE ILLÆ GERMINA SVRGVNT) ſic reſtitui ex auctoritate quinque librorum manuſcript. à quibus non admodum diſſentiunt codices vulgati Pariſ. & Veneti antiq. nam ceteri habent partim, rabies vnde illa hæc germinat vrgens: partim, rabies vnde illa hæc germina ſurgunt. rabies autem, poſitum accipio pro rabiei. præterea, illæ, generandi caſus eſt, fœmin. generis, antiquus: de quo ſup. lib. 2 ibi, vnæque figuræ: vt ſit hæc totius huius loci ſententia. Et ſtimuli ſubſunt (inquit) qui amanteis incitant, atque impellunt, vt id ipſum lædant, vnde rabiei illius germina oriuntur, atque augeſcũt, quodcumq; illud tandẽ ſit, ſiue color, ſiue facies, ſiue pars alia aliqua corporis. nomina autẽ quintæ ſic inflectebant antiqui, vt alibi diximus: rabies, in caſu recto: rabies, & rabie, & rabiei, & rabij, in patrio. Cùm hæc edidiſſem, Thraſo, vt aliquid

ſapere videretur, hæc omnia approbauit, & ſecutus eſt, præter quàm, quòd edi voluit, illæ hæc germina ſurgunt: ineptè. nam, hæc, natum eſt ex diphthōgo, quæ erat in prouocabulo illæ. Quòd autem quidam doctus, idémque amicus meus, legi poſſe, putat, rabies vnde illhæe germ. ſurg. non multo magis placet. Nam pronomen demonſtratiuum, quod cohæreat cum voce, rabies, neceſſariò debet intereſſe, meo quidem iudicio. quod non eſſet, ſi, illhæc, ſeu, illæc legeretur. Verumtamen iudicent eruditi. Omnino non negauerim, multo tolerabilius ferri poſſe hanc lectionem, rabies vnde illhæc germina ſurgunt, quàm illam, rabies vnde illæ hæc germ. ſurg.

SED LEVITER POENAS) ideſt ſed Venus, ſeu res Venerea, pœnarum, & doloris ſenſum aufert, aut certe minuit.

QVOIVS QVAM PLVRIA HABEMVS, TAM MAGIS) ſic reſtitui, tres libros manuſcriptos ſecutus. ex vulgatis enim alij habent, cuius quo pluria: alij, cuius quàm plurima: alij, iique deterrimi, cuius quo plurima.

NAM CIBVS ATQVE HVM.) Oſtendit diſſimilitudinem eius voluptatis, quæ percipitur ex cibo & potu, ab ea, quæ proficiſcitur è re Venerea, hoc modo: cibus & potus (inquit) in corpus eius, qui eſt, & bibit, aſſumuntur: & in ventrem intromiſſi, certas corporis ſedes occupant: quo fit vt fames & ſitis expleantur cibo & potu: & ita deſinat animans eſurire, & ſitire. At, qui amat, nihil ex ore, & grato colore eius, quam amat, detrahere, ac demere poteſt, præter inania quædam ſimulacra: quæ nullum locum occupant. quare amantem ſatiare atque explere non poſſunt. ADSVMITVR INTVS) fortaſſe legendum, intro.

PRÆTER SIMVLACRA FRVENDVM) ſecutus ſum codices quattuor manuſcriptos, & omneis vulgatos. nam Vaticanus habet, feruendum. ex qua ſcriptura ſuſpicatur doctus quidam legendum, ferendum. ferendum autem, interpretatur, auferendum, vt ibi apud Horat. epiſt. ad Iul. Florum. Prima feres ederæ victricis præmia. & epiſt. 2. lib. 2. non temere à me Quiuis ferret idem. & Virg. lib. 5. magnum dat ferre talentum. quæ lectio mihi non diſplicet, videtúrque non inuenuſta. ſed receptam damnare non poſſum. TENVIA) proceleumaticus pro dactylo, aut ſpondéo; vt ſæpe aliàs: vel dicendum u, hîc eſſe conſonantem.

QVÆ VENTO SPES RAPTAT SÆPE) ſi hæc ſcriptura emendata eſt, aut verò ſi hic verſus Lucretianus eſt, ſic videtur explicandus: quæ ſimulacra tenuia ſpes miſella ſæpe raptat vento: id eſt in ventum, ſeu cum vento. quæ tamen ſententia abſurda eſt. videtur enim ita potius dicere debuiſſe Lucretius: quæ ſimulacra vnà cum ſpe ventus ſæpe rapit, & diſſipat. quidam amicus meus putabat tolerabiliorem fore ſcripturam, ſi ita legatur: quæ in ventos ſpes raptat ſæpe miſella, ſed etiam in hac lectione hoc ineſt vitij, quod ſpes amantium non raptat ſimulacra in ventos: ſed ipſa ſpes ſæpe vnà cum ſimulacris videtur quaſi à ventis raptari. ego malim hoc modo legi: quæ ventus ſpes raptat ſæpe miſellæ: ventus ſpes autem: id eſt ventus ſpei, vt per ventum ſpei, ſpem leuem, & incertam, & fallacem intelligamus. Omnino locus hic mihi valdè ſuſpectus eſt, neque puto hunc verſum eſſe Lucretianum: eóque ſublato planiſſima ſententia eſt.

STINGVERE) reſtinguere. eodem verbo alibi iterum atque iterum vtitur, vt lib. 2. Euaneſcere paullatim, ſtinguique colorem.

TORRENTI FLVMINE) codex Bertinianus habet, torrentis, mendosè.

ABRADSRE) auferre, detrahere. FLORE FRVVNTVR ÆTATIS) florem ætatis appellat, quem Græci ὥραν & ὀπώραν dicunt. Horat. od. 5. lib. 3.

iam tibi liuidos Diſtinguet auctumnus racemos Purpureo varius colore. Sed nō diſſimulabo, in cod Bertiniano legi, tuuntur: in Memmiano, luuntur: quarum lectionū rationem nondum cogitando explicare potui. Thraſo cùm hæc edidiſſem, ſcribendum curauit, flore viuntur. Quid iſto homine facias, qui videtur ea gratia eſſe natus, vt aliis riſus præbeat, aliis ſtomachum faciat? ita mera verſuum portenta ex immani, & barbaro pectore depromta elegantiſſimo ſcriptori aſſuit. At ſuo capiti malum ſuat potius: ſed redeo ad hunc locum, & has ſcripturas veteres: quas iam olim propoſui, tuuntur, luuntur. ex his igitur ego nunc coniectura ductus facio, iuuantur. nam ſiue ex t, ſiue ex l. faciamus i. mutatio facilis eſt, vt norunt huius artis periti. cetera iam æquè facilia ſunt. iuuantur autem, interpretor, delectantur. quod ſtatim agnoſcet lector ingenioſus & Latinè doctus. Dicat mihi nunc κυνώπης, vtra probabilior ſit coniectura mea, an ſua. vtrumcumque faciet, ſiue ſuam retinens, ſtuporis ſimul & impudentiæ ſe alligabit: ſiue meam magis probans, dirumpetur, æquo animo feram. IAM CVM PRÆSAGIT) *cùm in quibuſdam codicib. manuſcr. reperiſſem partim, dum iam, partim, iam dum: repoſui, iam cum: quæ ſcriptura perſpicuè vera eſt. nam ſententia adhuc pendet. iam dum autem, non quadrat. dum enim, ſignificat perpetuitatem & continuationem quandam. & ſpatium temporis. cùm autem, punctum, & articulum temporis, quo aliquid fit, aut agitur. cùm iam (inquit) corpus præſagit, id eſt præſentit, & præcognoſcit voluptatem rei venereæ propinquam.* ATQVE IN EO'ST VEN. VT MVL. CONS.) *Verecundè rem obſcenam circumlocutus eſt. ſignificat enim tempus, quo vir inibi eſt, vt ſemen in loca muliebria profundat.*

ARVA) *ſic Virgil. Georg. 3. obtuſior vſus Sit genitali aruo. Sic infrà eodem lib. Eicit enim ſulci recta regione, viáque Vomerem, &c.*

NAM FACERE INTERDVM) *nam videntur (inquit) interdum hoc facere velle, nempe alter in corpus alterius corpore toto penetrare & introire.*

LIQVESCVNT) *ſic habent aliquot libri manuſcr. & typis excuſi. quam ſcripturam ſi quis probabit, verſus, Vſque adeò cupidè, legetur ἐπιφωνηματικῶς hoc ſenſu. tam cupidè inter ſe cohærent Veneris vinculis adſtricti: idq; tandiu dum membra vi voluptatis labefacta liqueſcunt, & quaſi in humorem reſoluuntur. in aliis libris ſcriptum eſt, liqueſcant: quam lectionem ſic explico, vt cōiungam hoc totum, vſque adeò dum, cum verbo, liqueſcant, hoc modo: vſque adeò dum, id eſt vſque eò, ſeu vſque ad id tempus, dum: id eſt donec membra liqueſcant, &c.*

TANDEM VBI SE ERVPIT NERVIS) *ſic libri quidem ferè omnes habent: ſed tamen amicus quidam meus legendum putat, ſe eripuit. atque hæc lectio à Petro Candido in codicibus Florent. in calce libri annotata eſt. quale eſt illud, ſe duxit foras, apud Terent. & illud, quò nunc ſe proripit ille? apud Virg. & illa vſitatiſſima, contulit ſe domum, in vrbem, rus, &c. ego tamen nihil mutandum cenſeo.*

CONLECTA CVPIDO) *alij libri habent, coniecta cupido, quod idē valet. conlecta tamen malo.* PAVSA) *intermiſſio, requies, ἀνάπαυσις, vt ſup. lib. 2. neo dare pauſam Conciliis.* QVÆ MACHINA) *quæ ratio, quod inuentum, quæ ars, ὡς μηχανὴ. ſup. lib. 3. Nam tibi præterea quod machiner, inueniámque, &c.*

Adde quòd abſumunt vireis, percúntque labore.
Adde quòd alterius ſub nutu degitur ætas.
Labitur interea res, & vadimonia fiunt.

Languent officia, atque ægrotat fama vacillans:
Vnguenta, & pulchra in pedibus Sicyonia rident:
Scilicet & grandes viridi cum luce ſmaragdi
Auro includuntur, teritúrque Thalaſſina veſtis
Aſſiduè, & Veneris ſudorem exercita potat:
Et bene parta patrum fiunt anademata, mitræ:
Interdum in pallam, ac Melitenſia, Céaq; vertunt.
Eximia veſte, & victu conuiuia, ludi,
Pocula crebra, vnguenta, coronæ, ſerta parantur:
Nequicquam, quoniam medio de fonte lepôrum
Surgit amari aliquid, quod in ipſis floribus angat:
Aut quòd conſcius ipſe animus ſe forte remordet,
Deſidioſè agere ætatem, luſtríſque perire:
Aut quòd in ambiguo verbum iaculata reliquit:
Quod cupido adfixum cordi viueſcit, vt ignis:
Aut nimium iactare oculos, aliúmve tueri
Quòd putat, in voltúque videt veſtigia riſus.
Atque in amore mala hæc proprio, ſumméque ſecundo
Inueniuntur: in aduerſo verò, atque inopi ſunt,
Prendere quæ poſſis oculorum lumine aperto,
Innumerabilia: vt melius vigilare ſit antè,
Qua docui ratione, caueréque, ne inlaqueeris.
Nam vitare, plagas in amoris ne laciamur,
Non ita difficile eſt, quàm captum retibus ipſis
Exire: & validos Veneris perrumpere nodos.

ADDE QVOD ABSVMVNT) *ſic lib 5. Et Venus imminuit vireis. ſic Epicurus. ἡ συνουσία ὤνησε μὲν οὐδέποτε ἀγαπητὸν δ᾽ εἰ καὶ μὴ ἔβλαψε, id eſt, concubitus, & vſus rei Venereæ profuit numquam: bene agatur cum homine, ſi non etiam nocuerit.*

ALTERIVS SVB NVTV) *ſub alterius arbitratu: ſub alterius imperio, & dominatu. nam ſeruiũt amãtes.* LABITVR INTEREA RES) *res familiaris dilabitur, diſsipatur, perit. ſic Plautus Trin. Quàm extemplo ſæuis ſagittis percuſſus eſt, illico res foras labitur, liquitur. da mihi hoc mel meum, ſi me amas, ſi audis. Ibi ille cucullus, ocelle mi, fiat, & ſi amplius vis dari, Dabitur.*

ET VADIMONIA FIVNT) *amantes contracto ære alieno vocantur in ius: & datis vadibus promittunt ſe iudicij diem obituros, atque in iudicio ſtaturos: vel vades dati promittunt ſe prodigum illum amatorem, ad extremam iam egeſtatem redactum, & à creditoribus in ius vocatum, in iudicio ſtituros. Horat. ſaty. 1. lib. 1. Ille, datis vadibus qui rure extractus in vrbem eſt, &c. Auctor vocabularij Latinogræci manu ſcripti, vadimonium, inquit, ἐγγύη, ἱκανοδοσία.*

ÆGROTAT FAMA VACILLANS) *ægrotat, νοσεῖ. tralatio eſt à corpore. quo verbo ſæpe vtitur Demoſthenes pro diſsidiis & ſeditionibus laborare. ſic Varro*

lib.1.de vita populi Rom.*apud* Non.*in verbo,diſtrahere.Diſtractione ciuium elangueſcit bonum proprium ciuitatis,atque ægrotare incipit,& conſeneſcere.ſic* Plautus *in* Trinummo, *loquens de bonis moribus.* Sed *dum illi ægrotant, interim mores mali,Quaſi herba irrigua,ſuccreuerunt vberrime.Idem ibidem paucis pòſt.* Nam *ſi in te ægrotant artes antiquæ tuæ,Siue immutare vis ingenium moribus,&c.* Sed *nõ celabo lectorem,in vno libro manuſcr.verſum,Labitur interea res,&c.ordine conuerſo legi poſt hunc,Languent officia,&c. Oſtendit autem* Lucretius, *amanteis neque rei,neque famæ parcere,ſed vtriuſque iacturam facere:quod item pluribus verſibus docet* Horat.*lib.1.ſaty.2.Vt quondam Marſæus amator Originis,ille,Qui patrium mimæ donat fundúmque,Larémque,Nil fuerit mi(inquit)cum vxoribus vmquam alienis:Verùm eſt cum mimis,eſt cum meretricibus, vnde* Fama *malum grauius,quàm res trahit,&c.* SICYONIA) *calcei Sicyonij.*M. Tull.*de orat.lib.1.* Sed *vt ſi mihi calceos Sicyonios attuliſſes, non vterer,quãuis eſſent habiles, & apti ad pedem,quia non eſſent viriles : ſic illam orationem diſertam ſibi , & oratoriam videri:fortem & virilem non videri.*Lucill. *& pedibus Sicyonia demit honeſta.*

RIDENT) *renident,pulchra ſunt. tralatio eſt. ſuprà lib. 1. princip.tibi rident æquora ponti.* SMARAGDI) *codices duo manuſcr.habent,zmaragdi.*

THALASSINA VESTIS) *veſtis cærulei coloris.*

ET BENE PARTA PATRVM) *& patrimonia,ſeu bona à patribus relicta,bene parta,dantur ſcortis, vt anademata,& mitras,& ſimil. cómparent.* Plaut.*Epid.quid iſtuc mirabile eſt?Quaſi non fundis exornatæ multæ incedant per vias.*Horat *ſaty.2.lib.1. Qui patrium mimæ donat fundúmque, larémque. quem verſum paullo antè protulimus.*

ANADEMATA) *faſciæ, corollæ, redimicula.* Sic *enim auctor vocabularij* Latinograci,*manuſcr. redimicula,inquit,*ἀναδήματα.*quamquam* Feſtus *docet, redimicula à mulieribus vocari catellas, quibus vtuntur ornatus cauſa. quidam legi volunt,anademata mitræ,continenter,& ſine diſtinctione,& interpretantur vincula,quibus mitra vincitur,capitíque religatur,vt mitræ ſit numeri ſingular. patrij caſus: quibus propemodum aſſentior.adiuuat enim eorum opinionem* Virgilij *verſus lib.9* Æneid.*Et tunicæ manicas,& habent redimicula mitræ. verumtamen licet etiam legere diſiunctim,vt anademata, & mitras,capitis eſſe ornamenta intelligamus.* INTERDVM IN PALLAM AC MELITENSIA, CEAQVE VERTVNT.) *ſic reſtituit* Adrianus Turnebus,*ſeu potius* Gulielm. Pelliſſerius, *epiſcopus* Mompeſſulanus,*ſecutus veſtigia veterum codicum.* Sic *enim habent* Vaticanus, Tettianus,Faërn.Interdum *in pallam,atque allidens iacchiáque vertunt:quibuſcum congruunt* Veneti antiq Bertin. *ſic:*Interdum *in pallam alidenſia chiáque vertunt.* Memmianus:Interdum *in pallã,atque alidenſia chiáque vertunt.*Vulgati *autem variè deprauati ſunt.alij enim habent:*Interdum *in pallam & qualos,& ianthina vertunt,vt* Lugdunẽſes:*alij,*Interd.*in pall. & qualos & iacchia vertunt,vt* Florent.*&* Venet. *recentiores:alij,*Interdum *in pallas & aclides, & iatria vertunt,vt* Pariſiẽſes *: quæ ſcriptura à* Baptiſta Pio *,homine nullius iudicij excogitata eſt.exſtat & hæc,*Interdum *in pallam, & ſtlitas, & iantina vertunt: cuius neque rationem, neque ſententiam video* Sic *igitur, vt excudendum curaui, cum* Gulielmo Pelliſſerio, *&* Adriano Turnebo *legendum puto.* Et *tamen veterum codicum ſcripturas propoſui, vt,ſiquis ingenioſior veriorem lectionem excogitare poterit,habeat paratum, vnde adiuuari poßit.* Iam *veſteis* Melitenſeis, *&* Céas *in-*

prætio fuiſſe ſciunt vel mediocriter docti. M. Tull. Verr. 4. de iure dicundo. Iam non quæro vnde cccc. amphoras mellis habueris, vnde tantum Melitenſium, &c. ibid. ſed tantúmne Melitenſium? quaſi etiam amicorum vxores ornaturus eſſes, &c. ita enim vtrobique legendum eſt, vt Melitenſium ſit à recto caſu Melitenſia, numero multitud. quamquam ſcio in editione Ciceronis Pariſienſi anni CIↃ IↃ LXV. *impreſſum eſſe, tantam Melitenſem veſtem, culpa operarum, qui quod erat ſumendum, reliquerunt: quod relinquendum, ſecuti ſunt. Plin. lib. 4. de Ceo inſula. Ex hac (inquit) profectam delicatiorem fœminis veſtem auctor eſt Varro.*

EXIMIA VESTE, ET VICTV) *ſi hic verſus mendo caret, videtur eſſe hæc totius loci ſententia: rem veſtiariam, & facultates ad victum neceſſarias inſumunt in conuiuia, & opſonia: in ludos, in pocula, vnguenta, coronas, ſerta.*

MEDIO DE FONTE LEP. SVRG. AM.) *ex quo* γλυκύπικρον *illud amoris, à Græcis dictum: id eſt, dulce cum amaro coniunctũ. ſic Plaut. Mŏſtell. Namque eeaſtor amor & melle, & felle eſt fœcundiſſimus. Guſtu dat dulce: amarum ad ſatietatem vſque aggerit.* IN IPSIS FLORIBVS) ἐν ταῖς τῶν ἡδονῶν ἀκμαῖς, *id eſt tum maximè, cùm amor ſuas delicias, ſuúmque nectar amantibus propinat.*

AVT QVOD CONSCIVS) *ſic iam edendum curaui in ſecunda editione. In prima autem tantùm timidè & pudenter poſueram videri poſſe legi, Aut quòd, cum libri veteres haberent partim, Aut cùm, vt vulgati, partim, Aut quom. Melius autem quadrat, Aut quòd, quàm, Aut cùm, &c. ſequitur enim, Aut quòd in ambiguo, &c.* LVSTRISQVE PERIRE) *in luſtris & ganeis vitam conterere, & corporis vireis abſumere, & rem familiarem perdere. Feſtus. Luſtra ſignificant lamas lutoſas, quæ ſunt in ſiluis, aprorum cubilia. à qua ſimilitudine ij, qui in locis abditis, & ſordidis ventri, & deſidiæ operam dant, dicuntur in luſtris vitam agere. Plaut. Aſin. Cano capite te cucullum vxor ex luſtris rapit.*

AVT QVOD IN AMBIG.) *id eſt, aut quòd ea, quæ amatur, aliquid ambiguè locuta eſt.* VIVESCIT, VT IGN.) *ſuprà lib 2. & . viuant labentes ætheris ignes, &c. infrà lib. 5. Et tamen inter vtroſque ita ſunt, vt corpora viua Verſent, &c.* AVT NIMIVM IACTARE, &c.) *ordo eſt. Aut quòd amator putat illam oculos nimium iactare, atque huc & illuc torquere, aliúmque virum intueri.* ATQVE IN AMORE M. H. PROP.) *argumentum eſt à minori Atqui (inquit) in amore ſecundo, & in quo omnia ex animi ſententia procedunt, hæc mala inueniuntur. quanto igitur plura & grauiora ineſſe credibile eſt in aduerſo? Atque, poſitum videtur pro, Atqui: vt ſæpe alibi, & apud alios probatos ſcriptores.* INOPI) ἀμηχανίῳ, *ſeu in eo, in quo amator amica non potitur: quæ ſumma miſeria eſt.*

PRENDERE QVÆ POSSIS OC. LVM.) *id eſt, quæ oculis cernere queas: quæ ſunt in promtu poſita, & manifeſta.*

CAVEREQVE NE INLAQVEERIS) *ſic nunc edendum curaui, pro inliciaris. quod olim probaram ſecutus codices vulgatos. Ad hanc autem coniecturam me duxit codex Bertinianus, & Memmianus, qui habent partim, inliquaris, partim, inliqueris. Atque hoc modo ſine dubio legendum. & ne Zoilum quidẽ hanc lectionem improbaturum puto. niſi forte ea gratia non probabit, ne deſinat eſſe* νωθής, *aut hebes, aut* ἀναίσθητος, *aut Zoilus. Vſurpauit hoc verbum Arnob. lib. 2. illaqueare, decipere dolis atque inſidiis neſcios. & M. Tull. eius participium oratione de Haruſp. reſp. illaqueatus iam omnium legum periculis.*

NE LACIAMVR) ſic repoſui, ratione & veritate fretus. Lacio enim verbũ eſt antiquum, teſte Feſto. ſic enim ille, lacit (inquit) in fraudẽ inducit, inde eſt allicere, lactat, delectat, oblectat. idem. laeit, decipiendo inducit. lax enim fraus eſt. Iterum Lucretius infrà eodem libro. Quæ laecere in fraudem poſſent, vinctóſq; tenere.

NON ITA DIFF. EST, QVAM) ita, quàm: non ita, quàm, genus loquẽdi rarum quidem, ſed tamen non inuſitatum veteribus. ſic ſup. lib. 2. extr. Nulli, vt opinor, ita hæc ſpecies miranda fuiſſet, Quàm tibi. quamquam nonnulli legendum cenſent, Non tam difficile eſt ſed errant. Alij autem ſic. Nil, vt opinor, ita hæc ſpecies miranda fuiſſet, Quam tibi iam memo, &c. quib. aſſentior.

Et tamen implicitus quoque poſſis, ínque peditus
Effugere infeſtum, niſi tute tibi obuius obſtes:
Et prætermittas animi vitia omnia primùm:
Tùm quæ corpori ſunt eius, quam percupis, ac vis.
Nam hoc faciunt homines plerumque, cupidine cæci:
Et tribuunt ea, quæ non ſunt his commoda verè.
Multi'modis igitur prauas, turpeíſque videmus
Eſſe in deliciis, ſummóque in hònore vigere.
'Atque alios alij irrident, Veneréinque ſuadent
'Vt placent, quoniam fœdo adflictantur amore:
'Nec ſua reſpiciunt miſeri mala maxima ſæpe.'
Nigra μελίχροος eſt: immunda & fœtida, ἄκοσμος:
Cæſia, παλλάδιον: neruoſa, & lignea, δορκάς:
Paruola, pumilio, χαρίτων ἴα, tota merum ſal:
Magna, atque immanis, κατάπληξις, plenáque honoris:
Balba, loqui non quit, τραυλίζει: muta, pudens eſt.
At flagrans, odioſa, loquacula, λαμπάδιον fit.
Ἰσχνὸν ἐρωμένιον tum fit, quom viuere non quit
Præ macie. ῥαδινὴ verò eſt, iam mortua tuſſi.
At gemina, & mammoſa, Ceres eſt ipſa ab Iaccho.
Simula, σιληνή, ac ſatyra'ſt: labioſa, φίλημα.
Cetera de genere hoc longum'ſt ſi dicere coner.
Sed tamen eſto iam quantouis oris honore,
Quoi Veneris membris vis omnibus exoriatur:
Nempe aliæ quoque ſunt: nempe hac ſine viximus antè:
Nempe eadem facit, & ſcimus facere omnia turpi:
Et miſeram tætris ſe ſuffit odoribus ipſa:
Quam famulæ longè fugitanr, furtímque cachinnant.
At lacrymans excluſus amator limina ſæpe
Floribus & ſertis operit, poſteíſque ſuperbos
Vnguit amaracino, & foribus miſer oſcula figit.

Quem ſi iam admiſſum, venientem offenderit aura,
Vna modò, cauſas abeundi quærat honeſtas:
Et meditata diu cadat altè ſumta querela:
Stultitiæque ibi ſe damnet, tribuiſſe quòd illi
Plus videat, quàm mortali concedere par eſt.
Nec Veneres noſtras hoc fallit. quo magis ipſæ
Omnia ſummopere hos vitæ poſtſcenia celant,
Quos retinere volunt, adſtrictóſque eſſe in amore:
Nequicquam, quoniam tu animo tamen omnia poſſis
Protrahere in lucem, atque omneis anquirere niſus.
Et ſi bello animo'ſt, & non odioſa viciſſim,
Prætermittet te humanis concedere rebus.

ET TAMEN IMPLICITVS,) *id eſt, & tamen etiam amore captus, & illaqueatus, & irretitus, explicare, & exſoluere te poſſis, niſi tute tibi obſis.*

ET PRÆTERMITTAS) *eſt ἀπεξήγησις, hoc modo. Et niſi prætermittas eius, quam amas & animi, & corporis vitia, id eſt, niſi velis omnia illius & animi & corporis vitia diſſimulare. Reperitur autem hæc ſcriptura in quinque libris manuſcriptis. Nam vulgati habent, Vt præterea.*

QVAM PERCVPIS, AC VIS) *cùm in libris manuſcriptis reperiſſem partim, præpetis, partim, præcipis, partim, præceptis, partim percis, ego percupis, repoſui. quòd ſi quis malet perpetis, vt habent nonnulli vulgati, aut præpetis, vt quidā ſcripti, non pugnabo.* NAM HOC FACIVNT) *prætermittunt amicarum ſuarum corporis atque animi vitia ſic hunc verſum explico referens ad ſuperiora. alioqui lege, Vt tribuant ea, &c. proximo verſu.*

ET TRIBVVNT EA, QVÆ) *ſic habent quinque libri manuſcripti. Sed ſi ſuperiorem verſum ad hunc referamus, videbitur legendum, Vt tribuant ea, quæ non ſunt, &c.* SVMMOQVE IN HON. VIG.) *legendum fortaſſis eſt, ſummóque vel honore vigere.*

ATQVE ALIOS ALII INRIDENT) *ſi hunc verſum cum duobus proximè ſequentibus deleamus, tanquam ſpurios, non ſolùm nihil de ſententia decedet, verùm etiam magis erunt media cum primis, & extrema cum mediis contexta, & conſentanea. Nunc autem hi tres verſus antecedentia ab iis, quæ ſequuntur, diſiungunt, & inſignem faciunt huius loci interruptionem. Nam poſteaquàm dixit, nos videre, prauas, & deformeis multis modis in deliciis, atque in pretio eſſe, debet cōtinuò ſubſequi, Nigra μελίχροος eſt, &c. nihilque interponi. quare videtur delendi. quòd autem Zoilus eos retinet, manum non verterim. ille iudicio ſuo vtitur, ego meo.* NIGRA ΜΕΛΙΧΡΟΟΣ) *ſic habēt nōnulli libri manuſcripti. alij, vt Bertinianus, melchrus: quod deprauatum eſt ex melichrous. Aldinus antiquior, μελάγχροος: id eſt, nigro colore prædita. quidam autem typis excuſi, μελίχλωρος, deleto, eſt, id eſt, pallore ſubuiridi, qualis eſt mellis color. quo nomine vtitur Theocritus. ἰργαντ, Βομβύκα χαρίεσσα, σύραν καλέοντί τυ πάντες, ἰσχνὰν, ἁλιόκαυστον· ἐγὼ δὲ μόνος μελίχλωρον. Nonnulli autem μελάγχλωρος legi volunt: id eſt, nigro, & viridi colore quo nomine vtitur Plato lib. 5. de repub. vbi hunc amantium errorem pluribus verbis*

perſequitur. Ego μελίχροος probo magis, quàm μελάγχροος. μελίχροος enim valet, mellei coloris: μελάγχροος, nigri. itaque ſi μελάγχροος legeretur, idem diceretur: niſi quis dicat, idem vitium ab homine Romano, Græco nomine appellatum, leuius quodammodo videri, atque extenuari: quemadmodum apparet ex toto hoc loco, vbi nomina, & verba fere omnia extenuantia, Græca ſunt. Denique Plutarchus lib. περὶ τοῦ ἀκούειν, locum illum Platonis, quem paullo antè commemoraui, proferens, legit, μελίχρουν. Cum his autem Lucretianis confer illa Horatiana, in quibus optat Horatius, vt amicorum noſtrorum vitia ita diſsimulemus, atque eleuemus, vt & amantes amicarum ſuarum corporum vitiis propemodum delectantur: & parentes filiorum vitia leuioribus nominibus extenuant, ſatyra 3. lib. 1. & præterea locum illum Platonis lib. 5. de repub. Non celabo autem lectorem, omnia vocabula Græca in libris antiquis ſcripta eſſe litteris Latinis. ego tamen de quorundam doctorum virorum ſententia Græcis excudenda curaui, non reclamaturus, ſi quis ea litteris Latinis ſcribat: immò verò probaturus.

ET FOETIDA) fortaſſè legendum, ſordida.

ΑΚΟΣΜΟΣ,) id eſt, inornata. ΠΑΛΛΑΔΙΟΝ,) id eſt, parua Pallas, quæ ab Homero deſcribitur, & appellatur γλαυκῶπις, id eſt, cæſia, & glaucis oculis: quamquam ſcio etiam aliter grammaticos Græcos hoc nomen interpretari.

NERVOSA) ſic habent libri quinq; manuſcripti, & aliquot typis excuſi: nõ, vt vulgati, næuoſa.

ET LIGNEA) ἀπόξυλος. Theocr. ἁ καλαμῖτις, id eſt, arida, & exſucca.

ΔΟΡΚΑΣ,) id eſt, capra fera, caprea.

PARVOLA, PVMILIO, ΧΑΡΙΤΩΝ ΙΑ, &c.) ſic nunc reſtituo, auctoritate veterum codicum fretus, à quibus non diſcrepant vulgati. Sed in vtriſque corruptam vocem, χαριτωνία, & vnam ex duabus factam, diuido, & rurſum ex vna duas facio. χαρίτων ἴα. ἴα autem valet, μία. Homerus Ἰλιάδ. Ἠμῖν ἀμφοτέροισιν ὁμὸν γένος, ἠδ' ἴα πάτρη. & alibi. Ἐν δ' ἰῇ τιμῇ ἠμὲν κακὸς, ἠδὲ καὶ ἐσθλός. & Ἰλ. Σ. ἰῇ δ' ἐν νυκτὶ γένοντο. qui poſterior verſus profertur ab Ariſtotel. πολ. β. Paruula (inquit) his nominibus appellatur ab amante, pumilio, id eſt, nana, & humilis ſtaturæ, χαρίτων ἴα, id eſt, vna Gratiarum, &c. atque hic locus multo iam antè à Gulielmo Pelliſſerio fuerat ita reſtitutus, χαρίτων μία. Sed tutius eſt legere ita, vt dixi, χαρίτων ἴα. Nam ſic minus, immo nihil fere receditur ab antiqua ſcriptura & recepta, χαριτωνία, cùm præſertim ἴα, idem planè valeat quod μία. Itaque hoc modo potius arbitror eſſe legendum; & in omnibus libris reponendum. per vnam Gratiarum autem ſignificat lepidam, politulam.

TOTA MERVM SAL.) ſic eſt diſtinguendum. illa (inquit) quæ paruula eſt, vocatur etiam tota merum ſal, id eſt, tota ſalſa, & faceta, & elegans.

ΚΑΤΑΠΛΗΞΙΣ) ſtupefactio, terror, id eſt, ipſo aſpectu terrorem & ſtuporem incutiens. Κατάπληξιν definiunt philoſophi, φόβον ἐκ μεγάλης φαντασίας: id eſt, metum ex magna aliqua ſpecie, ſeu viſione animo obiecta.

ΤΡΑΥΛΙΖΕΙ) balbutit. MVTA, PVDENS EST) ſi qua puella ſit muta, & elinguis, aut infans, ait amans, eam ingenuo pudore, quo minus loquatur, impediri nam pudor obeſt locuturo Horat. ſaty. 6. lib. 1. Infans namque pudor prohibebat plura profari. ad quem locum annotata ſunt à nobis nonnulla.

ΛΑΜΠΑΔΙΟΝ) parua lampas, ſeu parua fax.

ΙΣΧΝΟΝ ΕΡΩΜΕΝΙΟΝ TVM FIT) id eſt, cùm ita macilenta eſt,

vt viuere nequeat, appellatur ἰσχνὸν ἐρωμένιον: id eſt, amicula gracilis. ἐρωμένη, amica, puella, quæ amatur: ex quo ὑποκοριστικὸν nomen ἐρωμένιον, vt ἁ γλυκερὰ γλυκέριον: φοινίκη φοινίκιον. &c. ΡΑΔΙΝΗ' VERO EST) puella (inquit) iam tuſsi mortua, & tabida, amanti ῥαδινὴ eſt: id eſt gracilis. Theocr. εἰδ. ἐργάτ. Μοῦσαι Πιερίδες συναείσατε τὰν ῥαδινάν μοι παῖδα.

AT GEMINA ET MAMMOSA, CERES EST IPSA AB IACCHO) ſic reſtitui, ſcripturæ veteris veſtigia ſecutus. Nam cùm ita ſcriptum repeꝛiſſem in libris veteribus: At iamina & mammo ſacer eſt ipſa ab Iaccho: primùm non dubitaui reponere, mãmoſa Ceres eſt, &c deinde cùm hærerem in illo, iamina, in cuius locum nonnulli cod. habebant, Lamina, Adr. Turnebus me expediuit: qui ſtatim mihi dixit, ſibi videri, gemina, pro, iamina, parua immutatione facta, eſſe legendum. geminã autem, interpretabatur ille, opimã, amplã, & obeſam. Idem mihi indicauit Arnobij locum plurimùm ad huius loci intelligentiam conferentem lib. 3. ſic autem ille, Auet animus, atque ardet in Chalcidicis illis magnis, atque in palatiis cæli Deos, Deáſque conſpicere intectis corporibus, atque nudis: ab Iaccho Cererem (Muſa vt prædicat Lucretij) mammoſam, Helleſpõtiacum Priapum inter deas virgines, atque matres circumferentem res illas, præliorum ſemper in expeditione paratas. Idem lib. 5. Ceres mammis cum grãdibus. eod lib. paucis pòſt, mãmæ promtæ. Iam Ceres ab Iaccho: id eſt Ceres illa, quam Iacchus amat: vel Ceres amica Iacchi. ipſa autem, poſitum eſt ad ſignificãdam ſimilitudinem huius puellæ mammoſæ & Cereris. poſtremo, geminum, idem interdum valere, quod amplum, vel illud ſatis probat, quod Horatius od. 14. lib 2. Geryonen ter amplum, dicit. quem, tergeminũ, Lucretius, Virg. & alij appellant. Itaque tergeminos honores in oda 1. lib. I. poſuit Horatius pro ampliſsimis honoribus, vt ego in ſecũda editione Horatiana indicaui; & Turnebus probat. quamquam alij ad numerum honorum & magiſtratuum referunt, fortaſſe minus rectè. Et quoniam illius odæ primæ mentio facta eſt: libet hîc mihi horum verſuum explicationem retractare, Hunc ſi mobilium turba Quiritium Certat tergeminis, &c. vſque ad illum, Numquam demoueas, vt trabe Cypria, &c. Nam hunc locum vulgò ſic explicãt, & me cum vulgo ſic memini eum explicare. Numquam demoueas, ſeu dimoueas etiam ampliſsimis condicionibus de ſuo vitæ degendæ genere, hunc, nempe ambitioſum aliquẽ, ſi populus Romanus eum ſtudeat ampliſsimis honoribus ornare. Illum, numquam demoueas. ſi ſit diues arator, & magnam vim frumenti ex agris ſuis perceptí, & collecti in horreis ſuis condiderit: illum (inquam) gaudentem agros patrios ſarculo findere, &c. numquam igitur his perſuadeas, vt nauigare inducant animum. Sed hæc explicatio quadrare non poteſt, neque hanc probãt docti viri: in his Ioan. Auratus, Petr. Angelius Bargæus, quibus aſſentior. Quamobrem autem non ſit probanda, hæc cauſa eſt. Quid enim mirum ſit, hominem, cui ſit condicio, & ſpes explorata obtinendorum ſummorum magiſtratuum, & eum, qui habeat in horreis ſuis cónditum maximum frumenti numerum, nauigandi periculum adire nolle? Sic igitur potius hic locus explicandus ac diſtinguendus eſt. Sunt quos victoria certaminum Olympicorũ euehit ad deos, hoc eſt, diis proximos & beatiſsimos efficit. adſcribe ad vocem, deos, comma, hoc modo: Hũc, nempe ambitioſum aliquem, euehit ad deos, ſi eum populus Romanus certat afficere ſummis honoribus, vt hoc totum, Si mobilium turba Quiritium certat hunc tergeminis tollere honoribus, ſit loco ſuppoſiti, vt Grammatici loquuntur, perinde quaſi ita dicat Horatius, alium facit ſibi beatiſsimum videri, ſtudium & vo-

luntas populi Romani in eum conferendorum ampliſſimorum honorum, aura popularis denique. ſequitur deinde: Illum ſi proprio, &c. quæ ſimiliter explicanda ſunt, repetito ἀπὸ κοινοῦ, verbo, euehit, hoc modo. illum euehit ad deos horreum frumenti plenum, quantum eſt in Africa, & intellige, hunc non eſſe aratorem: ſed hominem alioqui locupletem & copioſum, qui habet horrea ſua maxima frumenti copia referta. Iam poſt vocem, areu. ſcribe punctum, ſeu interpunctionis notam. Nam quæ ſequuntur, diuidenda ac ſeparanda ſunt à ſuperioribus, hoc modo, Gaudentem patrios, &c. id eſt, alium autem, qui delectatur agris ſuis, ſibique à patre relictis, eóſque ſua manu libenter arat, numquam vel ampliſſimis condicionibus à ſuo inſtituto demoueas, & adducas, vt nauiget.

SIMVLA ΣΙΛΗΝΗ, AC SATYRA 'ST) *ſi qua puella ſimis eſt naribus, ſilena, & ſatyra ab amante nominatur ſileni enim, & ſatyri, ſimi & pinguntur & finguntur.* LABIOSA, ΦΊΛΗΜΑ) *quæ eſt labris prominentibus, ea (inquit) φίλημα dicitur: id eſt oſculum, ſeu os ad oſcula factum, & compoſitum. Nam & ſuauius viros oſculantur puellæ labioſæ, quàm quæ ſunt breuibus labris: & labioſas oſculari viris dulciſſimum eſt. labioſa autem. ſeu, labeoſa, legendum, vt habent libri manuſcripti. Et verò intereſt inter, labia, &, labra, vt vult Verrius Flaccus, teſte Soſipatro Cariſio. ſic enim ille lib. 1. labra & labia indiſtincte dicũtur &c. Verrius autem Flaccus ſic diſtinguit, modica eſſe labra, labia immodica, & inde Labiones dici. Nam & Terent. Eunucho, labiis demiſſis gemens. & Plaut. Labiis dum ductant eum. Nonius Marcellus docet, etiam labias dici genere fæminino, & profert locum illum Plaut. Sticho. Age tibicen, quando bibiſti, refer ad labias tibias. Cùm hæc iam bis edidiſſem, Zoilus κωκύτης, meam totius huius loci reſtitutionẽ vſquequaque probauit, præterquam in, gemina, pro quo Lamia poſuit: neq; profeſſus eſt, quem ſecutus ſit, aut vnde ſumſerit. ſed omnia ſibi more ſuo, id eſt impudentiſſime, atque iniuſtiſſime arrogauit. Nam totus hic locus (vt ceteros taceam) ante meã editionem, miſerabilem in modum corruptus, ac deprauatus erat.*

CETERA DE GENERE HOC) *hoc hemiſtichium aliquoties ab eodem vſurpatur, vt ſuprà admonuimus: idque mutuatus eſt Horatius ſaty. 1. lib. 1. Cetera de genere hoc, adeò ſunt multa, loquacem Delaſſare valent Fabium.*

SED TAMEN ESTO IAM) *id eſt, ſed tamen demus, eam eſſe eximia forma, demus eſſe venuſtiſſimam, atque adeò ipſi Veneri parem. at aliæ ſunt item formoſæ: at ſine hac anteà viximus. libri veteres tres habent, eſtolam. quod lectori indicandum eſſe duxi, vt meminerit, in libris manuſcrip. ſæpe l, pro i, & i, pro l. ſcriptum reperiri.* NEMPE EADEM FACIT, ET SCIM. FAC. O. TVRPI) *eadem turpi, Græcorum more dixit, ταυτὰ τῇ αἰσχρᾷ, id eſt, eadem facit, atque ea, quæ turpis eſt. ſic lib. 3. eadem aliis ſopitu' quiete 'ſt.*

SVFFIT) *imbuit. ſed magis proprio verbo vſus eſt. quo & ſuprà.*

AT LACRYMANS EXCLVS.) *ſic Tibull. lib. 2. Iuraui quoties rediturum ad limina numquam? Cùm bene iuraui, pes tamen ipſe venit. ſic ille apud Terent. Eunuch. Quid igitur faciã? non eam, ne nunc quidem, cum arceſſor vltro? &c. vide quæ annotauimus ad illum locum epod. od 11. Ad non amicos (heu) mihi poſteis, &c.* POSTEISQVE SVP) *id eſt, & fores ſuperbas. ſuperbas autem hoc eſt, ſuperbæ puellæ, vt apud Horat. od. 14 lib. 2. & mero Tinguet pauimentum, ſuperbum, id eſt, domini ſuperbi.* VNGVIT AMARACINO) *vnguit oleo, ſeu potius vnguento ex amaraco. vnguit autem, legendum eſt. & ita habẽt lib. vet.*

QVEM SI IAM ADMISSVM) *oſtendit inconſtantiam, & mobilitatẽ amantium, qui cùm excluſi fuerunt, deſiderio puellæ contabeſcunt: vbi verò intromiſſi ſunt, leuiſſima re offenſi diſcedere volunt: & tum reſipiſcunt, túmque ſe ſtultitiæ condemnant, quòd mulierculam tanti fecerint. Fortaſſe autem ſignificat, vtile, atque adeò ſalutare eſſe amantibus, amicarum ſuarum ingenia, & mores, & victus conſuetudinem, & vitia noſſe, quoniam his cognitis, quãtopere deſipuerint, qui talem amarint, intelligunt. cuius rei exemplum eſt notiſſimum apud Terent. ſic enim Parmeno. Id verò eſt, quod mihi puto palmariũ. Me reperiſſe, quomodo adoleſcentulus Meretricum ingenia, & mores poſſet noſcere: Mature vt cùm cognorit, perpetuò oderit: Quæ dum foris ſunt, nihil videtur mũdius, Nec magis compoſitum quidquam, nec magis elegans. Quæ cùm amatore ſuo cum cenant, ligurriunt. Harum videre ingluuiem (al. inluuiem) ſordeis, inopiam &c. Noſſe omnia hæc, ſalus eſt adoleſcentulis.* VENIENTEM) *omnes quidem libri vulgati habent, veniens: itaque olim in prima editione ſcripſeram, ſecutus libros illos vulgatos. Nunc autem, vt iam in editione ſecunda ſcripſi, venientem, malo, quomodo habent cod. Bertin. & Memm. & Tett. Hæc enim lectio vera & recta eſt, vt ſit hæc ſententia, amantem iam admiſſum, & modò venientem, ſi eum vna duntaxat aura offenderit, cauſas abeundi quærere ſpecioſas: tanta inconſtantia eſt. admiſſum, venientem, autem ἀσυνδέτως poſita ſunt, vt infrà ſtatim, ſubat, ardet.*

NEC VENERES NOSTRAS HOC FALLIT) *id eſt, nec hoc ignorant noſtræ puellæ. nam quos volunt in amore retinere, eos omnia vitæ ſuæ poſtſcenia celãt: id eſt, non admittunt eos in eam familiaritatem, vt eis ſuas ſordeis domeſticas, ſuæque vitæ inhoneſtam rationem aperiant. fallit, id eſt, latet, λανθάνει.*

VITÆ POSTSCENIA CEL.) *Cùm in libris manuſcrip. reperiſſem partim, poſtcenia, partim, poſtcænia, ego, poſtſcænia, ſiue, poſtſcenia, littera, ſ. addita, reſtitui. Erat autem, poſtſcenium, ſeu, poſtſcæniũ, locus poſt ſcenam, vbi multa fiebãt, quæ à ſpectatoribus audiebantur tantùm, non autem cernebantur: quale erat βροντεῖον apud Græcos: in quo, vt ſcribit Iulius Pollux, calculis compluribus in vtres coniectis, & illis vtribus per aëra verſatis, atque agitatis, tonitru ſimilitudo referebatur. Proſcenium autem (vt docet Diomedes) eſt pulpitum & locus ante ſcenam, in quod pulpitum prodibant actores. Itaque, proſcænia vitæ, hîc non cónuenit. Nam per, poſtſcænia vitæ (vt diximus) ſignificat Lucretius abſconditam, & intimam puellarum, ſeu meretricum viuendi conſuetudinem, & omnia, quæ domi faciunt, cùm ſolæ ſunt: quæ ſuis amantibus occulta eſſe volunt. proſcænia autẽ vitæ contrà, ſignificarent quidquid puellæ impudicæ, & huiuſmodi mulieres, corã amatoribus ſuis, & loquuntur, & faciunt: quod totum eſt fictum & ſimulatũ, & ad illiciẽdos amanteis comparatum: nihilque in eo verum, nihil ſimplex, nihil genuinum. At hæ mulieres fucum, munditiem, luxum, ſplendorem, riſum, blanditias, & reliquum apparatum meretricium habent in promtu poſitum, & ſuis amantibus oſtentant. ſordeis autem ſuas, inopiam, ingluuiem, illuuiem, immunditiem, maculas corporis, rugas, crineis emtos, & ſimilia, occultant. ſic Ouid. lib. 3. de arte amandi. Multa viros neſcire decet: pars maxima rerum Offendet, ſi non interiora tegas. Idem ibidem: Quæ male crinita eſt, cuſtodẽ in limine ponat, Orneturque Bonæ ſemper in ore deæ.*

ANQVIRERE NISVS) *ſecutus olim fueram codices vulgatos, anquirere in vſus, niſi quòd illi habent, inquirere. anquirere, autem, ſeu, inquirere in omneis vſus, ſic interpretabar, inquirere omnia meretricum facta, ſcilicet, in vſus tuos. Pla-*

nè duriuſculè. Itaque admonueram lectorem, libros ſcriptos habere, omneis anquirere, ſeu, inquirere riſus. Per, riſus, autem ſi hæc lectio recta eſſet, ſignificaret Lucretius, fallacias meretricũ, quibus illudunt ſuos amatores: ſententia huic loco conueniente: ſed quæ non ſatis ex verbis poſſe elici videatur. Nam per, riſus, ſignificarentur potius deriſiones, & ludibria. Quare harum lectionum nunc mihi neutra placet. Venit poſteà mihi in mentem hæc tertia, omneis inquirere luſus: vt per luſus, meretricum fallacias, quibus ſuos auctores illudunt, intelligamus. Sed ne hæc quidem mihi ſatis poſtea probata eſt, quia & aliquanto remotior ſit à ſcriptura vel recepta, vel antiqua: & minus cum antecedentibus, aut conſequentibus cohærere videatur. Cùm me tandem in omneis parteis cogitando vertiſſem, exiſtimaui, aptiſſimè legi poſſe, omneis anquirere niſus: vt per niſus ſignificet Lucretius ſtudia, quæ adhibent puellæ illæ ad arteis ac fallacias ſuas occultandas, ceteráque ſua vitia tegenda. Quæ ſententia cohæret aptiſſimè & cum illis ſuperioribus, Omnia ſummopere hos vitæ poſtſcenia celant, &c. & cum iis, quæ ſequuntur, Prætermittet te hum. conced. reb. id eſt non admodũ ſtudebit, aut nitetur te ſua mala, & vitia celare. Cùm hæc paullo poſt ſecundam editionem excogitaſſem, cuius rei teſtes ſunt mihi viri doctiſſimi & ampliſſimi: cognoui, idem cuidam male de me merito veniſſe in mentem: ſi credibile eſt hoc eueniſſe, & non ab altero excogitatum, iſtum ſibi aſſumſiſſe. Vſus eſt eodem nomine & lib. V. Trans maria alta pedum niſus vt ponere poſſet.

PRÆTERMITTET TE H. CONC.) *id eſt ſinet te ignòſcere incommodis humanis. id eſt non admodum in eo laborabit, vt te celet ſua incommoda, ac mala: ſed ea te ſinet cernere, ſperans fore, vt ea æquo animo feras, tanquam humana, & hominibus vſitata. Hic verſus, & eius explicatio, declarant, ſuprà legendum eſſe, anquirere niſus.*

Nec mulier ſempet ficto ſuſpirat amore:
Quæ complexa viri corpus cum corpore iungit;
Et tenet adſuctis humectans oſcula labris.
Nam facit ex animo ſæpe: & communia quærens
Gaudia, ſollicitat ſpatium decurrere amoris.
Nec ratione alia volucres, armenta, feræque,
Et pecudes, & equæ maribus ſubſidere poſſent,
Si non, ipſa quòd illorum ſubat, ardet abundans
Natura, & Venerem ſalientum læta retractat.
Nónne vides etiam, quos mutua ſæpe voluptas
Vinxit, vt in vinclis communibus excrucientur?
In triuiis non ſæpe canes diſcedere auentes,
Diuorſi cupidè ſummis ex viribu' tendunt,
Cùm interea validis Veneris compagibus hærent?
Quod facerent numquam, niſi mutua gaudia noſſent:
Quæ iacere in fraudem poſſent, vinctóſque tenere.
Quare etiam, atque etiam (vt dico) eſt communi' voluptas.

NEC MVLIER SEMPER) *Neque verò mulier (inquit) ſemper ſe amare*

ſimulat,ſed interdum ipſa quoque amat ex animo. Cuius rei exemplum capere licet ex Silenio puella Plautina .quæ ex animo Alceſimarchum amat. Sic autem de ea altera meretrix,Gymnaſium.hocſis vide,vt petiuit ſuſpirium altè: & pallidula es, & cet.quæ petito ex auctore,in Ciſtellaria,non longè à principio.

ADSVCTIS HVMECTANS OSCVLA LABRIS) ſic legendum, non aſſuetis,vt eſt in libris vulgatis.Eſt autem,adſuctus,participium à verbo, adſugo.Mirè verò expreſſit amantium oſculantium nequitias improbulas: qui labra labris affigentes alter ex alterius labris humorem ſugunt. quaſique animas alter alterius hauriunt.hæc autem oſcula dicuntur à poëtis humida:alia verò ſicca.Hic locus ita in duabus ſuperioribus meis editionibus reſtitutus eſt : cámque reſtitutionem ſecutus eſt Zoilus,quaſi ſuam,inſtituto ſuo.

NAM FACIT EX AN. S.)id eſt,nam ſæpe facit illa omnia,quæ dixi,ex animo,nihílque ſimulans:vel dic, facit ex animo,id eſt,amat ex animo.

COMMVN. QVÆR. GAVD.)& quærens cum viro voluptatem , ſtudet rem Venereã perficere. SPATIVM DECVRR. AM.) eleganti,& honeſta trãſlatione ſignificauit,mulierem interdum etiam amare ex animo,& corpus ſuum cum viri corpore cõmiſcẽtem ipſam quoq; cõmunia ex re venerea gaudia percipere properare. eſt autẽ tralatio ducta à ſtadiis, in quib. curritur, vt notauimus ſuprà ad illum locum, decurſu lumine vitæ lib.3. vbi tamen legendũ fortaſſe eſt,limite vitæ.

SVBSIDERE) ſuccumbere. SVBAT, ARDET ABVNDANS)ſic reperi ſcriptum in libris manuſcript. pro quo vulgati habent, ſubitò ardet. mendosè. dicuntur autem, ſubare, quadrupedes fœminæ cum libidine flagrantes marem appetunt, & maximè ſues. Feſtus. Suillum genus inuiſum Veneri prodiderunt poëtæ, ob interfectum ab apro Adonim,quem dea illa diligebat: quidam autem quòd immundiſſimi ſint ex omni manſueto pecore,& ardentiſſimæ libidinis , ita vt opprobrium mulieribus inde tractum ſit,cum ſubare & ſubire dicuntur Auctor vocabularij Latinogræci manuſcr. ſubat,inquit,ὀργᾷ.ὀργᾶν autem , eſt complexum maris, aut fœminæ appetere. vtitur hoc verbo Horat.epod.12. iámque ſubando Tecta, cubilia,tentáque rumpis.quòd ſi cui peruicaci magis placebit ſcriptura vulgata,ſubitò ardet,equidem cum eo non pugnabo Sed quamobrem antiquam reiiciamus,cauſam non video. dictum eſt autem,ſubat,ardet , ἀσυνδέτως. quale illud apud Hom. ιλ. A. σπεύδουσ',ἱδρώουσα:id eſt,properans,ſudans. & alia ſexcenta.

ET VENEREM SALIENTVM LÆTA RETR) ſi legemus ,retractant,ſubintelligetur pronomen,illa,nempe animalia,hoc modo, & animalia illa de genere fœminarum, Venerem marium ſalientium atque irruentium, læta, viciſſim,& pro ſua parte tractant,id eſt maribus in Venerem ruentibus pariter & mutuò reſpondent:vnà cum maribus voluptatem rei venereæ tractant. ſin, retractat, quo modo hic edi iuſſi , ſubintelligemus , natura illorum animalium. vtitur autem eodem loquendi genere infrà eod. lib. extr. Clunibus ipſa viri Venerem ſi læta retractet. VT IN VINCLIS)fortaſſe legendum, vti vinclis,& c.

IN TRIVIIS NON S. C.) ſecutus ſum olim lib. vulgatos,in quibus eſt, quin ſæpe c.Nam in manuſcr.ſcriptum eſt,In triuiis cùm ſ.c.& c.in quibuſdam,In triuiis con ſæpe:vnde nunc facio, non ſæpe canes, & c. hac ſententia : Nónne ſæpe canes,in triuiis diſcedere cupientes, diuerſi, hoc eſt in diuerſas parteis,ſummis viribus contendunt ? quæ ſcriptura recta eſt. nam &, quin, quod habent libri vulgati reiiciendum: & ,cùm.ſeu,quom,propter alterum,cùm,quod proximè ſequitur,ferri non

vi non poteſt. Iam quòd ad huius loci emendandi rationem attinet: ſæpe iam admonui, con, ex, non: & contrà, non, ex, con, à librariis illis factum eſſe.

QVÆ LACERE) *ſic repoſui, ſola veritate fretus. ſic ſuprà.* Nam *vitare plagas in amoris ne laciamur, &c. huius quoque loci reſtitutionem diſsimulans ſequitur* Zoilus, *ita vt ſit hoc perpetuũ in iſto,* καὶ τόδε Φωκυλίδου. COMPAGIBVS) *vinculis, nodis, copulis.*

Et commiſcendo cùm ſemen fortè virile
Fæmina commulxit ſubita vi, conripuítque:
Tum ſimiles matrum materno ſemine fiunt:
Vt patribus patrio. ſed quos vtriuſque figuræ
Eſſe vides iuxtim, miſcenteis volta parentum:
Corpore de patrio, & materno ſanguine creſcunt,
Semina quom Veneris ſtimulis excita per artus
Obuia conflixit conſpirans mutuus ardor:
Et neque vtrum ſuperauit eorum, nec ſuperatum'ſt.
Fit quoque, vt interdum ſimiles exſiſtere auorum
Poſſint, & referant proauorum ſæpe figuras,
Propterea, quia multa modis primordia multis
Miſta ſuo celant in corpore ſæpe parentes,
Quæ patribus patres tradunt à ſtirpe profecta.
Inde Venus varia producit ſorte figuras:
Maiorúmque refert voltus, vocéſque, comáſque.
Quandoquidem nihilo minus hæc de ſemine certo
Fiunt, quàm facies, & corpora, membráque nobis.
Et muliebre oritur patrio de ſemine ſæclum:
Maternóque mares exſiſtunt corpore creti.
Semper enim partus duplici de ſemine conſtat:
Atque, vtri ſimile eſt magis id, quodcumque creatur,
Eius habet plus parte æqua, quod cernere poſſis:
Siue virûm ſuboles, ſiue'ſt muliebris origo.

ET COMMISCENDO CVM SEMEN) *nunc quærere incipit, quamobrem filij patribus, ac matribus ſimiles ſint, aut diſsimiles. commiſcendo autem, id eſt, inter commiſcendum, ſeu in commiſtione viri & fæminæ. qua de re plura* Lactantius *libro de opif. dei.*

FÆMINA COMMVLXIT SVBITA VI, CONR.) *cùm ſecutus eſſem initiò, hoc eſt in prima editione, omni ex parte libros vulgatos, niſi quòd mulxit, non, vt illi habent, mulſit, excudendum curaram, in hoc vno ſcripturæ veteris auctoritatem non aſpernatus, (quæ ſcriptura talis eſt,* Et commiſcendo cum ſemine forte virile Fæmina vi mulcit ſubita vi, &c.) *quòd ex mulcit, fecerã mulxit (nam mulcit ſcriptum putabam, & etiam nunc puto, pro mulcſit c ſ. enim ſæpe ſcribebatur à librariis illis pro x.) in ceteris autem ſcripturam veterem, vt deprauatam, reieciſſem: de toto hoc loco ita ſenſerã, itáq; ſcripſeram, & verò his ipſis verbis vſus. Si*

Ee

quis tamen veteris ſcripturæ rationem habendam putabit, quemadmodũ mihi maximè videtur: ſic aliqua poterit haberi, vt hoc modo legamus. Et commiſcendo cùm ſemen forte virile Fæmina commulxit ſubita vi, corripuitq;. vel hoc modo: Et commiſcendo cùm ſemen forte virile Fæminei mulxit ſubitò vis, corripuitque, &c. quæ lectio omnium planiſsima eſt, & fortaſſe vera. Adr. Turnebus autẽ multò ſeuerius, ac religioſius veterem ſcripturam retinet, hoc modo: Et commiſcendo cum ſemine, forte virile Fæmina vi mulxit ſubita, vi corripuitque. Venio nunc ad receptam, eam dicõ, quam ſecutus ſum, quamuis nõ admodum probem: quæ talis eſt, Et cõmiſcedo cùm ſemen forte virile Fæmineum mulxit ſubita vi, corripuitque, &c. quam ſic explico. Cùm in commiſcendo, atque in concubitu, ſeu complexu maris & fæminæ, ſemen fæminæ vi quadam ſubita mulxit, id eſt attraxit, & corripuit ſemen virile (quod non ſemper áccidit: iccircò addidit fortè. nam ſæpe ſemen virile effluit ex locis muliebribus, neque mulgetur, aut rapitur à matrice:) tum igitur ex materno quidem ſemine fiunt filij matrum ſimiles: ex paterno autem, patrum. Hæc mihi videtur eſſe huius loci ſententia. ego tamẽ malim legi, Fæminei mulxit ſubitò vis, &c. vt ſit, vis fæminei ſeminis. Hæc igitur tum mea fuit ſententia, ſeu potius opinio quædam probabilis, taliſque huius loci explicatio. In ſecunda editione, ſic ſcripſi, vt fere eſt in veterib. lib. Fæmina cõmulxit ſubita vi, corripuitque: eandémque hîc quoq; retineo: cuius ſententia ita aperta eſt, vt declaratione non egeat. Sed quòd Lucretius hîc maternũ ſemen appellat, Ariſtot, lib. I. de ortu animalium, negat, fæminas in re Venerea ſemen vllum mittere, cuius ſententiam improbant, ac refellunt medici. Iam quòd ad ſimilitudinem ac diſsimilitudinem filiorũ attinet, medici item aiunt, ſi ſemen parternũ ſit potentius ac dominãtius & ſemine materno, & ſanguine menſtruo, tum filios & animo & corpore patri eſſe ſimileis: ſin ab vtroque ſuperetur, tũ eos & ingenio, & figura corporis ad matrum ſimilitudinem propius accedere.

VT PATRIBVS PATRIO) *ſic omnes quidem habent libri tum manuſcripti, tum excuſi: ſed videtur legendum, Vt patrum patrio. nam conſuetudo Latini ſermonis poſtulat, vt verba ſic conſtruantur: tum ſimiles matrum filij fiunt, ſemine materno ſcilicet dominante, vel materiæ locum obtinente, vt fiunt ſimiles patrum, patrio ſemine. nam particulæ copulantes, & disiungentes copulant, & disiungunt ſimileis caſus.* ESSE VIDES IVXTIM) *ſic legi debet, & ita habent quinque libri manuſcr. iuxtim autem, pro, iuxtà, id eſt ſimiliter, æqualiter, pariter. Saluſt. bello Iugurth. hiemem, atq; æſtatem iuxtà pati. Plautus Aulul. dixi tibi mater. iuxtà mecum rem tenes. Idem Trin. Iuxtáque eam curo cum mea.*

MISCENTEIS VOLTA PARENTVM) *ſic habẽt libri manuſc. atque hanc ſcripturam agnoſcit Nonius in voce, vultus, vbi hunc verſum profert cum ſuperiore, vt probet, vſitatum eſſe veteribus, vultus, us. &, vultum, i. miſcenteis vulta. autem, ſeu vultus parentum, id eſt ſimilitudinem vtriuſque parentis promiſcuè, & æqualiter referenteis.* ET MATERNO SANGVINE) *ex hoc loco poſſit videri, Lucretio nihil intereſſe inter ſanguinem menſtruum, & ſemen maternũ (quod nullum eſſe negat Ariſt.) cùm tamen hæc plurimùm inter ſe differant. ſed dicamus, maternum ſanguinem hîc intelligendum ſemen. nihil enim aliud eſt ſemen hominis, quàm ſanguis optimus, & concoctus, & ad gignendum aptus. αἷμα nominant Græci. ſanguinem menſtruum autem, καταμήνια iidem appellant.*

CONFLIXIT) [illegible] *accipiendum, quaſi commiſit, colliſit.* ET NEQVE VTRVM) *ſic habẽt libri ſcripti: vulgati autem, Et neutrũ. ſed nihil refert.*

PROPTEREA QVIA MVLTA MODIS) ſic legendũ, nõ, multimodis.

QVÆ PATRIBVS PATRES TRADVNT) quæ patres tradunt filiis ſuis, qui ſuſceptis liberis patres ſunt. INDE VENVS VAR. PROD. SORTE FIG.) ſecutus ſum cod. Bertin. cum quo congruunt Pariſienſ. & Veneti antiq. & Lugdunenſes alteri. Nam Vaticanus habet, Inde Venus variè producit ſæpe figuras, cum quo congruunt Florentini. alij partim, Inde Venus variè producit forte figuras, partim, Inde Venus variè producit ſorte figuras. fortaſſe legendum: varias producit ſæpe figuras. neque tamen eam ſcripturam, quam ſecutus ſum, reiiciendam cenſeo. QVANDOQVIDEM NIHILO MINVS) hoc referendum eſt ad illud, quod proximè dixerat, Venerem ſæpe referre non ſolùm vultus, verùm etiam voces, & comas maiorum. quod quia mirum alicui videri poterat, ſubiiciens rationem, quandoquidem (inquit) hæc, nempe comæ, & voces, nihilo minus conſtant de ſemine certo, quàm oris forma, & totius corporis habitus, & figura. quin ſit autem legendum, nihilominus, etiam reclamãtibus libris omnibus, neminem puto dubitaturum. Nam ſi nihilo magis legeretur, diceret Lucretius, res aliquas incerto ſemine naſci: quod pugnat vel cum Epicuri decretis. ſi ſemen pro primis corporibus accipiamus: vel cum ipſius Lucretij verbis, ſi ſemen patrium, & maternum intelligamus. Nibilo magis enim, vim habet negandi: vt nihilominus, affirmandi.

SÆCLVM) genus. SEMPER ENIM PARTVS D. D.) duplici de ſemine, nempe patrio, & materno. partum vſurpauit, pro eo, quod paritur, vt lib. 2.

PLVS PARTE ÆQVA) plus æquali parte: id eſt habet plus eius, cui magis ſimilis eſt, quàm eius, cui minus ſimilis eſt.

QVOD CERNERE POSSIS) alij libri habent: Quæ cernere poſſis: quam lectionem non probo. SIVE VIRVM SVBOLES, &c.) ſic legendum, & ita habent libri manuſcr. & ita ſcriptum reperi in vocabulario manuſcr. Claudij Puteani, hac interpretatione ſubiecta. ſuboles, ἐπιγονὴ, φυλὰ, γονή. denique hanc ſcripturam agnoſcit Feſtus in voce, ſuboles, his verbis. Suboles ab oleſcendo: id eſt creſcendo, vt adoleſcentes quoque & adulti, & indoles dicitur. Lucret. lib. 4. Siue virûm ſuboles, &c. Virg. Cara deûm ſuboles magnum Iouis incrementum: Qui autem dicunt, contra rationem, & veterum grammaticorum, librorúmque manuſcr. auctoritatem, receptam conſuetudinem huius vocis ſcribendæ per, o, in prima ſyllaba, eſſe retinendam, & hoc vſui dandum: aut videant, ne, dum in hac voce corruptæ conſuetudini indulgent, idem facere cogantur in multis aliis: aut mihi, cur tam inconſtãter in aliis vocabulis vitioſam ſcribẽdi cõſuetudinẽ, quantũuis receptã, damnent, & corrigãt, in vno atq; altero ferẽdã cenſeãt, cauſam, niſi eis moleſtũ eſt, afferãt, rationémq; exponãt Etiã huius loci reſtitutionẽ diſſimulãter ſecutus eſt Zoilus, cùm ego princeps ita reſtituerim in Lucretio et Horatio, vbi antea legebatur, ſoboles.

Nec diuina ſatum genitalem numina quoiquam
Abſterrent, pater à natis ne dulcibus vmquam
Appelletur, & vt ſterili Venere exigat æuum:
Quod plerique putant: & multo ſanguine mæſti
Conſpergunt aras: adolentque altaria donis,
Vt grauidas reddant vxores ſemine largo.
Nequicquam diuûm numen, ſorteiſque fatigant.

Nam ſteriles nimiùm craſſo ſunt ſemine partim:
Et liquido præter iuſtum,renuíque viciſſim.
Tenue,locis quia non potis eſt adfigere adhæſum,
Liquitur extemplò,& reuocatum cedit ab ortu.
Craſſius hoc porrò,quoniam concretius æquo
Mittitur:aut non tam prolixo prouolat ictu:
Aut penetrare locos æquè nequit:aut penetratum,
Aegrè admiſcetur muliebri ſemine ſemen,
Nam multùm harmoniæ Veneris differre videntur.
Atque alias alij complent magis,ex aliíſque
Suſcipiunt aliæ pondus magis,inque graueſcunt.
Et multæ ſteriles Hymenæis antè fuerunt
Pluribus:& nactæ pòſt ſunt tamen,vnde puellos
Suſcipere,& partu poſſent diteſcere dulci.
Et,quibus antè domi fæcundæ ſæpe nequiſſent
Vxores párere,inuenta'ſt illis quoque compar
Natura,vt poſſent natis munire ſenectam.
Vſqueadeò magni réfert,vt ſemina poſſint
Seminibus commiſceri genitaliter apta,
Craſſáque conueniant liquidis,& liquida craſſis,
Quæ quoi iuncta viro ſit fæmina per Veneris res.
Atque adeò réfert,quo victu vita colatur.
Namque aliis rebus concreſcunt ſemina membris,
Atque aliis extenuantur,tabéntque viciſſim.
Et quibus ipſa modis tractetur blanda voluptas,
Id quoque permagni réfert.nam more ferarum,
Quadrupedúmque magis ritu,plerumque putantur
Concipere vxores,quia ſic loca ſumere poſſunt
Pectoribus poſitis,ſublatis ſemina lumbis.
Nec molles opu' ſunt motus vxoribus hilum.
Nam mulier prohibet ſe concipere,atque repugnat,
Clunibus ipſa viri Venerem ſi læta retractet:
Atque exoſſato ciet omni pectore fluctus.
Eicit enim ſulci recta regione,viáque
Vomerem,atque locis auertit ſeminis ictum.
Idq; ſua cauſa conſuerunt ſcorta moueri,
Ne complerentur crebrò,grauidæq; iacérent,
Et ſimul ipſa viris Venus vt concinnior eſſet:
Coniugibus quod nil noſtris opus eſſe videtur.

Nec diuinitus interdum, Veneríſque ſagittis,
Deteriore fit vt forma muliercula ametur.
Nam facit ipſa ſuis interdum fœmina factis,
Morigeriſque modis, & mundo corpori' cultu,
Vt facilè inſueſcat ſecum vir degere vitam.
Quod ſupereſt, conſuetudo concinnat amorem.
Nam leuiter quamuis, quod crebro tunditur ictu,
Vincitur in longo ſpatio tamen, atque labaſcit.
Nónne vides, etiam guttas in ſaxa cadenteis
Humoris, longo in ſpatio pertundere ſaxa?

NEC DIVINA SATVM) *Conſtat ſibi Lucretius. Nam hominis erat de natura rerum ſe dicturum, ſeu ſcripturum profitentis, maxime eius, qui Epicurum ſequeretur, omnium rerum cauſas afferre atque explicare, nihílque ad Deos referre.*

ADOLENTQVE ALT. DON.) *adolent, id eſt augent, honorant, & ita Nonius. Virgil. Æneid. lib. 7. Præterea caſtis adolet dum altaria tedis. aliàs adolere eſt vrere κατ' ἀφημισμὸν Virg. pharmac. Verbenáſque adole pingueis, & maſcula tura.* FATIGANT) *fatigant Deos precibus & hoſtiis ſcilicet ſic Horat. od. 3. lib. 1 prece qua fatigent Virgines ſanctæ minus audientem Carmina Veſtam? fatigãt ſorteis, conſulentes oracula. Virg. lib. 4 Æne. Italiam Lyciæ iuſſere capeſſere ſortes.*

NAM STERILES NIMIVM) *duas cauſas affert ſterilitatis, vnam quòd ſemen nimis craſſum ſit: alteram quòd nimis tenue.*

PRÆTER IVSTVM) *ſuprà modum: ſupra quàm ſatis ſit.*

VICISSIM) *partim.* TENVE) *vel proceleumaticus eſt, vel tenue diſſyllabum eſt.* LOCIS) *vaſis muliebribus.*

ADFIGERE ADHÆSVM) *adhærere. profert & hunc verſum Nonius Marcell in voce, adhæſus, & item alterum, qui eſt lib. 3. Nam neque pulueris interdum ſentimus adhæſum. Sed videtur duriuſculè dictum. adfigere adhæſum, pro adhærere. quid ſi legamus, adfigi adhæſim?*

AB ORTV) *ſic legendum ſeparatim, non abortu coniunctè, & ita habent libri manuſcripti* AVT PENETRATVM) *In prima editione ſcripſeram, penetratis, reiecta ſcriptura vulg. penetratũ, admonitus à cod. Vatic. in quo ſcriptum erat, penetrati. deinde hæc adieceram in ſcholiis. Et verò, vt penetratis legatur, ratio & veritas poſtulant penetratis ſubintell. locis. niſi quis dicat, penetratũ ſignificationem habere ἐνεργητικὴν, & poſitum pro eo, quod eſt, cùm penetrauit: cuius modi participia ſunt iuratus, pranſus, cenatus, &c. & ita ſup. Quæ penetrata queunt ſenſum progignere acerbum Itaque in ſecunda editione, mutata ſententia, penetratum, (quod tamen in prima non planè damnaram, vt intelligere licet ex iis, quæ ſuprà cõmemorata ſunt,) repoſui. Idem etiam hîc ſequor: vt intelligamus, eſſe ἐνεργητικόν.*

NAM MVLTVM HARMONIÆ VEN.) *Docet, alios viros aliis fœminis ad procreationem liberorum cõuenire. Itaque multum intereſſe qui vir cum qua muliere matrimonio copuletur, & nuptias contrahat. harmoniæ: id eſt, conuenientiæ.* HYMENÆIS ANTE FVER. PLVR.) *multæ pluribus hymenæis, id eſt, pluribus nuptiis anteà ſteriles fuerunt, neque ex viris pluribus liberos ſuſcipere potuerunt, &c.*

ET NACTÆ POST SVNT TAMEN.) id eſt, & tamen poſteà alias nuptias nactæ, & alij viro iunctæ ſunt, vnde liberos ſuſcipere, & fœcundæ eſſe poſſent. hunc locum (abſit verbo inuidia) ſanè εὐστόχως reſtitui, modicè à veteribus codicibus adiutus, cùm anteà in hoc loco ſemper hæſiſſem partim propterea quòd participium, nactæ, inſolenter mihi per ſe poſitum videbatur, partim propter ineptã repetitionem verbi poſſunt. Cum igitur reperiſſem ſcriptũ in aliis codicibus veterib. & nactæ poſſunt, &c. in aliis, & natæ poſſunt tamen vnde puellos Suſcipere, & partu poſſent diteſcere dulci; ſic reſtitui, quemadmodũ excudẽdũ curaui, & nactæ pòſt ſunt tamen, vnde, &c. quæ lectio perſpicuè vera & recta eſt. nã vulgati habẽt, poſſunt tamẽ inde, &c. PVELLOS) in hac ipſa voce, puellos, profert hunc verſum Nonius: & præterea Ennianum illum. Ipſe ſuos Diuis mos ſacrificare puellos: & Lucillij: Cùmque hic tam formoſũ tibi, ac te dignũ puellus: & illud Varronis, Teſtamento: Sic ille puellus Veneris repente vado cecidit cruentus olim.

ET QVIBVS ANTE DOMI FÆC.) legendum mihi videbatur olim, infœcundæ, & ita primò edideram, cùm in omnibus libris legatur, fœcundæ. mihi enim hoc ſentire videbatur Lucret. Et ij, qui habuiſſent domi vxores ſibi infœcundas & ſterileis, inuenerunt tandem comparem, & fœcundam, ex qua liberos ſuſciperent. Sic ſuprà ſterileis appellauit mulieres, non quòd tales eſſent natura, cùm ex alio viro poſtea liberos ſuſceperint, ſed quòd ab illo viro grauidæ non fierent. Sed Turnebus putat ſcriptura recepta ſeruata incolumi, hunc locum ita explicari poſſe, vt eadem ſit ſententia, atque ſi infœcundæ legeretur, hoc modo, & iis, quibus antea fuiſſent vxores fœcundæ quidem illæ, ſed quæ ex his viris concipere non potuiſſent, inuenta eſt vxor aliqua compar, & temperatione reſpondens, ex qua liberos ſuſcipere poſſent. Omnino mihi nunc videtur fœcundæ rectè huic loco quadrare poſſe, nihilque eſſe immutandum. videtur enim mihi Lucretius hoc oſtendere velle, quod ſuprà poſuit, Veneris harmonias differre, & alios viros aliis fœminis eſſe aptiores, & contrà alias fœminas aliis viris. Multæ fœminæ, inquit, certis viris nuptæ, ſteriles fuerunt, neque concipere potuerunt. pòſt alium virum nactæ ſunt, ex quo liberos ſuſceperunt. Rurſus plures viri reperti ſunt, qui eum certis mulieribus, quantumuis fœcundis matrimonio copulati, ex iis liberos procreare non potuerunt: iidem aliam vxorem nacti, ex ea liberos ſuſceperunt.

INVENTA EST ILLIS QVOQVE COMPAR NATVRA.) illis viris inuenta eſt vxor compar natura, τῇ φύσει. natura, accipio vt ſit ſeptimi caſus. poteſt tamen etiam eſſe recti caſus, & cohærere cum voce compar, vt alij malunt, vt per naturam comparem, vxorem comparis naturæ intelligamus.

NATIS MVNIRE SENECTAM,) nam hanc gratiam debent parentibus liberi, vt non ſolùm eos alant, verùm etiam tutos ab iniuria præſtent, quantum in eis ſitum ſit. Heſiodus de liberis, θρεπτήρια δοῦν. Sic Catullus epithalam. Iuliæ & Manlij. Nulla quit ſine te domus Liberos dare, nec parens Stirpe nitier.

VSQVE ADEO MAGNI REFERT, &c.) vel legendum neceſſariò, Vſq; adeò magni hoc refert, videlicet, quæ mulier cũ quo viro iungatur, & miſceatur, ad id; vt ſemina ſeminibus cõmiſceri poſſint genitaliter apta. i. accõmodata ad gignẽdum, &c. vel dicendũ, pòſt verſum, Craſſaq; cõueniant, &c. verſum talem, & qui talem ſententiam contineat; deſiderari, Quæ cum quo cupidè iungatur per Veneris res: id eſt vſque adeò magni refert, quæ fœmina cum quo viro corpus ſuum commiſceat. quo verſu addito, integer & planus erit hic locus: alioqui lacer, muti-

lus, & obſcurus. Cùm hæc ſuperiora ſcripſiſſem, miſſum eſt ad me ab Io. Colombino, *viro docto, populari meo, exemplum Lucretianum olim Lutetiæ typis excuſum, ad cuius oram è regione huius loci adſcriptus erat hic verſus cum hac inſcriptione, & quaſi commendatione: verſus reſtitutus ex V. C.* Quæ cui iuncta viro ſit fæmina per Veneris res. *qui quidem verſus ita mihi videtur Lucretio dignus, vt non dubitem, quin ſit Lucretianus. Cùm hæc edidiſſem, Zoilus, quia non poterat negare, coniecturam meam eſſè veram, noluit verſum illum ita ſcribere,* vſque adeò magni hoc réfert, &c. *quomodo legendum cenſueram, ſi verſus,* Quæ quoi iuncta viro, &c. *non addatur, poſt hunc,* Craſſáque &c. *ſed ita,* Vſque adeò magni id réfert, &c. *ſic ſolent fures formas rerum furtiuarum immutare, ne agnoſcantur. quanquam hîc non potuit formam immutare. tantum pro, hoc, quod erat meum, id, ſubſtituit: quod reddit verſum* κακόφωνον, *ob concurſum duarum vocalium iteratarum i, i, in, magni id. Vide quid os ſuum faciat, & plumæ alienæ.*

ATQVE ADEO REFERT, &c.) *réfert verò etiam quo victu vir & fæmina vtantur.* ALIIS REBVS) *alio cibo, alióque victu.*

CONCR. SEM. MEMB.) *ſemina cum membris, vel in membris creſcunt.*

ATQVE ALIIS EXTENVANTVR) *nihil muto, tametſi duo codices ſcripti,* Faërni, & Tettij, *habeant,* Atque aliis tenuantur item: *impreſſi autē* Florent. extenuantur itémque alis: *quas lectiones ſuſpicor eſſe ab iis excogitatas, qui putarent, hunc verſum eſſe vitioſum propter verbum, extenuantur: quod conſtat quinque ſyllabis, prima longa, deinde duabus breuibus, deinde quarta longa, & poſtrema breui. Sed fugit illos, aut hîc eſſe anapaſtum pro dactylo, aut ſpondeo, aut verbum, extenuantur, hîc ita pronuntiandum eſſe, vt ſit quattuor ſyllabarum duntaxat, & u, ſit conſonans. quorum alterutrum ſæpe fieri in voce, tenuis, antè docuimus.* TABENTQVE) *id eſt, & minuuntur.*

MORE FERARVM) *hoc Veneris genus deſcribit* Naſo *lib. 3. de arte amandi.* Quæ facie præſignis erit, reſupina iaceto: Spectetur tergo, cui ſua terga placent.

QVIA SIC LOCA) *loca muliebria, i.* μήτρα. Varro *lib. 4. de lingua Lat.* Loci muliebres, vbi naſcendi initia conſiſtunt. M. Tull. *lib. 2 de nat. Deor.* Cum autem in locis ſemen inſedit, rapit omnem fere cibum ad ſeſe, eóque ſæptum fingit animal. *Inde* Lucret. *infr.* atque locis auertit ſeminis ictum. *ordo autem eſt: quia ſic poſitis pectoribus: id eſt, muliere prona & auerſa iacēte, & lumbis ſublatis, loca poſſunt ſumere ſemina virilia.* NEC MOLLES OPV' SVNT) *ſic legendum, & ita habent libri veteres. ſic loquitur in extremo.* Coniugibus quod nil noſtris opus eſſè videtur, *& ſup. item ſæpe. mendoſi igitur ſunt libri vulg. qui habent,* Nec molles proſunt. CLVNIBVS IPSA VIRI, &c.) *ſi clunium motu ipſa læta Venerem, id eſt, voluptatem viri retractet: id eſt, iterum atque iterum tractet, & viro cluneis agitanti pariter reſpondeat. ſic ſuprà,* & Venerem ſalientum læta retractat. RETRACTET) *libri veteres, retractat.*

ATQVE EXOSSATO CIET O. P.) *id eſt, omni pectore, ſeu corpore exoſſato, id eſt, ita inflexo, & incuruato, vt exoſſe videatur, fluctus cōmouet.* Apul. *lib. 1 de aſino aur.* Inque flexibus tortuoſis eneruam, & exoſſem ſaltationem explicat cum omnium, qui aderant, admiratione. *ſic* Io. Auratus *homo acerrimi ingenij, doctrinaque ſingularis, verſum illum* Heſiodi *in lib.* ἔργα, καὶ ἡμέρ. Ἤματι χειμερίῳ, ὅτ' ἀνόστεος ὃν πόδα τένδει: *qui vulgò de polypo pedem ſuum rodente intelligitur, interpretatur de homine ignauo, & inerti: qui nullo in hiemē æſtate præterita præ-*

ſidio parato,nulláque re ad vitam tolerandam prouiſa. corpore contracto domi reſidet,frigore rigens,faméque tabeſcens. In nonnullis libris legitur,exoſſatim: quod ſi cui probabitur magis, eadem tamen erit ſententia, eadémque interpretatio quadrabit. Præterea ne illud quidem lectorem celabo, cuidam docto viro, legendum videri,ciet omneis pectore fluctus.

EICIT ENIM SVLCI RECT. REG. VIA'QVE VOM. *&c.)* *hunc locum,approbãte, atque adeò adiuuante M. Antonio Mureto,feliciſsime (mea quidem ſententia) reſtitui. eſt autem totus hic ſermo* ἀλληγορικῶς,*per quem ſignificat Lucretius, mulierem clunium agitatione conceptionem ſeminis virilis prohibere, quia vomerem,id eſt,membrum virile,tali corporis motu eiicit è recta via,ac regione ſulci ſui genitalis,id eſt,partis ſuæ pudendæ, & à locis, id eſt,à ſedibus illis muliebribus auertit ſeminis virilis ictum: ſignificat id, quod vno verbo Græci dicunt, ſemen* ἀποσυβολλῆσθαι. *id eſt, non recta via in loca iaci. ſic fere Virgil. locutus eſt Georg.3. vbi de equis ſcribit. Hoc faciunt, nimio ne luxu obtuſior vſus Sit genitali aruo, & ſulcos oblimet inertes. Sic autem Arnobius partem illam fœminæ inhoneſtam, & aruum genitale, ſcrobem appellat lib.4. Etiámne Pertunda, quæ in cubiculis præſtò eſt virginalem ſcrobem effodientibus maritis? Sic Sophocles in Oedipo tyr. Oedipum ipſum de ſe loquentẽ facit.* τὴν πιοῦσαν ἤροσεν, Ὅθεν περ αὐτὸς ἐσπάρη, *id eſt,matrem ſuam arauit,ex qua ipſe ſatus eſt. ſic Plautus Aſinar. de quodam marito, qui ſcortabatur. Fundum alienũ arat, incultũ familiarẽ deſerit. Eodẽ pertinet facetiſsimi poëtæ Martialis epigrãma: quod eò libentius huc adſcribam, quòd non reperitur in libris vulgatis: ego autem in membranis calamo exaratis,cùm in Italia eſſem,repertum in meo codice typis impreſſo,ſuo loco,id eſt,libro ſeptimo,repoſui, ac reſtitui. quamquam non diſsimulabo,ab alio quodam, eóque docto viro, ex alio item exemplari manuſcripto protractum,ac prolatum eſſe. Sic igitur Martialis. Milo domi non eſt peregrè at Milone profecto, Arua vacant. vxor non minus inde parit. Cur ſit ager ſterilis: cur vxor fertilis, edam. Quo fodiatur,ager non habet: vxor habet. Iam,eicit,diſyllabum eſt,vt antè diximus. Præterea non eſt,quòd quemquam moueat tertia ſyllaba vocis,vomerem, in qua m. non eliditur. hoc enim non inuſitatum fuiſſe veteribus,etiam ſuprà docuimus. Hanc huius loci reſtitutionẽ Adriano Turnebo viro doctiſsimo, & humaniſsimo cùm oſtendiſſem, probauit ille quidem,ſed cùm videret,in omnibus libris manuſcriptis legi, Vomeris, videndum eſſe dixit, poſsitne vetus ſcriptura, nulla immutatione facta, retineri. Itaque re aliquãtiſper conſiderata, dixit mihi, fortaſſè ſeruata voce, Vomeris, hunc locum ita legi & explicari poſſe. Eicit enim, ſubintell. venerem, vel ſeminis ictum, recta ſulci regione, & recta via vomeris ſic quidem vir ille doctiſsimus: ſed, recta via vomeris, quid ſibi velit, non eſt facile expedire.*

IDQVE SVA CAVSA) *quidam, Idque, dictum putant pro, ideóque, ſeu ob ídque. duo libri manuſcripti hoc totum, Idque, habent demerſum in litura, vt fortaſſè legendum ſit, Itque, pro, Itaque. codex Vaticanus habet, Ipſáque. Quid ſi legamus, Sicque? quid ſi, Atque?* NE COMPLERENTVR, *&c.) diſciplina enim eſt ſcortis, curare ne grauidæ fiant. partus enim de mulieris forma multum detrahit. adde quòd non facile completur fœmina, niſi ſe vni dediderit, quod eſt alienum à re meretricia. Ratio autem quamobrem mulier, quæ cum pluribus rem habet, non facilè ſemen concipiat, hæc eſt: multorum virorum concubitus, & multi ſeminis complurium virorum iactus, loca muliebria plus nimio lubrica reddit.*

reddit. ex eo fit, vt ſemen virile non facilè continere poſſint.

VENERI'SQVE SAGITTIS) id eſt, Cupidinis ſagittis, qui filius Veneris eſt. alterum pro altero poſuit, vt Virgil. Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis Cyllarus. cum Cyllarus equus fuerit Caſtoris, Caſtórque eques fuerit, Pollux autem pugil. MODIS) moribus, ἔθεσι. morigeris autem, id eſt, obſequentibus, & commodis. vel dic modis morigeris, id eſt, morem gerendo viro.

ET MVNDO CORPORI' CVLTV) cum in aliquot libris manuſcriptis reperiſſem ſcriptum, culto, ſæpéque antea hic locus mihi ſuſpectus fuiſſet, propterea quòd hoc totum, &, mundo corpore culta, vt habent libri vulgati, non ſatis aptè cohærebat cum iis, quæ antecedunt: coniectura ductus ſic repoſui, & mundo corpori cultu: quæ ſcriptura ſine controuerſia, recta & germana Lucretiana eſt: altera autem, inepta, inconcinna, & propemodum non Latina. Iam quòd ad huius loci ſententiam attinet, ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς, id eſt, in rebus amatoriis, alienant amanteis immundæ, vt ſcribit M. Tull. epiſtolarum ad Attic. lib. 9. epiſt. 9.

CONCINNAT) concinnare (inquit Nonius) à cinno, potionis genere ex multis liquoribus confecto. M. Tull. orat. perf. Eſt autem quidam interiectus inter hos medius, & quaſi temperatus, nec acumine poſteriorum, nec fulmine vtens ſuperiorum, vt cinnus amborum, neutro excellens, vtriuſque particeps, vel vtriuſque, ſi verum quærimus, expers. quo loco in libris vulgatis legitur, vicinus amborum. Concinnare igitur eſt conficere, componere, & quaſi cinnum efficere.

NONNE VIDES ETIAM GVTTAS, &c.) ſic ſupr. lib. I. Stillicidi caſus lapidem cauat. & Cherilus. Πέτραν κοιλαίνει ῥανὶς ὕδατος ἐνδελεχείῃ. id eſt, Lymphæ gutta cauat lapidem perſæpe cadendo. & Propertius, niſi fallor. (nõ enim ſatis memini: & nunc aliò properans, quærere non potui.) Quid magis eſt durum ſaxo? quid mollius vnda? Dura tamen molli ſaxa cauantur aqua. Et Tibull. Eleg. 4. lib. I. Longa dies molli ſaxa peredit aqua. Et Plutarch. lib. περὶ παίδων ἀγωγῆς, σταγόνες γὰρ ὑδάτων πέτρας κοιλαίνουσι. σίδηρος δὲ καὶ χαλκὸς ταῖς ἐπαφαῖς τῶν χειρῶν ἐκτρίβεται, &c. id eſt, guttæ enim aquarum ſaxa cauant: ferrum & æs contactu manuum deteruntur.

DIONYSIVS LAMBINVS,

ADR. TVRNEBO S. D.

Ex T. Lucretij Cari libris ſex, Adriane Turnebe, quattuor iam ſunt conſumti, magniſq; & claris viris donati. reſtant duo, quintus & ſextus, iampridem tibi, & Io. Aurato, collegis meis, viris doctiſsimis, noſtræque Galliæ ornamentis, & præter collegij ipſius neceſsitudinem, mihi amiciſsimis, deſponſi, ac deſtinati. Ac de Io. Aurato quidẽ, homine ingenio, & doctrina tui ſimillimo, & pæne gemino, dicentur ea fortaſſe, quæ illo digna ſunt, ſi modò conſequi potero, cùm ad librum ſextum, qui ei debetur, ventum fuerit. nunc autem cùm ad te de te ſcribere inſtituo, & doctrinam tuam ſingularem conſidero, planè obſtupeſco. Nam ſi quando eos, qui vel noſtra, vel patrum noſtrorum ætate, ingenij, & doctrinæ gloria claruerunt, memoria repeto: video ſingulos in ſingulis diſciplinis, atque artibus vel præſtare, vel præſtitiſſe: hunc in mathematicis, illum in phyſicis: alium in philoſophia Peripatetica, alium in Platonica: illum in iure ciuili, hunc in medicina: hunc in poëtica, illum in arte dicendi: hunc in lingua Latina, illum in Græca. Te verò quibus doctrinis eruditum, quibus diſciplinis inſtitutum, quibus litteris expolitum dicam? Nam ſi te in arithmeticis, geometricis, aſtrologicis, muſicis valde exercitatum eſſe prædicabo: veriſsimũ quidem tuæ laudis teſtimonium tibi dabo: ſed reliquarum artium, ac diſciplinarum, quibus non minus excultus, atq; ornatus es, laudes tibi adimere videbor. Si te præſtantiſsimum noſtræ ætatis philoſophum eſſe contendam: nemo quidem erit mortalium, qui me refellere queat: ſed, dum tibi vnum ex multis, quæ propriè & verè tua ſunt, reddo: cetera, quæ æquè ſunt tua, tibi detrahere exiſtimabor. Si te Romanæ antiquitatis eſſe ſcientiſsimum: ſi ad litterarum Latinarum receſſus intimos, abditóſque ac penetraleis focos intraſſe confirmabo: nemo mihi verum dicenti non aſſentietur: ſed aliquis fortaſſe ſententiæ meæ ignarus, dum hoc ita tibi ſeorſum ab aliis, quæ non minus ſunt tua, tribuo: exiſtimabit te à me per ſummam iniuriam aliis tuis infinitis laudibus, atque ornamentis ſpoliari. Si te linguam Græcam ita callere, ac tenere teſtificabor, vt ſi & iis temporibus, & in iis locis, in quibus hæc lingua maxime florebat, natus eſſes: nemo me, vt mentientem, redarguere poterit: ſed mihi verendum eſt, ne dum tibi huius vnius laudis verus teſtis, & buccinator ſum, ceteras, quæ ſunt in te multò plures, & fortaſſe maiores, exiſtimer de induſtria reticere. Atqui cùm de geometricis, & geographicis ſermonem habes: totum orbem terrarum videris decempedis quibuſdam dimenſus eſſe, radióque propemodum deſcripſiſſe: Cùm de aſtris loqueris: cælum cõminus ſpectaſſe, & ſtellas ipſas dinumeraſſe: Cum Ariſtotelem interpretaris: Alexandros, Themiſtios, Simplicios, atque adeò Ariſtotelẽ ipſum ab inferis excitare: Cùm Platonem, Theophraſtum, Plutarchum, qui videntur interdum à nobis intelligi nolle, ſuſcipis explicandos: facis vt, quæ de induſtria obſcuriùs eſſe locuti videbantur, planiſsimè, atque apertiſsimè dixiſſe videantur: Cum Homerum, Sophoclem, Euripidem, Pindarum, Ariſtophanem, & ceteros poëtas interpretaris: totam ætatem in poetis legendis conſumſiſſe exiſtimaris: Cum Herodotum, Thucydidem, Polybium, & alios hiſtoricos tractas: facis, vt nullos præterea ſcriptores per omnem vitam peruolutaſſe videaris: Cum Demoſthenem, Æſchinem, Lyſiam, ceteros Græcos rhetores in manus ſumis: Athenienſis hominis iiſdẽ temporibus nati, & in eadem Repub. verſati ſpeciem præbes: Cum M. Tullij, ſiue

orationes, ſiue libros philoſophicos, ſiue epiſtolarum volumina in manibus habes: eos, qui te audiunt, in eam opinionem adducis, vt M. Tullij animam in corpus tuum immigraſſe putent: ita omneis illius admirabilis, & pæne dicam, diuini ſcriptoris locos & implicatos explicas, & obſcuros illuſtras, & corruptos, vel ſcripturæ veteris veſtigia ſecutus, vel coniectura ductus, reſtituis, atque emendas. Idem de poëtis Latinis liquidò cõfirmare poſſum. Quid dicam de tua incredibili memoria? quæ tanta eſt, vt nihil vnquam legeris, quod non tibi in animo penitus inſederit. quid de ſtudio ac diligentia? quæ tanta ſunt, vt, ſi ingenio eſſes tardiſsimo, qui contrà acumine, & ſollertia vincis omneis, tantos te in omni diſciplinarum genere progreſſus feciſſe, ſeu potius omneis ſcientiæ, doctrinæque numeros expleuiſſe minus debeat eſſe mirandum. Sed finem faciam, ne quis, cui ſis ignotus: (quanquam quis eorum, qui litteras vel ſummis digitis attigerunt, te ignorat?) verumtamen deſinam, ne cui videar initio tuas laudes hac epiſtola prædicare voluiſſe, (cùm longè alia mens, longè aliud conſilium meum fuerit) neque id præſtare, aut conſequi potuiſſe. quis enim poſsit? Nam, ne ego hæc fingere aſſentandi cauſa videar, non vereor, cùm & ij, qui tua ſcripta legerunt, & ij, qui te aliquando audiuerunt, de te ſciant, & ſentiant, iis, quæ quiſquam eorum, qui hodie viuunt, dicendo conſequi poſsit, nedum ego, multo & maiora, & ampliora. Hunc igitur librum pulcherrimarum (vt ſcis) diſputationum plenum, tibi iam promiſſum, ac deſponſum, vel vltro dono, vel optima fide perſoluo. Vale. Lutetiæ Pariſiorum, anno CIↃ. IↃ. LXIII. pridie Kalend. Nouembr.

T. LVCRETII CARI DE RERVM NATVRA,

LIBER V.

QVis potis eſt dignum pollenti pectore carmen
Cōdere, pro rerum maieſtate, hiſq; repertis?
Quiſve valet verbis tantũ, qui fundere laudes
Pro meritis eius poſſit, qui talia nobis
Pectore parta ſuo, quæſitáque præmia liquit?
Nemo (vt opinor) erit mortali corpore cretus.
Nam ſi, vt ipſa petit maieſtas cognita rerum,
Dicendum'ſt: deus ille fuit, deus, inclute Memmi,
Qui princeps vitæ rationem inuênit eam, quæ
Nunc appellatur ſapientia: quíque per artem
Fluctibus è tantis vitam, tantíſque tenebris,
In tam tranquillo, & tam clara luce locauit.
Confer enim diuina aliorum antiqua reperta.
Namque Ceres fertur fruges, Liberque liquoris
Vitigeni laticem mortalibus inſtituiſſe:
Cùm tamen his poſſet ſine rebus vita manere:

Vt fama'ſt, aliquas etiam nunc viuere genteis.
At benè non poterat ſine puro pectore viui.
Quo magis hic meritò nobis deus eſſe videtur:
Ex quo nunc etiam per magnas didita genteis
Dulcia permulcent animos ſolaria vitæ.
Herculis antiſtare autem ſi facta putabis;
Longius à vera multo ratione ferêre.
Quid Nemeæus enim nobis nunc magnus hiatus
Ille leonis obeſſet, & horrens Arcadius ſus?
Denique quid Cretæ taurus, Lernæáque peſtis
Hydra venenatis poſſet vallata colubris?
Quídve tripectora tergemini vis Geryonaï?
Et Diomedis equi ſpirantes naribus ignem,
Thracen, Biſtoniáſque plagas, atque Iſmara propter,
Tantopere officerent nobis? vncisque timendæ
Vnguibus Arcadiæ volucres Stymphâla colentes?
Aureáque Heſperidum ſeruans fulgentia mâla
Aſper, acerba tuens, immani corpore ſerpens,
Arboris amplexus ſtirpem, quid denique obeſſet,
Propter Atlantæum litus, pelagéque ſeuera,
Quò neque noſter adit quiſquam, neque Barbarus audet?
Cetera de genere hoc quæ ſunt portenta peremta,
Si non victa forent, quid tandem viua nocerent?
Nil, vt opinor. ita ad ſatiatem terra ferarum
Nunc etiam ſcatit, & trepido terrore repleta'ſt
Per nemora ac monteis magnos, ſiluáſque profundas:
Quæ loca vitandi plerumque eſt noſtra poteſtas.
At niſi purgatum'ſt pectus, quæ prœlia nobis,
Atque pericula tunc ingratis inſinuandum?
Quantæ conſcindunt hominem cuppedinis acres
Sollicitum curæ? quantiq; perinde timores?
Quid've ſuperbia, ſpurcities, petulantia, quantas
Efficiunt cladeis? quid luxus, deſidiéſque?

POLLENTI) *codex* Bert. *habet, palanti: alius, patanti. vnde quid ſi quis faciat, præſtanti?* PRO RERVM MAIESTATE, HISQVE REPERTIS?) *cùm in libris vulgatis omnibus impreſſum eſſet, maieſtatiſq; repertis, in manuſcriptis autem partim ita ſcriptum reperiſſem, maieſtate, hiſque repertis, partim ita: maieſtate, atque repertis: ego illo potius modo excudendum curaui, non repugnaturus, ſi quis altero modo: maieſtate, atque repertis, reponat.*

QVI FVNDERE LAVDES) *libri aliquot manuſcripti habēt, quis fingere.*

aut, quis findere: nõnulli, quis figere: vulgati, partim, quis fundere, partim, qui fundere. quæ ſcripturæ omnes deprauatæ videtur, niſi forte, qui fundere, retinendũ eſt. Nam primùm illud. Quis ve valet verbis tantùm, per ſe poſitum, nouum & inuſitatum eſt. debet enim ſubſequi aliquid tale, vt eius laudes deſcribere poßit, aut quippiam aliud ſimile: deinde hoc totum, quis fingere laudes, &c. non ſincerum ſonat. ſignificat enim, veras laudes non futuras. At nónne ridiculum eſt profiteri ſe aliquẽ falſis laudibus ornare velle? Hæc cùm mecum ipſe conſiderarem, exiſtimabam ſic aptißimè, & commodißimè poſſe legi, Quis ve valet verbis tantùm, vt depingere laudes, &c. Vel, vt deſcribere laudes, &c. Sed cùm hæ coniecturæ nimiùm longè diſtarent à ſcriptura & vulgata, & antiqua, neutram earum ſum auſus recipere; maluíque vnam ex vulgatis tueri, ac retinere, qui fundere laudes, &c. vt fundere laudes, intelligamus eſſe trãſlatè dictum, quo modo illud lib. I. ſuaueis ex ore loquelas Funde: & infrà non longè, fundere fata: à Cicerone, & Terentio, & aliis, fundere verba, verſus, orationem, voces, &c. Licet etiam per me ſic legere, Quis' ve valet tantùm verbis, vt fundere laudes, &c.

MORT. CORP. CRETVS) *cretus, id eſt, creatus. hunc locum grauiter, atque acriter exagitat Lactant. lib. 3 de falſa ſapientia.*

NAM SI, VT IPSA) *nam ſi vt, dactylus eſt, neque i. vocalis eliditur: quod ſæpe aliàs fieri admonuimus. ſic inf. eod. lib. terrarum qui in orbi ſancta tuetur Fana, &c.* DEVS ILLE FVIT) *libri manuſcr habent Deus ipſe fuit,*

PRINCEPS) *primus. ſic lib. I. Quòd patrio princeps donarat nomine regem. Nonnulli vel ex hoc loco colligunt, nõ ſignificari Epicurum, ſed alium antiquiorem, ſiue Pythagoram, ſiue Socratem, ſiue vnum aliquem è ſeptem, ſiue ipſum Thaletem. Firmianus lib. 3. de falſa ſapientia, cap. 14. Vnde apparet, eum (inquit) aut Pythagoram laudare, qui ſe primus, (vt dixi) philoſophum nominauit: aut Mileſium Thaletem, qui de rerum natura primus traditur diſputaſſe.*

NVNC APPELL. SAPIENTIA.) *ſic Ennius lib. 7. ex Feſto: Nec quiſquam ſophiam, ſapientia quæ perhibetur, In ſomnis vidit priu' quàm ſam diſcere cœpit. Sic enim primum verſum emendaui. in ſecundo autem verſu, ſam, idem valet, quod eam. Sed quod ad huius loci ſententiam attinet, eam maxime illuſtrant ea, quæ loquitur Torquatus apud M Tull. lib. I. de finib. his verbis. Nam cùm ignoratione rerum bonarum, & malarum maxime hominum vita vexetur, ob eúmque errorem & voluptatibus maximis ſæpe priuentur, & prauißimis animi doloribus torqueantur, ſapientia eſt adhibenda, quæ & terroribus, cupiditatibúſque detractis, & omnium falſarum opinionum temeritate derepta, certißimam ſe nobis ducem præbeat ad voluptatem. Sapientia enim eſt vna, quæ mæſtitiam pellat ex animis, quæ nos exhorreſcere metu non ſinat: qua præceptrice in tranquillitate viui poteſt, omnium cupiditatum ardore reſtincto.*

IN TAM TRANQVILLO, ET T. CL. LVCE LOC.) *vide vt paria paribus reddiderit: è fluctibus in tranquillo, è tenebris in luce vitam locauit. Errant autem, qui legendum cenſent, in tam tranquilla, quaſi cohærere debeat cum voce, luce. ſic enim dicimus, eſſe in tranquillo, & referri in tranquillum. Lucill. Quódque te in tranquillum ex ſæuis transfert tempeſtatibus. Ex Nonio, in nomine, ſæuus. M. Tull. de offic. lib. I. Quare in tranquillo tempeſtatem aduerſam optare dementis eſt: ſubuenire autem tempeſtati quauis ratione, ſapientis.*

NAMQVE CERES, *Cùm multa de Cerere tradita ſint à veterib. tũ hoc vnũ*

non videtur hoc loco prætermittendum, quod ſcriptum reliquit Diod. Siculus lib. 5. Οὐκ ἄξιον δὲ παραλιπεῖν τῆς θεοῦ ταύτης τὴν ὑπερβολὴν τῆς εἰς τοὺς ἀνθρώπους εὐεργεσίας. χωρὶς γὰρ τῆς εὑρέσεως τοῦ σίτου, τήν τε κατεργασίαν αὐτοῦ τοὺς ἀνθρώπους ἐδίδαξε, καὶ νόμους εἰσηγήσατο, καθ' οὓς δικαιοπραγεῖν εἰθίσθησαν. δι' ἣν αἰτίαν φασὶν αὐτὴν θεσμοφόρον ἐπονομασθῆναι. τούτων δὲ τῶν εὑρημάτων οὐκ ἄν τις ἑτέρας εὐεργεσίας εὕροι μείζονας. καὶ γὰρ τὸ ζῆν, καὶ τὸ καλῶς ζῆν περιέχουσι. id eſt, non eſt autem prætereundum huius Deæ (Cereris) immenſum in homines beneficium. Nam præter quàm quòd frumentum inuênit, etiam eius ſubigendi rationem docuit, & leges dedit, quibus iuſtitiam colere didicerunt. Atque ob hanc cauſam dicunt eam legiferam eſſe nominatam. His autem beneficiis nullum maius reperiri poteſt. Nam & viuendi, & benè viuendi rationem continent. Virgil. Æneid. 4 mactant lectas de more bidenteis Legiferæ Cereri, Phœbóq;, patrique Lyæo. Idem lib. 1. Georg Prima Ceres ferro mortaleis vertere terram Inſtituit, cum iam glandeis Dodona negaret. Et Orpheus. Γῆ μήτηρ πάντων, Δημήτηρ πλουτοδότειρα: id eſt Tellus omniparens, largitrix diuitiarum alma Ceres Sic fere Arnobius lib. 1. aduerſ. Genteis. Si enim vos Liberum, quòd vſum reperit vini, ſi quòd panis, Cererem: ſi Æſculapium, quòd herbarum: ſi Mineruam, quòd oleæ: ſi Triptolemum, quòd aratri: ſi denique Herculem, quòd feras, quòd fures, quòd multiplicium capitum ſuperauit, compeſcuitque natrices, diuorum retuliſtis in cœtum: honoribus quantis afficiendus eſt nobis, qui ab erroribus nos magnis, inſinuata veritate, reduxit? qui velut cæcos, paſſim, ac ſine vllo rectore gradiẽteis ab deruptis, ab deuiis, locis, planioribus reddidit? LIBE'RQVE LIQV. VIT. L.) liquoris vitigeni laticem: id eſt vinum. Virgil. lib. 1. Georg. Liber & alma Ceres veſtro ſi munere tellus Chaoniam pingui glandem mutauit ariſta: Poculáque inuentis Acheloïa miſcuit vuis. de Baccho cùm multa Diodorus Siculus, lib. 1. tùm ibidem eundem Oſirin atque Bacchum fuiſſe narrat: multa ſimiliter & lib. 2. 3. 4.

VT FAMA EST, ALIQVAS) lege Diodorum Siculum lib. 3 de iis populis, qui oram ſinus Arabici, & Troglodyticam regionẽ, & Æthiopiam Auſtralem, ac meridionalem incolunt: quorum alij piſcibus, alij teſtudinibus, alij radicibus, alij frondibus, & ſeminibus, & fructibus arborum, & gramine, alij locuſtis veſcuntur, neque vſum, aut naturam frugum nouerunt.

AT BENE NON POT. SINE P.) quia, Sincerum eſt niſi vas, quodcumque infundis aceſcit, vt ait Horatius noſter. & idem, valeat (inquit) poſſeſſor oportet, Si comportatis rebus bene cogitat vti. DIDITA) diſperſa.

SOLATIA VITÆ) ſic lib. VI. princip. Et primæ dederũt ſolatia dulcia vitæ.

ANTISTARE) anteire, antecellere. Vſus eſt eodem verbo & Catullus. Ad Verannium. Veranni, omnibus è meis amicis Antiſtans mihi millibus trecentis. ſic enim legunt nonnulli, cùm vulgò legatur, Antiſtes mihi millib. tr.

FERERE ſic habent duo libri manuſcripti, & ita vulgati. alij, ferêris. nihil réfert. QVID NEMEÆVS) perſequitur aliquot Herculis labores: quorum primus fuit Leo Nemeæus, magnitudine inuſitata, neque ferro, neque ære, neque ſaxo vulnerabilis, ſed ſola vi manuum violabilis. Leonis autem hiatus περιφερεστατῶς, id eſt, leo. Sic apud Plautũ in Perſa, ſtatim ab initio, Toxilus ille ait, eum, qui amans egens princeps ingreſſus eſt in amoris vias, ſuperaſſe ærumnis ſuis ærumnas Herculis. deinde aliquot Herculis labores enumerans, Nam cum leone, & cum excetra, cum ceruo, cum apro Ætolico, cum auibus Stymphalicis, cum Antæo deluctari mauelim, Quàm cum amore, &c.

ET HORRENS ARCADIVS SVS) *aper Erimanthius: qui tertius labor fuit. non enim ordinem ſeruat Lucretius. Sic autem Virgilius, ſuem horridum dixit lib. 3. Georg. Fiet enim ſubitò ſus horridus.*

CRETÆ TAVRVS) *quem Paſiphaë adamauit, ex quo natus eſt Minotaurus. quam de Paſiphaë fabulam tractat Virgilius in Sileno. ibi, Paſiphaën niuei ſolatur amore iuuenci. Ah virgo infelix, quæ te dementia cepit? &c. hic autem labor fuit ſeptimus.* LERN. Q. P. HYDRA) *cuius erant ceruices centum, totidémque ſerpentium capita: quorum vno abſciſſo, duo renaſcebantur.*

VALLATA) *cincta tanquam vallo.* QVIDVE TRIP. TERG.) *Geryo, ſeu Geryones, Chryſaoris Iberiæ regis, filius, tergeminus, & ter amplus, & triceps, & tricorpor ideò à poëtis dictus, quia tres fratres erant, viribus corporis præſtantes. Virgil. lib 8. Tergemini nece Geryonis, ſpoliíſque ſuperbus. Horat. od. 14. lib. 1. qui ter amplum Geryonen, Tityónque triſti Compeſcit vnda. de hoc lege Pauſan. Attic. & Eliac. & Diod Sicul lib. 4. fuit autem hic decimus labor.*

ET DIOMEDIS EQVI) *hic fuit octauus. Diomedis ſiue equi, ſiue equæ* χαλκᾶς φάτνας ἔχειν διὰ τὴν ἀγριότητα, *&c. (inquit Diodor Sic.) id eſt, ærea præſepia habebant propter immanitatem, ac feritatem, catenis ferreis propter roboris præſtantiam vinciebantur: alebantur autem non hordeo, aut auena, aut alio cibo è terra natū, ſed corporibus humanis membratim diſcerptis, ac dilaceratis. Virgilius lib. 10. Non Diomedis equos, non currum cernis Achillis? Sed Diomedes ille, alius eſt ab hoc.*

THRACEN,) *propter Thracen, id eſt, prope Thraciam. erat enim hic Diomedes, Thrax, ſeu Threx.* BISTONIASQVE) *Thracias à Biſtonia vrbe, vel à ſtagno Biſtone. ex quo Biſtonides. Horat. od. 19. lib. 2. Biſtonidum ſine fraude crines.*

ARCAD. VOLVC. STYMPH. COL.) *hic fuit quintus. Stymphalus, vrbis, & montis nomen in Arcadia, & Stymphalis palus: vnde Stymphalides aues, quæ magnitudine gruibus pares erant (vt tradit Pauſan. Arcad.) figura ibibus ſimiles: roſtra habebant ita ſolida & dura, vt arma penetrarent: ſuberi autem ſoli cedebant. Stymphalia mōſtra appellat Catull. carm. ad Manlium. Tempore, quo certa Stymphalia monſtra ſagitta Perculit imperio deterioris heri. eas aueis ſagittis ſuis cōfixit Hercules, vt declarant verſus Catulli, & tradit Pauſan. Arcad. Sed Diodorus Siculus ſcribit libro quarto, eum conſtructo æneo crepitaculo, & ingenti per id ſonitu excitato illas abegiſſe.* AVREAQVE HESPERIDVM.) *Duodecimus hic fuit Herculi labor iniunctus ab Euryſtheo, vt ex hortis Heſperidum mâla aurea, ſeu oueis aureas aſportaret. (nam* μῆλον *apud Græcos vtrumque ſignificat.) quorum cuſtos erat draco peruigil. de hoc autem dracone, & de Heſperidibus lege Diodorum Sic. lib 4 Virgil. Æneid. 4. monſtrata ſacerdos, Heſperidum templi cuſtos, epuláſque draconi Quæ dabat, & ſacros ſeruabat in arbore ramos. Ordo autem eſt hic, & hæc ſententia: Et ſerpens ille, ſiue draco, ſeruans aurea mala Heſperidum, aſper, horribili adſpectu, immani corpore, arborem amplexus, quid tandē obeſſet, iuxta litus Atlantæum, id eſt, maris Atlantici, ad quod neque quiſquam Romanus adit, neque quiſquam barbarus audet adire?*

ACERBA TVENS,) *acerbo adſpectu, acerbè intuens. imitatus eſt Virgilius Georg. 3. Aſper, acerba ſonans.* STIRPEM) *truncum. Virgil. Æneid. 12. lentóq; in ſtirpe moratus. ibidem, Cùm ſemel in ſiluis imo de ſtirpe reciſum Matre caret.*

PROPTER ATLANTÆVM LITVS) *cùm in omnibus libris manuſcriptis, quos quidem viderim, Vaticano, Tett. Faërn. Bertin Memm. ſcriptū reperiſſem,*

Propter Atianeum litus, in vulgatis autem, Oceani propter litus, déq; hac ſcripturæ diſsimilitudine cum Adr. Turnebo communicaſſem, meámque ſuſpicionem & coniecturam ei aperuiſſem, quam faciebam ex antiqua ſcriptura, cùm dicerem, in voce, Atianeum ineſſe aliquid vlceris: & fortaſſe maris Atlantici litus ſignificari: ille meam ſuſpicionem comprobans, ſic legendum eſſe iudicauit, Propter Atlantæum litus: atque ita excudendum curaui, leui immutatione facta ſcripturæ veteris, nempe mutato i. in l. & ex e. vocali, facta diphthongo æ. & addito t. quæ emendatio minimè violenta eſt. Quòd autem in ſecunda editione, vulgata lectio retenta eſt, huius facti culpam typographus ſuſtinere debet.

PELAGEQVE SEVERA) ſic habent libri quinque manuſcripti. per pelage ſeuera autem, intellige non nauigabilia, & quæ non præbent ſe nauigantibus placata, aut facilia, ſed infeſta, & inimica. Sic Plautus in Trinummo, Neptunum ſeuerũ dicit. Sic enim ille. Namque te omnes ſæuúmque, ſeuerúmque, atque auidis morib. commemorant: ſic Virgil. lib. 3. Georg. non longè à princip. Inuidia infelix Furias, amnémque ſeuerum Cocyti metuet. Iterum Plautus Ciſtell. Hau, voluiſti iſtuc ſeuerum facere? quo loco, Melænis meretrix Alceſimarchum adoleſcentem alloquitur, qui ſe, ferrum tenens, interficere voluerat. Licet tamen fortaſſe legere, ſonora, vt habent libri vulgati nonnulli. qua de re iudicent eruditi: ego interea nihil muto. Vide ſuprà lib. 4 ſeuera ſilentia noctis Vndique cùm conſtant, &c. pelage autem Græcũ eſt, πελάγη, vt μέλη mele ſic lib. 6. At pelage multa, & latè ſubſtrata videmus.

NAM AD SATIATEM) nam etiam hodie ad ſatietatem, πρὸς κόρον: id eſt valde, repleta eſt terra ferarum. de hac voce alibi.

SCATIT) ſic legendum, & ita habent libri aliquot manuſcripti, non ſcatet. ſic infrà, Largifluum fontem ſcátere, atque erumpere flumen. ſic apud hunc, fulgit, feruit, &c. codex Bertinianus tamen, & Memm. habent. Nunc etiam ſonet. vnde quidam faciũt, ſenet. quo verbo vtitur & Catullus, carm ad Faſelũ. nunc recõdita Senet quiete. QVÆ PROELIA, NOB. ATQVE PER. TVNC INGRAT. INSINVANDVM,) id eſt, quæ tunc prœlia inire, quæque pericula adire nos oportet vel inuitos? inſinuãdum: ſubintellige, eſt: id eſt, inſinuare, & ſubire nos oportet ingratiis: id eſt velimus, nolimus. ſic ſuprà lib. 3. extr. at, quod ſcilicet, (vt ſit) Effugere haud potis eſt, ingratiis hæret, & angit. ad quem verſum notauimus, ingratiis, nomen eſſe potius, quàm aduerbium. quod ſi cui adhuc minus probatum, aut perſuaſum ſit: fidem fecerit, opinor, illud Plautinum, Mercatore, tuis ingratiis. in ſcena, cuius principium eſt, Pentheum diripuiſſe, &c. Cum in libris omnibus legeretur: Atque pericula ſunt ingr. &c. ego, Atque pericula tunc, repoſui: quæ ſcriptura ſine controuerſia recta eſt: altera autem, deprauata. Hunc locum Zoilus, ab ingenio & inſtituto ſuo non diſcedens, ſecutus eſt tacitus, & diſsimulans, tamquam integrum in aliis libris repertum, & non à me emendatum.

CVPPEDINIS,) id eſt, cupiditatis. idem lib. 6. princip. Et finem ſtatuit cuppedinis, atque timoris. & ſup. lib. 4. Tam magis ardeſcit illa cuppedine pectus: & itẽ ſæpe. Cupiditates (inquit M. Tull. de Finib.) ſunt inſatiabiles, quæ non modò ſingulos homines, ſed vniuerſas familias euertunt: totam etiam labefactant ſæpe remp. Ex cupiditatibus, odia, diſsidia, diſcordiæ, ſeditiones, bella naſcuntur. Ibidem ſub perſona Torquati dicit, Epicurum tria genera cupiditatum poſuiſſe: vnum earum, quæ eſſent & naturales, & neceſſariæ: alterum earum, quæ naturales eſſent, nec tamen neceſſariæ: tertium earum, quæ nec naturales eſſent, nec neceſſariæ, &c.

PERIN-

PERINDE *ſimiliter* SPVRCI[illegible] PET.) *quidā libri habent, ſpurcities, petulantia &c. ἀσωδίτως. nos* [illegible] *in aliis eſt, ſpurcitia, ac petulantia, &c. minus rectè.*

Hæc igitur qui cuncta ſubegerit, ex animóque
Expulerit dictis, non armis: nónne decebit,
Hunc hominem numero diuûm dignarier eſſe?
Cùm bene præſertim multa, ac diuinitus ipſis
Immortalibu' de diuis dare dicta ſuërit:
Atque omnem rerum naturam pandere dictis.
Quoius ego ingreſſus veſtigia, nunc rationes
Perſequor: ac doceo dictis, quo quæque creata
Fœdere ſint, in eo quàm ſit durare neceſſum:
Nec validas æui valeant reſcindere leges.
Quo genere in primis animi natura reperta'ſt,
Natiuo primùm conſiſtere corpore creta:
Nec poſſe incolumis magnum durare per æuum:
Sed ſimulacra ſolere in ſomnis fallere mentem,
Cernere cùm videamur eum, quem vita reliquit.
Quod ſupereſt, nunc me huc rationis detulit ordo,
Vt mihi, mortali conſiſtere corpore mundum,
Natiuúmque ſimul, ratio reddunda ſit, eſſe:
Et quibus ille modis congreſſus materiai
Fundarit terram, cælum, mare, ſidera, ſolem,
Lunaĩq; globum: tum quæ tellure animantes
Exſtiterint: & quæ nullo ſint tempore natæ:
Quóve modo genus humanum variante loquela
Cœperit inter ſe veſci per nomina rerum:
Et quibus ille modis diuûm metus inſinuarit
Pectora, terrarum qui in orbi ſancta tuetur
Fana, lacus, lucos, aras, ſimulacráque diuûm.
Præterea ſolis curſus, lunæq́ue meatus
Expediam, qua vi flectat natura gubernans:
Ne forrè hîc inter cælum, terrámque reamur
Libera ſponte ſua curſus luſtrare peremneis,
Morigera ad fruges augendas, atque animanteis:
Néve aliqua diuûm volui ratione putemus.
Nam, bene qui didicere deos ſecurum agere æuum,
Si tamen interea mirantur, qua ratione
Quæque geri poſſint, præſertim rebus in illis,

Quæ ſupera caput ætheriis cernuntur in oris:
Rurſus in antiquas referuntur relligiones,
Et dominos acreis adſciſcunt, omnia poſſe
Quos miſeri credunt, ignari quid queat eſſe,
Quid nequeat: finita poteſtas denique quoique
Quánam ſit ratione, atque altè terminus hærens.

SVBEGERIT) *Horat. lib. 2. epiſt. 1. Notáque fatali portenta labore ſubegit.*

DICTIS NON ARMIS) *id eſt, verbis & rationibus, non ferro, neque telis, neque corporis viribus, vt Hercules. Sic M. Tull. lib. 1. de natura deorũ, non longè ab extr. At quomodo in his loquitur? vt Coruncanium, aut Scæuulam põtifices maximos te audire dicas, non eum, qui ſuſtulerit omnem funditus religionem: nec manibus, vt Xerxes, ſed rationibus, deorum immortalium templa & aras euerterit. Quamquam Herculem illum Gallicum Galli illi exiſtimabant plura confeciſſe lingua, ratione, & conſilio, quàm viribus, lacertis, & ferro.*

HVNC HOMINEM) *ſiue Pythagoram, ſiue Thaletem, vt vult Firmianus.*

NVMERO DIVVM DIGN.) *profectò decebit. Nam cùm animi ratio nobis ſit cum diis communis, corporis vires verò cum beſtiis: is, qui viribus & lacertis, & armis vrbem expugnat, & res magnas gerit, parum differt à bellua. Qui verò ratione & conſilio, & oratione rerum potitur, & res magnas adminiſtrat, is hominis proprio munere fungitur. Quare laudandi ſunt Lacedæmonij, qui cùm alioqui eſſent militares, & bellicoſi, legibúſque fere omnibus vterentur ad rem militarem comparatis, tamen ei, qui rem aliquam præclaram, & laudabilem conſilio & ratione adminiſtraſſet, ac perfeciſſet, maiorem laudem, quàm ei qui viribus & armis, tribuebant. Itaque re bene geſta hic gallum: ille bouem immolabat. teſtis Plutarchus in Marcello.* IMMORTALIBV' DE DIVIS) *ſic reſtitui, vſum, & conſuetudinem Latini ſermonis ſecutus. Nam ſic loquuntur Latini: ſermo de diuis: dicta, ſeu verba de diuis.*

PANDERE DICTIS) *ſic lib. 1. & rerum naturam pandere dictis.*

QVOIVS EGO INGRESSVS VEST. NVNC R.) *Olim in prima editione, cùm ſcripturam receptam, &, quæ in omnibus ferè libris vulgatis reperitur, ſecutus eſſem: Cuius ego ingreſſus veſt. dum rat. perſ. ſecutus eſſem: ſcripſeram, hunc verſum pertinere, & referẽdum eſſe ad verſum abhinc decimum: cuius principium eſt, Quod ſupereſt, nunc huc rat. det. Et eſſe ἀνακόλουθον propter longũ hyperbaton. Sic enim videri Lucretium loqui debuiſſe: Cuius me ingreſſum veſtigia, dum rationes perſequor, &c. Quod ſupereſt nũc huc ration. detul. ordo, &c. Alioqui quomodo illud, Cuius ego ingreſſus veſtigia, aptè cohærere poſsit cum his, Quod ſupereſt nunc huc, &c. non facilè expediri poſſe. Itaque ſic putaueram eſſe ſcribẽdũ: & verò ſic à Lucretio eſſe ſcriptum: Cuius me ingreſſum veſtigia. Poſtea, re attentius conſiderata, & libris omnibus de integro conſultis: cùm in vno, atque altero lib. manuſcripto, & in aliquot vulgatis, ita reperiſſem: Cuius ego ingreſſus veſtigia, nunc rationes perſequor: hanc eſſe veram & rectam ſcripturam iudicaui. quã probata, nihil iam erit ἀνακόλουθον. nullum hyperbaton. ſequetur enim decem poſt verſibus. Quod ſupereſt, nunc huc, &c. per ſe, & ſeparatim legendum, atque accipiendum, neque, vt ab hoc loco pendens, intelligendum.*

QVO GENERE IN PR.) *lib.3.* NEC POSSE INCOLVMIS) *ſic lib.3. Non modò non omne incolumis durare per æuum, Sed minimum quoduis neq. conſ. temp. vel, vt in omnibus libri leguur, Non modo non omnẽ , ꝑßit dur. per æuum, &c. Quod autem hic nõnulli libri vulgati habẽt, Nec poſſe inco- lumem, &c. mendoſi ſunt: & legendum, Nec poſſe incolumis, &c. quo modo edendũ curaui. Nam præterquàm quòd veteres codices aliquot hanc lectionem confirmãt, etiam ratio adiuuat. Hic enim eſt ordo verborum. Et reperta eſt anima non modò nõ poſſe incolumis o.d.p æu. Sed ſimulacra in ſomnis mentem fallere reperta ſunt.*

CERNERE VTI VID.) *Cùm in codice Vaticano ſcriptũ reperiſſem, Cernere vt videamur, &c. ego ſic repoſui, Cernere vti vid. Nam vulgati codices habent, Cernere cùm videamur, &c.*

QVOD SVPEREST) *Nunc inſtituit docere, mundum eſſe natum, & interiturum. Scripſeram antẽ olim, hunc verſum pendére ab illo verſu, qui eſt ſup. Cuius ego ingreſſus veſtigia, dum rationes Perſequor, &c. vt vulgo legitur. hócque addideram. fortaſſe ſic eſſe legendum, Cuius me ingreſſum veſtigia, dum rat. Perſ. &c. Nunc autem nihil opus eſt immutare, ſi ita legatur, vt edidimus, Cuius ego ingreſſus veſtigia, nunc rationes Perſequor, &c. neq; hac lectione probata, hic verſus, Quod ſupereſt, &c. ab illo pendebit: ſed per ſe legetur, vt diximus. Porrò quòd ad huius loci ſententiam attinet, Plato mundum natum quidem facit, non tamen interiturum: non quòd natura ſua ſit ſempiternus, aut quòd neget, id omne, quod oritur, interire: ſed propter bonitatem opificis dei, qui nolit opus tam præclarum, ac perfectum diſſolui. Ariſtoteles putat neque eſſe natum, neque interiturum. Epicurus & natum, & interiturum. quicquid enim natum ſit, etiam interire. ſic Arnobius lib.2. Mundũ quidam ex ſapientibus exiſtimant neque eſſe natum, neque vllo tempore periturũ: immortalem nonnulli, quamuis eum conſcribant eſſe natum & genitum. Tertiis collibitum dicere eſt, & eſſe natum, & genitum & ordinaria neceßitate periturum. Quomodo autẽ mũdus ex corporibus primis cõflatus & cõcretus ſit, docebit infrà eodem lib ibi. Sed quibus ille modis congreſſus materiaï Fundarit cælum, &c.*

CONGRESSVS MATERIAI) *concilium primorum corporum, coitus, & cœtus primordiorum.*

COEPERIT INTER SE VESCI) *ſic reſtitui, partim ſecutus fidem codicum manuſcriptorum: partim Nonij Marcelli teſtimonio adductus, qui ſic legit hunc verſum, & veſci; interpretatur, vti. Veſci (inquit ille) etiam ſignificat vti. Virgil. Æneid.1. Quem ſi fata virum ſeruant, ſi veſcitur aura Ætheria. Lucret. lib 5. Quóve modo, &c. Pacuuius. fugimus, qui arte hac veſcimur. Idem arm. iudicio. Qui viget, veſcatur armis, & percipiat præmium. Etiam huius loci emendationem ſequitur, & tacitus probat Zoilus, eam præteriens, tãquam lectionem vulgatam, & in omnibus libris repertam: cùm libri vulgati habeant, inter ſe noſci, & cet.*

TERRARVM QVI IN ORBI) *in prouocabulo, qui, i vocalis non eliditur, & corripitur: quod non eſſe nouum ſæpe admonuimus. qui deorum metus (inquit) tuetur deorum fana, lacus, lucos, aras, ſimulacra: id eſt, facit, vt homines fana, &c. quæ ſuprà diximus, diis immortalibus conſecrent.*

NATVRA GVBERNANS) *ſic infrà paucis pòſt verſibus. Quod procul à nobis flectat fortuna gubernans: vel, vt aliis in libris legitur, natura gubernans. Sed nonne hæc pugnant inter ſe, deos facere otioſos, aut negare, eos curam habere*

rerum humanarum, & ponere naturam gubernantem? Non pugnant. Vult enim Epicurus, deos eſſe beatos: beatos autem eſſè non poſſe exiſtimat, niſi ſint ab omnibus negotiis vacui ac ſoluti: multo igitur minus, ſi mundum regant, & curis rerum humanarum implicentur. naturam autem ponere gubernantem, non pugnat cum illa opinione, deos omni cura, & negotio eſſè vacuos ac ſolutos. Hoc enim ſignificat, nullum alium eſſe huius mundi gubernatorem, quàm naturam. Sic Minucius in Oct. Etiam Epicurus ille, qui deos otioſos fingit, naturam tamen ſuperponit.

NE FORTE HÆC) *ſic habent libri manuſcrip. quinque. hæc, autem, nempe ſolem, & lunam. vulgati porrò habent, Ne forte hîc.*

MORIGERA) *obſequentia, ſeſe accommodantia.*

NE'VE ALIQVA DIVVM) *Diogen. Laërt.* Καὶ ἡ θεία δύναμις πρὸς ταῦτα μὴ προσαγέσθω· ἀλλ' ἀλειτούργητος διατηρείσθω, καὶ ἐν τῇ πάσῃ μακαριότητι. ὡς εἰ μὴ τοῦτο προσαχθήσεται, ἅπασα ἡ περὶ τῶν μετεώρων αἰτιολογία ματαία ἔσται. *id eſt: Et diuina poteſtas ad hæc ne adhibeatur: ſed adminiſtrationis, & functionis omnis expers ſeruetur. Nam ſi hoc non fiet, tota, quæ de rebus ſuperis redditur ratio, inanis erit.*

NAM BENE QVI DID. DEOS SEC.) *hic verſus, & nouem deinceps ſubſequentes, iterantur non longè à principio libri ſexti.*

SECVRVM AGERE ÆVVM) *ſecurè viuere. ex hoc illud Horatianum ſumtum eſt ſaty. 5. lib. 1. namque deos didici ſecurum agere æuum. ſic ſup. lib. 1. & 2. Omnis enim per ſe diuûm natura neceſſe'ſt Immortali æuo ſumma cũ pace fruatur, &c.* ET DOMINOS ACREIS ADSCISCVNT) *nempe deos: quos, dominos ſuperbos appellat lib. 2. non admodum longe ab extremo. Quæ bene cognita ſi teneas, natura videtur Libera continuò dominis priuata ſuperbis, &c. ſic M. Tullius lib. 1. de natura deorum. Itaque impoſuiſtis ceruicibus noſtris ſempiternum dominũ: quem dies & noctes timeremus. Quis enim non timeat omnia prouidentem, & cogitantem, & animaduertentem, & omnia ad ſe pertinere putantem, curioſum, & plenum negotij deum?*

QVÆQVE GERI) *id eſt, à natura gubernante adminiſtrari. licet etiam legere, geni, id eſt, gigni. ſed nihil muto.* QVANAM SIT RATIONE) *hic verſus cum ſuperiore iteratur lib. 1. & lib 6.*

Quod ſupereſt, ne te in promiſſis plura moremur,
Principiò, maria ac terras, cælúmque tuêre:
Horum naturam triplicem, tria corpora, Memmi,
Treis ſpecies tam diſſimileis, tria talia texta,
Vna dies dabit exitio: multóſque per annos
Suſtentata ruet moles, & machina mundi.
Nec me animi fallit, quàm res noua, miráque menti
Accidat, exitium cæli, terræq; futurum:
Et quàm difficile id mihi ſit peruincere dictis:
Vt fit, vbi inſolitam rem adportes auribus antè,
Nec tamen hanc poſſis oculorum ſubdere viſu,
Nec iácere indu manus, via quà munita fidéij
Proxima fert humanum in pectus, templáque mentis.

Sed tamen effabor: dictis dabit ipſa fidem res
Forſitan, & grauiter terrarum motibus orbis
Omnia conquaſſari in paruo tempore cernes:
Quod procul à nobis flectat fortuna gubernans:
Et ratio potius, quàm res perſuadeat ipſa,
Succidere horriſono poſſe omnia victa fragore.

NE TE IN PROMISSIS PL. M.) *quidam viri docti cenſent delendam præpoſitionem, in.* TVERE) *intuere, aſpice.*

HORVM NATVRAM, &c.) *ſic neceſſariò legendum. nam in vulgatis legitur, Quorum naturam, &c.* Hanc etiam meam coniecturam comprobat Zoilus *re tantum, non etiam verbo.* TREIS SPECIES, &c.) *hunc verſum profert* Nonius *in voce, textus.* VNA DIES DABIT) *idem lib. 2. extr. Sic igitur magni quoque circum mœnia mundi Expugnata dabunt labem, putreíſque ruinas. Idem infr. eod. lib. At non multa virûm ſub ſignis millia ducta Vna dies dabat exitio, &c. hoc æmulatus eſt* Ouidius *his verſibus: Carmina ſublimis tunc ſunt moritura* Lucreti, *Exitio terras cùm dabit vna dies. Quòd autem ad huius mundi interitum attinet, tum id fore nonnulli tradiderunt, cùm ſeptem errantia ſidera in vnum ex* XII. *animalibus, quæ ſunt in circulo ſignifero* (Græci ζωδιακὸν nominãt) *coierint, & conuenerint: idque per deorum pugnam, quæ deſcripta eſt ab* Hom. *lib. iliad.* Y. *ſignificari volunt. in ea enim concurrunt* Apollò, Diana, Venus, Mars, Mercurius, *eiuſque pugnæ ſpectator* Iupiter *fingitur.* Iam *per* Apollinem, *ſolem: per* Dianam, *lunam ſignificari, nemo eſt, qui neſciat. Neq, quemquam mouere debet, quòd* Saturnus *abeſt ab ea pugna.* Saturnus *enim* κρόνος *à* Græcis *dicitur, & per eum tẽpus ſignificatur, quod* Græci *verſa tenui in aſpiratam,* χρόνον *vocant.* Saturni *igitur abſentia ſignificat tum tempus eſſe deſiturum, cùm id euenerit. Nam planè tempus ſine ſiderum, & cæli conuerſione, cõſtare non poteſt.* Negat *autem hoc* Ariſtot. *1. lib. de cælo: negat &* Plato *in* Timæo *ſed hoc intereſt inter* Platonem, & Ariſtot. *quòd* Plato *mundum à* Deo *creatum eſſe ait, interiturum negat, non quòd ſua natura non ſit mortalis, ſed quòd non ſit conſentaneum bonitati opificis* Dei, *quod opus tanto conſilio, tantáque ſapientia fabricatus ſit, id opus aut diſſòluere, aut aliqua vi diſſolui ſinere, vt paullo antè retulimus.* Ariſtot. *autẽ quidquid natum ſit, vult etiam interire poſſe, atque adeò interiturum.* Cælum *autem neque natum eſſe, neque vmquam interiturum.* SVSTENTATA RVET MOL.) *Hunc verſum profert* Probus *grammaticus.* NEC ME ANIMI FALLIT) *genus loquendi vſitatum* Latinis, & *maxime poëtis, vt huic ipſi: quod alibi notauimus.*

OCVLORVM SVBDERE VISV) *oculis ſubiicere. viſu, id eſt, viſui.*

INDV MANVS) *in manus. endo, & indu, præpoſitiones antiquæ, quæ valẽt, in: iácere autem in manus, id eſt, manibus contrectandam dare.*

QVA') *per quam partem, nempe per ſenſum tangendi, & ſenſum videndi.*

PROXIMA) *via maximè propinqua. ea enim maximè credimus, quæ cernimus, & tangimus.* TEMPLAQVE MENTIS) *mentem, vel potius mentis ſedem, nempe præcordia, ſeu pectus, ex ſententia* Epicuri: *vt ſuprà diximus, lib. 3. ibi. Idq̃, ſitum media regione in pectoris hæret. & lib. 2. princip. Tum vacuũ pectus linquunt, curáq; ſolutũ.* DICTIS DABIT IPSA FID. RES FORS.)

id eſt.forſan res ipſa, nempe mundi interitus, fidem conciliabit meis verbis, te viuo, & vidente: cùm omnem hunc mundum conquaſſari, & cōcidere, & diſſolui cernes, tum mihi credes. FLECTAT) *auertat.* FORTVNA GVBERN.) *nonnulli lib. habent, natura gubernans, vt ſuprà non longè. ego nihil muto. Nam ſi, vt ille apud Minutiũ, in Octau. diſputat, vel fortuna certa, vel incerta natura eſt, neq; Deus curam habet rerum humanarum, (quod dictu quidem nefarium, & impium eſt, ſed tamen Epicureorum rationi conſentaneum) rectè dicitur à Lucr. & hic fortuna gubernans, & illic natura.* SVCCIDERE) *ſubter cadere.*

Qua prius aggrediar quàm de re fundere fata
Sanctius, & multo certa ratione magis, quàm,
Pythia quæ tripode è Phœbi, lauróque profatur:
Multa tibi expediam doctis ſolatia dictis:
Relligione refrenatus ne fortè rearis,
Terras, & ſolem, & cælum, mare, ſidera, lunam,
Corpore diuino debere æterna manere:
Proptereáque putes, ritu par eſſe gigantum,
Péndere eos pœnas immani pro ſcelere omneis,
Qui ratione ſua diſturbent mœnia mundi,
Præclarúmque velint cæli reſtinguere ſolem,
Immortalia mortali ſermone notantes:
Quæ procul vſqueadeò diuino ab numine diſtent,
Inq; deûm numero ſic ſint indigna videri,
Notitiam potius præbere vt poſſe putentur,
Quid ſit vitali motu, ſenſúque remotum.
Quippe etenim non eſt, cum quouis corpore vt eſſe
Poſſe animi natura putetur, conſiliúmque.
Sicut in æthere non arbor, nec in æquore ſalſo
Nubes eſſe queunt, neque piſces viuere in aruis:
Nec cruor in lignis, nec ſaxis ſuccus ineſſe.
Certum, ac diſpoſitum'ſt, vbi quicquid creſcat, & inſit:
Sic animi natura nequit ſine corpore oriri
Sola, neque à neruis, & ſanguine longiter eſſe.
Hoc ſi poſſet enim: multo prius ipſa animi vis
In capite, aut humeris, aut imis calcibus eſſe
Poſſet, & innaſci quauis in parte ſoleret:
Tandem in eodem homine, atque in eodem vaſe maneret.
Quod quoniam noſtro quoque conſtat corpore certum,
Diſpoſitúmque videtur, vbi eſſe, & creſcere poſſit
Seorſum anima, atque animus: tanto magis infitiandum,
Totum poſſe extra corpus, formámque animalem

Putribus in glebis terrarum, aut ſolis in igni,
Aut in aqua durare, aut altis ætheris oris.
Haud igitur conſtant diuino prædita ſenſu,
Quandoquidem nequeunt vitaliter eſſe animata.

FVNDERE) tralatio eſt. ſic ſuprà, fundere laudes.

SANCTIVS, ET MVLTO, &c.) hic verſus, & qui proximè ſequitur, iam ſuprà poſitus exſtat lib I. DOCTIS. DICTIS) ſic Plautus Aſinar. an tu tibi verba blanda aurum rere? dicta docta pro datis? Idem in Trinummo. Multa ego poſſum docta dicta, & quamuis facũde loqui, &c. Sic idem dixit in Mil. Glor. doctus dolis: & in Pſeud doctos dolos. Sic iterum Lucret. ſuprà lib. 2. Et ſapere, & doctus rationem reddere dictis. RELLIGIONE REFREN.) ſuperſtitione, & inani deorum metu repreſſus. MANERE) quidam libri vet. habent, manere, in his Bertinianus: quos nunc ſequor: alij, meare: quos ſi quis ſequi malet, meare, interpretabor, moueri, labi. vt lib. 1. ſolis, lunæque meatus Quaſi an ratione, &c.

PROPTEREAQVE PVTES, &c.) id eſt & idcirco putes æquum eſſe eos omneis dare pœnas, pro ſua impietate, vt Gigantes impios, qui ſuis rationibus mundum interiturum eſſe probare conantur. IMMORTALIA) cælum. ſolem, lunam, & c. mortali ſermone notantes, id eſt, mortalia eſſe dicentes.

QVÆ PROCVL VSQVE ADEO) hæc nũc dicũtur ex perſona Lucretij.

QVIPPE ETENIM NON EST) id eſt non enim fieri poteſt (inquit) vt animus, & conſilium cum quouis corpore ſit. Quare ſol, luna, cælum, terra, mare, &c. quibuscum animus iungi non poteſt, inquit, immortalia non ſunt. ſic lib. 3. Denique in æthere nõ arbor, non æquore in alto Nubes eſſe queunt, &c. ibi enim duodecim verſus & amplius, huius loci, iam poſiti ſunt. NEC IN ÆQVORE SALSO) lib. 3. eo, quem indicaui, loco, legitur: non æquore in alto.

VBI QVICQVID CRESCAT) id eſt vbi quicque creſcat.

CONSTAT CORPORE CERTVM) conſtat certum, id eſt, certum eſt.

DISPOSITVMQ. VID.) & quoniam in noſtro corpore locus animo & animæ certus, ac diſpoſitus eſt, in quo ſint: nempe animi ſedes, pectus eſt: anima autem per totum corpus fuſa eſt: quoniámque animus alibi eſſe, quàm in certo corporis humani loco non poteſt: tanto magis negandum eſt, animum extra corpus humanũ, in terrarum glebis, aut in ardore ſolis, aut in aqua, aut in æthere permanere.

Illud item non eſt, vt poſſis credere, ſedes
Eſſe Deûm ſanctas in mundi partibus vllis.
Tenuis enim natura Deûm, longéque remota
Senſibus à noſtris, ànimi vix mente videtur.
Quæ quoniam manuum tactum ſuffugit, & ictum:
Tactile nil nobis quod ſit, contingere debet.
Tangere enim non quit, quod tangi non licet ipſum.
Quare etiam ſedes quoque noſtris ſedibus eſſe
Diſſimiles debent, tenues de corpore eorum.
Quæ tibi poſterius largo ſermone probabo.

NON EST VT) *non poteſt fieri vt*, οὐκ ἔστιν ὅπως.

SEDES ESSE DEVM) *negat Lucretius, vllam mundi partem deorum ſedem eſſe, cùm Homerus, & plerique philoſophi conſentiant, cælum deorum eſſe domicilium. idem teſtatur & vita communis (inquit Ariſtoteles lib. de mundo.) Nam manus ad cælum porrigimus, atque attollimus cùm vota facimus, ac precamur. Sed vbi volebat deos habitare Epicurus, ſi nullis in partib. mundi ſedem habent? in intermundiis, id eſt duorum, aut plurium mundorum ſpatiis. M. Tullius de diuinatione lib. 2. Deos enim ipſos iocandi cauſa induxit Epicurus, perlucidos, & perflabileis, & habitanteis, tanquam inter duos lucos, ſic inter duos mundos, propter metũ ruinarum: eóſque habere putat eadem membra, quæ nos, &c. Idem lib. 1. de natura deor. Tum Velleius fidenter ſanè, vt ſolent iſti, nihil tam verens, quàm ne dubitare aliqua de re videretur, tanquam modò ex deorum concilio, & ex Epicuri intermũdiis deſcendiſſet: Audite, inquit, non commentitias &c.*

TENVIS ENIM NAT.) *ſic argumẽtatur Lucr. Deorum natura tenuiſſima eſt, atq; à ſenſib. noſtris remotiſſima, at quod eſt huiuſmodi, neque quicquã tangere, quod nobis ſit tactile, neque à nobis tangi poteſt. omnes autẽ mundi partes ſub ſenſus noſtros cadunt. ergo nullæ mũdi partes deorum ſedes eſſe poſſunt. Quòd autem dicit hîc Lucr. deorum naturam eſſe tenuem, longéq; à noſtris ſenſib. remotam, animiq; vix mente videri, id ipſum eſt, quod ſignificabat Epicurus, cùm λόγῳ θεωρητοὺς, ſeu vna voce, λογοθεωρήτους, id eſt ratione ſpectabileis, ſeu qui ratione intelliguntur, & μονογράμμους appellabat: & M. Tullius lib. 2. de diuin. perlucidos, & perflabileis. Vocis autem huius, λογοθεώρητος, facta mentio, me admonet, vt explicem iocum illum Ciceronis in Caninium Rebilum, quem refert Macrob. lib. 2. Saturn. propterea quòd video à quibuſdam non ſolùm non intelligi, verùm etiam, quod miſerabile eſt, deprauari, & pro λογοθεώρητος, ὀλιγωρητέος ſubſtitui. Primùm igitur ſciendum eſt, hũc Caninium, cùm in locum Q. Maximi conſulis, qui pridie Kal. Ianuarias mortuus erat, ſuffectus eſſet, vnum diem duntaxat conſulatum obtinuiſſe, nempe vſque ad Kal. Ianuarias, quæ poſtridie fuerunt. quo die creati ſunt alij conſules. de quo ſic idẽ M. Tullius ſcribit ad Curionem lib. 7. epiſtol. Ita Caninio conſule ſcito neminẽ prandiſſe. nihil tamen eo conſule mali factum eſt. fuit enim mirifica vigilantia, qui ſuo toto conſulatu ſomnum non viderit. Quod totum etiam vrbanè & facetè in Caninij conſulatum tam breuem à M. Cicerone dictum eſt. Hoc poſito, & cognito, aperta eſt iam ſuperioris illius ioci ſentẽtia. ſignificat enim M. Tullius, Caninium conſulem, tanquam Epicuri deos, intelligentia tantùm, & ratione cerni poſſe, qui tam breue tempus conſul fuerit. Videlicet quomodo, quæ res ita paruæ, & minutæ ſunt, vt effugiãt ſenſum oculorum, eæ res ratione tantum intelligũtur, non oculis ſentiuntur, ideóq; à Græcis λογοθεώρητα nominantur: ſic M. Tullius Caninij conſulatum tam breuem, & vix vnius diei, peruenuſtè, ac perfacetè λογοθεώρητον dixit: non, vt illi volunt, ὀλιγωρητέον, id eſt contemnendum: quo nihil alienius, aut abſurdius fingi poteſt. Venit nunc mihi in mentem vnius præterea loci apud M. Tullium Ciceronem, in oratione in Piſonem, quem locum ſimiliter vir longè omnium doctiſſimus, idémque, dum vixit, mihi cariſſimus, & aliquot annos meus collega, Adr. Turnebus corruptum exiſtimans, emendare conatus eſt, cùm ſit integer, & incorruptus, nulláque emendatione egeat. Verba Ciceronis hæc ſunt. Quòd ſi reprehendis, quòd cupidi gloriæ fuerunt, cùm bella aut parua, aut nulla geſſiſſent: tu tantis nationibus ſubactis, tantis rebus geſtis, minimè fructum laborum tuorum, præmia periculorum, inſignia*

ſignia

ſignia virtutis contemnere debuiſti. Neq; verò contemſiſti, licet ſis Themiſta ſapientior: ſed os tuum ferreũ ſenatus conuicio verberari noluiſti. Hactenus Cicero. Putauit ille vir, hæc verba, licet ſis Themiſta ſapientior, eſſe mendoſa, & ſic emendanda, licet ſis tu in iſto ſapientior. Sed, vt dixi, nullius emendatoris operam requirunt. Fuit enim Themiſta mulier philoſophiæ Epicuréæ dedita, Leontei, ſeu Leontis vxor, ad quem ſcripſit epiſtolas Epicurus, vt teſtatur Diogenes Laertius, qui eam ſæpenumerò commemorat. Ideóque longum ſit locos omnes hîc referre. vno atque altero contenti erimus. ſic igitur Laertius. Πρὸς Θεμίσαν τὴν Λεοντος γυναῖκα: γράφων, οἷος τέ, φησιν, εἰμὶ, ἐὰν μὴ ὑμεῖς πρὸς με ἀφίκησθε, αὐτὸς τρικύλιστος, ὅπου ἂν ὑμεῖς καὶ Θεμίστα παρακαλῆτε, ὠθεῖσθαι, id eſt Ad Themiſtam, Leontis vxorem, (ſcribẽs, ſubintell.) Poſſum, inquit ſi vos ad me non veneritis, ipſe ter volubilis, quocumque vos, & Themiſta me inuitaueritis, tanquã pulſu aliquo externo incitatus, ferri. Idem. Λεοντεύς τε Λαμψακηνὸς ὁμοίως, καὶ ἡ τούτου γυνὴ, Θεμίστα, πρὸς ἣν γέγραφεν Ἐπίκουρος: id eſt, Et Leonteus Lampſacenus ſimiliter, eiúſque vxor Themiſta, ad quam ſcripſit Epicurus. Commemorat hãc Themiſtam idem Laërt. duobus, aut etiam, opinor, tribus aliis locis. Commemorat & Lactantius Firmianus lib. III. qui de falſa ſapiẽtia inſcribitur, his verbis. Denique nullas vmquam mulieres philoſophari docuerunt (Epicuréi ſubintell.) præter vnam ex omni memoria Themiſtam: neque ſeruos, præter vnum Phædonem, & cet. Satis nunc exiſtimo perſpicuum eſſe in nomine, Themiſta, nullũ ſubeſſe mendum: quod vir ille, alioqui doctiſſ. ſuſpicatus eſt: eadémque opera in promtu eſſe verborum M. Tullij ſententiam. Nam cum Piſonem compellet, hominem (vt vult ipſe Cic.) Epicuréum, Epicurus autem gloriã, & triumphos contemneret, quòd nihil ſit in eis, quod ad voluptatem referri poſſit: more ſuo iocans Cicero dicit, eum non contemſiſſe triumphum, quamuis ſit Themiſta, muliere præceptis Epicuri polita, atque erudita, ſapientior. Non neceſſe habeo aliorum cõiecturas refellere, ſi qui poſt Turnebum auſi ſunt huic Ciceronis loco, tanquam ſanæ corporis parti, ſcalpellum admouere. Spero enim, eos, his lectis, niſi erunt valde peruicaces, & niſi ſe, & ſuas coniecturas nimis amabunt, veritati cõceſſuros, ac manum daturos. Turnebũ quidem, quo ingenio, quáque animi æquitate, & facilitate eum cognoui, ſi reuiuiſcat, non dubito, quin ſuæ coniecturæ, ſuæque emendationis vehemẽter pœniteat. Redeo ad deos Epicuri, quorum dicebat eſſe quaſi corpus, non corpus: quaſi ſanguinem, non ſanguinem, vt refert M. Tullius lib. I. de nat. deor. his verbis. Idem facit in natura deorum. dum indiuiduorum corporum concretionem fugit, ne interitus, & diſſipatio conſequatur, negat eſſe corpus deorum, ſed tanquam corpus, nec ſanguinem, ſed tanquam ſanguinem, &c. ſequitur aliquot verſib. pòſt. Illud video pugnare te, ſpecies vt quædam ſit deorum, quæ nihil concreti habeat, nihil ſolidi, nihil expreſſi, nihil eminentis: ſitque pura, læuis, pellucida. Dicemus ergo idem, quòd in Venere Coa. corpus illud non eſt: ſed ſimile corpori: nec ille fuſus, & candore mixtus rubor, ſanguis eſt, ſed ſimilitudo ſanguinis quædam. Sic in Epicuréo deo non res, ſed ſimilitudines rerum eſſe, &c. ANIMI VIX MENTE V.) vix cogitatione, & intelligentia comprehenditur. ſup. lib. 4. Mens animi vigilat.

QVOD TANG. NON LICET IPS.) quidam legendum putant: quod tangi non queat ipſum.

TENVES DE CORP.) id eſt, tenues, quaſi de corpuſculis, & primordiis, ex quibus dij conſtant, factæ. ſed omnino malim legi, tenues pro corpore eorum.

CONTINGERE DEBET) contingere, id eſt attingere, tangere.

Dicere porrò, hominum cauſa voluiſſe parare
Præclaram mundi naturam, proptereáque
Id laudabile opus diuûm laudare decere,
Æternúmque putare, atque immortale futurum,
Nec fas eſſe, Deûm quod ſit ratione vetuſta
Gentibus humanis fundatum perpetuo æuo,
Sollicitare ſuis vllum de ſedibus vmquam,
Nec verbis vexare, & ab imo euertere ſummam:
Cetera de genere hoc adfingere, & addere, Memmi,
Deſipere'ſt. quid enim immortalibus, atque beatis
Gratia noſtra queat largirier emolumenti,
Vt noſtra quidquam cauſa gerere aggrediantur?
Quídve noui potuit tanto pòſt antè quietos
Inlicere, vt cuperent vitam mutare priorem?
Nam gaudere nouis rebus debere videtur,
Quoi veteres obſunt: ſed quoi nil áccidit ægri,
Tempore in anteacto cùm pulchrè degeret æuum:
Quid potuit nouitatis amorem accendere tali?
An, credo, in tenebris vita, ac mœrore iacebat,
Donec diluxit rerum genitalis origo?
Quídve mali fuerat nobis non eſſe creatis?
Natus enim debet quicumqu'eſt, velle manere
In vita, donec retinebit blanda voluptas.
Qui numquam verò vitæ guſtauit amorem,
Nec fuit in numero: quid obeſt non eſſe creatum?
Exemplum porrò gignundis rebus, & ipſa
Notities hominum diuis vnde inſita primùm,
Quid vellent facere vt ſcirent, animóque viderent?
Quóve modo eſt vmquam vis cognita principiorum,
Quídnam inter ſeſe permutato ordine poſſent,
Si non ipſa dedit ſpecimen natura creandi?
Namque ita multimodis, multis primordia rerum
Ex infinito iam tempore percita plagis,
Ponderibúſque ſuis conſuerunt cóncita ferri,
Omni'modiſque coire, atque omnia pertentare,
Quæcumque inter ſe poſſint congreſſa creare:
Vt non ſit mirum, ſi in taleis diſpoſituras
Deciderunt quoque, & in taleis venêre meatus,
Qualibus hæc rerum genitur nunc ſumma nouando.

DICERE PORRO) *negat, mundum hominum cauſa eſſe à Deo creatum. hos autem verſus profert & Lactantius Firmian.*

NEC FAS ESSE, DEVM QVOD) *ordo & ſententia eſt: nec fas eſſe, quemquam, id, quod ſit ratione, & conſilio deorum, hominum cauſa conditum, id eſt, mundum, verbis & argumentis ſuo loco mouere, aut labefactare conari, &c.*

SOLLICITARE) *propriè. Nam ſollicitare (inquit Feſtus) eſt ſolo citare, id eſt ex ſuo loco mouere. ſolum autem quin ſignificet locum (inquit idem) quis dubitet, cum exſules quoque dicantur loco patriæ ſuæ pulſi?* ET AB IMO EVERTERE SVMMAM) *ſic quidem habet codex Vaticanus. Verumtamen ego legendum puto, euertere fundo, hac ratione ductus, quòd, cùm in quatuor libris manuſcriptis, & in omnibus impreſſis repererim, euertere ſumma, in vno Vaticano, euertere ſummam: quæ ſola ſcriptura videtur tolerabilis, & ſpecioſa: exiſtimem omnia exemplaria eſſe corrupta, deprauata, ac detorta à ſcriptura recta, fundo, & ſummam, eſſe emendatum ab eo, qui facilè viderit, ſumma, eſſe mendoſum. omnino, euertere ſummam, mihi non admodum probatur, quia hæc tria verba, ſollicitare, vexare, euertere, referantur ad illud, quod eſt ſuprà, nempe, quod ſit deorum ratione vetuſtā gentibus humanis fundatū perpetuo æuo: quod nihil eſt aliud, quàm mundus. Iam ſic ſuprà locutus eſt lib. 3. non longe à principio, Hunc vexare pudorem, hunc vincula amicitiai Rumpere, & in ſumma pietatem euertere fundo. vbi vulgò legitur, euertere ſuadet. neque tamen ignoro ita Latine dici poſſe, euertere ab imo, ſimpliciter. ſic enim Virgil eſt locutus lib. 2. & ex imo verti Neptunia Troia.*

QVID ENIM IMMORT. ATQVE B) *totius huius loci ſententiā perſecutus eſt M. Tull primo libro de nat. deor. his verbis. Quid autem erat, quòd concupiſceret Deus mundum ſignis & luminibus, tanquam ædilis ornare? ſi, vt Deus ipſe melius habitaret: antea videlicet tempore infinito in tenebris, tanquam in gurguſtio, habitauerat. Pòſt autem varietaténe eum delectari putamus, qua cælum, & terras exornatas videmus? Quæ iſta poteſt eſſe oblectatio deo? quæ ſi eſſet, non ea tandiu carere potuiſſet. An hæc, vt ferè dicitis, hominum cauſa à deo cōſtituta ſunt? ſapientúmne? propter paucos ergo tanta eſt facta rerum molitio. an ſtultorum? at primùm cauſa non fuit, cur de improbis benè mereretur, &c.* QVID POTVIT NOVITATIS AMOREM ACCEND.) *ſic reſtitui, trium librorum manuſcriptorum fidem ſecutus. Nam vulgati ſic habent, nouitatis amore accedere tali? mendoſe. Porrò autem, nouitatis amorem accēdere alicui, eſt, aliquem impellere, aut adducere, vt rebus nouis ſtudeat, ſeu vt res nouet.* AN, CREDO, IN TEN.) *an ſcilicet deorū vita iacebat in tenebris, & mærore, donec mūdus creatus eſt? an habitabant dij tanquā in gurguſtio? quod eſt abſurdū dictu.* QVIDVE MALI) *hunc verſum, qui fuerat alieno loco poſitus, in ſuū locū reſtitui. debet enim legi poſt verſum, Donec diluxit, &c. quod probauit Zoilus re & facto. neq; tamen, quo auctore fecerit, indicat, aut ingenuè fatetur.* QVID OB. NON ESSE CR?) *in quibuſdā libris legitur, no eſſe creato?* EXEMPLVM) *τὸ παράδειγμα. exēplū, quod ſequerētur. & ad cuius ſimilitudinē mundū crearēt. vel exemplū. id eſt ἡ ἰδέα, τὸ εἶδος.* NOTITIES HOMINVM, *ἡ ἔννοια, ipſa idea. τὸ εἶδος. huius loci hæc ſententia eſt Nihil creari, nihil fingi poteſt ſine idea ſeu ſpecie ſeu exemplo: nec ſine eius rei, quæ creanda eſt, notitia, & cognitione informata. At vnde primum dijs immortalibus inſitæ ſunt ideæ rerum creandarū? vnde nacti ſunt illarum notitias, per quas ſcirent, animóque cernerent, quid facere inſtituerent. Platonici reſponderent*

ideas eſſe æternas, & in mente diuina ab infinito tempore vnà cum deo inſitas.

QVOVE MODO EST VMQVAM) *ſic reſtitui, ſecutus codices Faërn. Tett. nam vulgati habent, inquam. Vaticanus autem habebat, numquam: vtrumque mendosè.*

SI NON IPSA DEDIT SPECIMEN NAT CREANDI) *primùm, ſpecimen, non, ſpeciem, vt eſt in vulgatis, legendum eſt. ſpecimen enim nunc dicit, opinor, quod ſuprà exemplum, id eſt, παράδειγμα appellauit: ſeu potius ſpecimen poſuit pro eo, quod arguit, & ſignificat, qualis quæque res ſit, id eſt, pro indicio, & nota rei, δεῖγμα nominant Græci: quo modo & auctor vocabularij Latinograeci, mihi à Claudio Puteano commodati, interpretatur. ſic enim dicimus, ſpecimen innocentiæ Rutilium fuiſſe: ſpecimen ſuæ virtutis aliquem dare: ſenatum omni vitio carere, & ceteris ordinibus ſpecimen eſſe debere: deinde, creãdo, legi malim, vt habent codices Florentini, quàm creandi: vt ſit hæc totius huius loci ſententia: nullo alio modo principiorum vim & poteſtatem cognoſci potuiſſe, quid illa valerent, ordine & ſitu, & ceteris mutatu, niſi quia natura creando & gignendo ſpecimen dedit: id eſt, oſtendit quæ eſſet vis principiorum. Verumtamen in hac voce, non ſum auſus à libris manuſcriptis diſcedere, qui omnes ad vnum habent, creandi.*

QVALIBVS HÆC GENITVR,) *id eſt, gignitur. mendosè autem hîc legitur, geritur, neque vllo modo ferri poteſt nam ſumma non geritur, ſed genitur. ſeu gignitur, & creatur quotidie nouando. Zoili autem ſententiam, contra me latam, non minus inanem, quàm inane rerum, flocci non facio.*

NOVANDO,) *nouando ea, quæ ætate ſunt confecta, & conſumta.*

Quòd ſi iam, rerum ignorem primordia quæ ſint,
Hoc tamen ex ipſis cæli rationibus auſim
Confirmare, aliíſque ex rebus reddere multis,
Nequaquam nobis diuinitus eſſe paratam
Naturam rerum: tanta ſtat prædita culpa.
Principiò, quantum cæli tegit impetus ingens,
Inde auidam partem montes, ſiluæq; ferarum
Poſſedêre, tenent rupes, vaſtæq; paludes,
Et mare, quod latè terrarum diſtinet oras.
Inde duas porrò propè parteis feruidus ardor,
Aſſiduúſque geli caſus mortalibus aufert.
Quod ſupereſt arui, tamen id natura ſua vi
Sentibus obducat, ni vis humana reſiſtat,
Vitaï cauſa valido conſueta bidenti
Ingemere: & terram preſſis proſcindere aratris.
Si non fœcundas vertentes vomere glebas,
Terraïque ſolum ſubigentes cimus ad ortus:
Sponte ſua nequeant liquidas exſiſtere in auras.
Et tamen interdum magno quæſita labore,
Cùm iam per terras frondent, atque omnia florent:

Aut nimiis torret feruoribus ætherius ſol,
Aut ſubiti perimunt imbres,gelidǽque pruinæ:
Flabráque ventorum violento turbine vexant.
Præterea genus horriferum natura ferarum,
Humanæ genti infeſtum,terráque,maríque,
Cur alit,atque auget?cur anni tempora morbos
Apportant?quare mors immatura vagatur?
Tùm porrò puer,vt ſæuis proiectus ab vndis
Nauita, nudus humi iacet,infans,indigus omni
Vitaï auxilio,cùm primùm in luminis oras
Nixibus ex aluo matris natura profudit:
Vagitúque locum lugubri complet,vt æquum'ſt,
Quoi tantum in vita reſtet tranſire malorum.
At variæ creſcunt pecudes,armenta,feræq́;:
Nec crepitacula eis opu' ſunt,nec quoiquam adhibenda'ſt
Almæ nutricis blanda,atque infracta loquela:
Nec varias quærunt veſteis pro tempore cæli.
Denique non armis opus eſt,non mœnibus altis,
Queis ſua tutentur,quando omnibus omnia largè
Tellus ipſa parit,naturáque dædala rerum.

QVOD SI IAM, RERVM &c.) *id eſt,quòd ſi concedam, me ignorare, quæ ſint principia rerum,&c.Hi verſus quattuor,qui deinceps ſequuntur, iam ſuprà poſiti ſunt lib. 2. non longè à princip. paucis immutatis,ibi:* Nam quamuis re*rum ignorem prim.q.ſint:*Hoc *tamen ex ipſis c.r.auſ.*Confirmare *tibi,&c.*

PARATAM) *in libro 2. creatam.*

TANTA STAT,) *id eſt adeò multa inſunt peccata,multáque,quæ reprehendi poßint: vel multa non rectè, neque ordine facta , in natura rerum , & in hoc mundo. epiphonema.*Sed *in lib 2 aliter,quæ tanta'ſt prædita culpa.*

QVANTVM) *non dixit,quantum terræ, ſed quantum, ſimpliciter. non enim quicquid cælum complectitur & tegit,terra eſt,ſed partim terra habitabilis,partim mare, partim fluuij & lacus, & paludes, partim ſiluæ & nemora , partim terra propter ardorem,aut frigus inhabitabilis.*

IMPETVS INGENS) *cæli impetum dixit,cæli ambitum celerrimum, & volubilißimum.ſic* M.Tull *lib.2.de natura* Deorum Cùm *autem impetum cæli admirabili cum celeritate moueri,vertíque videamus,conſtantißiméque conficientem vicißitudines anniuerſarias,& c.*

AVIDAM PARTEM,) *id eſt,magnam partem,vaſtam,& ingentem,quaſi auidè occupatam,per hypallagen.ſic poſuit* Horat.od.14. *lib. 2. pauimentum ſuperbum,pro pauimento ſuperbi domini.*

FERVIDVS ARDOR) *ſub Zona torrida.*

ASSIDVVSQVE GELI CASVS) *ſub duabus zonis extremis nimio frigore rigentibus.gelus autem etiam maſculino genere vſitatum fuiſſe veteribus.te-*

ſtatur Nonius Marc. profértque hæc verba ex Afranio. Quis tu es ventoſo in loco ſoleatus, intempeſta noctu, ſub diuo, aperto capite, ſilicem cùm findat gelus?

SENTIBVS OBDVC) ſpinis operiat. ſentes à ſentiendo dictæ ſunt, quòd ſint aſperæ tactu. ex quo iocus Plautinus, Captiuis. Heg. Aſper meus victus ſane eſt. Erg. ſenteis ne eſitas?

NI VIS HVM. RESISTAT) arando, fodiendo, ſarriendo, paſtinando, colendo denique, vt ſtatim dicet.

INGEMERE) ſic Virgil. Georg lib. 1. Depreſſo incipiat iam tum mihi taurus aratro Ingemere. Animaduertat lector, participium, cõſueta, iungi hîc cum infinitiuo, quemadmodum ſuprà obſeruauimus ad illum locum, At conſueta domi catulorum blanda propago Degere, &c lib 4.

PROSCINDERE) Idem Virg. lib. 2. Georg Et validis terrã proſcinde iuuencis.

SI NON FÆCVNDAS VERTENTES, &c.) hic verſus cum duobus, qui ſequuntu[r], iam antè poſiti ſunt lib. 1.

ET TAMEN INTERDVM MAGNO, &c.) Virg. lib. 1. Georg. Nec tamen, hæc cùm ſint hominúmque, boúmque labores, Verſando terram, experti, nih[il] improbus anſer, &c. ibidem. Quid tempeſtates auctumni, & ſidera d[i]cam, &c. quæ cum his Lucretianis conferre non parum iuuabit.

APPORTANT) quidam legi volunt, Important, quod magis probarẽ, ſi quo in codice ſcriptum reperiſſem. ſic quidem eſt locutus infrà eodem lib. Aut aliam qu[a]muis cladem importare pericli.

TVM PORRO PVER) lege ad hunc locum Plinium lib. 7. de imbecillitate naturæ humanæ, & Lactantium lib. de opificio dei, cap. 3.

PROIECTVS) longè iactus.

VITAI AVXILIO) Vitali habent quidem omnes libri: malim tamen legi, Vitaï auxiliò, vt cenſet Muretus: itáque nunc edendum curaui.

CVM PRIMVM IN LVM. OR. NIXIBVS, &c.) id eſt, cùm primùm eum natura ex aluo matris enixæ, longè, ſeu in conſpectum effudit, atque in lucem extulit. quod proinde eſt, vt ſi dixiſſet: cùm primùm natus [ſe]u editus eſt: vel cùm primum manibus nutricis exceptus eſt: vel, vt Homerus, cùm primum inter pedes matris cécidit. ſic Homerus in. τ. Ος κεν ἐν ἤματι τῷδε πέσῃ μετὰ ποσσὶ γυναικὸς &c. Sic Papinianus lib. 1. Siluarum, tellure cadentem Excepi, fouique ſinu.

VAGITVQVE LOCVM) ſic Plin. eo, quem dixi, loco. Hominem tantùm nudum, & in nuda humo natali die abijcit ad vagitus ſtatim & ploratus, nullúmque tot animalium pronius ad lacrymas, atque has protinus vitæ principio.

CVI TANTVM IN VITA R. TR. M.) Profert hunc verſum Lactantius Firmianus lib ſuprà proximè à nobis commemorato, cap. 3 his verbis. Itaque naturam non matrẽ eſſe humani generis, ſed nouercam: quæ cum mutis tã liberaliter ſe geſſerit, hominem verò ſic effuderit, vt inops, & infirmus, & omnis auxilij indigens nihil aliud poſſit, quàm fragilitatis ſuæ condicionem ploratu ac fletibus ominari, ſcilicet, Cui tantum in vita reſtet tranſire malorum. Quæ cùm dicũt, vehementer ſapere creduntur, propterea quòd vnuſquiſque inconſideratè ſuæ condicioni ingratus eſt. Ego verò illos numquam magis deſipere contendo, quàm cum hæc loquuntur, &c.

CREPITACVLA,) id eſt, crepundia. cùm in quibuſdam libris manuſcriptis ſcriptum reperiſſem, Nec crepitacula eis opus eſt, non dubitaui, quin

ea ſcriptura à recta & vera, Nec crepitacula eis opu' ſunt, eſſet deprauata. nam quod in omnibus libris vulgatis legitur, Nec crepitacillis opus eſt, & ita in Bertin. non dubito, quin hæc ſcriptura ſubdita ſit ab eo, qui, Nec crepitacula eis opus eſt: ferri non poſſe animaduerteret, nec veram excogitare poſſet.

INFRACTA) *fracta, & decurtata. Solent enim patres & matres verbis vel curtatis ad pueros infanteis, non integris. Sic Arnobius lib. 4. de Ioue loquens. Atque vt fletum poneret ineptiſſimè tractum, crepitaculis obiicuit auditis: & ad ſomnos inductus eſt in molliſſimis cunis iacens, & vocibus delinitus eſt infractis?*

DÆDALA) *artifex, opifex. lege quæ annotata ſunt ad illum locum lib. 1. dædala tellus.*

Principiò quoniam terrai corpus, & humor,
Aurarumque leues animæ, calidique vapores,
E quibus hæc rerum conſiſtere ſumma videtur:
Omnia natiuo, ac mortali corpore conſtant:
Debet tota eadem mundi natura putari.
Quippe etenim quorum parteis, & membra videmus
Corpore natiuo, & mortalibus eſſe figuris
Hæc eadem fermè mortalia cernimus eſſe,
Et natiua ſimul. quapropter maxima mundi
Cùm videam membra, ac parteis conſumta regigni:
Scire licet, cæli quoque idem, terræque fuiſſe
Principiale aliquod tempus, cladémque futuram.
Illud in his rebus ne me arripuiſſe rearis
Memmi, quod terram, atque ignem mortalia ſumſi
Eſſe: neque humorem dubitaui, auráſque perire:
Atque eadem gigni, rurſúſque augeſcere dixi:

PRINCIPIO QVON.) *oſtendit mundi parteis interire: ex quo vult effici, mundum quoque ipſum interiturum.*

LEVES ANIMÆ) *venti. profert hũc verſum Nonius. Sic Horat. od. 12. lib. 4. Impellunt animæ lintea Thraciæ.*

DEBET TOTA EADEM) *ſic reſtitui, coniectura ductus, cùm in duobus libris manuſcript. reperiſſem, Debet omnia eadem. omnia enim factum eſt ex, õia: oia, ex, ota: ota, ex, tota t, autem omiſſum à librario propter alterum t. quod antecedit Hanc emendationem non probauit Thraſo. Videamus ecquam afferat meliorem ſic ait legendum eſſe. Debet eodem omnis mundi, &c. Atqui hæc lectio reperitur etiam in libris Pariſienſibus. ex qua facta eſt illa mẽdoſior, Debet eadem omnis, quæ eſt in omnibus fere aliis impreſſis. Præterea perſpicuè argumentum eſt à partibus ad totum, hoc modo partes mundi ſunt mortali corpore præditæ, id eſt, mortales: ergo & totus mundus eſt idẽ, hoc eſt, mortalis eſt. Præterea ſi forte dicat, omnis, idem hîc valere, quod, tota: hæc locutio, Debet tota eadem, &c. longè, opinor, concinnior, & elegantior eſt, quàm altera, quamuis, omnis, interdum vſurpetur pro toto, quemadmodum & πᾶς apud Græcos. Poſtremo hîc nihil ferè ſubintelligẽdum*

eſt: aut ſi quid eſt, id fit molliter, & facilè: illic multa: eáque duriter, & laborioſè. Sic enim explicare neceſſe eſt. Debet omnis mundi natura putari conſtare eodem corpore., hoc eſt natiuo, & mortali. FVISSE PRINCIPIALE ALIQVOD TEMPVS, CL.) *id eſt, fuiſſe tempus, quo cælum & terra principiũ, & originem habuerint, & fore cum intereant. Putant item Stoici fore aliquando, vt hic mundus ardore deflagret: & nos Chriſtiani credimus. principiale autem, vox eſt nata à nomine, principium, non à, princeps: vt alibi diximus.*

ILLVD IN HIS REBVS NE ME ARRIP.) *ſic reſtitui, non leui coniectura ductus. nam cùm in duobus libris manuſcriptis reperiſſem ita ſcriptum, ne arripuiſſe rearis, facile adductus ſum, vt exiſtimarem, me, pronomen: quod neceſſariò deſideratur, & ſine quo neque verſus, neque ſententia conſtare poteſt, eſſe omiſſum à librario ſcriptore propter ſimilitudinem particulæ, ne: deinde ex, arripuiſſe, factum eſſe, corripuiſſe, ab aliquo ſemidocto, qui facile quidem ſentiret verſum claudicare: ſed quid ſententiæ deeſſet, non videret. ne me arripuiſſe rearis, autem, id eſt, ne forte me exiſtimes per vim, & temere, & ſine ratione aſſumpſiſſe, quaſi abs te datum & conceſſum, id quod ſumſi, & poſui, nempe parteis mundi interituras, &c. Cùm hæc ſcripſiſſem, Zoilus, arripuiſſe, pro, corripuiſſe, probauit, ſed, me, additum improbauit, eoque nomine me male hoc modo edidiſſe pronuntiauit. Atqui primùm Latini ſermonis conſuetudo, & ratio non ferunt, vt hic locus ita legatur ſine pronocabulo, me. Deinde hiatus Ennianus, quem iſte iactitat, hoc loco à Lucretio, quæſitus non eſt: neque Lucretius taleis vmquã verſus faceret, quales iſte ructatur. Arripere autem pro aſſumere non datum ab altero, etiam vſurpauit M. Tullius lib. I. de nat deorum. Primum igitur quidque cõſideras quale ſit? Arripere enim mihi videmini, quaſi veſtro iure, rem nullo modò probabilem.*

Principiò pars terraï nonnulla peruſta
Solibus adſiduis, multa pulſata pedum vi,
Pulueris exhalat nebulam, nubeíſque volanteis,
Quas validi toto diſpergunt aëre venti.
Pars etiam glebarum ad diluuiem reuocatur
Imbribus, & ripas radentia flumina rodunt.
Præterea, pro parte ſua quodcumque alit, auget,
Roditur: & quoniam dubio procul eſſe videtur
Omniparens, eadem rerum commune ſepulcrum:
Ergo terra tibi limatur, & aucta recreſcit.
Quod ſupereſt, humore nouo mare, flumina, fonteis
Semper abundare, & latices manare perennneis,
Nil opus eſt verbis, magnus decurſus aquarum
Vndique declarat: ſed primum quidquid aquaï
Tollitur, in ſummáque fit, vt nil humor abundet,
Partim quòd validi verrentes æquora venti
Diminuunt, radiíſque retexens ætherius ſol:
Partim quòd ſubter per terras diditur omneis.

Percolatur enim virus,retróque remanat
Materies humoris,& ad caput amnibus omnis
Cónuenit:inde ſuper terras fluit agmine dulci,
Quà via ſecta ſemel liquido pede detulit vndas.

PRINCIPIO PARS) *ad hunc locum vſq; ab illo verſu, Illud in reb. ſententia pendet: hinc autẽ incipit probare id, quod ſumſit, ne quis dicat, eum pro ſuo iure, & quaſi per vim arripuiſſe, vt dixit, non aſſumſiſſe.* EXHALAT NEBVLAM) *verbo, exhalat, ſubiũxit caſum accuſandi, vt Virgil. lib. 2. Georgic. qui videtur hũc locũ imitatus eſſe. Quæ tamen exhalat nebulam, fumóſq; volucreis. Idem libro 7. ſæuámq, exhalat opaca Mephitin. Iterum Lucret. infr. eod. libr. Exhalántque lacus nebulam, fluuiíque peremnes. etiam verbo exſpirãdi, vt ſup. libr. 2. Sanguinis exſpirans calidum de pectore flumen. & verbo, efflandi, vt infr. eod. lib. atque ſuos efflauit languidus igneis.* PARS ETIAM GLEB. AD DIL.) *profert hunc verſum Nonius in voce, diluuies.*

PRÆTEREA QVODCVMQVE) *Præterea (inquit) quidquid pro parte ſua aliud alit, atque auget, id roditur. Olim edideram, quodcumque alid auget. alid, autem, id eſt, aliud, vt ſæpe alias. mendoſe autem putabam in vulgatis legi, alit, per t ex verſu, qui ſequitur paullo pòſt. Nam quodcumque alias ex ſe res auget, alítque, Deminui debet, &c. Nunc receptam ſcripturam retineo, vt intelligamus, alit, auget, poſita eſſe ἀσυνδέτως, vt illa, ſubat, ardet, lib. 4. & ſubintelligamus, aliud, ſeu alias res.* RODITVR) *id eſt, diminuitur. tralatio: quod ſtatim dicit, limari, alia tralatione.*

OMNIPARENS) *Virgil. lib 6. Æneid terræ omniparentis alumnum.*

COMMVNE SEPVLCR.) *Sic Catullus de Troia ad Manlium, Troia nefas, commune ſepulcrum Europæ, Aſiæque, Troia virũm, & virtutum omnium acerba cinis.* ERGO TERRA TIBI LIMATVR) *ergo terra minuitur, ac deteritur. limatur, autem, legendum, non libatur. tibi, venuſtatis & concinnitatis cauſa poſitum, vt apud Horat. epiſt. 3. lib. 1. Quid mihi Celſus agit? Neque verò me mouet cimex Zoilus, qui hanc emendationem damnat. ſatis eſt mihi eam probari XII. viris totius Galliæ doctiſsimis, vt taceam non pauciores Italos, Germanos, Hiſpanos, Britannos mihi aſſentienteis.*

MAGNVS DECVRSVS AQVARVM VND.) *id eſt, magnæ aquæ vndique decurrentes: ſiue fluuij in mare delabentes. Lucret. ſupr. libr. 1. Efficit, vt largis auidum mare fluminis vndis Integrent amnes, &c. cùm fluuij ex fontibus originem trahant: fontes ex aquis, ſubter per terras diditis, & quaſi percolatis.*

PRIMVM QVIDQVID) *primum quidque, vt ſæpe aliàs. & quidem paucis pòſt verſibus: Nam primum quidquid fulgoris deperit eij.*

VERRENTES ÆQVORA VENTI) *ſic infrà. Nequidquam, quoniam verrentes æquora venti Deminuunt, &c. & libr. 1. Sunt igitur venti nimirum corpora cæca, Quæ mare, quæ terras, quæ denique nubila cæli Verrunt.*

RADIISQVE RETEXENS ÆTHER.) *qui, cum ſuis ignibus, alitur terræ halitibus humidis, & aquis marinis, ſiue extenuatis, & lõgo interuallo quaſi percolatis, & dulcibus redditis, ſiue manentibus etiam ſalſis: qua de re alibi dictũ eſt. Ex humoribus autem, quos ſol non conſumſit, naſcuntur imbres, & pluuiæ qui rurſum terram irrigant, & madefaciunt, maréque & fluuios redintegrant. Et hic*

ille eſt Oceanus, quem Homerus facit circum terram fluere, vt vult Ariſtot. Iterantur autem hæc eadem infrà eodem libro non longè: ibi, quoniam verrentes æquora venti Deminuunt, radiíſque retexens ætherius ſol.

PERCOLATVR ENIM VIRVS, RETR.) *fuit hæc quorundam antiquorum philoſophorum opinio, quam commemorat Ariſtot. lib 2. μετεωρ. fluuios ex mari naſci, quemadmodum in idem relabuntur: quia aqua ſalſa percolata, fit dulcis, & ad bibendum vtilis. ſic Ariſtot.* διηθούμενον γὰρ γίνεται τὸ ἁλμυρὸν, πότιμον. *ſuprà lib. 2. Et, quo miſta putes magis aſpera læuibus eſſe Principiis, vnde eſt Neptuni corpus acerbum, Eſt ratio ſecernundi, ſeorſúmque videndi, &c.*

VIRVS) *humor, ſeu liquor naturalis. ſupr. lib. 1. Ionium glaucis adſpergit virus ab vndis.* ET AD CAPVT) *id eſt, & ad fonteis. iteratur autem hic verſus cum tribus deinceps ſequentibus, libro 6.*

INDE SVP. TERR. FL.) *id eſt, ex fontibus fiũt fluuij: qui rurſum in mare relabuntur, illúdque integrant: vt paullo antè dictum eſt, ad illum locum, magnus decurſus aquarum, Vndique declarat, &c. Sic idẽ Lucr. ſupr. lib. 1. Efficit, vt largis auidum mare fluminis vndis, &c. adde & illa eiuſdem ex libr. 2. Principio tellus habet in ſe corpora prima, Vnde mare immenſum voluentes flumina fontes Aſsiduè renouent, &c. Ad hanc rationem referendum eſt illud Plautinum in Pœnulo, Viam qui neſcit, qua deueniat ad mare, eum oportet amnẽ quærere comitẽ ſibi, &c. Eodem pertinet illud Homericum* ἰλ. ῥαψῳδ. φ. *vbi Achilles Lycaonem à ſe interfectum, pede prehenſum, in Scamandrum fluuium iacit. quo facto hæc in eum gloriabundus loquitur.* Ἐνταυθοῖ νῦν κεῖσο μετ' ἰχθύσιν, οἵ σ' ὠτειλῆς Αἷμ' ἀπολιχμήσονται ἀκηδέες, οὐδέ σε μήτηρ Ἐνθεμένη λεχέεσσι γοήσεται, ἀλλὰ Σκάμανδρος Οἴσει δινήεις εἴσω ἁλὸς εὐρέα κόλπον. *id eſt: Hîc nunc iaceto inter piſceis, qui tibi ex vulnere ſanguinem lingent ſine cura, neque te mater lecto, aut feretro impoſitum lugebit: ſed Scamander vorticoſus in latum maris ſinum deferet.* AGMINE DVLCI) *Virg. lib. 2. Æneid. leni fluit agmine Tibris. ſic Ennius lib. 5. Quod per amœnã vrbem leni fluit agmine flumen. agmen pro actu, & ductu, inquit Macrob. lib. 6. Saturn.*

QVA' VIA SECTA SEMEL) *ita leuiter, & mobiliter fluit hic verſus, vt Lucretius fluuium per alueum ſuum currentem, ac labentem noſtris oculis ſubiicere videatur. repetitur & lib. 6. Lege, ſi vacas, quæ notauimus ad illum locum Horatij odæ 16. epod. Leuis crepante lympha deſilit pede.*

Aëra nunc igitur dicam, qui corpore toto
Innumerabiliter priuas mutatur in horas.
Semper enim quodcumque fluit de rebus, id omne
Aëris in magnum fertur mare: qui niſi contrà
Corpora retribuat rebus, recreétque fluenteis:
Omnia iam reſoluta forent, & in aëra verſa.
Haud igitur ceſſat gigni de rebus, & in res
Reccidere adſiduè, quoniam fluere omnia conſtat.
Largus item liquidi fons luminis ætherius ſol
Inrigat aſſiduè cælum candore recenti,
Suppeditátque nouo confeſtim lumine lumen.

Nam primum quidquid fulgoris diſperiit eij,
Quocumque accidit.id licet hinc cognoſcere poſſis,
Quòd ſimulac primùm nubes ſuccedere ſoli
Cœpere,& radios inter quaſi rumpere lucis:
Extemplò inferior pars horum diſperit omnis,
Terráque inumbratur,qua nimbi cumque feruntur,
Vt noſcas ſplendore nouo res ſemper egère:
Et primum iactum fulgoris quemque perire:
Nec ratione alia res poſſe in ſole videri,
Perpetuò ni ſuppeditet lucis caput ipſum.
Quin etiam nocturna tibi,terreſtria quæ ſunt,
Lumina,pendentes lychni,claræque coruſcis
Fulguribus pingues multa caligine tædæ,
Conſimili properant ratione,ardore miniſtro,
Suppeditare nouum lumen,tremere ignibus inſtant:
Inſtant,nec loca lux inter quaſi rupta relinquit:
Vſqueadeò properanter ab omnibus ignibus eius
Exitium celeri toleratur origine flammæ.
Sic igitur,ſolem,lunam,ſtelláſque putandum
Ex alio,atque alio lucem iactare ſubortu:
Et primum quidquid flammaĩ perdere ſemper:
Inuiolabilia hæc ne credas fortè vigere.

AERA NVNC) *Nunc de aëre diſſerere incipit. Probat autem,omnia,quæ de rebus fluunt,in aërem confluere:aërem autem certa corpora rebus tabeſcentibus retribuere,ne rerum omnium interitus conſequatur.* PRIVAS) *ſingulas, vel proprias.ſed ſi ſingulas interpretemur, videbitur legendum:priuas mutatur in horas:ſin proprias,ferri poterit ſcriptura recepta,priuas mutatur in oras: vt per,oras proprias, intelligamus extremitates ignis,aquæ,& terræ. ego tamen, priuas mutatur in horas,legi malo.ſup.libr.4 In multas igitur voces vox vna repentè Diffugit, in priuas quoniam ſe diuidit aureis.Probauit hanc emendationem Thraſo.hoc mirum:illud non mirum, quòd probauit, vt eius auctor, aut repertor.*

ID OMNE AERIS IN MAGN. F. M.) *Semper (inquit Lucr.) quidquid è rebus fluit,in aërem longè latéq; vſque ab æthere ad terras diffuſum fertur. aëris mare, trãlatio eſt: quæ hîc non ſolùm ad ornandum, verùm etiam ad ſignificandum,ac declarãdum adhibita eſt.ſignificatur enim hac tralatione,natura aëris, mollis & humida:quã idcirco poëtæ effæminarunt, & Iunonis nomine appellarũt.*

RECCIDERE) *ſic legendum, & ita habet codex Bertinianus, & códex Memmianus. in vtriſque Aldinis autem legitur,Recidere,per vnicum c.mendoſè. Reccidere enim, dictum,vt,rettulit, refferre, redducere, remmota, & ſimil. apud Virgil.Horat. & apud hunc eundem.* QVONIAM FLVERE) *ſic ſuprà lib.4 Nec mora,nec requies inter datur vlla fluendi.*

LARGVS ITEM LIQ. FONS) *infr.eodem lib. Nam licet hinc fontem*

ſcátere, atque erumpere flumen Ex omni mundo, &c. SVPPEDITATQVE NOVO CONF.) ſic ſup. lib. 4. Semper enim noua ſe radiorum lumina fundunt: Primáque diſpereunt, quaſi in ignem lana trahatur, &c. & infrà eodem lib. Quæ faciunt ſolis noua ſemper lumina gigni. ad quem verſum plura.

NAM PRIMVM QVIDQVID FVLG.) id eſt primum quicque fulgoris ei diſperit. SVCCEDERE SOLI) id eſt ſubire ſolem, ſeu ſuccedere ſub ſolem. ſic enim loquitur Cæſar lib. 1. ipſi confertiſſima acie, reiecto noſtro equitatu, phalange facta, ſub primam noſtram aciem ſucceſſerunt. Idem lib. 2. teſtudine facta portis ſuccedunt, murum ſubruunt. & Virgil. Georg. 3. Aut tecto aſſuetus coluber ſuccedere, & vmbræ. Idem lib. 4. atque alto ſuccedere cælo.

QVA NIMBI) legendum arbitror, qua nubes cumque feruntur.

NI SVPPEDITET) niſi ſuppetat. abſolutè enim accipiendum.

QVIN ETIAM NOCTVRNA TIBI) negat Ariſtoteles lib. 2. μετεωρ. ſimile eſſe lumen ſolis, ceteris luminibus, & flammis, quæ humido, aut pingui aluntur, ſi aluntur. nam cetera lumina (inquit) continenter mutantur, neque vmquam ſunt eadem. at ſolis lumen ſemper eſt vnum & idem. quòd ſi verum eſſet, ſolem humoribus ali: non ſolùm quotidie nouus ſol oriretur, ſed ſemper & aſſiduè nouus eſſet: quod falſum atque abſurdum eſt. PENDDENTES LYCHNI) Virgil. lib. 1. Æneid. dependent lychni laquearibus aureis.

FVLGVRIBVS) id eſt fulgoribus, vt ſæpe aliàs.

SVPPEDITARE) nunc ἐπιχορηγεῖς, ſubminiſtrare, præbere, πορίζειν.

INSTANT: INSTANT) epanaphora.

TOLERATVR) ſuſtentatur. ſic Cæſar dixit lib. 1. domi nihil erat, quo famem tolerarent. in cod Memmiano tamen legitur, celeratur. & ita in Florentinis: omnino mendosè. SVBORTV) ſic legendum, ſubortu, vno vocabulo, à verbo ſuborior: quod eſt in alterius locum orior. Lucret. lib. 1. Quare etiam, atque etiam ſuboriri multa neceſſe eſt. & lib. 2. in extr. Vnde queat tantùm ſuboriri, ac ſuppeditare, &c. ET PRIMVM QVIDQVID) id eſt, & primum quicque.

FLAMMAI) cod. Memm habet, flāmarū. & ita Florent. ego tamen nihil muto.

Denique non lapides quoque vinci cernis ab æuo?
Non altas turreis ruere, & putreſcere ſaxa?
Non delubra Deûm, ſimulacráque feſſa fatiſci?
Nec ſanctum numen fati protollere fineis
Poſſe? neque aduerſus naturæ fœdera niti?
Denique non monumenta virûm dilapſa videmus?
'Cedere proporrò, ſubitóque ſeneſcere caſu?
Quærere proporro, ſubitóque ſeneſcere credas?'
Non ruere auolſos ſilices à montibus altis?
Nec validas æui vireis perferre, patíque
Finiti? neque enim caderent auolſa repentè,
Ex infinito quæ tempore pertoleraſſent
Omnia tormenta ætatis, priuata fragore.
Denique iam túere hoc circùm, ſuperáque: quod omnem

Continet amplexu terram: quod procreat ex ſe
Omnia (quod quidam memorant) recipítque peremta:
Totum natiuum mortali corpore conſtat.
Nam, quodcumque alias ex ſe res auget, alítque,
Deminui debet, recreari cùm recipit res.
Præterea ſi nulla fuit genitalis origo
Terraï, & cæli: ſempérque æterna fuere:
Cur ſupera bellum Thebanum, & funera Troiæ,
Non alias alij quoque res cecinere poëtæ?
Quò tot facta virûm toties cecidere, neque vſquam
Æternis famæ monumentis inſita florent?
Verùm (vt opinor) habet nouitatem ſumma, recénſque
Natura'ſt mundi, neque pridem exordia cepit.
Quare etiam quædam nunc artes expoliuntur:
Nunc etiam augeſcunt: nunc addita nauigiis ſunt
Multa: modò organici melicos peperere ſonores.
Denique natura hæc rerum, ratióque reperta'ſt
Nuper, & hanc primus cum primis ipſe repertus
Nunc ego ſum, in patrias qui poſſim vertere voces.
Quòd ſi fortè fuiſſe antehac eadem omnia credis:
Sed periiſſe hominum torrenti ſæcla vapore:
Aut cecidiſſe vrbeis magno vexamine mundi:
Aut ex imbribus adſiduis exiſſe rapaceis
Per terras amneis, atque oppida cooperuiſſe:
Tanto quippe magis victus fateare neceſſe'ſt,
Exitium quoque terraï, cæliq́ue futurum.
Nam cùm res tantis morbis, tantiſq; periclis
Tentarentur: ibi ſi triſtior incubuiſſet
Cauſa, darent latè cladem, magnáſque ruinas.
Nec ratione alia mortales eſſe videmur
Inter nos: niſi quòd morbis ægriſcimus iſdem,
Atque illi, quos à vita natura remouit.
Præterea, quæcumque manent æterna, neceſſe'ſt
Aut, quia ſunt ſolido cum corpore, reſpuere ictus,
Nec penetrare pati ſibi quidquam, quod queat artas
Diſſociare intus parteis, vt materiaï
Corpora ſunt, quorum naturam oſtendimus antè:
Aut ideò durare ætatem poſſe per omnem,
Plagarum quia ſunt expertia, ſicut inane'ſt,

Quod manet intactum, neque ab ictu fungitur hilum:
Aut etiam, quia nulla loci ſit copia circùm,
Quò quaſi res poſſint diſcedere, diſſoluíque,
Sicut ſummarum ſumma'ſt æterna, neque extrà
Quis locus eſt, quò diſſiliant: neque corpora ſunt, quæ
Poſſint incidere, & valida diſſoluere plaga.
At neque (vti docui) ſolido cum corpore mundi
Natura'ſt, quoniam admiſtum'ſt in rebus inane:
Nec tamen eſt vt inane, neque autem corpora deſunt,
Ex infinito quæ poſſint fortè coorta
Proruere hanc rerum violento turbine ſummam,
Aut aliam quamuis cladem importare pericli.
Nec porrò natura loci, ſpatiúmque profundi
Deficit, exſpergi quò poſſint mœnia mundi,
Aut alia quauis poſſint vi pulſa perire.
Haud igitur leti præcluſa'ſt ianua cælo,
Nec ſoli, terræ'que, nec altis æquoris vndis:
Sed patet immani, & vaſto reſpectat hiatu.
Quare etiam natiua neceſſum'ſt confiteare
Hæc eadem. neque enim mortali corpore quæ ſunt,
Ex infinito iam tempore adhuc potuiſſent
Immenſi validas æui contemnere vireis.

AB ÆVO) *à tempore, à temporis longinquitate.* FATISCI?) *defetiſci?* Attius. *Tamen haud fatiſcar, quin tuam opem implorem.* Idem. *vereor, ſi vmquam fatiſcar facere quicquid quibo boni.* Idem *valet, fatiſco.* Lucret. *ſup. lib. 3. & (vt docui) ſimul æuo feſſa fatiſcit.* FATI PROTOLLERE FINEIS) *ſecutus eram initio codicem* Bertin. *&* Vatic. *& vulgatos ferè omneis,* Pariſ. *vtroſque* Venetos, Lugdunenſes: *in quibus eſt, procellere. Nunc ex aliis veteribus libris, qui, vt olim lectori indicaui, habent partim, protellere, partim, prætollere, protollere, edendum curaui: quod tamen non diſſimulabo, homini cuidam de me male merito, qui me læſit nulla iniuria laceſſitus, in mentem veniſſe, ne, quod in altero reprehendo, in eo ipſe peccare reperiar.* Protollere *autem fineis fati, dictum, pro, diem mortis proferre.* Vſus *eſt hoc eodem verbo &* Plautus *non ſemel, neque vno loco. Sed vno, atqi altero exemplo contenti erimus. ſic* Caſina. Protollo *mortem mihi.* Ibidem. *quia ſi fe des vxorem* Olympioni, *neque tuam, neque ſuam, neque viri vitam ſinet in craſtinum protolli.* CEDERE PROPORRO) *nihil mutaui in hoc verſu. veruntamen nõ celabo lectorem, in codicibus quattuor manuſcr.* Vatic. Tett. Faern. Memmian. *ita legi,* Quærere proporro ſibicunque ſeneſcere credas? *cuius ſcripturæ rationem exputare non poſſum. docti quidam in voce. proporro, mendum ſubeſſe ſuſpicantur, & legendũ, proretrò cẽſent. Ego nunc vtrumque verſum & eum, qui in codicibus antiquis reperitur, & eum, qui in vulgatis & recẽtioribus, ſpuriũ, & ſup-*

poſitum eſſe arbitror. NON RVERE AVOLSOS) *hunc verſum profert Nonius in voce.ſilices.* TORMENTA ÆTATIS) *tralatio eſt vel à tormentis bellicis, vel à quæſtionibus.*

PRIVATA) *refer ad vocem, ſaxa, non tormenta.*

DENIQVE IAM TVERE) *túere, aſpice, à verbo tuor. Deniq; aſpice hoc cælum, (inquit) ſic Ennius, Aſpice hoc ſublime candens, quem inuocant omnes Iouē.*

AMPLEXV) *ambitu. M. Tull. ex Eurip. Qui tenero terram circumactu amplectitur.* QVOD PROCREAT EX SE) *tamquam pater.*

DEMINVI DEBET) *ſic habent codices manuſcripti. Vaticanus, Tettian: Faërn. Memm. Bertin. typis impreßi verò, Diminui debet.*

GENITALIS) *principialis ſeu potius gignens, aut ad gignendum pertinens. de qua voce ſuprà ſatis multa libro primo.*

SVPERA BELLVM THEB.) *ſupera, id eſt, ſupra. de quo aliàs diximus. Fuit autem bellum Thebanum antiquius Troiano. lege Macrob. lib. ſecundo comm. in ſomn Scip. vbi eadem fere argumenta leges aduerſus mundi æternitatem.*

SVMMA) *mundus.* NVNC ETIAM AVGESCVNT) *cod. Vatic. habet, Nunc autem augeſcunt. ſic Demoſth. Philipp. nona, quæ vulgò tertia inſcribitur, ait, cùm alia multa ſua ætate immutata, & meliora facta eſſe, & creuiſſe, tùm ea maxime, quæ ad rem militarem pertinent,* ἐγὼ δὲ ἁπάντων, ὡς ἔπος εἰπεῖν, πολλὴν εἰληφότων ἐπίδοσιν, καὶ οὐδὲν ὁμοίων ὄντων τῶν νῦν τοῖς πρότερον, οὐδὲν ἡγοῦμαι πλέον, ἢ τὰ τοῦ πολέμου κεκινῆσθαι καὶ ἐπιδεδωκέναι. *& Ariſtoteles lib. de rep. 7. cap. 11. vbi quærit, vtrùm vrbes muris eſſe munitas, an, vt Spartā, nullis mœnibus ſæptas oporteat, ait, ſuis iam temporibus multa & telorum, & tormentorum genera ad vrbium expugnationes exquiſitißima, ac perfectißima eſſe reperta, quæ antiquioribus fuerint ignota.* ORGANICI) *vt tibicines, fidicines, citharœdi. ſup. lib. 2. Ac muſæa mele, per chordas organici quæ Mobilibus digitis expergefacta figurant.*

DENIQVE NATVRA HÆC) *lege Lactantium Firmian. lib. 3. de falſa ſapient. cap. 16. vbi hunc locum profert.*

ET HANC PRIMVS) *Quocirca non immeritò illud de ſe prædicauit, quod eſt initio lib. 4. & in primo lib. non lōgè ab extr. Auia Pieridum peragro loca, nullius antè Trita ſolo, &c.* IN PATRIAS QVI POSS. VERT.) *qui poßim conuertere in Latinum ſermonem. Fuit enim Lucretius, Romanus.*

QVOD SI FORTE FVISSE ANTEHAC, &c.) *huc pertinent ea, quæ ſunt apud Platon. in Timæo non longè à princip. vbi ſenex ille Ægyptius ſacerdos cum Solone loquens, ait, Græcos ſemper eſſe pueros, neque quicquam antiquum noſſe, propterea quòd multis non vno tempore in Græciam vel ab ignibus, vel ab aquarum diluuionibus, cladibus importatis, non potuerit à maioribus ad poſteros rerum præteritarum cognitio quaſi per manus tradita peruenire. Nonnulli autem legunt hîc: Quòd ſi forte fuiſſe antè hæc eadem omnia credis, &c.*

VAPORE) *calore.* COOPERVISSE) *in verbo, cooperuiſſe, duæ vocales oo. cooleſcunt in vnam ſyllabam: vt ſuprà lib. 2. Tandem cooluerint ea, quæ coniecta repente, Magnarum, &c.* TENTARENTVR) *pulchrè dictum, tentari morbo, periculo, incommodo ſic lib. 1. Quæ nondum clueant vllo tentata periclo. & 2. nullo primordia poſſe dolore Tentari.*

IBI SI TRISTIOR INCVB. CAVSA) *hoc negat metuendum eſſe Ariſtot. lib. de mundo cap. 5. Quin etiam ait diluuiones aquarum, & incendia, de-*

flagrationéſque terrarum ad ſalutem vniuerſi valere, his verbis, ἥ τε γῆ φυτοῖς κομῶσα παντοδαποῖς, *&c.* τὴν ἀγήρω φύσιν ὁμοίως τηρεῖ, καίτοι καὶ σεισμοῖς τινασσομένη, καὶ πλημμυρίσιν ἐπικλυζομένη, πυρκαϊαῖς τε κατὰ μέρος φλογιζομένη. ταῦτα δὲ πάντα ἔοικεν αὐτῇ πρὸς ἀγαθοῦ γινόμενα, τὴν δι' αἰῶνος σωτηρίαν παρέχειν. σειομένης τε γὰρ διεξάττουσιν αἱ τῶν πνευμάτων παρεμπτώσεις κατὰ τὰ ῥήγματα τὰς ἀναπνοὰς ἴσχουσαι, καθὼς ἄνω λέλεκται, καθαιρομένη τε ὄμβροις, ἀποκλύζεται πάντα τὰ νοσώδη· περιπνεομένη δὲ αὔραις, τά τε ὑφ' αὐτὴν, καὶ τὰ ὑπὲρ αὐτὴν εἰλικρινεῖται: καὶ μὴν καὶ αἱ φλόγες μὲν τὸ παγετῶδες μαλάττουσιν. οἱ πάγοι δὲ τὰς φλόγας ἀνιᾶσι. καὶ τῶν ἐπὶ μέρους τὰ μὲν γίνεται, τὰ δὲ ἀκμάζει, τὰ δὲ φθείρεται: *id eſt, & terra ſtirpibus & plantis variis ornata, ac veſtita, &c. naturam ſenectutis expertem pariter retinet, cum tamen & motibus concutiatur, & ab aquis inundantibus obruatur, & incẽdiis non tota quidem, ſed quibuſdam ſuis partibus deflagret. Hæc autem omnia videntur ei boni gratia euenientia æternam ſalutem afferre. Nam & cùm concutitur, diſsiliunt, ac diflantur interiecti ſpiritus, reſpirandi viam per terræ parteis effractas reperientes, quemadmodum ſuprà dictum eſt: & cùm imbribus purgatur, rebus omnibus inſalubribus & morboſis abluendo leuatur: cùm autem à ventis perflatur, & quæ ſub ea ſunt, & quæ ſuprà, pura redduntur. Iam verò flammæ quidem id quod glaciei natura præditum eſt, denſant: conglaciationes autem flammas remittunt: & rerum ſingularium aliæ oriuntur, aliæ florent, aliæ intereunt.*

PRÆTEREA QVÆCVMQVE) *hoc eodem argumento, atq; adeò iiſdem verſibus ſuprà lib 3. vſus eſt, vbi probare conatur, animum eſſe mortalẽ. Quare quæ ad locum illum notauimus, inde repetat lector, ſi quid requiret.*

HAVD IGITVR LETI) *ſic lib 3. de anima. Haud igitur leti præcluſa eſt ianua menti.* SED PATET) *ſed ianua leti valde latè, & vaſtè retrorſum patefacta eſt.* CONTEMNERE VIREIS) *in duobus manuſcript. codicibus ſcriptum erat contempnere: quod eò notaui, vt intelligat lector, eodem errore ductos eſſe eos, qui contempſi, contemptum, ſumpſi, ſumptum, & ſimilia ſcribunt cum p. atque eos, qui contempno, dampno, tempto, & ſimilia.*

Denique, tantopere inter ſe cùm maxima mundi
Pugnent membra, pio nequaquàm cóncita bello:
Nónne vides, aliquam longi certaminis ollis
Poſſe dari finem? vel quom ſol, & vapor omnis,
Omnibus epotis humoribus, exſuperarint:
Quod facere intendunt, neque adhuc conata patrantur:
Tantum ſuppeditant amnes, vltróque minantur
Omnia diluuiare ex alto gurgite ponti:
Nequicquam, quoniam verrentes æquora venti
Deminuunt, radiiſque retexens ætherius ſol:
Et ſiccare prius confidunt omnia poſſe,
Quàm liquor incepti poſſit contingere finem.
Tantum ſpirantes æquo certamine bellum
Magnis de rebus inter ſe cernere certant,
Cùm ſemel in terra fuerit ſuperantior ignis:
Et ſemel (vt fama 'ſt) humor regnarit in aruis.

Ignis enim ſuperauit,& ambens multa peruſſit,
Auia quom Phaëthonta rapax vis ſolis equorum
AEthere raptauit toto,terraſque per omneis.
At pater omnipotens,ira tum percitus acri,
Magnanimum Phaëthonta repenti fulminis ictu
Deturbauit equis in terram:ſolque cadenti
Obuius æternam ſuccepit lampada mundi:
Disiectóſque redegit equos,iunxítque trementeis:
Inde ſuum per iter recreauit cuncta gubernans,
Scilicet vt veteres Graiûm cecinere poëtæ:
Quod procul à vera nimis eſt ratione repulſum.
Ignis enim ſuperare poteſt,vbi materiai
Ex infinito ſunt corpora plura coorta:
Inde cadunt vires aliqua ratione reuictæ:
Aut pereunt res exuſtæ torrentibus auris.
Humor item quondam cœpit ſuperare coortus,
Vt fama'ſt hominum,multas quando obruit vrbeis.
Inde vbi vis aliqua ratione auerſa receſſit,
Ex infinito fuerat quæcumque coorta:
Conſtiterunt imbres,& flumina vim minuerunt.

CVM MAXIMA MVNDI PVGN. MEMB. PIO NEQVAQ. CONC. BEL.) *Cùm maximæ mundi partes inter ſe pugnẽt,impio bello cõcitatæ, quale eſt bellum ciuile & inteſtinum. Hæc eſt illa fortaſſe pugna,quam finxit* Hom. *lib.ιλ.υ.qui inſcribitur,θεῶν μάχη inter* Apollinem *&* Neptunum.*per* Apollinẽ *enim ſol ſignificatur:per* Neptunum *mare,& aquarum natura.Hi igitur poſteaquam ſatis diu inter ſe decertarunt, cedunt ad extremum inter ſe,quia par erat,& id,quod ab altero alitur,cum ſuo pabulo non diutius pugnare: & alterius pabulum, ab eo, cuius pabulum eſt,non ſuperari,neque ad nihilum redigi. Quod ſignificat* Homerus *eo,quem dixi,libro.* Apollo *enim,per quem ſol, & ardor ſignificatur, pugnans cum* Neptuno,*per quẽ humor,& mare,ſinit ad extremum ſe vinci. Nam ſi ſol omnẽ humorem ebiberet,atque exhauriret,hic pulcherrimus mundi ornatus ardore conflagraret.* ET VAPOR)*& calor.* OMNIBVS EPOTIS HVMORIB.) *Omnibus exhauſtis humoribus:quod cùm fiet,vt nos* Chriſtiani *futurum credimus, tum non ſolùm totus orbis terrarum,ſed etiam mundus hic vniuerſus,flammis conſumtus,interibit.* EXSVPERARINT,*ſuperiores fuerint.*

CONATA) *ſic* Accius *apud* Nonium *ego incipio.conata exſequar. &* Cornel. Nepos *in* Dione.*verens,ne prius cõſilium aperiretur ſuum,quàm conata perfeciſſet.*

TANTVM SVPPEDITANT) *vel accipe* ἀπερχυπτικῶς, *tantum humoris ſuppeditant,vel abſolutè,vſque adeò ſuppetunt,*ἀφθόνως.

DILVVIARE, *diluuie obruere.*

SPIRANTES) πνέοντες. M. Tullius *lib 3. ad* Quintum Fratrem, *in primíſque* ἀξιοπιστον Q. Scæuola. CERNERE, *decernere,& controuerſiam diiudicare,*

ac finire. ſic Pacuuius. Et æquum, & rectum eſt, quod poſtulas, iurati cernãt. ſic dicimus, vitam cernere. Ennius. Ferro, non auro, vitam cernamus vtrique. Idem. Ter ſub armis malim vitam cernere, quàm ſemel modò párere. Iterum Lucretius ſuprà lib. 4. Nautæ cum ventis contractum cernere bellum.

SVPERANTIOR) ἐγκρατέστερος, κρείττων, potentior, validior.

AMBENS) participium eſt vel à verbo ámbedo, vel à verbo ambio, vt ſit poſitum ambens pro ambiens.

AVIA CVM PHAETHONTA) nota eſt fabula Phaëthontis, & eã perſequitur Ouid. Metamorph. lib. ſecundo, initio. Plato in Timæo, quid hæc fabula ſignificet, docet, vt mox dicemus.

AT PATER OMNIPOTENS) Ouid. lib. 2. Metamorph. At pater omnipotens ſuperos teſtatus & ipſum, Qui dederat currus, &c. Vergil. lib. 6. Æneid. At pater omnipotens denſa inter nubila telum, &c.

DETVRBAVIT EQVIS IN TERRAM) ſed excepit eum Eridanus, fumantiáque abluit ora, (inquit Ouidius.) Ariſtotel. autem, περὶ θαυμασ. ἀκουσμ. ſcribit, Electridas inſulas in latebris, & receſſu Adriæ, ab Eridano fluuio quondam fuiſſe exaggeratas: & etiam nunc videre licere paludem ei fluuio propinquam, cuius aqua calida eſt, ex quáque odor exſpiratur teterrimus: huius autem loci incolas dicere, Phaëthontem fulmine percuſſum, in hanc paludem decidiſſe.

QVOD PROCVL A VERA NIMIS EST RATIONE REPVLSVM.) Idem & Platoni videtur in Timæo, cuius hæc verba ſunt. τὸ γὰρ οὖν καὶ παρ' ὑμῖν λεγόμενον, ὥς ποτε Φαέθων Ἡλίου παῖς τὸ τοῦ πατρὸς ἅρμα ζεύξας διὰ τὸ μὴ δυνατὸς εἶναι κατὰ τὴν τοῦ πατρὸς ὁδὸν ἐλαύνειν, τά τ' ἐπὶ γῆς ξυνέκαυσε, καὶ αὐτὸς κεραυνωθεὶς διεφθάρη, τοῦτο μύθου σχῆμα ἔχον λέγεται· τὸ δ' ἀληθές ἐστι τῶν περὶ γῆν, καὶ κατ' οὐρανὸν ἰόντων παράλλαξις, καὶ διὰ μακρῶν χρόνων γιγνομένη τῶν ἐπὶ γῆς πυρὶ πολλῷ φθορά. id eſt, Nam quòd etiã apud nos dicitur, Phaëthontẽ ſolis filium, olim patris curru iuncto, propterea quòd non potuerit patria via aurigari, & ea, quæ ſunt in terra exuſsiſſe, & ipſum fulmine percuſſum periiſſe: hoc quidem dicitur per fabulæ figuram: re vera autem ſignificatur & eorum, quæ ſunt in terra, eorúmque, quæ in cælo & cum cælo mouentur, immutatio, tum is, qui fit longo interuallo interpoſito, rerum, quæ in terra ſunt, multis ignibus graſſantibus, interitus. Ariſtoteles item Phaëthontis fabulam refert ad incendia, & flammas ex cælo profectas, quæ parteis mundi ad orientem ſpectanteis exuſſerunt. ſic enim ille libro quarto de mundo, in extremo. πυρκαϊαί τε, ὧν φλόγες αἱ μὲν ἐξ οὐρανοῦ γενόμεναι πρότερον, ὥσπερ φασὶν ἐπὶ Φαέθοντος, τὰ πρὸς ἕω μέρη κατέφλεξαν. &c. i. incendia & flammæ ea quidẽ, quæ ex cælo antea exortæ, quẽadmodum ferunt Phaëthontis ætate, parteis Orientaleis exuſſerunt, &c. Ita autem reſtituit hũc verſum Adrian. Turneb. vulgo enim legitur, à vera eſt animi rat. rep.

ALIQVA RATIONE REVICTÆ.) i. aliqua ratione viciſsim victæ.

VT FAMA EST HOMINVM) ſic eſt diſtinguendum: quod loquendi genus agnoſcent Latinè docti. M. Tull. pro Cluentio non timuiſſe ſi minus vim deorum, hominúmque famam, &c. Idem pro Sylla At ſi tibi nos peregrini videmur, quorum iam & nomen, & honos inueterauit & huic vrbi, & hominum famæ, ac ſermonibus, &c. Idem de Haruſp. reſp. mitto illam veterem ab ipſis diis immortalibus, vt hominum fama eſt Hetruriæ datam diſciplinam.

MVLTAS QVANDO OBRVIT VRB.) cùm reperiſſem ſcriptum in cod. Vatican. multas quando obruit ũdis, repoſui, vrbeis. nam ſæpe obſeruaui, in li-

bris veteribus lineam paruam suprà duci pro r. vt coōta pro coorta, tūba pro turba, ōdine pro ordine. Praeterea sine vlla varietate sic habet liber Florentiae impreſſus. Non probauit hanc emendationem Zoilus. *quid mirum? quae dulcia ſunt, amara videntur ei, qui febrem habet, aut cui alioqui palatum corruptum eſt. Atqui ſatis oſtendi, hoc genus loquendi, vt fama eſt hominum, bonis ſcriptoribus eſſe vſitatum. Iam verò hoc, multas obruit vrbeis, homines, qui aliquid videant in his litteris, agnoſcent, & probabunt: illud contrà, hominum multos obruit vndis, non item: vt taceam, quòd, cùm Lucretius ſignificare velit inſignem diluuiem: non ſatis eam his verbis exprimeret, multos hominum, ſiue multos homines obruit vndis. quid eſt enim, multos homines vndis eſſe obrutos? ſi centum, ſi quinquaginta obruti ſunt, multi obruti ſunt. At nunc ex hac mea lectione multae vrbes obrutae ſunt. quae verborum ſententia cum Lucretij ſenſu conſentanea eſt. Confirmat denique hanc lectionem hiſtoria, nuntia vetuſtatis, & teſtis temporum praeteritorum. Qua de re ſic Arnob. lib. 1. Terrarum validiſſimis motibus tremefactae nutant vſque ad periculum ciuitates. Quid? hiatibus maximis interceptas vrbeis cum gentibus ſuperiora tempora non viderunt? aut ab huiuſmodi caſibus fortunas habuere ſecuras? His adde quae de vrbibus terrae motu abſumtis canit ipſe Lucretius lib. 5. ibi. In Tyria Sidone quod accidit, &c. Diſrumpatur igitur Zoilus.*

CONSTITERVNT) *repreſſi, & cohibiti ſunt: vel ſe cohibuerunt.*

Sed quibus ille modis coniectus materiaï
Fundarit cælum, ac terram, pontíque profunda,
Solis, lunaï curſus, ex ordine ponam.
Nam certè neque conſilio primordia rerum
Se ordine quæque ſuo, atque ſagaci mente, locarunt:
Nec, quos quæque darent motus, pepigere profectò:
Sed quia multa modis multis primordia rerum
Ex infinito iam tempore percita plagis,
Ponderibúſque ſuis conſuerunt cóncita ferri,
Omni'modiſque coïre, atque omnia pertentare,
Quæcumque inter ſe poſſent congreſſa creare:
Propterea fit, vti magnum volgata per æuum,
Omnigenos cœtus, & motus experiundo,
Tandem ea conueniant, quæ vt conuenere, repente
Magnarum rerum fiant exordia ſæpe,
Terraï, maris, & cæli, generíſque animantum.
Hîc neque tum ſolis rota cerni lumine largo
Altiuolans poterat, neque magni ſidera mundi,
Nec mare, nec cælum, nec denique terra, neque aër,
Nec ſimilis noſtris rebus res vlla videri:
Sed noua tempeſtas quædam, moléſque coorta.
Diffugere inde loci partes cœpere, paréſque

Cum paribus iungi res,& diſcludere mundum,
Membráque diuidere,& magnas diſponere parteis
Omnigenis è principiis:diſcordia quorum,
Interualla,vias,connexus,pondera,plagas,
Concurſus,motus turbabat,prœlia miſcens,
Propter diſsimileis formas,variáſque figuras,
Quòd non omnia ſic poterant coniuncta manere,
Nec motus inter ſeſe dare conuenienteis:
Hoc eſt à terris altum ſecernere cælum,
Et ſeorſum mare vti ſecreto humore pateret,
Seorſus item puri,ſecretíque ætheris ignes.

SED QVIBVS ILLE MODIS) *Nunc aggreditur ad explicandũ,quo pacto ex corporibus primis,quæ neque conſilio,neque certo fœdere inito mouentur, factus ſit mundus. Totus autem hic locus de mundi, & partium mundi concretione, videtur propè ad verbum expreſſus, (niſi quòd vberius à Lucretio tractatur) ex iis,quæ exponuntur à Plutarcho lib. 1. περὶ τῶν ἀρεσκό l. quæ ſuis locis membratim & particulatim referam : nunc autem vniuerſa Latine reddã,quòd exiſtimẽ, ea magnam lucem huic loco allatura Sic igitur Plutarchus, vt quidem Latine vertimus:Mundus in globoſam figuram conformatus,hoc modo concreuit. Cùm prima corpora ſine conſilio,& fortuitu mouerentur, aßiduóque ac celerrimo motu agitarentur,in idem multa cõuenerunt, & coierunt,& propterea, varietate figurarum, & magnitudinum prædita. His autem in eode loco coactis, & coaceruatis,ea quidem,quæ maiora erãt,& grauißima,omnino ſubſidebant:quæ parua verò,& rotunda,& læuia,& lubrica,hæc etiam exprimebantur in primorũ corporum concurſu,& in altum ferebantur. Vbi igitur ad verberãdum apta poteſtas defecit, ea, inquam,quæ in altum extollebat neq; iam plaga in ſublime tollebat, in inferiorem verò locum hæc ferri prohibebãtur:ad ea loca,quæ recipere poterant, vrgebantur: hæc autem erãt illa loca,quæ ſunt in extremis orũ mundũ ambientibus : & ad hæc corpuſculorũ multitudo reflectebatur. Implicata autẽ inter ſe,& impedita ex reflexione, mundũ genuerunt. Porrò hæc eadem natura prædita corpuſcula, cùm eſſent varia,vt diximus,in altum ſublata,aſtrorum naturam perfecerunt. multitudo autem corporum,quæ ſurſum ſubuehebantur,aëra verberabat & hunc exprimebat. Impletus autẽ aer ſpiritu,atque inflatus ex agitatione,& motu & aſtra vnà comprehendens,ea vnà circumagebat, & eorum cõuerſionem ſublimem ſeruabat. Deinde ex iis, quæ ſubſederunt, terra genita eſt : ex iis verò, quæ ſublimè ferebantur, cælum, ignis,æther. multa autem etiam materia in terra reſtante,eáq; condenſata & ſtipata,& flatuum verberibus, & aurarum ex aſtris exſiſtẽtium ictibus,comprimebatur huius figuratio ex partibus minutis conſtãs,& humidam naturam genuit. Cùm eſſet autem hæc fluida,& diffuſilis,in caua terræ loca & ad capiendũ, continendúmque idonea deferebatur : at aqua,cum per ſe ſubſediſſet, loca ſubiecta excauabat. Præcipuæ igitur mundi partes ad hunc modum genitæ ſunt.*

CONIECTVS) *congreſſus, aceruus,coitus, ſeu cœtus primorum corporum. quidam legunt,conlectus:alij congeſtus ego nihil muto. quamquam,conlectus,non improbo.* PONTIQVE PROFVNDA) *ſic dictum,ponti profunda,*

vt, vera viaï, vltima naturaï, &c. SOLIS, LVNAI) *ſecutus ſum codic. Teſtian. & Faërn. in quibus ita ſine vlla litura legitur: in codice Vatic. autem. Solis, lunæ curſus, vt facile appareat, copulationes, que, &, quæ reperiuntur in libris vulgatis, poſterius eſſe ab aliquo adiectas. Sic enim in eis legitur, Soliſque & lunæ, &c.* NAM CERTE' NEQVE CONSILIO) *hic verſus cum duobus deinceps ſequentibus iam ſuprà poſiti ſunt lib. 1.* QVÆ VT CONVENERE) *cùm in omnibus libris manuſcriptis ſcriptum reperiſſem: quæ conuenêre, non, vt eſt in quibuſdam vulgatis, ea quæ conuenta ſic repoſui, quæ vt conuenêre: id eſt, ea principia, quæ cùm conuenerunt, & congreſſa ſunt, &c. Licet tamen hunc locum emendare ex illo, qui eſt huic ſimillimus, & planè geminus, lib. 2. Tandem cooluerint ea, quæ coniecta, (vel, vt alij legi volunt) conlecta repente, &c. licet etiam legere, ea, quæ coniuncta rep. vt infrà. poterant coniuncta manere. Harum emendationum Zoilus poſtremam arripuit, vt ſuam.*

ALTIVOLANS) *ſic legendum, & ita habent duo lib. manuſcrip. & aliquot impreſſi. ita denique legit Macrob. lib. 6. Saturn. vulgati enim mendoſè habẽt, Alta volans. Talia ſunt illa, clarisitas, infrà eod lib. & altitonans, 1 id.*

INDE LOCI) *id eſt, ab illo loco, ſeu potius ab illo tempore. ſic Ennius apud Feſtum, inde loci lituus ſonitus effudit acutos. & iterum Lucret. infrà eodem libro, inde loci mortalia ſæcla creauit, &c.*

DISCLVDERE, *Virgil. in Sileno. Tum durare ſolum, & diſcludere Nerea ponto Cœperit. Nam Macrobius lib. 6. Saturn cap 4 hæc Lucretiana cum illis Virgilianis comparat. diſcludere autem, id eſt, diſcernere, diſtinguere diſparare.*

HOC EST A TERRIS) *non poterant principia (inquit) inter ſe dare motus conuenienteis, hoc eſt, non poterant a terris cælum ſeparare, &c.*

Quippe etenim primùm terraï corpora quæque,
Propterea, quòd erant grauia, & perplexa, coïbant
In medio, atque imas capiebant omnia ſedes.
Quæ quanto magis inter ſe perplexa, coïbant,
Tam magis expreſſere ea, quæ mare, ſidera, ſolem,
Lunámque efficerent, & magni mœnia mundi.
Omnia enim magis hæc è læuibus, atque rotundis
Seminibus, multóque minoribu' ſunt elementis,
Quàm tellus. ideò per rara foramina terræ
Partibus erumpens primus ſe ſuſtulit æther
Signifer, & multos ſecum leuis abſtulit igneis,
Non alia longè ratione, ac ſæpe videmus,
Aurea cùm primùm gemmanteis rore per herbas
Matutina rubent radiati lumina ſolis,
Exhalantque lacus nebulam, fluuiíque peremnes:
Ipſa quoque interdum tellus fumare videtur:
Omnia quæ ſurſum cùm conciliantur in alto:
Corpore concreto ſubtexunt nubila cælum.

Sic igitur tum ſe leuis, ac diffuſilis æther
Corpore concreto circumdatus vndique ſæpſit:
Et latè diffuſus in omneis vndique parteis,
Omnia ſic auido complexu cetera ſæpſit.

PERPLEXA) implicata, & connexa. COIBANT IN MEDIO, ATQVE IMAS CAP.) id eſt, coibant, & ſubſidebant in medio, qui locus eſt infimus. Sic autem emendauit Adr. Turnebus. Nam vulgò legitur, coibat, In medióque imas cap. omn. ſedes. ſic Epicurus. Κἄπειτα ἐκ τῶν ὑποκαθιζόντων ἐγεννήθη ἡ γῆ, &c. id eſt, deinde ex iis corpuſculis, quæ ſubſidebant, facta eſt terra.

TAM MAGIS EXPRESS.) Epicurus. Ἐκ δὲ τῶν μετεωριζομένων, οὐρανὸς, πῦρ, ἀήρ. id eſt, ex corpuſculis autem, quæ ſublime ferebantur, factum eſt cælum, ignis, aër. Idem apertius. περιπλακέντα δὲ ἀλλήλοις κατὰ τὴν περίκλασιν, τὸν οὐρανὸν ἐποίησαν: id eſt, implicata autem inter ſe, & perplexa, cælum fecerunt. Sequitur deinceps: τῆς δ' αὐτῆς ἐχόμεναι φύσεως αἱ ἄτομοι, ποικίλαι οὖσαι, καθὼς εἴρηται, πρὸς τὸ μετέωρον ἐξωθούμεναι, τὴν τῶν ἀστέρων φύσιν ἀπετέλεσαν. id eſt, Ea vera corpuſcula, quæ eandem naturam erant adepta, cùm eſſent varia, quemadmodum dictum eſt, in ſublime expreſſa, atque extruſa, aſtrorum naturam perficiebant. expreſſere igitur, id eſt, quod Græci dicunt, & Epicurus vſurpabat, ἐξέθλιψαν, per expreſſionem, ſeu exprimendo emiſere. OMNIA ENIM MAGIS HÆC) nempe, mare, ſidera, ſol, luna: vel aër, ſidera, ſol, luna. Nam ſic quidam legunt ſuprà: expreſſere ea, quæ aëra, ſidera, ſolem, &c. ÆTHER SIGNIFER) ſic habent omnes lib. & manuſcripti, & typis excuſi. nonnulli tamen legunt, Ignifer. & ita infrà paucis pòſt verſibus. inde æther ignifer ipſe. ſed lib. 6. perſpicuè, & ſine cõtrouerſia ſigniferum dicit æthera. Vrget enim quoque ſigniferi ſuper ætheris æſtus. Ariſtot. quidem lib. de mundo, & lib. 1. de cælo, negat, æthera eſſe igneum, idémque ait dictũ eſſe ἀπὸ τοῦ ἀεὶ θεῖν, non ἀπὸ τοῦ αἴθειν: id eſt ab eo, quod ſemper currat, & moueatur, nõ ab ardendo. GEMMANTEIS) ſic ſupr. lib. 2. Inuitant herbæ gemmantes rore recenti. EXHALANTQVE) & exhalant nebulam, ἀναθυμιάσεις. de quo ſup.

CONCILIANTVR) congregantur. SIC IGITVR TVM SE) ſic legendum. tum, autem id eſt, cum mundus naſci cœpit.

DIFFVSILIS) qui facile diffunditur. ῥᾳδίως διαχεόμενον. Nam quamquam hoc Epicurus de aqua dixit, idem tamen in aëra quadrat, quippe qui humidior ſit, quam aqua, vt vult Ariſtoteles. AVIDO) vaſto, & ingenti, vt ſup. Inde auidam partem montes, ſiluæque ferarum, &c.

Hunc exordia ſunt ſolis, lunæque ſecuta:
Inter vtroſque globi quorum vertuntur in auris:
Quæ neque terra ſibi aſciuit, neque maximus æther:
Quòd nec tam fuerint grauia, vt depreſſa ſederent:
Nec leuia, vt poſſent per ſummas labier oras.
Et tamen inter vtroſque ita ſunt, vt corpora viua
Verſent, & partes vt mundi totius exſtent.
Quod genus, in nobis quædam licet in ſtatione
Membra manere, tamen cùm ſint ea, quæ moueantur.

Hiſigitur rebus retractis,terra repentè,
Maxima quà nunc ſe ponti plaga cærula tendit,
Súccidit,& ſalſo ſuffudit gurgite foſſas.
Inque dies quanto circum magis ætheris æſtus,
Et radij ſolis cogebant vndique terram
Verberibus crebris extrema ad limina apertam,
In medio vt propulſa ſuo condenſa coïret:
Tam magis expreſſus ſalſus de corpore ſudor
Augebat mare manando,campóſque natanteis:
Et tanto magis illa foras elapſa volabant
Corpora multa vaporis,& aëris,altáque cæli
Denſebant procul à terris fulgentia templa.
Sidebant campi,creſcebant montibus altis
Adſcenſus:neque enim poterant ſubſidere ſaxa,
Nec pariter tantundem omnes ſuccumbere partes.
Sic igitur terræ concreto corpore pondus
Conſtitit,atque omnis mundi quaſi limus in imum
Confluxit grauis,& ſubſedit funditus,vt fæx.
Inde mare,inde aër,inde æther ignifer ipſe,
Corporibus liquidis ſunt omnia pura relicta,
Et leuiora aliis alia,& liquidiſſimus æther,
Atque leuiſſimus aërias ſuper influit auras,
Nec liquidum corpus turbantibus aëris auris
Commiſcet:ſinit hæc violentis omnia verti
Turbinibus:ſinit incertis turbare procellis:
Ipſe ſuos igneis certo fert impete labens.
Nam modicè fluere,atque vno poſſe æthera niſu,
Significat Ponti mare,certo quod fluit æſtu,
Vnum labendi conſeruans vſque tenorem.

HVNC) *nempe æthera, exordia ſolis & lunæ ſunt ſubſecuta, id eſt poſt æthera, creari cœpti ſunt ſol, & luna. exordia autem pro primordiis videtur vſurpaſſe.*

INTER VTROSQVE, &c.) *hic verſus delendus, vt ſpurius, minimèque Lucretianus.* QVÆ) *ſolis & lunæ exordia: id eſt primordia, ex quibus ſol & luna creati ſunt.* QVOD NEQVE TAM FVERINT) *aliquot libri manuſcripti habent, fuerunt. quæ ſcriptura non eſt reiicienda.*

PER SVMM. LAB. ORAS) *ſic habent libri manuſcripti. quidam tamen legi volunt, auras. ego nihil mutandum cenſeo, & ſummas oras interpretor extremitates mundi, quas æther occupauit.* ET TAMEN INTER VTROSQVE) *inter æthera & terram. mendoſè enim legitur vulgò, inter vtraſque.*

VT CORPORA VIVA) *Legendum olim putabam, corpora biua, vel reclag-*

mantibus libris omnibus, non, corpora viua. nam ſi hanc vulgatam ſcripturam probaremus, ſequeretur, ſolem & lunam eſſe animatos: quos paullo ante negauit vitali motu, ſenſúque eſſe præditos. Itaque ſecum ipſe pugnaret. Ac ne quis miretur, hoc mendum in omneis libros etiam veteres irrepſiſſe, redeat in memoriam eorum, quæ aliàs dixi, ſoluos eſſe librarios illos ſcriptores ſcribere interdum u. pro b. & contrà, b. pro u. vt ſuprà in verſu illo, Vitai cauſa valido conſueta bidenti Ingemere, libri manuſcripti habent, conſueta videnti: & ſexcenta ſimilia reperiuntur. Ita cùm a librario ſcriptore ſcriptum eſſet, vina, pro bina: exiſtimabam ſemidoctum aliquem ex voce, vina, feciſſe, viua: atque ex vno errato, duo feciſſe, vt ſolent facile propagari, & multiplicari mala. Nunc tamen non ſum auſus hac tertia editione ſcripturam receptam mutare, ſatis eſſe putãs, quid aliquando ſenſerim, & quid ſuſpicatus ſim, lectori indicaſſe. Præterea video, huius ſcripturæ probabilem eſſe rationem. Poteſt enim aliquis dicere, ſic eſſe dicta corpora viua, ſolis & lunæ corpora, quomodo dicuntur, viui lacus, & ſaxum viuum, à Virgilio: ſæpes viua, & aqua viua ab aliis. vel quòd ſuapte natura, & ſine arte, aut opera diuina moueantur, vel quòd aſſiduè. Poſtremò licet dicere, viua corpora dici, ſolem & lunam, vel tanquã igneis, quemadmodum ſuprà lib 1. & viuant labentes ætheris ignes. & lib. 4. Quod cupido adfixum cordi viueſcit, vt ignis. & Plautus Aulul. Nam ſi viuet ignis, tu extinguere extempulo. vel tanquam lumina, vt apud Horat. od. 21. lib. 3. viuæq; producent lucernæ, Dum rediens, &c. QVOD GENVS) *cuius generis, qualia.*

CVM SINT EA, QVÆ MOVEANTVR) *ſic habent quattuor lib. manuſcripti, in quibus eſt Memmianus. nam vulgati habent, quæ moueant nos. planè mendosè Hanc emendationem arripuit Thraſo ſuo more.*

PÕNTI PLAGA CÆRVLA) *mare. Virgil. maris, cærula appellauit ſimpliciter. Æneid. 3. Annixi torquent ſpumas, & cærula verrunt. qui verſus iteratur lib 4. ſic & M. Tull. lib. 5. de finib. Nam nemo eſt vnquam hac tranſuectus cærula curſu, &c. Lucretius autem lib. 1. in extr. cæli cærula dixit. Et cæli flammã per cæli cærula paſci. & infra hoc lib. 5. magni per cærula mundi. & lib. 6. Principiò tonitru quatiuntur cærula cæli. & eod. lib. cærula, ſimpliciter, pro cælis, ſeu cælo, Et quaſi denſendo ſubtexit cærula nimbis.*

ET SALSO SVFFVDIT) *cod. Memm. habet, & ſalſo ſoffudit. ex qua ſcriptura coniiciebamus ego, & Muretus legendum, ſuffudit. Nam libri vulgati habent ſuffodit, fortaſſe mendosè, niſi quis dicat, ſuffodit foſſas, eſſe atticiſmum, neque aliud hîc dici à Lucretio, quàm quod dictum eſt ab Epicuro, vt refert Plutarchus, τινάξας τοὺς ὑπονομευθέντας τόπους. id eſt excauauit ſubiecta loca. Veruntamen ſuffudit, malim. ſuffudit autem, interpretor, ſubtus perfudit, & compleuit.*

COGEBANT) *compellebant.*

EXTREMA AD LIMINA APERTAM) *huius loci reſtitutio Adr. Turnebo debetur: qui cùm videret vnà mecum, ita legi in omnibus libris tùm excuſis, tùm manuſcriptis, Verberibus crebris extrema ad limina partem: [illegible] ſic, vt excudendum curaui, emẽdandum coniecit. Verberib. crebr. extr. ad limina apertã. quam ſcripturam ſic explico. Et radiis ſolis cogebant terram, apertam, id eſt nudam, nondum arboribus conſitam, nondum frugibus, herbiſque veſtitam, cogebant, inquam, verberibus crebris ad extremas oras, vt propulſa in medio ſuo coiret. Licet etiam apertam coniungere cum verberib. crebris: & ita interpretari, expoſitam verberib. crebris. Sed illo modo malo.*

CAMPOSQVE NATANTEIS) *i. & æquora maris, ſeu mare ipſum. ſic lib.6 quid vndas Arguit, & liquidam molem, campóſque natanteis? ſic Virgil. 3. Georg. tum ſegetes altæ, campique natantes Lenibus horreſcunt flabris.*

SIDEBANT) *ſubſidebant.* DENSEBANT) *id eſt denſabãt, vt ſæpe aliàs.*

SVBSIDERE) *id eſt ita ſidere, vt planitiem efficerent.*

INDE ÆTHER IGNIFER) *ſic habent omnes libri & manuſcr. & typis excuſi. adiuuat autem hanc ſcripturam Epicuri & Lucretij ſententia, qui volũt æthera eſſe igneum, & ex ignibus liquidiſsimis conſtare: quod item putabat Zeno, & Anaxagoras: quanquam negat, & refellit Ariſtoteles. Volebant iidem illi, (Anaxagoram, Zenonem, & Epicurum dico) ſtellas igneis eſſe. quod item negat Ariſtot. vt ſuprà diximus. Ex Stoicorum ſententia ſunt illa M. Tullij lib. 2. de nat. Deor. hunc aëra rurſus amplectitur immenſus æther: qui conſtat ex altiſsimis ignibus, &c. ſequitur deinceps, Ex æthere igitur innumerabiles flammæ ſiderum exſiſtunt, quorum eſt princeps ſol omnia clariſsima luce colluſtrans, &c. ſic Virgil. lib. 2. Æneid. Suſtulit exutas vinclis ad ſidera palmas: Vos, æterni ignes, & non violabile veſtrum Teſtor numen, ait.* SVOS IGNEIS) *ſua aſtra: ex quibus, cùm ſint ignes, dicitur ignifer: & rurſum, quia ſunt ſigna quædam, ſignifer.*

IMPETE) *impetu. ſup. lib. 2. Tranſmittunt valido quatientes impete campos. & lib. 4. Deſpectum præbet ſub terras impete tanto. & item alibi ſæpe.*

MODICE) *id eſt moderatè.* ATQVE VNO P. ÆTH. NISV) *atque vno, & eodem impetu, ſeu tenore, &c.* SIGNIF. PONTI MARE) *In prima editione cùm me offenderet vulgata & recepta ſcriptura, à qua non diſcrepat antiquiſsima, ponto mare, ſcripſeram, tantum mare. ad quem locum hæc, quæ ſequuntur ſine vlla varietate adſcripſeram, ordo eſt: tantum & tam latum mare, quod certo æſtu fluit, & refluit, & quod vnum, & eundem fluendi tenorem retinet, ſignificat, & arguit, æthera vno & eodem modo circumagi. Omnibus autem libris reclamantibus excudendum curaui, Significat tantum mare, &c. cùm habeant, ponto mare. quæ ſcriptura quid ſibi velit, neſcio, niſi dicamus, intelligendum Pontum, aut Helleſpontum. quod ſi placeat, legendum eſſet, Ponti mare. Hæc igitur olim ſcripſeram: quæ cùm apud me legiſſet Zoilus: quod poſtremo loco poſui, quódque erat optimum, arripuit, ſibique vendicauit. illud alterum, tantum mare, quod iccirco ſcripſeram, quia, Ponto mare, corruptum iudicarã, vellicauit, & adſcripſit, ſe mirari, quid ſibi Lambinus velit, qui, tantum, repoſuerit. Quid eſt aliud eſſe βάσκανον & ſycophantam? Nunc igitur quod meum eſt, meo iure repeto, atque aſſero liberali cauſa manu.*

Motibus aſtrorum nunc quæ ſit cauſa canamus.
Principiò magnus cæli ſi vertitur orbis:
Ex vtraque polum parti premere aëra nobis
Dicendum'ſt: extráque tenere, & claudere vtrinque:
Inde alium ſuprà fluere, atque intendere eodem,
Quò voluenda micant æterni ſidera mundi:
Aſt alium ſubter, contrà qui ſubuehat orbem:
Vt fluuios verſare rotas, atque hauſtra videmus.
Eſt etiam quoque, vti poſſit cælum omne manere
In ſtatione, tamen quom lucida ſigna ferantur:

Siue quòd incluſi rapidi ſunt ætheris æſtus:
Quærentéſque viam, circumuerſantur: & ignes
Paſſim per cæli voluunt ſe immania templa:
Siue aliunde fluens alicunde extrinſecus aër,
Verſat agens igneis: ſiue ipſi ſerpere poſſunt,
Quò quoiuſque cibus vocat, atque inuitat eunteis,
Flammea per cælum paſcenteis corpora paſsim.
Nam quid in hoc mundo ſit eorum, ponere certum,
Difficile'ſt: ſed quid poſsit, fiátque per omne
In variis mundis varia ratione creatis,
Id doceo: pluréiſque ſequor diſponere cauſas
Motibus aſtrorum: quæ poſsint eſſe per omne.
E quibus vna tamen ſit & hæc quoque cauſa neceſſe'ſt:
Quæ vegeat motum ſignis: ſed quæ ſit earum,
Præcipere, haudquaquam'ſt pedetentim progredientis.

MOTIBVS ASTRORVM) *Nunc de motibus aſtrorum diſſerere meditatur, atque incipit. qua de re ſic Laertius.* τάς τε κινήσεις αὐτῶν οὐκ ἀδύνατον γίνεσθαι κατὰ τὴν τοῦ ὅλου οὐρανοῦ δίνην, ἢ τοῦ οὐρανοῦ ἠρεμοῦντος, τούτων δίνην γίνεσθαι κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς ἐν τῇ γενέσει τοῦ κόσμου ἀνάγκην ἀπογεννηθεῖσαν ἐπ' ἀνατολῇ· εἶτα τῇ θερμασίᾳ τοῦ πυρὸς ἀεὶ ἐπὶ τοὺς ἑξῆς τόπους ἰόντος, *id eſt, aſtrorum autem motus nihil obſtat quo minus fiant ex cæli totius vertigine: aut, eo ſtante, & quieſcente, horum vertigo fiat ex ea, quæ ab initio in origine mundi ei attributa & impoſita eſt ad ortum ſolis, neceßitate: deinde ex eo, quòd calor ignis ſemper ad loca cõiuncta confluxerit.* SI VERTITVR) *vt certe vertitur. Sed Epicurus de cælo, & de iis, quæ ad cæli motũ, & naturã pertinẽt, & de iis, quæ* μετέωρα *Græci appellant, diſputat Academicorum more, nihilq; certò affirmat, neque vnam harum rerum cauſam affert, ſed plureis.* EX VTRAQ. POLVM PARTI) *id eſt ex vtraq; parte. vtrumq; enim dicebant veteres, parte, &, parti, voce, &, voci, contage, &, contagi. & ſimiliã, in ſexto & ſeptimo caſu.*

EXTRAQVE TENERE) *cùm in libris quattuor manuſcriptis reperiſſem ſcriptum, ex vtraque, in Memmiano autem planè, extráque, & in vulgatis Florentinis, non ſum veritus hanc ſcripturam ſequi. Adde quòd ſententia poſtulare videtur, vt vel ita legamus, vt ego excudendum curaui, parua immutatione facta ab antiqua ſcriptura, vel hoc modo. Dicendum eſt, & vtrinque, &c. Hæc enim totius huius loci ſententia videtur eſſe. Si cælum vertitur (quod quidem credibilius eſt) dicendum eſt nobis, aëra ex vtraque parte, id eſt à dextra & læua premere, atq; vrgere polum, & ab vtraq; parte extrinſecus eũ tenere, & includere: alium præterea eſſe aëra, qui ſupra cælum, & ſupra verticem noſtrum extrinſecus labatur, eodémque intendat, quò vnà cum cælo ſidera feruntur: alium poſtremò eſſe ſub cælo & ſub pedibus noſtris, qui cælum extrinſecus ſubuehat, & ſuſtollat, quemadmodum videmus à fluuiis rotas, & hauſtra ſubleuari, & circumuerſari. Omnino propiùs accedamus ad ſcripturam antiquam, ſi, & vtrinque tenere, legamus. licet etiam legere, & vtraq; tenere, & claudere vtrinque. Sunt autem hauſtra, rotarum cadi, ab hauriendo nominati, vt docet Nonius.* VT FLVVIOS VERS. R. AT-

QVE H.) *profert hunc verſum Nonius in voce, hauſtrum.*

EST ETIAM QVOQVE) *fieri etiam poteſt (inquit) vt cælum ſtet, ſidera autem moueantur, ſiue quòd ætheris ignes incluſi, dum exitum quærunt, circũuerſantur, & paßim ſe per cælum circumagunt, & circumuoluunt, ſiue quòd aër extrinſecus fluens, igneis ætheris impellit, ac verſat. ſiue quod iidem ignes eò feruntur, quò quemque cibus inuitat. qua de re plura dicemus inf. eodem lib. ad illum locum:* Brumaleis *vſque ad flexus &c. Fuerunt autem & alij philoſophi, qui cælum ſtare, & quieſcere: terram moueri, & verſari dixerunt, quod videtur etiam* Plato *probare in* Timæo, *ſed obſcurius, vt ait* M. Tullius. *Hoc autem,* Eſt etiam quoque, *dictum eſt ἐκ παραλλήλου.* IMMANIA TEMPLA) *ſic habent aliquot libri manuſcripti. immania autem, id eſt, ingentia, & immenſa. alij, inania. quæ ſcriptura illa quidem non eſt reiicienda: ſed, immania, magis probo.* Arnob. lib. VI. *Templa enim hæc quid ſunt? Si humanam infirmitatem roges, neſcio quid immane, atque amplũ. ſi deorum potentiam metiaris, &c.* Virgil. lib. VI. in princ. *Redditus his primùm terris tibi, Phœbe, ſacrauit Remigium alarum, poſuitque immania templa. templum* Varro lib. 6. de lingua Latina, *docet tribus modis dici, à natura, vt, templa cæli: in* Hecuba. *O magna templa cæli commixta ſtellis ſplendidis: ab auſpicio, in terra. vt in* Peribœa, *Scrupea ſaxa* Bacchi *templa prope aggreditur. à ſimilitudine, ſub terra: vt in* Andromacha: *Acheruſia templa alta Orci ſaluete infera.* Idem *ibidem paullo antè profert hunc verſum neſcio cuius, niſi fortè ſit* Ennij, *Vnus erit, quem tu tolles in cærula celi Templa.* QVO QVOIVSQVE CIBVS VOCAT) *negat* Ariſtot. *ſtellas, & ſidera humoribus paſci. ſed hac de re dicemus ad illũ, quẽ dixi, locũ,* Brumaleis *vſque &c.* NAM QVID IN HOC) *Ita loqui ſolebat* Epicurus, *cùm ageret de rebus incertis, & obſcuris, & à natura inuolutis, οὐδὲν γὰρ τῶν φαινομένων τούτοις ἀντιμαρτυρεῖ. id eſt nihil eorum, quæ ſunt in promtu poſita, contra hæc teſtimonium dicit. & ταῦτα οὐ μάχεται τοῖς φαινομένοις, id eſt, hæc non pugnant cum iis, quæ ſunt in promtu poſita: & οἱ τὸ ἓν λαμβάνοντες τοῖς τε φαινομένοις μάχονται, καὶ τοῦ, εἰ δυνατὸν ἀνθρώπῳ θεωρῆσαι, διαπεπτώκασιν. id eſt, qui vnum principium rerum omniũ ſumunt, & iis, quæ ſunt in promtu, repugnant, & facultate cognoſcendi, ſit'ne in hominis poteſtate poſitum, exciderunt.* PLVREISQ. SEQ. DISP. CAVS.) Sic Epicurus apud Diogen. Laërt. *Διὸ δὴ καὶ πλείους αἰτίας εὑρίσκομεν τροπῶν καὶ δύσεων, καὶ ἀνατολῶν, καὶ ἐκλείψεων, καὶ τῶν τοιουτοτρόπων, &c. id eſt,* Quocirca *& plureis cauſas reperimus conuerſionum, & occaſuum, & ortuum, & defectuum, & huiuſmodi rerum, &c.* OMNE) τὸ πᾶν. *ſic* Plato Tim. τὸ γὰρ δὴ πᾶν τόδε τοτὲ μὲν αὐτὸς ὁ θεὸς πορευόμενον ξυμποδηγεῖ, καὶ συγκυκλεῖ, *&c. id eſt, hoc igitur omne deus ipſe dirigit, & verſat, &c. Sed* Platoni, *omne, & mundus, idem valent: non item* Epicuro, *vt & alibi diximus.* IN VAR. MVND.) *ſuprà enim docuit, innumerabileis eſſe mũdos.*

QVÆ VEGEAT MOTVM SIGNIS) *Olim cùm reperiſſem in omnib. fere libris ita ſcriptũ,* Quæ vigeat motum ſignis, *ſic repoſuerã,* Quæ vigeat motu in ſignis. *ſentẽtia autẽ, quæ ex hac ſcriptura elicitur, hæc eſt:* Lucretium *plureis afferre cauſas motionis aſtrorũ, ex quibus hæc etiã vna ſit quæ valeat ad mouenda ſigna: ſed quæ ſit earũ, &c. Nũc cõiecturã probo hominis eius, qui me iniuſtè, & cõtumelioſè læſit, nulla à me iniuria laceßitus, ſi modò eius eſt, & nõ aliena:* Quæ vegeat motũ ſignis. *Vegere autẽ, vt docet* Nonius, *interdũ eſt vegetare, vegetũ reddire, agitare, excitare.* Pomponius, *animos Venus veget voluptatibus.* HAVD Q. EST IED. PROGR.) *ſic inf. eod. lib. in extr. ſimul experiẽtia mẽtis Paullatim docuit, pedetẽtim progrediẽtis.*

Terráque vt in media mundi regione quieſcat,
Euaneſcere paullatim,& decreſcere pondus
Cónuenit: atque aliam naturam ſubter habere
Ex ineunte æuo coniunctam, atque vniter aptam
Partibus aëriis mundi: quibus inſita ſidit.
Propterea non eſt oneri: neque deprimit auras:
Vt ſua quoique homini nullo ſunt pondere membra:
Nec caput eſt oneri collo, nec denique totum
Corporis in pedibus pondus ſentimus ineſſe.
At, quæcumque foris veniunt, impoſtáque nobis
Pondera ſunt, lædunt permulto ſæpe minora:
Vſqueadeò magni réfert, quoi quæ adiaceat res.
Sic igitur tellus non eſt aliena repente
Adlata, atque auris aliunde obiecta alienis:
Sed pariter prima concepta ab origine mundi,
Certáque pars eius, quaſi nobis membra, videtur.
Præterea grandi tonitru concuſſa repente
Terra, ſuprà quæ ſe ſunt, concutit omnia motu:.
Quod facere haud vlla poſſet ratione, niſi eſſet
Partibus aëriis mundi, cælóque reuincta.
Nam communibus inter ſe radicibus hærent
Ex ineunte æuo coniuncta, atque vniter apta.
Nónne vides etiam, quàm magno pondere nobis
Suſtineat corpus tenuiſſima vis animaï,
Propterea quia tam coniuncta, atque vniter apta ſit?
Denique iam ſaltu pernici tollere corpus
Quis potis eſt, niſi vis animæ, quæ membra gubernat?
Iámne vides, quantum tenuis natura valere
Poſſit, vbi eſt coniuncta graui cum corpore, vt aër
Coniunctus terris, & nobis eſt animi vis?

TERRAQVE VT IN MEDIO) *Nunc quî fiat, vt terra in medio quieſcat, docet. Epicurus, τὴν γῆν τῷ ἀέρι ἐποχεῖσθαι, ὡς συγγενῆ, id eſt, terram in aëre vehi, vt cognatam, dicebat. Ariſtoteles ideò terram in medio loco conſiſtere docet, quia grauia omnia medium locum petunt, terra autem elementorum omnium grauiſsima eſt. Plato in Phædone, ἰσορροπίας ipſius terræ, id eſt, ponderis & momenti æquabilitatem vult eſſe huius rei cauſam. ſic Ouid. princip. lib. 1. metamorph. Nec circumfuſo pendebat in aëre tellus Ponderibus librata ſuis.*

QVIBVS INSITA SIDIT) *Secutus olim codices vulgatos, & manuſcriptos, edideram, Quibus inſita viuit: atque hæc, quæ ſequuntur, his iiſdem verſus annotaram non dicit terram viuere, vt quæ ſit omnium elementorum maxime bruta.*

& ſtolida: ſed, viuit, hoc loco accipiendum eſt pro eo, quod eſt, ſtatum ſuum conſeruat. ſic lib. I. & viuant labentes ætheris ignes. quamquam longe maiore ratione dicuntur ignes, quàm terra, viuere, vt aliàs notauimus. Hæc olim annotaram. Nunc ex antiquæ ſcripturæ, quæ reperitur in codice Bertin. veſtigiis, venit mihi in mentem rectiſſime legi poſſe, inſita ſidit. quamquam, viuit, quod reperitur in omnibus ferè libris, ferri poteſt, ſi interpretemur. firmiter hæret: ſtabilis manet. Lege quæ notauimus ad illud, ſuprà eodem libro, vt corpora viua Verſent, & partes vt mundi totius exſtent. VT SVA QVOIQ. HOMINI) *Probat à ſimili, terram non eſſe aeri oneri, neque in hanc vel illam partem propendere, quia pars eſt mundi, & vnà cum ceteris mundi partib. nata eſt: hoc modo, Quemadmobum ſua cuique homini membra non ſunt oneri, neque pedes in toto corporis pondere ſuſtinendo laborant: ſic terra non eſt oneri mundo, aut alicui eius parti.*

VSQVE ADEO MAGNI REF. QVOI Q. ADIAC. R.) *ſic reſtitui, coniectura ductus, cùm ita ſcriptum reperiſſem in duobus libris manuſcriptis: quid quæ adaqueat res. quæ reſtitutio, facilis & procliuis eſt. adaqueat enim ſcriptũ fuit pro adiaceat: quid pro quoi. ſeu cui. Hanc quoque emendationem paullulum à ſe immutatam, & verò deprauatam, arripuit Zoilus, nihil à ſuo ingenio alienum faciens. cùm enim in libris vulgatis legatur, quid quæque queat res, in manuſcriptis, quid quæ adaqueat res: egóque ex hac ſcriptura fecerim, quoi quæ adiaceat res, ille ſcripſit, quid quæ adiaceat res, vt aliquid, immò vt hoc totũ inueniſſe videretur. ſic ſolent fures, & κακοήθεις.* SIC IGITVR TELLVS, &c.) *vult, terram aëri non eſſe oneri, propterea quia vnà cum aëre nata eſt, & quia ei iungitur, vt neque à ſe alieno, neque ipſa ab illo aliena, ſed ſuis partibus, quibus eum contingit, ad eius parteis accommodatis.* OBIECTA) *quidam legunt, adiecta: quod tametſi non improbem, nihil tamen muto.* PRÆTETEA GRANDI TON) *Alio argumẽto probat terram eſſe partibus mundi, & ipſi mundo cognatam, nempe quia terra grandi tonitru commota, ea quoque, quæ ſunt in aëre commouet: quod non faceret. ſi non eſſet cum aëre colligata, & connexa.*

NONNE VIDES ETIAM) *Aliud argumentum, ab animæ vi quæ totum corpus ſuſtinet, & gubernat: nempe quia cum toto corpore coniuncta eſt, & ipſius hominis pars eſt, vt manus, & pes, quemadmodum docuit lib. 3. ibi, Primum animum dico, mentem quem ſæpe vocamus, In quo, &c. Eſſe hominis partem, &c. Ad hæc pertinent & illa, quæ ſunt lib. 4. ibi Ergo animus cum ſeſe ita commouet, vt velit ire, Inque gredi ferri extemplo, &c.*

Nec nimio ſolis maior rota, nec minor ardor
Eſſe poteſt, noſtris quàm ſenſibus eſſe videtur.
Nam, quibus è ſpatiis cumque ignes lumina poſſunt
Adiicere, & calidum membris adflare vaporem,
Illa ipſa interualla nihil de corpore librant
Flammarum, nihilo ad ſpeciem eſt contractior ignis.
Proinde calor quoniam ſolis, lumén que profuſum
Perueniunt noſtros ad ſenſus, & loca tingunt:
Forma quoque hinc ſolis debet, filúmque videri,
Nil adeò vt poſſis plus, aut minus addere verè.

Lunáque ſiue notho fertur loca lumine luſtrans,
Siue ſuam proprio iactat de corpore lucem,
Quicquid id eſt, nihilo fertur maiore figura,
Quàm, noſtris oculis quam cernimus, eſſe videtur.
Nam prius omnia, quæ longè remmota tuemur
Aëra per multum, ſpecie confuſa videntur,
Quàm minimum filum. quapropter luna neceſſe'ſt,
Quandoquidem claram ſpeciem, certámque figuram
Præbet, vt eſt oris extremis cumque notata,
Quanta hæc cumque fuat, tanta hinc videatur in alto.
Poſtremò, quoſcumque vides hinc ætheris igneis,
(Quandoquidem, quoſcumque in terris cernimus igneis,
Dum tremor eſt clarus, dum cernitur ardor eorum,
Perpetuum quiddam interdum mutare videntur
Alterutram in partem filum, cùm longius abſint,)
Scire licet, perquàm pauxillo poſſe minores
Eſſe, vel exigua maiores parte, breuíque.

NEC NIMIO SOLIS) *Hæc etiam erat cum primis ſtolida, atque inſulſa Epicuri opinio, ſolem, lunam, ſtellas ea magnitudine eſſe, qua nobis videntur. Qua de re ſic M. Tull. Acad lib. 2. Quid poteſt eſſe ſole maius? quem mathematici amplius duodeuiginti partibus confirmant maiorem eſſe, quàm terram. quantulus nobis videtur? mihi quidem quaſi pedalis. Epicurus autem poſſe putat etiam minorem eſſe eum. quàm videatur, ſed non multo. ne maiorem quidem multo putat eſſe: vel tantum, quantus videatur, vt oculi aut nihil, aut non multùm mentiantur. Idem de finib. lib 1. Sol Democrito magnus videtur, quippe homini erudito, in geometriáque perfecto. huic bipedalis fortaſſè. tantum enim cenſet, quãtus videtur, vel paullò aut maiorem, aut minorem. ſic Laert.* τὸ δὲ μέγεθος ἡλίου τε, καὶ τῶν λοιπῶν ἄστρων κατὰ μὲν τὸ πρὸς ἡμᾶς, τηλικοῦτον ἐστὶν, ἡλίκον φαίνεται. εἰ γὰρ τὸ μέγεθος διὰ τὸ διάστημα ἀποβεβλήκει, πολὺ ἂν μᾶλλον τὴν χρόαν, *&c.* κατὰ δὲ τὸ κατ' αὐτὸ, ἤτοι μεῖζον τοῦ ὁρωμένου, ἢ ἔλαττον μικρῷ, ἢ τηλικοῦτον ἐστί. οὕτω γὰρ καὶ τὰ παρ' ἡμῖν πυρὰ ἐξ ἀποστήματος θεωρούμενα, κατὰ τὴν αἴσθησιν θεωρεῖται: *id eſt, ſolis autem, & reliquorum aſtrorum magnitudo, quòd ad nos attinet, tanta eſt, quanta videtur. Si enim ſuam iuſtam magnitudinem propter interuallum amitteret, multo magis colorem, &c. quòd ad ipſum verò attinet, aut maior eſt ſol, quàm videtur, aut paullo minor, aut tantus, quãtus videtur. Sic enim & quæ apud nos ſunt ignea, ſi ex interuallo cernantur, prout eſt ſenſus, cernuntur. Sed valde pingue eſt (inquit Ariſtoteles primo Meteor.) vnumquidque eorum, quæ mouentur in cælo, exiſtimare paruum eſſe, quia nobis hinc cernentibus paruum videatur. Idem lib. de inſomniis, ait in hoc falli ſenſus. Huc pertinet illud Arnobij ex lib. 2. aduerſ. gentes, Quid eſt (inquit) vobis veſtigare, &c. orbe ſit ſol amplior, an pedis vnius latitudine metiatur: alieno ex lumine, an propriis luceat fulgoribus luna? Heraclitus denique, vt refert Plutarchus* περὶ τῶν ἀρεσκόντων. *dicebat, ſolem eſſe latitudine pedis humani.* εὖρος ποδὸς ἀνθρωπείου. *Hanc autem Epicuri opinionem acriter inſectatur, & multis verbis, firmíſque argumentis refellit Cleomedes lib. 2.* κυκλ. θεωρίας *ſic ille*

ſtatim initio libri, Ἐπίκουρος δὲ, καὶ οἱ λοιποὶ τῶν ἀπὸ τῆς αἱρέσεως, τηλικοῦτον εἶναι τὸν ἥλιον ἀπεφήναντο, ἡλίκος φαίνεται, αὐτῇ τῇ διὰ τῆς ὄψεως φαντασίᾳ κατακολουθήσαντες, καὶ ταύτην τοῦ μεγέθους αὐτοῦ κριτήριον πεποιημένοι, & c. id eſt, Epicurus, & reliqui, qui hanc ſectam ſequuntur, tantum ſolem eſſe pronuntiarunt, quantus videtur, ipſam, quæ fit per videndi ſenſum, viſionẽ, ſecuti, & huic iudicium magnitudinis eius tribuentes, & c. ſatis eſt enim mihi locum quaſi digito demonſtraſſe.

NAM QVIBVS E' SPAT.) id eſt, nam quibuſcumque è ſpatiis ignes ad aliquem locum lumen iacere, & calorem afflare poſſunt, ea ipſa ſpatia, ſeu interualla nihil de ipſo ignium corpore, ſeu magnitudine detrahunt, neque deminuunt: neque ignes illi ad ſpeciem ſunt vlla re minores. hæc totius huius loci ſententia eſt, vſque ad verſum, Proinde calor, & c. adiicere autem, reſtituimus, cùm vulgò legatur, adlicere, plane mendoſè. adiicere enim lumen, & calorem, tranſlatè dictum, vt iacere & mittere telum. vnde Lucretius radios, & lumina ſolis, tela diei, non ſemel appellat. ſic ſup. lib. 1. Æſtifer ignis vti lumen iacit, atque vaporem. adiicere telum, autem, eſt ita telum iacere, vt ad locum, quem petis, perueniat. Cæſar libr. 3. neque propter altitudinem facile telum adiiciebatur. ex quo, adiectus. Lucret. libr. 1. quæ mittere corpora poſsit Senſibus, & noſtros adiectu tangere tactus. ad quem locum lege, quæ ſunt à nobis annotata. ordo autem verborum hic eſt, quibuſcumque è ſpatiis ignes poſſunt adiicere membris lumina, & afflare vaporem, id eſt calorem, illa ipſa interualla nihil de ignium corpore detrahunt.

ILLA IPSA INTERVALLA NIHIL DE CORP. LIBRANT) hunc locum partim coniectura, partim ex auctoritate veterum codicũ reſtitui. ſententia eſt plana. librant autem de corpore, id eſt, delibrant de corpore, quod valet, detrahunt, ac deterunt, ſeu deminuunt. quòd ſi quis legi malet, limant, non pugnabo libant, nullo modo probo. omnino libri duo veteres, & aliquot vulgati, habent, librant. delibrare autem, ductum à libro, qui corticem ſignificat, eſt corticem detrahere, & ita deterere, & minuere, χαλεπτειν, λέπειν. Nonius. delibratum, id eſt decorticatum. Quòd ad principium autem verſus attinet, Illa ipſa interualla, & c. hanc item emendationem initio probauit Zoilus totam: deinde, ſententia mutata, ſic legendum exiſtimauit, Nil viſus interualla de corpore libant. planè ineptè, & inſcitè, atque adeò inſcienter. CONTRACTIOR) minor.

ET LOCA TINGVNT) refer hoc ad lumen, quo loca tinguntur, quamuis dixerit numero multitudinis, & loca tingunt. calor enim peruenit ad noſtros ſenſus, id eſt, ad tactum: lumen ſuo fulgore loca tingit. ſic lib. 6. Hoc etiam pacto volucri loca lumine tingunt. infrà eodem, Dimidia ex parti candenti lumine tinctus. Hanc emendationem initio Zoilus probauit, pòſt reiecit, & vulgatam, quæ ferri nullo modo poteſt, & loca fulgent, reſtituit.

DEBET, FILVMQVE VIDERI) cùm magna eſſet hoc loco ſcripturæ varietas, aliíque codices haberent, debet, illíncque videre: alij, luménque videri: alij, lunæque videri: alij, illúmque: alij, ilúmque videri: ego olim, ſublime, repoſueram. hanc enim ſententiam Lucretij eſſe exiſtimabã, atque ita hanc lectionem tuebar: quoniam calor ſolis ad ſenſum noſtrum peruenit, luménque ſuo candore loca complet, atque illuſtrat: ſequitur, ex his formam etiam ſolis non imminutam in cælo ex terra à nobis videri. ſublime autem, id eſt in alto, ſeu in ſublimi: neque eſt quòd quiſquã de vltima ſyllaba dubitet. corripitur enim cùm apud hunc, tùm apud Virgilium. Lucret. lib. 2. Nocturnáſque faces cæli ſublime volanteis. Virgil. Georgic. 3.

Iámque humiles, iámque elati ſublime videntur aëra per vacuum ferri. Pòſt in ſecunda editione, Turnebi coniecturam ſecutus ſum, ſi non in contextu ipſo verborũ, at in variis lectionibus ſeorſum poſitis. Nunc igitur hanc lectionem planè rectam eſſe arbitror, omnibus aliis reiectis. filum autem, id eſt, lineamentum, & quaſi ductus extremus totius corporis ſolis. vtitur eodem nomine tum alibi, vt oſtendimus, tum infrà eodem libr. non longè, Quãm minimum filum. & Arnobius lib. 3. filo etiã deos auterminatis humano. Quòd autem Zoilus vult legi, ſententia mutata, illincque videri, ferri non poteſt. non enim dubitatur, aut quæritur, quantus ſol illinc videatur, ſed quantus hinc, id eſt, ex loco, vbi ſumus. Sed piget me hanc ineptiſsimam lectionem refellere, ſua ſponte confoſſam, & iacentem.

ADDERE VERE') duo libri manuſcripti habent, addere veris.

LVNAQVE, SIVE NOTHO F. L.) notho lumine, id eſt, luce nõ ſua, ſed aliena: quæ eſt opinio probabilior, & ab omnibus ferè recepta. Et Feſtus in voce, mulus, duas cauſas afferens, quamobrem mulus vehiculo lunæ adhibeatur, hanc ponit ſecũdam, quòd muli non ex ſuo genere, ſed ex equis oriantur. Catull. carm. Sæcul. Tu potens Triuia, & notho es Dicta lumine luna. Virgil. lib. 1 Georgic. Nec fratris radiis obnoxia ſurgere luna. M. Tull. lib. 2. de nat. Deor. Luna autem, quæ eſt, vt oſtendunt mathematici, maior, quàm dimidia pars terræ, iiſdem ſpatiis vagatur, quibus ſol: ſed tùm congrediens cum ſole, tum digrediens, & eam lucem, quam à ſole accipit, mittit in terras, & varias ipſa mutationes lucis habet. Sic Parmenides, Νυκτὶ φάος περὶ γαῖαν ἀλώμενον, ἀλλότριον φῶς: id eſt, Nocte vagans lumen circum terram, idque alienum. Quem verſum profert Plutarchus lib. περὶ [illegible]. Apuleius lib. de deo Socratis. Nec modò iſta præcipua, ſolem diei opificem, lunámque ſolis æmulam, noctis decus, ſeu corniculata, ſeu diuidua, ſeu prætumida, ſeu plena ſit, varia ignium face, quanto longius faceſſat à ſole, tanto longius colluſtrata, pari incremento itineris ac luminis menſem ſuis actibus, ac diſparibus diſpendiis terminans, ſeu illa proprio ac perpeti candore, vt Chaldæi arbitrantur, parte luminis compos, parte altera caſſa fulgoris pro circumuerſione oris, oris diſcoloris, multiuaga, palãs, ſpeciem ſui variat, ſeu tota proprij candoris expers: alienæ lucis indiga, denſo corpore, ſeu læui, ceu quodam ſpeculo radiis ſolis obſiſtit aduerſi, &, vt verbis Lucretij vtar, notham iactat de corpore lucem, &c. infr. eod. libr. Lucretius. Luna poteſt ſolis radiis percuſſa nitere, &c. QVAM CERNIMVS) ſcripturam vulgatam ſeruaui, quæ etiam in nonnullis veteribus libris reperitur: cuius hæc ratio, ac ſententia eſt: luna (inquit) nihilo maiore figura fertur, aut mouetur, quàm eſſe videtur ea figura. quam oculis noſtris cernimus. quidam docti legi volunt, cum cernimus. in nonnullis libris legitur, qua cernimus: quæ lectio ferri non poteſt.

NAM PRIVS OMNIA, QVÆ LONGE' REMMOTA, &c.) huius loci hæc ſententia eſt. Nam omnia (inquit) quæ longè remota cernimus, prius cernimus confuſa, id eſt, non ſubtiliter diſtincta, neque definita, ſed indiſtincta, ſpecie ipſa, ipſóque adſpectu, prius (inquam) ea confuſa cernimus, quàm minimum eorum filum, id eſt, minimum lineamentum, & ductum oculis vſurpare poßimus. Verbi gratia, ſi Socratem è loco longinquo cernamus, primùm ex adſpectu corpus, deinde animal, deinde hominem eſſe cognoſcam tantùm, neque eum à ceteris hominibus diſtinguere potero. non enim mihi licebit per loci diſtantiam proprias quaſdam Socratis notas, quibus figura Socratis, à ceterorum hominum figuris differt, inſpicere: deinde, vbi ad eum propius acceſſero, tum proprias illas notas, & propria

quædam

quædam oris lineamenta, tum nareis ſimas, tum oculos Socratis prominenteis cernā.

QVAPROPTER LVNA NECESS.) *quoniam igitur (inquit) certa & clara lunæ figura, certáque lineamēta, & oræ extremæ certæ & claræ à nobis cernuntur, neceſſe eſt etiam, vt, quantacumque eſt, tanta hinc nobis in cælo videatur.*

QVANTA HÆC CVMQVE FVAT, &c.) *Cùm reperiſſem ſcriptum in duobus libr. manuſcr. Quanta quoque hæc fuat, &c. variè autem hic verſus legeretur in vulgatis, aſſenſus ſum Mureto, ita legendum cēſenti. fuam, autem, valet ſim, vel fuerim. Afranius. Caue ne pendeas, ſi fuas in quæſtione. Virg. Æn. 10. Tros, Rutulúſve fuat, nullo diſcrimine habebo. Lucret. ſup. lib. 4. Vt, quod aliis cibus eſt, aliis fuat acre venenum. Piget ex Plauto, & aliis exempla colligere.*

MVTARE VIDENTVR) *ordo eſt, ignes perparuum quiddam mutare videntur filum in alterutram partem, id eſt, in plus, vel minus.*

FILVM) *id eſt, lineamentum, ductum, extremitatem.*

CVM LONGIVS ABSINT) *ſecutus ſum codices vulgatos omneis, præter paucos, in quibus legitur: quo longius abſit. nam in manuſcriptis ſcriptum reperi, quoque longius abſit: vt credibile ſit, legendum eſſe, quo longius abſint. abſint autem legendum videtur potius, quàm, abſit, vt referatur ad, ignes: quòd ſi quis contendet legendum, abſit, cohærebit cum voce, filum.*

Illud item non eſt mirandum, qua ratione
Tantulus ille queat tantum ſol mittere lumen,
Quod maria, ac terras omneis, cælúmque rigando
Compleat, & calido perfundat cuncta vapore.
Nam licet hinc mundi patefactum totius vnum
Largifluum fontem ſcátere, atque erumpere flumen
Ex omni mundo, quò ſic elementa vaporis
Vndique conueniunt, & ſic coniectus eorum
Confluit, ex vno capite hic vt profluat ardor.
Nónne vides etiam, quàm latè paruus aquaï
Prata riget fons interdum, campíſque redundet?
Eſt etiam quoque, vti non magno ſolis ab igni
Aëra percipiat calidis feruoribus ardor:
Opportunus ita'ſt ſi fortè, & idoneus aër,
Vt queat accendi paruis ardoribus ictus.
Quod genus, interdum ſegetes, ſtipulámque videmus
Accipere ex vna ſcintilla incendia paſſim.
Forſitan & roſea ſol altè lampade lucens
Poſſideat multum cæcis feruoribus ignem
Circum ſe, nullo qui ſit fulgore notatus,
AEſtiferum vt tantum radiorum exaugeat ictum.

ILLVD ITEM NON EST) *Nunc docet, quamobrem ſol, cùm ſit tam parua figura præditus, tantum lumen mittere, ac profundere queat.*

TANTVLVS) *tam paruus: non maior, quàm videtur, aut non multo, forẽaſſe etiam minor, vt paullo antè dictum eſt, & vt volebat Epicurus. tantulus autem ſol, tantum lumen, αὐτόθεν.* NAM LICET HINC) *fieri poteſt (inquit) vt ſol ſit fons quidam omnium ignium, ac luminũ: ad quem confluant omnes ignes, omniáque lumina, & vnde tantum lumen, tantúſque calor emãnẽt, quæ totum orbem terrarum compleant.* LARGIFLVVM FONTEM) *vult, ſolem eſſe fontem quendam omnium luminum, quemadmodum fontes aquarum dicuntur propriè, vnde & ſcatent aquæ, & oriuntur flumina.*

SCATERE) *à verbo ſcato, is, tertiæ inflexionis. ſic ſupr. eod. lib. Et partim plano ſcatere, atque erumpere campo. & lib. 6 ſpirat fons dulcis aquai, Qui ſcatit, & ſalſas circum ſe dimouet vndas. ibid. Et ſcatere illa foras in ſtuppam ſemina, &c.*

ATQVE ERVMP. FLVMEN) *ſic fere omnes habent noſtri vet. codices, quibuſcum conſentiunt aliquot vulgati. Alij tamen, lumen. quod quamuis non damnem: flumen tamen, nihilo magis reiicio. eſt enim illuſtris tralatio cum ſuperiore continuata, & conſentanea, largifluum fontem. Nam ſic ſuprà libr. 4. ſemen hominis large profuſum, flumen, dixit: quemadmodum hîc luminis copiam, flumen.*

EX OMNI MVNDO, QVO SIC) *ordo eſt, quò, id eſt, ad quem ſolem, ſic elementa vaporis ex omni mundo vndique cõueniunt, & ſic coniectus, ſeu conlectus, ſeu congeſtus & aceruus eorum confluit, vt tantus calor ex vno capite profluat. Eſt autem hoc loco memoria repetendum, atque attendẽdum, quod dicit Ariſtot. Meteor. lib. 1. non eſſe vnum certum aquarum locum, aut alueum, aut receptaculum inexhauſtum, vnde perpetuò manent aquæ, vndéque ſcateant fontes, & erumpant flumina. nam ne tanta quidem concauitas, quantus eſt orbis terrarum, tantam vim aquarum ſuppeditare poſſet, quanta quotidie effluit: ſed eſſe quædam aquarum capita, ad quæ ex locis editioribus confluunt paullatim, & penè dicam guttatim aquæ. hæc capita, fonteis, ſeu fontium origines, & ſcaturigines aquarum appellamus. ex his manant aquæ per riuos initiò paruos, atque anguſtos: qui longius fluentes ac labentes, aliis riuis additi, magnos poſteà fluuios gignunt.*

ELEMENTA VAPORIS) *ſic repoſui, cùm in aliquot libr. manuſcriptis, vapores, ſcriptum reperiſſem. vaporis autem, id eſt, caloris. Sed negat Ariſtot. ætheris, & cæli, & aſtrorum naturam eſſe calidam, aut igneam, vt ſuprà diximus.*

CONIECTVS) *nihil muto, quamuis nonnulli legendum putent, conlectus. coniectum autem, interpretor, congeſtum, confluxum, congreſſum. neq; tamen, conlectus, reiicio. quod & ſuprà indicaui.*

EST ETIAM QVOQVE VTI) *fieri etiam poteſt (inquit) vt, cùm ſolis ignis non ſit admodum magnus, neque acer, magnis tamen feruoribus aër exardeſcat, quia ſit idoneus ad incendium accipiendum. Sed negat Ariſtoteles, vt dixi, ſolem eſſe igneum, aut calidum. Etiam quoque, autem, σχῆμα eſt ἐκ παραλλήλου, vt ſuprà.* PERCIPIAT) *occupet, comprehendat, vt ſupr. libr 4. Quàm, quæ percipiunt oculos, viſũmque laceſſunt.* QVOD GENVS) *cuius generis, quemadmodum.* ACCIPERE EX VNA SCINT.) *ſecutus ſum hoc loco cod. Florentinos, vt omnium hoc loco emendatiſſimos. nam ceteri vulgati habent vel, accendi, vel, accendere, planè mendosè. manuſcripti autem partim, accendere, partim, accedere: quod poſtremum deprauatum eſt ex vero, accipere. nam ex, accipere, factũ eſt primùm, accidere. p. inuerſo: deinde, accedere: deinde ex, accedere, accendere, & accendi. Iam, præterquàm quòd veritas & ratio hanc ſcri-*

pturam confirmat, etiam exemplo adiuuatur. ſic enim idem loquitur lib. 6. Aridior porrò ſi nubes accipit ignem. eadem ratione ab eodem dictum eſt, concipere ignis ſemina, & concipere ignem, lib. eod. Quippe enim ſolis de lumine multa neceſſe eſt Concipere. multa, ſubint. ἀπὸ κοινοῦ, ſemina. Idem ibid. cùm multa rigoris Corpora dimittens ignem concepit in auru. ex hac re autem ſimilitudinem duxit Virgil. lib. 2. Æneid. In ſegetē veluti cùm flamma furentibus Auſtris Incidit, &c. Zoilus hanc ſcripturam non probauit, non aliam, opinor, ob cauſam, quàm quòd ſcripſeram, eam in codicibus Florentinis reperiri: eámque à Marullo dixit eſſe excogitatam, & ſubſtitutam. Ego ſiue hoc ſit verum, ſiue non ſit, aio nec poſſe, nec debere aliter legi. nam primùm, accendere incendia, dici Latine non poteſt: deinde verſus verbum, Accendere, hoc lòco recipere non poteſt, quidquid blateret nebulo, qui extra numerum de numeris diſputat, quique numeros innumeros, & verſus inuerſos, & modos immoderatos & ipſe facit, & Lucretio poëtæ optimo affingit. quos cùm audio, aut lego, ſoleo illud Ariſtophanis continuò vſurpare, δότε μοι λεκαίζω: tantam mihi nauſeam mouent, nec mihi ſolùm, (ne quis me dicat eſſe faſtidioſum) ſed omnibus hominibus humanitate politis, & eruditis.

FORSITAN ET ROSEA) *tertia ratio. ſolebat enim Epicurus earum rerum, quæ à philoſophis in controuerſiam vocantur, & de quibus ſenſus non facile iudicare poteſt, plureis afferre rationes. quod teſtatur Laërt. his verbis.* τὸ δὲ μίαν αἰτίαν τούτων ἀποδιδόναι τῶν πλεοναχῶς φαινομένων, μανικὸν, καὶ οὐ καθηκόντως πραττόμενον ὑπὸ τῶν τὴν ματαίαν ἀστρολογίαν ἐζηλωκότων, καὶ εἰς τὸ κενὸν αἰτίας τινῶν ἀποδιδόντων, *&c. id eſt, vnam autem harum rerum afferre cauſam, quæ multis modis videntur diſputari poſſe, furioſum eſt, neque rectè fit ab iis, qui inanem aſtrologiam ſtudioſe conſectantur, & qui temere quarundam rerum rationes reddunt.*

POSSIDEAT) *eſt, vt poßideat: fieri poteſt, vt poßideat.*

CÆCIS) *obſcuris, & oculorum ſenſum fugientibus.* NVLLO QVI SIT FVLG. NOT.) *qui non fulgeat, & idcirco non cernatur à nobis.*

EXAVGEAT) *id eſt, valde augeat. ſic autem habent libri manuſcripti, & nonnulli typis excuſi. vtitur eodem verbo Terent. Heaut. concurrunt multæ opiniones, quæ mihi animum exaugeant: id eſt, quæ me magis adducant ad credendum illam eſſe corruptam. & Plaut. Sticho. Heræ ſubueni: benefacta maiorum tuorum exauge. vulgati autem mendoſè habent, exaudiat.*

Nec ratio ſolis ſimplex, nec certa pateſcit,
Quo pacto æſtiuis è partibus ægocerotis
Brumaleis adeat flexus, atque inde reuertens
Canceris vt vertat metas ſe ad ſolſtitialeis:
Lunáque menſibus id ſpatium videatur obire,
Annua ſol in quo conſumit tempora curſu:
Non, inquam, ſimplex his rebus reddita cauſa'ſt.
Nam fieri vel cum primis id poſſe videtur,
Democriti quod ſancta viri ſententia ponit:
Quanto quæque magis ſint terram ſidera propter:
Tanto poſſe minus cum cæli turbine ferri.
Euaneſcere enim rapidas illius, & acreis

Imminui ſubter vireis,ideóque relinqui
Paullatim ſolem cum poſterioribu' ſignis,
Inferior multo quòd ſit,quàm feruida ſigna:
Et magis hoc lunam:& quanto demiſſior eius
Curſus abeſt procul à cælo,terríſque propinquat,
Tanto poſſe minus cum ſignis tendere curſum.
Flaccidiore etiam quanto iam turbine fertur
Inferior,quàm ſol,tanto magis omnia ſigna
Hanc adipiſcuntur,circùm,prætérque feruntur.
Propterea fit,vt hæc ad ſignum quodque reuerti
Mobilius videatur,ad hanc quia ſigna reuiſunt.
Fit quoque,vt è mundi tranſuerſis partibus aër
Alternis certo fluere alter tempore poſſit,
Qui queat æſtiuis ſolem detrudere ſignis
Brumaleis vſque ad flexus,gelidúmque rigorem:
Et qui reiiciat gelidis à frigoris vmbris,
AEſtiferas vſque in parteis,& feruida ſigna.
Et ratione pari lunam,ſtelláſque putandum'ſt,
Quæ voluunt magnos in magnis orbibus annos,
Aëribus poſſe alternis à partibus ire.
Nónne vides etiam diuerſis nubila ventis,
Diuerſas ire in parteis,inferna ſupernis?
Quî minus illa queant per magnos ætheris orbeis
AEſtibus inter ſe diuerſis ſidera ferri?

NEC RATIO SIMPLEX) *Nunc de Solis & Lunæ conuerſionib. quas τροπὰς Græci vocant: earúmque, vt & aliarum rerum ſuperarum, & naturalium, plureis cauſas affert, vt ſolebat Epicurus. nõ eſt (inquit) vna ratio, neque certa, quo modo ex partibus æſtiuis, id eſt ex orbe ſolſtitiali, atque à cancro, tranſeat ad ægocerota, ſeu capricornum: id eſt, ad orbem brumalem. Hæc de re ſic Laertius.* τροπὰς ἡλίου καὶ σελήνης, ἐνδέχεται μὲν γίνεσθαι κατὰ λόξωσιν οὐρανοῦ, οὕτω τοῖς χρόνοις κατηναγκασμένου· ὁμοίως δὲ καὶ κατ' ἀέρος ἀντίξωσιν, ἢ καὶ ὕλης ἀεὶ ἐπιτηδείως ἐχομένης, τῆς μὲν ἐμπιπλαμένης, τῆς δὲ καταλειπούσης, ἢ καὶ τῷ ἐξ ἀρχῆς τοιαύτην δίνην τοῖς ἄστροις τούτοις κατειλῆφθαι, ὥστε διά τινα ἕλικα κινεῖσθαι. *id eſt, fieri poteſt, vt ſolis & lunæ conuerſiones fiant ex obliquatione cæli, temporibus ita coacti: ſimiliter autẽ etiam ex aduerſa vi aëris, qui ſolem modò à ſignis æſtiuis ad brumam, modò à bruma ad æſtiuam regionem detrudere queat: aut etiam materia ſemper idonea, atque opportuna eum partim contingente, partim deſerente: aut etiam eò, quòd talis vertigo his aſtris ſit attributa, atque impreſſa, vt poſſint per aliquos flexus moueri.*

BRVMALEIS ADEAT FLEXVS) *tralatio eſt à certaminibus Olympicis, & ſimilibus curulibus. ſignificat autẽ id, quod vulgus ſolſtitium brumale appellat.*

VERTAT METAS SE AD SOLSTITIALEIS) *id eſt, (vt vulgus*

loquitur) ad ſolſtitium æſtiuum ſe vertat. Nam apud probatos Latinitatis auctores ſolſtitij nomen, ſolſtitium æſtiuum duntaxat ſignificat, vel quia (vt ſcribit Varro lib.5. de lingua Latina) ſol eo die ſiſtere videtur, vel quòd ſole ad nos verſo, proximum eſt ſolſtitium. DEMOCRITI QVOD SANCTA *&c.) hic verſus ſuprà iam poſitus eſt lib.3.*

QVANTO QVÆQVE MAGIS) *id eſt, quanto ſint nobis propinquiora, atque ita à cælo remotiora. terram propter autem, id eſt, propter, ſeu prope terram.*

CÆLI TVRBINE) *turbinem cæli dixit, pro cælo, quod turbinis in morem, hoc eſt ῥόμβου δίκην circumagitur, & circumuoluitur: vel pro rotunditate cæli volubili, vt Virgilius ſaxi turbinem, lib. XII. Æneid. Sic Virgil.* Præcipitem ſcopulo, atque ingentis turbine ſaxi Excutit. *Sic Catullus, fuſi turbinẽ, carm. de Pelei & Thetid. nupt.* Libratum tereti verſabat turbine fuſum. ILLIVS) *cæli turbinis.*

RELINQVI PAVLL. SOLEM) *ἀπολείπεσθαι: celeritate ſuperari.*

ET MAGIS HOC) *& magis lunam relinqui ſole, ſeu quàm ſolem.*

ET QVANTO) *ſic legendum, vt ſit hic Lucretij ſenſus: & quanto Lunæ curſus, demiſſior, id eſt humilior, & inferior cùm ſit, longius abeſt à cælo, &c. tãto poſſe minus, &c.*

TENDERE CVRS.) *tendere poſuit ἐνεργητικῶς, vt ſæpe aliàs, pro celerare. idem valet contendere curſum. ſic dixit lib.1. tendere oculos.*

FLACCIDIORE) *languidiore, & tardiore.*

TANTO MAGIS, *&c.) quanto etiam (inquit) luna cùm ſit ſole inferior, languidiore, & tardiore impetu, & circuitu fertur, quàm ſol, tanto magis cetera ſigna ſuperiora eam aſſequuntur, atque adeò prætereunt, & ſuperant.*

AD HANC QVIA SIGNA REVIS.) *nihil mutandum cenſeo, quamuis quidã legi velint, recurrũt, aut, recurſant. nam cùm ita, vt excudendum curaui, habeant omnes libri manuſcripti, & vulgati, tum vſitatum eſt Latinis genus loquendi, viſere, & reuiſere ad hoc, aut illud. Lucret. lib 6.* Nam, quicumque ſuos fugitabant viſere ad ægros, *& cet ad quem locum plura.*

FIT QVOQVE, VT E' M.) *alia ratio.*

ÆSTIVIS SIGN.) *à cancro.*

BRVM. VSQVE AD FLE.) *ad capricornum, & ad brumam. tralatio eſt à ludis Circenſib. in quibus cùm ad metas quadrigæ peruenerint, flectendus curſus eſt, & metæ feruidis ſunt euitandæ rotis, vt loquitur Flaccus noſter ex quo flexus appellãtur à Latinis, καμπτῆρες à Græcis. Itaque ſtatim eadem tranſlatione ſolſtitium, & brumam, ſolis metas appellabit, ibi,* Diſtinet æquato ſolis diſcrimine metas. *Fuerunt autem nonnulli, qui humidum, quod è terra, & mari ſurſum tollitur, cauſam eſſe ſolſtitij, & brumæ putarunt quaſi ſol pabulum ſequatur. quam opinionem refellit, & reiicit Ariſtoteles lib. 2. Meteor. his verbis.* διὸ καὶ γελοῖοι πάντες, ὅσοι τῶν πρότερον ὑπέλαβον τὸν ἥλιον τρέφεσθαι τῷ ὑγρῷ· καὶ διὰ τοῦτ' ἔνιοι καὶ φασὶ ποιεῖσθαι τὰς τροπὰς αὐτόν· οὐ γὰρ ἀεὶ τοὺς αὐτοὺς δύνασθαι τόπους παρασκευάζειν αὐτῷ τροφήν. ἀναγκαῖον δ' εἶναι τοῦτο συμβαίνειν περὶ αὐτόν, ἢ φθείρεσθαι· καὶ γὰρ τὸ φανερὸν πῦρ, ἕως ἂν ἔχῃ τροφὴν, μέχρι τούτου ζῆν, *& cet. id eſt,* Quocirca ridiculi etiam ſunt omnes, quicumque è veteribus ſolem ali humido exiſtimarunt, & iccirco nonnulli aiunt ſolem ſuas ad ſolſtitium, & brumam conuerſiones facere. Non enim eadem ſemper loca poſſe ei cibum præbere. Neceſſe autem eſſe hoc ei accidere, aut interire. nam & ignem ante oculos, atque in promtu poſitum, quoad pabulum habeat,

eò vſque viuere. humidum autem tantùm igni cibum eſſe, quaſi humidi pars ea, quæ ſit extenuata, quæque ſubuehatur, ad ſolem perueniat, aut quaſi hic humidi aſcenſus, talis ſit, qualis qui flammæ orienti & viuenti contingit. ex qua argumento probabili ſumto, ſic & de ſole exiſtimarunt. Sed hoc non eſt ſimile. Flamma enim fit ex continuo humido. & ſicco variantibus, neque alitur. Non enim manet eadem vllo tempore ferè. Soli autem fieri nullo modo poteſt vt hoc accidat. Nam ſi eodem modo, quo modo illi dicunt, alatur: perſpicuum eſt, euenturum, vt ſol non ſolùm, quemadmodum cenſet Heraclitus, quotidie nouus ſit, ſed ſemper & continenter nouus. M. Tullius opinionem illam Cleanthi adſcribit lib. 3. de nat. deor. his verbis. Quid enim? non eiſdem vobis placet omnem ignem paſtu indigere, nec permanere vllo modo poſſe, niſi alatur? Ali autem ſolem, lunam, reliqua aſtra, aquis alia dulcibus, alia marinis? Eámque cauſam Cleanthes affert, cur ſe ſol referat, nec longius progrediatur ſolſtitiali orbe, itémque brumali, ne longius diſcedat à cibo? Sic Minucius in Oct. ſub perſona Octauij: Fontium dulci aqua, maris ve mundum nutriri: in vim ignis abiturum, Stoicis conſtans opinio eſt, quòd conſumto humore mundus hic omnis igneſcat: & Epicureis de elementorum conflagratione & mundi ruina eadem ipſa ſententia eſt.

At nox obruit ingenti caligine terras,
Aut vbi de longo curſu ſol vltima cæli
Impulit, atque ſuos efflauit languidus igneis
Concuſſos itere, & labefactos aëre multo:
Aut quia ſub terras curſum conuertere cogit
Vis eadem, ſupera quæ terras pertulit orbem.
Tempore item certo roſeam Matuta per oras
AEtheris auroram defert, & lumina pandit:
Aut quia ſol idem ſub terras ille reuertens
Anticipat cælum radiis accendere tentans:
Aut quia conueniunt ignes, & ſemina multa
Confluere ardoris conſuerunt tempore certo,
Quæ faciunt ſolis noua ſemper lumina gigni.
Quod genus, Idæis fama eſt è montibus altis
Diſperſos igneis orienti lumine cerni:
Inde coire globum quaſi in vnum, & conficere orbem.
Nec tamen illud in his rebus mirabile debet
Eſſe, quòd hæc ignis tam certo tempore poſſint
Semina confluere, & ſolis reparare nitorem.
Multa videmus enim, certo quæ tempore fiunt
Omnibus in rebus. floreſcunt tempore certo
Arbuſta, & certo dimittunt tempore florem.
Nec minus in certo dentes cadere imperat ætas
Tempore, & impubem molli pubeſcere veſte,

Et pariter mollem malis demittere barbam.
Fulmina poſtremò, nix, imbres, nubila, venti,
Non nimis incertis fiunt in partibus anni.
Namque vbi ſic fuerunt cauſarum exordia prima,
Atque vti res mundi cecidêre ab origine prima,
Conſequa natura eſt iam rerum ex ordine certo.

AT NOX OBRVIT) *Nunc incipit diei, & noctis cauſas explicare.*

VLTIMA CÆLI.) *Alij libri habent, extima cæli, quod interpretor, extimas parteis cæli. alij, vltima cæli, & ita legi volebat Adr. Turnebus: cui aſſentior.*

SVOS EFFLAVIT LANGVIDVS IGN.) *efflauit ſuos igneis, id eſt, exſtinctus eſt fuit etiam hæc valdè pinguis, ſtolida, atque anilis Epicuri opinio, aſtra orientia accendi: occidentia, exſtingui: quam & Cleomedes libro ſecundo commemorat ac refellit his verbis.* Καίτοι πρὸς ἅπασι τοῖς εἰρημένοις ἀλλοκότοις οὖσιν, ἔτι καὶ τὰ ἄστρα ἀπεφήνατο, ἀνατέλλοντα μὲν, ἐξάπτεσθαι· δυόμενα δὲ, σβέννυσθαι. ὅπερ ὁμοιότατόν ἐστιν, ὡς εἴ τις ὁρωμένους μὲν ἀνθρώπους, ζῆν λέγοι. μὴ ὁρωμένους δὲ, ἀποθνήσκειν. καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων, ὅσα ἐστὶν ὁρατὰ, τὸν ὅμοιον λόγον ποιεῖται. οὕτω δή ἄρα συνετὸς καὶ δαιμόνιος ἀνήρ ἐστιν, ὥστε μηδ' ἐπινοεῖν αὐτὸν ἐκεῖνο, ὅτι τῆς γῆς σφαιρικῷ σχήματι κεχρημένης, ἄλλοτε παρ' ἄλλοις ἕκαστα αὐτῶν καὶ δύεται, καὶ ἀνατέλλει· καὶ τούτου ἕνεκα δεήσει ἅμα καὶ σβέννυσθαι αὐτὰ, καὶ ἐξάπτεσθαι, καὶ κατὰ πάσας τὰς τῶν ὁριζόντων μεταπτώσεις ἐν ταῖς παραπλησίαις ἀναλογίαις γίνεσθαι ἀπλέτους φθορὰς φθειρομένων τε καὶ πάλιν ἐξαπτομένων κατὰ πᾶσαν μετάπτωσιν ὁρίζοντος, τούτου συμβαίνοντος, &c. *id eſt Atqui ad illa omnia, quæ ſunt abſurdiſsima, præterea etiam pronũtiauit (Epicurus) aſtra orientia quidem, accendi: occidentia verò, exſtingui. quod ſimillimum eſt, vt ſi quis homines, qui cernantur, viuere dicat: qui non cernantur verò, mori. Et in alius rebus, quæ ſub ſenſum videndi cadunt, ſimilem ſermonem habet. Ita autem ſcilicet intelligens, & diuinus vir eſt, vt ne illud quidem ei in mentẽ venerit, quòd, cùm terra ſit globoſa figura prædita, aliàs apud alios ſingula aſtra & occidunt, & oriuntur: atque ob hanc cauſam neceſſe erit ea ſimul & exſtingui, & accendi, tum pro omnibus finientium, ſeu horizontum, mutationibus, paribus proportionibus interitus innumerabileis fieri & morientium, & rurſum reuiuiſcentiũ ignium, cùm hoc contingat pro omni finientis mutatione, &c. Idem aliquot verſibus pòſt.* ἢ πῶς αὐτὸς ὁ ἥλιος σβεννύμενος, πάλιν ἐπὶ τὴν ἀνατολὴν παραγίνεται; ἀλλὰ γὰρ μυθαρίῳ γραώδει πιστεύσας, ὡς, τῶν Ἰβήρων ἱστορούντων, ἐμπίπτοντα τὸν ἥλιον τῷ ὠκεανῷ, ψόφον ἐμποιεῖν σβεννύμενον, ὡς διάπυρον σίδηρον ἐν ὕδατι, ἐπὶ ταύτην ἦλθε τὴν δόξαν, ὁ μόνος καὶ πρῶτος ἀνθρώπων τὴν ἀλήθειαν ἐξευρών. καὶ οὐδ' ἐκεῖνο νενόηκε, ὅτι πᾶν μέρος τοῦ οὐρανοῦ τὸ ἴσον ἀπέχει τῆς γῆς, ἀλλ' εἰς τὴν θάλασσαν αὐτὸν καταδύεσθαι ὑπέλαβε, καὶ πάλιν ἐκ τῆς ἀνατολικῆς θαλάσσης ἀνατέλλειν. καὶ ἀπὸ μὲν τοῦ ἀνατολικοῦ ὕδατος ἐξάπτεσθαι, ἀπὸ δὲ τοῦ πρὸς δύσει, σβέννυσθαι. *id eſt, aut quomodo ſol ipſe exſtinctus, rurſus ad eam cæli partem, ex qua oriri ſolet, peruenit? At enim cùm fabellæ cuidam anili fidem habuiſſet, quæ ab Hiſpanis tradita eſt. ſolem in Oceanum incidentem, ſtrepitum in eo mittere, tamquam ſuos igneis efflantem, & marceſcentem, quemadmodum ferrum candens dum in aqua exſtinguitur: hanc opinionem mente ſua comprehendit is, qui ſolus & primus veritatem inuenit: & ne illud quidem intellexit partẽ omnem cæli æqualiter à terra diſtare, ſed eum in mare demergi exiſtimauit, & rurſus ex orientali mari exoriri: & ab aqua quidem orientali accendi, ab occidentali verò, exſtingui. Iam*

quod ad loquendi genus attinet, attẽdat lector, quod anteà admonuimus, hæc verba, exhalare, exſpirare, efflare, quaſi actiua, iungi cum accuſandi caſu, vt hic, efflauit igneis, & lib. 3 Vnde cadauera, rancẽti iam viſcere, vermeis Exſpirant? ad quẽ locum hac de re plura. CONCVSSOS ITERE,) conquaſſatos, & fractos labore itineris. itere pro itinere. ſic enim inflectebant veteres, iter iteris, & itiner itineris, teſte Nonio. Næuius Lycurgo. ignoti iteris ſumus: tute ſcis. Attius Oenomao. Præſto etiam adſum: exprome quid fers? nam te longo itere cerno vadere. Idem Telepho. ſtudiumque iteris reprime.

AVT QVIA S. TERRAS CVRS.) fuerunt etiã nonnulli philoſophi, qui ſolem non ſub terris moueri, ſed circum terras dixerunt: iccircò autem ex oculis noſtris euaneſcere, & noctem fieri, quia terra vrſæ ſubiecta, alta, & edita eſt. ex quo fieri, vt ſolis luminibus officiat. Ariſtot. lib. 2 μετεωρ. cap. 1. in extr.

SVPERA QVÆ T. P. ORBEM) ordo eſt: quæ vis pertulit orbem, videlicet ſolis, ſupera, ſeu ſupra terras. quidam tamen legunt: ſupera terræ quæ pertulit orbẽ, vt ſubintelligatur, ſolẽ. MATVTA) M. Tull. lib. 3 de nat. deor. Quid deinde? Ino dea dicetur, quæ Leucothea à Græcis, à nobis Matuta dicitur, cũ ſit Cadmi filia?

AVRORAM) auroram roſeam, ῥοδοδάκτυλον.

TEMPORE ITEM CERTO) cur tempore certo aurora exſiſtat.

AVT QVIA CONVENIVNT IGN.) Minutius in Octauio, ſic congregatis ignium ſeminibus, ſoles alios, atque alios ſemper ſplendere: ſic exhalatis terræ vaporibus nebulas ſemper adoleſcere, &c.

QVÆ FACIVNT SOLIS N. S. L.) Aliter Ariſtoteles μετεωρολ. β. cap. 2. quo loco negat, ſolem ali humido, quem paullo antè protulimus. Volens enim veterum quorundam opinionem refellere, qui arbitrantur, ſolem ali humido, docet, hoc abſurdi ex eo euenturum, vt ſol non ſolùm alio atque alio die nouus ſit, verùm etiã ſemper, & aſsiduè nouus. ex quibus verbis intelligere licet, falſum illi viſum eſſe, noua ſemper gigni ſolis lumina.

QVOD GENVS) cuius generis, vel quemadmodum.

IDÆIS FAM.) De Ida monte, omnium, qui ſunt in Helleſponto, altiſsimo, ſic Diodorus Siculus lib. 17. ἴδιον δέ τι καὶ παράδοξον συμβαίνει γίνεσθαι περὶ τοῦτο τὸ ὄρος. κατὰ γὰρ τὴν τοῦ κυνὸς ἐπιτολὴν ἐπ' ἄκρας τῆς κορυφῆς διὰ τὴν νηνεμίαν τοῦ περιέχοντος ἀέρος ὑπεράνω γίνεσθαι τὴν ἄκραν τῆς τῶν ἀνέμων πνοῆς, ὁρᾶσθαι δὲ τὸν ἥλιον ἔτι τῆς νυκτὸς οὔσης ἀνατέλλοντα τὰς ἀκτῖνας, οὐκ ἐν κυκλοτερεῖ σχήματι περιγεγραμμένον, ἀλλὰ τὴν φλόγα κατὰ πολλοὺς τόπους ἔχοντα διεσπαρμένην, ὥστε δοκεῖν πυρὸς πλείω θιγγάνειν τοῦ τῆς γῆς ὁρίζοντος: id eſt, proprium autem, & admirabile quiddam in hoc monte fieri ſolet. Nam ſub Canis ortum, qui fit in ſummo montis vertice, propter aëris circumfuſi quietem, ab omni motu, ventóque vacuam, hunc verticem à ventorum flatu immunem, atque intactum eſſe. Cerni autem ſolem, cùm etiam nox eſt, radios ſuos exprom entem, non in figuram rotundam conuerſum, & conformatum, ſed flammas in diuerſas parteis diſpergentem, vt complures ignes extremum terræ terminum, quem finientem appellant, attingere videantur. ſimile quiddam narrat idem Diodorus libro tertio, accidere in Arabia fortunata, quod ad ſolis ortum attinet, his verbis. ἐκ μέσου δὲ τοῦ πελάγους φασὶν ἀναφαινόμενον αὐτὸν (ἥλιον) ὁρᾶσθαι μὲν ἄνθραξι παραπλήσιον τῷ πυροειδεστάτῳ, σπινθῆρας δ' ἀφ' ἑαυτοῦ μεγάλους ἀπορρίπτειν. id eſt, ex medio autem mari aiunt ſolem exorientem cerni prunæ candentiſsimæ ſimilem: ſcintillas autem ex ſe magnas iacere, &c. ET CERTO DIMITTVNT) ſic habent aliquot libri manuſcripti.

ſcripti, & non pauci vulgati, melius, opinor, quàm, demittunt.

NEC MINVS IN CERTO) *ſic legendum, in certo, diuiſim, non, incerto, coniunctim. atque illo modo ſcriptum eſt in tribus lib. manuſcrip. & in Florentinis.*

IMPERAT) *tralatio. ſic ſup. libr. 1. Viteis auctumno fundi ſuadente videmus.*

VESTE) *lanugine. & ita Nonius. vnde inueſtes, impuberes. ſic Virgilius Æneidos 8. Aurea cæſaries ollis, atque aurea veſtis. Lucretius infrà eodem libro, iuuentas Occipit, & molli veſtit lanugine malas.* NON NIMIS INCERTIS) *ſic habent tres libri manuſcripti, & Florent. & ſanè vt ita legatur, ratio poſtulat, niſi quis dicat, legendum item vt ſupra, diuiſa voce, in certis, & retinendam vulgatã ſcripturam, minus. Cum hoc loco congruit is, qui eſt lib. 6. Autumnóque magis ſtellis fulgentibus alta Concutitur cæli domus vndique, totáque tellus.*

NAMQVE VBI SIC FVERVNT, &c.) *Alterutrum horum verſuum, vel hunc, vel deinceps ſequentem, puto ab aliquo eſſe interpoſitum, nec eſſe Lucretianum. Malim tamen hunc delere, & alterum retinere, vel ita, vt in omnibus libris legitur, vel paullùm immutatum, nempe hoc modo. Namque vti res mundi, &c.*

CONSEQVA) *conſequens.*

Creſcere itémque dies licet, & tabeſcere nocteis:
Et luces minui, cùm ſumant augmina noctes,
Aut quia ſol idem ſub terras, atque ſupernè,
Imparibus currens amfractibus, ætheris oras
Partit: & in parteis non æquas diuidit orbem:
Et, quod ab alterutra detraxit parte, reponit
Eius in aduerſa tanto plus parte, relatus,
Donicum ad id ſignum cæli peruênit, vbi anni
Nodus nocturnas exæquat lucibus vmbras.
Nam medio curſu flatus Aquilonis, & Auſtri,
Diſtinet æquato cælum diſcrimine metas,
Propter ſigniferi poſituram totius orbis,
Annua ſol in quo contundit tempora ſerpens,
Obliquo terras, & cælum lumine luſtrans:
Vt ratio declarat eorum, qui loca cæli
Omnia diſpoſitis ſignis ornata notarunt.
Propterea fit, vti videantur dicere verum.
Aut, quia craſſior eſt certis in partibus aër,
Sub terris ideò tremulum iubar hæſitat ignis:
Nec penetrare poteſt facilè, atque emergere ad ortus.
Propterea noctes hiberno tempore longæ
Ceſſant, dum veniat radiatum inſigne diei:
Aut etiam, quia ſic alternis partibus anni
Tardius & citius conſuerunt confluere ignes,
Qui faciant ſolem certa de ſurgere parte.

CRESCERE ITEMQVE) *Nunc quamobrem dies & noctes augeantur, & minuantur.* TABESCERE) *minui. tralatio eſt. ſic lib. 2. extr. Nec tenet, omnia paullatim tabeſcere, &c.*

CVM SVMANT AVGMINA) *cum augeſcant. ſic locutus eſt lib. 2. Surſus enim verſus gignuntur, & augmina ſumunt. Quòd autem quidam hoc ordine hunc verſum legi volunt, cùm noctes augmina ſumant, incidunt in κακόφατον & αἰσχρολογίας, cùm no. quod vitandum cenſet Cicero in oratore perf.*

IMPARIBVS CVRR. AMF.) *dum impariter, & inæqualiter circumagitur. hac de re ſic Laërt.* μήκη νυκτῶν, καὶ ἡμερῶν παραλλάττοντα καὶ παρὰ τὰς ταχείας ἡλίου κινήσεις γίνεσθαι, καὶ πάλιν παρὰ βραδείας, ὑπὲρ γῆς, *id eſt, dicebat Epicurus, noctium & dierum longitudines ex celeribus, & contrà ex tardis ſolis motibus ſupra terram fieri.* AMFRACTIBVS) *curſibus, & itineribus flexuoſis. Cæſ. lib. 7. de Bello Gall. oppidi murus à planitie, atque initio adſcēſus, recta regione (ſi nullus amfractus intercederet) CIↃ CC paſſus aberat.*

AD ID SIGNVM) *ad ἰσημερίας, id eſt, vt Latini appellant, æquinoctium.*

NAM MEDIO CVRSV, &c.) *id eſt, inter Aquilonem & Auſtrum: ſeu ſolſtitium & brumam. vox, flatus; autem patrij caſus eſt.*

CÆLVM) *cælum accipio, vt ſit recti caſus, numeri ſingularis. Hæc quantumuis licet leuia, notauit Zoilus, vt ſua.*

METAS) *ſolſtitium, & brumam: ſeu circulum Cancri, & circulum Capricorni. ſunt enim veluti metæ ſolis: ad quas cùm peruēnit, iter, curſúmque ſuum flectit.*

PROPTER SIGNIF. POS. TOT.) *propter ſitum Zodiaci obliquum. M. Tull. de diuin. lib. 2. Vim quandam eſſe aiunt ſignifero in orbe, qui Græcè ζῳδιακὸς dicitur.* CONTVNDIT) *conterit, conſumit, vt ſuprà. Annua ſol in quo conſumit tempora curſu.*

EORVM) *āſtrologorum, & eorum, qui ſcripſerunt phænomena.*

PROPTEREA FIT) *hūc verſum, ſecutus aliquot cod. manuſcriptos, hoc loco poſui: qui tamē mox iteratur.* AVT QVIA CRASSIOR EST) *alia ratio.*

PROPTEREA NOCTES HIBERNO) *Virgil. lib. 2. Georg. Quid tantùm Oceano properent ſe tinguere ſoles Hiberni, vel quæ tardis mora noctib. obſtet.*

TREM. IVBAR H. IGN.) *ſol.* AVT ETIAM) *tertia ratio.*

CONFLVERE IGNES) *ex quibus noua ſemper ſolis lumina gignuntur, vt ſuprà dixit, ibi, Aut quia conueniunt ignes, & ſemina multa Confluere ardores conſuerunt tempore certo, &c.* CERTA DE SVRGERE PARTE) *ἀναστροφῇ, de certa parte ſurgere.*

Luna poteſt ſolis radiis percuſſa nitēre,
Inque dies maius lumen conuertere nobis
Ad ſpeciem, quantum ſolis ſecedit ab orbe,
Donicum eum contra pleno bene lumine fulſit:
Atque oriens obitus eius ſuper edita vidit.
Inde minutatim retrò quaſi condere lumen
Debet item, quanto propius iam ſolis ad ignem
Labitur ex alia ſignorum parte per orbem:
Vt faciunt, lunam qui fingunt eſſe pilai

Conſimilem, curſúſque viam ſub ſole tenere.
Propterea fit, vti videantur dicere verum.
Eſt etiam quoque, vti proprio cum lumine poſſit
Voluier, & varias ſplendoris reddere formas.
Corpus enim licet eſſe aliud, quod fertur, & vnà
Labitur omni'modis occurſans, officiénſque:
Nec potis eſt cerni, quia caſſum lumine fertur.
Verſaríque poteſt, globus vt, ſi fortè, pilaï,
Dimidia ex parti candenti lumine tinctus,
Verſandóque globum varianteis edere formas,
Donicum eam partem, quæcumque eſt ignibus aucta,
Ad ſpeciem vertit nobis, oculóſque patenteis.
Inde minutatim retrò contorquet, & aufert
Luciferam partem glomeraminis, atque pilaï:
Vt Babylonica Chaldæam doctrina refutans
Aſtrologorum artem contrà conuincere tendit:
Proinde quaſi fieri nequeat, quod pugnat vterque,
Aut minus hoc illo ſit cur amplectier auſis.
Denique, cur nequeat ſemper noua luna creari
Ordine formarum certo, certíſque figuris:
Inq; dies priuos aboleſcere quæque creata,
Atque alia illius reparari in parte, locóque,
Difficile eſt ratione docere, & vincere verbis:
Ordine cùm videas tam certo multa creari.
It ver, & Venus, & Veneris prænuntius antè
Pinnatus graditur Zephyrus veſtigia propter:
Flora quibus mater præſpergens antè viaï
Cuncta coloribus egregiis, & odoribus opplet.
Inde loci ſequitur Calor aridus, & comes vnà
Puluerulenta Ceres, & Eteſia flabra Aquilonum.
Inde Auctumnus adit: graditur ſimul Euius Euan:
Inde aliæ tempeſtates, ventíque ſequuntur,
Altitonans Volturnus, & Auſter fulmine pollens.
Tandem bruma niueis affert, pigrúmque rigorem
Reddit. Hiems ſequitur, crepitans ac dentibus Algus.
Quo minus eſt mirum, ſi certo tempore luna
Gignitur, & certo deletur tempore rurſus,
Quom fieri poſſint tam certo tempore multa.

LVNA POTEST SOLIS.) *Cur lunæ figura variet, & modò plena ſit,*

modò dimidiata, modò bicornis, modò nulla. PERCVSSA) *ſic legendum, & ita habent libri aliquot manuſcripti: vulgati autem, perculſa, mendoſè percuſſa radiis ſolis, id eſt, icta lumine ſolis. ſic locutus eſt ſup. lib. 2. Recta, aut obliqua percuſſus luce refulget. ibidem inf. quodam gignuntur luminis ictu & hoc eodem lib. ſup. Vt queat accendi paruis ardoribus ictus. Vnde verbera radiorum dicuntur tum ſolis, tum lunæ. ſup. eod. lib. Et radij ſolis cogebant vndique terram verberibus crebris, &c. Sed de hac variatione lunæ luminis, & figuræ ſic Epic. apud Laërt.* Ἐνδέχεται τὴν σελήνην ἐξ ἑαυτῆς ἔχειν τὸ φῶς: ἐνδέχεται δὲ ἀπὸ τοῦ ἡλίου. Καὶ γὰρ παρ' ἡμῖν θεωρεῖται πολλὰ μὲν ἐξ ἑαυτῶν ἔχοντα, πολλὰ δὲ ἀφ' ἑτέρων. καὶ οὐδὲν ἐμποδοστατεῖ τῶν ἐν τοῖς μετεώροις φαινομένων, *&c. ſequitur,* ἡ δὲ ἔμφασις τοῦ προσώπου ἐν αὐτῇ δύναται μὲν γίνεσθαι καὶ κατὰ παραλλαγὴν μερῶν, καὶ κατὰ προσχώρησιν, ἢ διαχώρησιν, ἢ καθ' ἐπιπρόσθησιν, καὶ καθ' ὅσους ἂν τρόπους θεωρεῖτο τὸ σύμφωνον τοῖς φαινομένοις. *id eſt, Praterea fieri poteſt, vt luna à ſeipſa lumen habeat: contingere etiam poteſt, vt à ſole. Nam etiam apud nos multa cernere licet, quæ id, quod habent, ex ſeipſis habeant: multa, quæ ab aliis: neque quidquam eorũ, quæ in aëre appárent, obſtat, quominus ita ſit, &c. vultus autem eius varius & multiplex, qui ſeſe nobis expromit, atque oſtendit, poteſt naſci & ex immutatione partium, & ex acceſſione eius ad ſolem, aut receſſione, aut ex obſtructione, ſeu offectione, & ex alia cauſa, in qua ſpectetur id, quod conſentaneum eſt iis, quæ ſunt in promtu.* DONICVM EVM CONTRA, &c.) *id eſt, Donec contra eum, nempe ſolem, id eſt, donec ei oppoſita, &c.*

ATQVE ORIENS, &c.) *id eſt, & tunc orta eſt, cùm ſol occidit.*

CONDERE LVMEN) *abſcondere lumen, obſcurari. ſic dictum, condere lumen à Lucretio, vt ab Horat. condere diem, od. 5. lib. 4. Condit quiſque diem collibus in ſuis: niſi quòd apud Horat. cõdere diem dicitur in collibus ſuis, qui in collibus ſuis, vſque ad occaſum ſolis manet: hîc autem apud Lucretium luna condere lumen dicitur, cùm obſcuratur, ob ſolis propinquitatem. ſic idem ſupr. hoc eod. libro de ſole. Sol fit vti videatur obire, & condere lumen, &c. Idem non multo ſecus lib. 3. Proinde licet quotuis viuendo condere ſæcla, &c.*

EST ETIAM QVOQVE VTI) *quod dixerunt Anaximander, & Antiphon.* CORPVS ENIM LICET ESSE ALIVD,) *id eſt, Nam fieri poteſt, vt ſit corpus aliquod aliud, quàm luna, quod vnà cum ea feratur, & labatur, eíque occurſando, atque officiendo, faciat, vt luna varias formas reddat.*

VERSARIQVE POTEST) *nempe luna, alia eſt ratio, quare luna varias figuras reddat.* CHALDÆAM) *Chaldæos aſtrologiæ fuiſſe peritiſſimos, & Diodorus Siculus teſtatur libro 2. his verbis:* ὅτι μέντοι γε διαβεβαιώσαιτ' ἄν τις προσηκόντως, ὅτι χαλδαῖοι μεγίστην ἕξιν ἐν ἀστρολογίᾳ τῶν ἁπάντων ἀνθρώπων ἔχουσι, καὶ διότι πλείστην ἐπιμέλειαν ἐποιήσαντο ταύτης τῆς θεωρίας, *id eſt, hoc quidem certe liquidò quiſpiam confirmare poſſit, omnium hominum maximum vſum in aſtrologia Chaldæos habere, plurimúmq; ſtudij, atque operæ in hanc cognitionem contuliſſe. & M. Tull. lib. 1. de diuin. Chaldæi in Syria cognitione aſtrorum, ſollertiáque ingeniorum antecelluerunt. Babylonios quoque multorum annorum obſeruationes ſiderum coctilibus laterculis inſcriptas habuiſſe refert Plinius lib. 7. cap. 56: Zoilus, homo acumine ingenij præſtans ſcilicet, legendum cenſet, Chaldæûm, pro Chaldæorum, non, vt omnes habent libri, Chaldæam. quaſi verò, Chaldæam, non ſit vſitatè poſitum pro Chaldaïcam: quẽadmodum Horat. dixit, Mauris iaculis, Sulpiciis horreis, & ſimil.*

PROINDE QVASI, &c.) *En vide, vt Epicurus probabilia ſequatur in*

bis, quæ ſupra terram gignuntur, nihil vnum egregie præter cetera affirmet.

DENIQVE CVR NEQVEAT, *&c.) quod item de ſole nonnulli exiſtimarunt, vt ſupr. dictum eſt.* INQVE DIES PRIVOS, *& in dies ſingulos. ſic eodem libr. ſupr. Innumerabiliter priuas mutatur in horas.*

ABOLESCERE) *cùm in libris manuſcriptis reperiſſem ſcriptum, aboriſciq;, ſuſpicatus ſum eos fuiſſe corruptos ab iis, qui ex, aboleſcere, aboriri, feciſſent: quod tantundem fere valet. aboriri, quidem, impreſſum eſt in cod. Venetis antiq. & Pariſienſib. eóque verbo vſus eſt etiam lib. 3. & infringi linguam, vocémque aboriri. quod ſi quis malet, non improbabo. aboleſcere autem, valet decreſcere: quod huic loco maxime conuenit.* VINCERE VERBIS) *pulchre dictum. ſic libr. 2. Quod quoniam vinco fieri, nunc eſſe docebo. & ſupr. hoc eod libr. Et quam difficile id mihi ſit peruincere verbis. & lib. 6. primùm iam ſemina aquaï Multa ſimul vincam conſurgere nubibus ipſis. ſic & Horat. ſatyr. 3. lib. 1. Nec vincet ratio, tantundem vt peccet, idémque, &c.* PRÆNVNTIVS) *πρόδρομος, præcurſor. Prænuntium autem Veneris dixit Zephyrum, quia Venus tempore verno gaudet. Sic Horat. oda 4. lib. 1. Iam Cytherea choros ducit Venus imminente luna.*

FLORA) *Arnobius lib. 3. aduerſus gent. Flora illa genitrix, & ſancta, obſcenitate ludorum bene curat, vt arua floreſcant, &c. Minucius in Oct. ſanè & Acca Laurentia, & Flora meretrices propudioſæ inter morbos Romanorum, & Deos computandæ. Lactāt. Firmianus lib. 1. de falſa religione. Flora cùm magnas opes ex arte meretricia quæſiuiſſet, populum Romanum ſcripſit heredem, certam pecuniam reliquit: cuius ex annuo fænore ſuus natalis dies celebraretur editione ludorum, quos appellarent Floralia, &c. lege & Ouid. libr. Faſt.*

ETESIA FLAB. AQVIL.) *Eteſiæ: qui item ſunt Aquilones: id eſt, venti à ſeptentrionib. flantes. hoc tantum intereſt, quòd Eteſiæ certo anni tempore, nempe poſt ſolſtitium ſpirant: Aquilones quouis anni tempore.* EVIVS EVAN.) *Bacchus, à voce Bacchantium εὐοῖ, Euius appellatus. Euan autem Ithoniæ mons ab eadem voce dictus. Pauſanias Meſſ.* VOLTVRNVS) *Euronotus.*

CREPITANS AC DENTIBVS ALGVS) *Cùm tres libri manuſcripti, & vulgati Florentini, Veneti recentiores, vtrique Lugdunenſes, haberent, crepitans accentibus algi: nonnulli, crepitans ac dentibus algit, planè ineptè, ídque olim lectori indicaſſem: &, crepitans accentibus algi, vt plerique libri habent, edidiſſem: venit mihi poſtea in mentem, verba illa Plauti in Rudente legenti,* CH. *Quid ſi aliquò ad ludos me pro manduco locem?* LA. *Quapropter?* CH. *quia pol clarè crepito dentibus. facillimè, & commodiſſimè, & aptiſſimè ex hac ſcriptura, crepitans, ac dentibus algit, fieri poſſe, crepitans ac dentibus Algus. Perſpicua enim hîc eſt προσωποποιΐα: & Hiemi, Algo, Volturno, Auſtro, corpora affinguntur, poetico more. Idcirco, Algus, ſcribendum curaui, littera prima maiore. Venuſtè autem, & conuenienter, & probabiliter Algum dentibus crepitantem facit, quia eos, qui algent, dentiū crepitus comitari ſolet, vt & totius corporis tremor, & horror, & rigor, & ſimil. quod indicat Plauti locus, quem modò protulimus. Iam algus, ſeu algum, frigus ſignificat: atque eadem voce vſus eſt etiam libr. 3. Cùm hoc mihi ſtatim poſt ſecundam editionem veniſſet in mentem, cuius rei mihi teſtes ſunt viri optimi, & ornatiſſ. reperi non multo pòſt, idem ab aliquo neſcio quo excogitatum eſſe, ídque Zoilum pro ſuo produxiſſe: niſi quòd, algor, ab eo ſcriptum eſt, quod minus probo, quia longius æquo à ſcriptura recepta remotum eſt.*

CVM FIERI POSSINT) *in duobus libris manuſcriptis ſcriptum eſt, Cùm florere queant.*

Solis item quoque defectus, lunæque latebras,
Pluribus è cauſis fieri tibi poſſe putandum'ſt.
Nam cur luna queat terram ſecludere ſolis
Lumine, & à terris altum caput obſtruere eij,
Obiiciens cæcum radiis ardentibus orbem:
Tempore eodem aliud facere id non poſſe putetur
Corpus, quod caſſum labatur lumine ſemper?
Sólque ſuos etiam dimittere languidus igneis
Tempore cur certo nequeat, recreareque lumen,
Cùm loca præteriit flammis infeſta per auras,
Quæ faciunt igneis interſtingui, atque perire?
Et cur terra queat lunam ſpoliare viciſſim
Lumine, & oppreſſum ſolem ſuper ipſa tenere,
Menſtrua dum rigidas coni perlabitur vmbras?
Tempore eodem aliud nequeat ſuccurrere lunæ
Corpus, vel ſupera ſolis perlabier orbem,
Quod radios interrumpat, lumenque profuſum?
Et tamen ipſa ſuo ſi fulgit luna nitore,
Cur nequeat certa mundi langueſcere parte,
Dum loca luminibus propriis inimica pererrat?
› Menſtrua dum rigidas coni perlabitur vmbras?'

SOLIS ITEM QVOQVE) *nunc de defectibus ſolis & lunæ: & priore loco de defectu ſolis. de quibus ſic* Diog. Laërtius, Ἔκλειψις δὲ ἡλίου, καὶ σελήνης δύναται μὲν γίνεσθαι καὶ κατὰ σβέσιν, καθάπερ καὶ παρ' ἡμῖν τοῦτο θεωρεῖται γινόμενον, καὶ ἤδη κατ' ἐπιπρόσθησιν ἄλλων τινῶν, ἢ γῆς, ἢ οὐρανοῦ, ἤ τινος ἑτέρου τοιούτου, &c. *id eſt, ſolis autem & lunæ defectus poteſt quidem fieri etiam per exſtinctionem, quemadmodum & apud nos hoc fieri videmus, & verò per offectionem aliarum quarundam rerum, aut terræ, aut cæli aut cuiuſpiam alius talis rei, &c.* Idem *paucis verbis pòſt.* Ἐν δὲ τῇ δυοκαιδεκάτῃ περὶ φύσεως ταῦτα λέγει. καὶ τὸν ἥλιον ἐκλείπειν σελήνης ἐπισκοτούσης. σελήνην δὲ ἐν τῷ τῆς γῆς σκιάσματι: ἔτι δὲ καὶ κατ' ἀναχώρησιν. *id eſt,* Et *ſolem deficere, luna inumbrante: lunam verò ex vmbra terræ: præterea verò & ex receſſu à ſole.* SECLVDERE SOLIS LVMINE) *terram ſeparare à ſolis lumine, & ita priuare, ac ſpoliare.* EII) *ſoli.*

OBIICIENS CÆC. RAD. ARD.) *obiiciens ſuum orbem obſcurum radiis ſolis. Lunæ enim corpus, ſuapte natura opacum & obſcurum eſt.*

TEMPORE EODEM, &c.) *cur (inquit) luna poßit terram lumine ſolis priuare, ſui orbis obiectu: eodem tempore aliud corpus, quàm luna, quod ſemper nobis ſit obſcurum, non debeat putari idem efficere poſſe? proinde quaſi dicat: non poteſt afferri ratio, quamobrem aliud corpus, quàm luna, idem efficere non queat,*

quod lunam efficere plerique dicunt. Primus autem Thales dixit, ſolem deficere eò, quòd luna, quæ eſt terrena & opaca natura, eum ſubeat ad perpendiculum: id eſt interponatur inter ſolem & terram. SOLQVE SVOS) *hæc fuit Xenophanis opinio. Putauit idem ille, nouos quotidie ſoles & occidere, & oriri.*

FLAMMIS INFESTA) *non ita dico, flammis infeſta, id eſt flammis inimica, vt frigida: ſed flammis immoderatis oppleta, atque occupata, & quodammodo infeſtata, ac vexata. ſic lib 2. Hinc flammis, illinc rigidis infeſta pruinis: vt quidem legendum putant nonnulli: quib. aſſentior. nam alij quidam legi volunt, rigidis infeſſa pruinis.* INTERSTINGVI) *interea exſtingui, intereáque perire.*

ET CVR TERRA QVEAT) *nunc de lunæ defectu.*

ET OPPRESSVM SOLEM SVPER IPSA T.) *ſic quidem habent omnes libri, & manuſcr. & vulgati: quæ lectio, ſi cui probetur, ſic explicari poteſt: & ipſa, ſcilicet luna, ſuper, id eſt, cùm ſit ſuper, ſolem oppreſſum tenere. Sed ego, inuitis libris omnibus, olim ſic legẽdum eſſe putabam: & oppreſſum ſubter ſolem ipſa tenere. hoc enim ſentire mihi Lucretius videbatur. Cur terra inter ſolem & lunam intercedens (nam ex huiuſmodi interpoſitione, defectum lunæ naſci volunt ferè omnes) lunam lumine ſpoliare, ſolémque quodammodo ipſa ſubter ſe oppreſſum tenere poſſit, dum luna in vmbram terræ incidit: eodem tempore aliud corpus, quàm terra, lunæ ſuccedere & ſubiici, vel ſupra ſolis orbem ferri non queat? mendum autem exiſtimabam eſſe natum ex voce, ſupter, ſcripta per p. vnde poſtea factum eſſe, ſuper. poſtremò cùm ſyllabæ prioris breuitas verſum corrumperet, mutatum ordinem verborum, & ita ſcriptum, vt videmus. Verumtamen neque quicquam anteà mutaui, neque nunc mutandum cenſeo. Ad hunc locum pertinent illa M. Tull. lib. 2. de nat. deor. atque etiam tum ſubiecta, atq; oppoſita ſoli, radios eius, & lumen obſcurat, tum ipſa incidens in vmbram terræ, cùm eſt è regione ſolis, interpoſitu, interiectúque terræ repente deficit.*

MENSTRVA DVM RIGIDAS, &c.) *id eſt dum luna ſpatio menſtruo curſum ſuum conficiens, perlabitur vltimam vmbrarum terræ partem. quidam per conum terram ſignificari volunt, quaſi ſit κωνοειδὴς, cùm Ariſtoteles lib. 2. μετεωρ. dicat eſſe tympani figura, & lineas ab eius centro ductas duos conos efficere.*

SVCCVRRERE) *ſuccedere, vel ſubter, aut ſurſum ire.* RADIOS) *ſolis.*

CVR NEQVEAT CERTA) *ſic habet cod. Vatic. & vulgati Florent.*

PERERRAT) *ſic emendaui. nam vulgata lectio, perexit, mendoſa & corrupta eſt. alij legunt, peragrat.* MENSTRVA DVM RIG.) *fruſtra hic verſus alieno loco iteratur.*

Quod ſupereſt, quoniam magni per cærula mundi
Qua fieri quicquid poſſet ratione, reſolui:
Solis vti varios curſus, lunæq; meatus
Noſcere poſſemus: quæ vis, & cauſa cieret:
Quóve modo ſoleant offecto lumine obire,
Et neque opinanteis tenebris obducere terras,
Quom quaſi conniuent: & aperto lumine rurſum
Omnia conuiſunt clara loca candida luce:
Nunc redeo ad mundi nouitatem, & mollia terræ:

Arua,nouo fœtu quid primum in luminis oras
Tollere,& incertis tentarit credere ventis.
Principiò genus herbarum,viridémque nitorem
Terra dedit circum colleis:campóſque per omneis
Florida fulſerunt viridanti prata colore.
Arboribúſque datum'ſt variis exinde per auras
Creſcendi magnum immiſſis certamen habenis.
Vt pluma,atque pili primùm,ſetæq; creantur
Quadrupedum in membris,& corpore pennipotentum,
Sic noua tum tellus herbas,virgultáque primùm
Suſtulit:inde loci mortalia ſæcla creauit
Multa modis multis varia ratione coorta.
Nam neque de cælo cecidiſſe animalia poſſunt:
Nec terreſtria de ſalſis exiſſe lacunis.
Linquitur,vt meritò maternum nomen adepta
Terra ſit,è terra quoniam ſunt cuncta creata.
Multáque nunc etiam exſiſtunt animalia terris,
Imbribus,& calido ſolis concreta vapore.
Quo minus eſt mirum,ſi tum ſunt plura coorta,
Et maiora,noua tellure,atque æthere adulta.

QVOD SVPEREST, QVONIAM) *breuis ἀνακεφαλαίωσις eorum, quæ hactenus explicauit: poſt quam redit ad initium mundi, & docet, quid primùm in mundo recenti natum ſit.* OFFECTO LVMINE) *ſic reſtitui,tres codices manuſcriptos ſecutus,in quibus planè,& ſine litura ita ſcriptum eſt:in duobus aliis autem,offeto,& ,offæto,cùm vulgati habeant,effeto,vel,effæto.offecto autem interpretor,obducto,& obſtructo,& per alicuius corporis interpoſitionem,ad tempus excluſo. idem lib.2.& extrà Officiuntur,vti cogantur tardius ire.*

CONNIVENT) *συμμύουσι, lumen ſuum claudunt.tralatio eſſet,niſi addidiſſet,quaſi. nunc autem eſt εἰκών.*

ET INCERTIS TENTARIT CREDERE VENTIS) *ſic reſtitui, partim coniectura ductus,partim à veteribus libris adiutus, partim à ſententia ipſa admonitus. Nam cùm reperiſſem in aliis libris manuſcript. tendant committere , in aliis,credunt committere:in vulgatis item modò hoc,modò illud,modò,tendat, numero ſingulari:viderem autem ſententiam poſtulare verbum numeri ſingul. præteriti temporis,optatiui modi, ego ex,tendant,feci,tentarit,ex,credunt,credere,ſuſpicatus,vulgatum,cõmittere,fuiſſe explicationẽ verbi,credere,ad oram libri adſcriptam,quæ poſtea in contextum verborum trãſlata ſit, eiecto vero,& germano verbo,credere.* IMMISSIS CERT. HABEN.) *id eſt laxatis.Virg.lib.6.Æneid. Sic fatur lacrymans , claſſique immittit habenas. Sententia autem huius loci hæc eſt.arboribusque datum eſt,à natura ſcilicet,vt certatim, & hilariter, & ſine vlla mora,vllóve impedimento creſcerent.allegoria eſt,ducta ab equis , quibus habenæ ab aurigis inter currendum laxantur.Virgilius propius tranſtulit ad claſſem.*

INDE

INDE LOCI) *id eſt ab illo tempore. ſic ſup. Diffugere inde loci partes cœpere, paréſq. Cum paribus iungi.* NAM NEQVE DE CÆLO) *ſic ſup. lib. 2. extr. Haud (vt opinor) enim mortalia ſæcla supernè Aurea de cælo demiſit funis in arua.*

LINQVITVR, VT MERITO *ſic lib. 2. Quare magna Deûm mater, matérque ferarum, Et noſtri genitrix hæc dicta eſt corporis vna. & infra ſtatim, Quare etiam atque etiam maternum nomen adepta Terra tenet meritò, &c.*

MVLTAQVE NVNC ETIAM EXSISTVNT) *à ſimili probat, animalia omnia principiò è terra humida, ſolis calore calefacta, exſtitiſſe.*

ATQVE ÆTH. ADVLTA) *Quidam legi volunt, adulto. Sed ſcriptura recepta ſeruari poteſt, vt ſubintelligatur ἀπὸ κοινοῦ, nouo.*

Principiò genus alituum, variæque volucres
Oua relinquebant excluſæ tempore verno:
Folliculos vt nunc teretes æſtate cicadæ
Linquunt, ſponte ſua victum, vitámque petentes.
Tum tibi terra dedit primùm mortalia ſæcla.
Multus enim calor, atque humor ſuperabat in aruis.
Hinc, vbi quæque loci regio opportuna dabatur,
Creſcebant vteri terræ radicibus apti:
Quos vbi tempore maturo patefecerat ætas
Infantum, fugiens humorem, auráſque petiſſens:
Conuertebat ibi natura foramina terræ,
Et ſuccum venis cogebat fundere apertis,
Conſimilem lactis, ſicut nunc fœmina quæque
Quom pepetit, dulci repletur lacte, quòd omnis
Impetus in mammas conuertitur ille alimenti.
Terra cibum pueris, veſtem vapor, herba cubile
Præbebat, multa & molli lanugine abundans.
At nouitas mundi nec frigora dura ciebat,
Nec nimios æſtus, nec magnis viribus auras.
Omnia enim pariter creſcunt, & robora ſumunt.
Quare etiam atque etiam maternum nomen adepta
Terra tenet meritò, quoniam genus ipſa creauit
Humanum, atque animal propè certo tempore fudit
Omne, quod in magnis bacchatur montibu' paſſim,
Aëriáſque ſimul volucreis variantibu' formis.
Sed quia finem aliquam pariendi debet habere:
Deſtitit, vt mulier ſpatio defeſſa vetuſto.
Mutat enim mundi naturam totius ætas,
Ex alióque alius ſtatus excipere omnia debet,
Nec manet vlla ſui ſimilis res: omnia migrant:
Omnia commutat natura, & vertere cogit.

Nanque aliud putreſcit,& æuo debile languet:
Porrò aliud concreſcit,& è contemtibus exit.
Sic igitur mundi naturam totius ætas
Mutat,& ex alio terram ſtatus excipit alter.
Quod potuit,nequeat:poſſit quod non tulit antè.

PRINCIPIO GENVS ALITVVM) *Rationem primæ originis animantium explicat ex ſententia Anaximandri,& aliorum quorundam veterum philoſophorum:quam pluribus verbis perſequitur Diod.Siculus lib.1 non longè à principio:quæ,quia hunc locum non mediocriter mihi videntur illuſtratura, adſcribere non pigebit.* Ταύτην δὲ (γῆν) τὸ μὲν πρῶτον τοῦ περὶ τὸν ἥλιον πυρὸς καταλάμψαντος πῆξιν λαβεῖν, ἔπειτα διὰ τὴν θερμασίαν ἀναζυμουμένης τῆς ἐπιφανείας, συνοιδῆσαί τινα τῶν ὑγρῶν κατὰ πολλοὺς τόπους, καὶ γενέσθαι περὶ αὐτὰ σηπεδόνας ὑμέσι λεπτοῖς περιεχομένας. ὅπερ ἔτι ἐν τοῖς ἕλεσι, καὶ τοῖς λιμνάζουσι τῶν τόπων ἔτι καὶ νῦν ὁρᾶσθαι γινόμενον, ἐπειδὰν τῆς χώρας κατεψυγμένης ἄφνω διάπυρος ὁ ἀὴρ γένηται, μὴ λαβὼν τὴν μεταβολὴν ἐκ τοῦ κατ᾽ ὀλίγον. ζωογονουμένων δὲ τῶν ὑγρῶν διὰ τῆς θερμασίας τὸν εἰρημένον τρόπον, τὰς μὲν νύκτας λαμβάνειν αὐτίκα τὴν τροφὴν ἐκ τῆς πιπτούσης ἀπὸ τοῦ περιέχοντος ὁμίχλης· τὰς δ᾽ ἡμέρας ὑπὸ τοῦ καύματος στερεοῦσθαι. τὸ δ᾽ ἔσχατον τῶν κυοφορουμένων τὴν τελείαν αὔξησιν λαβόντων, καὶ τῶν ὑμένων διακαυθέντων τε καὶ περιρραγέντων, ἀναφυῆναι παντοδαποὺς τύπους ζῴων. τούτων δὲ τὰ μὲν πλείστης θερμασίας κεκοινωνηκότα, πρὸς τοὺς μετεώρους ἀπελθεῖν, γενόμενα πτηνά· τὰ δὲ γεώδους ἀντεχόμενα συγκρίσεως, ἐν τῇ τῶν ἑρπετῶν, καὶ τῶν ἄλλων τῶν ἐπιγείων τάξει καταριθμηθῆναι· τὰ δὲ φύσεως ὑγρᾶς μάλιστα μετειληφότα πρὸς τὸν ὁμογενῆ τόπον συνδραμεῖν, ὀνομασθέντα πλωτά, *&c.id eſt, Hanc autem (terram) primùm quidem cùm ignis ſoli circumfuſus eam colluſtraſſet,concreuiſſe: deinde,cùm propterea quòd concaluerat,extremæ eius oræ veluti fermentarentur,multis locis humida quædam intumuiſſe,& in eis putrores quoſdam tenuibus membranis circundatos exſtitiſſe:quod in paludibus,& in ſtagnantibus locis etiamnunc fieri cernere licet,cùm ea loci regione frigida facta,aer repente exarſerit,neque ſenſim fuerit immutatus: Humida autem illa eo,quo diximus,modo calore animata, noctu quidem ex nebula ſuperne cadente cibum cepiſſe:interdiu autem ab æſtu ſolidata eſſe:poſtremò iis,quæ in vteris terræ inoleuiſſent, iuſtum incrementum conſecutis, membraniſque peruſtis, ac perfractis, exſtitiſſe, atque exortas eſſe omnis generis animalium formas. Horum autem ea quidem,quæ plurimùm caloris nacta fuiſſent,ad ſuperna loca abiiſſe, volatilia facta: ea autem,quæ terrenam retinuiſſent ſoliditatem,in reptilium, & aliorum terreſtrium ordine eſſe numerata:quæ verò naturam humidam maxime haberent,ad locum eiuſdem generis concurriſſe,natatilia nominata. Idem ibidē quoſdam Euripidis verſus ex Menalippa profert ab hac ſententia non diſcrepanteis:* Ὡς οὐρανός τε,γαῖά τ᾽ ἦν μορφὴ μία· Ἐπεὶ δ᾽ ἐχωρίσθησαν ἀλλήλων δίχα, Τίκτουσι πάντα, καὶ ἀνέδωκαν ἐς φάος, Δένδρη, πετεινά, θῆρας, οὕς θ᾽ ἅλμη τρέφει, Γένος τε θνητῶν. *id eſt, Nam terra,cælúmque vna forma erant ſimul: Sed alterum poſtquàm ſeorſum ab altero iunctum eſt, peperere cuncta, & edidere in luminis Oras, vt arbores, feras, atque alites, Et quas alit mare, & genus mortalium.*

EXCLVSÆ.) *propriè, & vſitatè dixit. Gallinæ enim, & ceteræ aues pullos ex ouis excludere dicuntur.*

FOLLICVLOS VT NVNC) *tunicas appellauit ſuprà lib.4. non longè à principio, vt olim Quom veteres ponunt tunicas æſtate cicadæ.*

TVM TIBI TERRA) *ſic habent aliquot libri vulgati: quibuſcum conſentiunt tres manuſcripti. alij, Tanc ibi.* HINC, VBI QVÆQVE) *ſic reſtitui in ſecunda iam editione, cùm in lib. manuſcriptis ſcriptum reperiſſem partim, Hoc vbi, partim, Ecce vbi, partim, Actibi, partim, Heccubi. In prima autem repoſueram, Atque vbi, non malè.* CRESCEBANT VTERI) *profert hunc verſum Firmianus lib. 2. de orig. errorũ, cap. 12 totámque hanc de prima animalium origine ſententiam refellit his verbis. Aiunt certis conuerſionibus cæli, & aſtrorum motibus maturitatem quandam exſtitiſſe animalium ſerendorum: itaque terram nouam ſemen genitale retinentem, folliculos ex ſe quoſdam in vterorum ſimilitudinem protuliſſe, de quibus Lucret lib. 5. Creſcebant vteri, &c. eóſque cùm maturaſſent, natura cogente, ruptos, animalia tenera profudiſſe: deinde terram ipſam humore quodam, qui eſſet lacti ſimilis, exuberaſſe, eóque alimento animãteis eſſe nutritos: &c. nam ſatis eſt mihi locum indicaſſe. eodem pertinet illud M. Tull. lib. 1. de legib. Nam cùm de natura omni quæritur, diſputari ſolent nimirum iſta, ſicut diſputantur: perpetuis curſibus, & conuerſionibus cæleſtibus exſtitiſſe quãdam maturitatem generis humani, quod ſperſum in terras, atque ſatum, diuino auctum ſit animorum munere. Ad hunc eundem locum pertinent illa, quæ dicuntur à Dione Chryſoſt. Oratione Olymp. aut de prima dei notitia.* περὶ τὴν μὲν τροφὴν οἱ πρῶτοι καὶ αὐτόχθονες νεμόμενοι τὴν γῆν, μαλακῆς ἔτι καὶ πίονος τῆς ἰλύος τότε οὔσης, ὥσπερ ἀπὸ μητρὸς τῆς γῆς λιχμώμενοι, καθάπερ τὰ φυτὰ νῦν ἕλκουσι τὴν αὐτῆς ἰκμάδα, *&c. id eſt, Ac primi quidem homines, & ex ipſa terra nati, primum alimentum carpentes terreſtre, cùm mollis etiã tunc, & pinguis limus eſſet, tanquam à matre terra lambentes, ac ſugentes, quemadmodum ſtirpes & plantæ nunc ex ea humorem trahunt, &c.*

TERRÆ RADIC. APTI *id eſt, inhærentes, & affixi terræ radicibus.*

FVGIENS HVMOREM) *Exiſtimaram olim legendum, ſugens humorem, verbis Firmiani & ſimilibus locis adductus. Nunc autẽ lectionem receptam tueor, fugiens humorem. Sunt enim hæc quaſi conſequentia, fugiens humorem, auráſque petiſſens.* AVRASQVE PETISSENS) *ſic habent tres libri manuſcripti. dictum autem petiſſo, ſeu peteſſo, vt capeſſo, laceſſo, arceſſo: malim autem reponi, petiſſens. Sic enim Feſtus. Petiſſere antiqui pro petere dicebant, ea forma verbi, qua ſunt, laceſſere, & inceſſere. Sed (vt mihi videtur) eo ſignificabant ſæpius petere, vt petiſſant, ſæpius petant. Hactenus Feſtus. Vtitur hoc verbo & M. Tull. lib. ſecundo de Conſulatu. Mentéque diuina cælum, terráſque petiſſit.*

CONVERTEBAT IBI) *ſic quidem habent omnes libri & manuſcripti, & vulgati: Verum tamen, ibus, legendum putabam, vt intelligamus, naturam conuertiſſe foramina terræ ad infanteis, ſeu potius ad vteros illos tempore maturo patefactos. ibus, autem, antiquum pro, iis, teſte Nonio. Plautus Milite. ibus denumerem ſtipendium. Pomponius. Nunc quando voluiſti facere, fac voluptati ſies ibus. Verũtamen nihil mutare auſim.*

AT NOVITAS MVNDI) *hoc pertinet ad id, quod quis obiicere poterat, neque omiſit Firmianus. ſic enim ille eo, quem paullo antè indicaui, loco. Quomodo autem vim frigoris, aut caloris ferre, aut vitare potuerunt, aut omnino naſci, cùm ſol exureret, frigus aſtringeret? Non erant (inquiunt) à principio mundi hiems, & æſtas, ſed perpetua temperies, & ver æquabile. Cur ergo nihil horum fieri etiam nunc videmus? &c.* QVARE ETIAM ATQVE ETIAM) *ſic ſupra paullo antè. Linquitur vt meritò, &c.*

MATERN. NOM. ADEPTA TERRA T.) *adepta tenet, ſic dictum, vt illa, quæ annotaui ad illum verſum lib. 1. Amplexi quod habent peruerſe prima viaï.* QVOD IN MAGNIS BACCHATVR M. P.) *id eſt, quod paſſim per monteis, bacchantium in morem, vagatur.*

OMNIA MIGR.) *πάντα μεταβαίνει. omnia mutantur, & demigrant ex ſuo ſtatu, aut ex ſua forma.*

ET VERTERE COGIT.) *vertere, abſolutè poſitũ eſt, & veluti pro verti.*

DESTITIT, VT MVLIER) *ſic ſuprà lib. 2. in extremo. Iamque adeò fracta eſt ætas, affectáque tellus: Vix animalia parua creat, &c.*

EXCIPERE OMNIA) *ſubſequi omnia, ὑποδέχεσθαι. ſuccedere omnibus.*

NAMQVE ALIVD PVTRESCIT, &c.) *ſic ſuprà, lib. 2. princip. ſic rerum ſumma nouatur Semper, & inter ſe mortales mutua viuunt: Augeſcunt aliæ gentes, aliæ minuuntur, &c. edem libro, miſcetur funere vagor, Quem pueri tollunt, viſentes luminis oras, &c.* ÆVO DEBILE) *ætate, atque annis debilitatum & confectum.*

Multáque tum tellus etiam portenta creare
Conata'ſt, mira facie, membríſque coorta.
Androgynum, neutrum, inter vtrumq;, ab vtroq; remotum.
Orba pedum partim, manuum viduata viciſſim:
Multa ſine ore etiam, ſine voltu cæca reperta,
Vinctáque membrorum per totum corpus adhæſu,
Nec facere vt poſſent quicquam, nec cedere quoquam,
Nec vitare malum, nec ſumere quod foret vſus.
Cetera de genere hoc monſtra, ac portenta creabat:
Nequicquam, quoniam natura abſterruit auctum,
Nec potuêre cupitum ætatis tangere florem,
Nec reperire cibum, nec iungi per Veneris res.
Multa videmus enim rebus concurrere debere,
Vt propagando poſſint procudere ſæcla:
Pabula primùm vt ſint, genitalia deinde per artus
Semina quà poſſint membris manare remiſſis:
Fœmináque vt maribus coniungi poſſit, habere,
Mutua queis nectant inter ſe gaudia vtrique.
Multáque tum interiiſſe animantum ſæcla neceſſe'ſt,
Nec potuiſſe propagando procudere prolem.
Nam, quæcumque vides veſci vitalibus auris,
Aut dolus, aut virtus, aut denique mobilitas eſt
Ex ineunte æuo genus id tutata reſeruans.
Multáque ſunt, nobis ex vtilitate ſua quæ
Commendata manent tutelæ tradita noſtræ.
Principiò genus acre leonum, ſæuáque ſæcla,

Tutata'ſt virtus, vulpeis dolus, & fuga ceruos.
At leuiſomna canum fido cum pectore corda,
Et genus omne, quod eſt veterino ſemine partum,
Lanigeræque ſimul pecudes, & bucera ſæcla,
Omnia ſunt hominum tutelæ tradita, Memmi.
Nam cupidè fugêre feras, pacémque ſecutæ
Sunt, & larga ſuo ſine pabula parta labore:
Quæ damus vtilitatis eorum præmia cauſa.
At queis nil horum tribuit natura, nec ipſa
Sponte ſua poſſent vt viuere, nec dare nobis
Vtilitatem aliquam, quare pateremur eorum,
Præſidio noſtro, paſci genus, eſſéque tutum?
Scilicet hæc aliis prædæ, lucróque iacebant,
Indupedita ſuis fatalibus omnia vinclis:
Donicum ad interitum genus id natura redegit.

MVLTAQVE TVM TELL.) *Ratione primi animantium ortus explicata, docet, terram, tamquam rudem ſcilicet, & imperitam, non ſtatim perfecta, & omnibus ſuis partibus ac numeris abſoluta animalia creaſſe, ſed initiò multa portenta, alia ſine capite, alia ſine ore, alia ſine manibus, &c. edidiſſe: ſed fruſtrà, quòd ea neque adoleſcere, neque iuſtum incrementum ſumere, neque cibum capere, neque inter ſe commiſceri procreandi cauſa potuerint. Eo conſilio autem, hæc ab Epicuro excogitata ſunt, vt oſtenderet, nullam eſſe prouidentiam, & homines, ceteráque animalia, non diuinitus, ſed fortuitò eſſe nata. Quam ſententiam refellit Lactantius lib. de opificio dei, cap 6 his verbis. Non poſſum hoc loco teneri, quo minus Epicuri ſtultitiam rurſum coarguam. Illius enim ſunt omnia, quæ delirat Lucretius. qui vt oſtenderet, animalia non artificio aliquo diuinæ mentis, ſed, vt ſolet, fortuitò eſſe nata, dixit, in principio mundi alias quaſdam innumerabileis animanteis miranda ſpecie & magnitudine fuiſſe natas, ſed eas permanere non potuiſſe, quòd illas aut ſumendi cibi facultas, aut coëundi, generandique ratio defeciſſet, &c.*

ANDROGYNVM, NEVTRVM, &c.) *hunc verſum delendum cenſeo, vt ſpurium: hoc primùm. deinde cùm variè legatur in codicibus & manuſcrip. & vulgatis, eam potiſſimùm lectionem ſecutus ſum, quæ mihi minus inepta viſa eſt. Omnino ego arbitror hunc verſum ab aliquo nugatore eſſe inculcatum. Androgyni autem ſunt, qui vtroque ſexu præditi ſunt, planè monſtra naturæ, ſed non qualia hîc deſcribit Lucretius: qui de iis loquitur, quæ adoleſcere, aut omnino ætatem agere nequiuerint. At androgyni, qui ſunt iidem hermaphroditi, & viuunt, & adoleſcunt, & ſeneſcunt. Itaque quærit Vlpianus lib. 1. ad Sabinum, vtrius ſexus habendus ſit hermaphroditus: & Lucilius lib. 30. imberbos appellat, quaſi mulieribus, quàm viris ſimiliores, apud Nonium, in voce, imberbi, hoc verſu corrupto, in verbo androgyni, barbati mœchocinædi. qui ſic eſt emendandus, Imberbi, ſeu Imberbi, androgyni barbati mœchocinædi.*

ORBA PEDVM, &c. *vel ex hoc verſu appâret verſum, Androgynum, &c. eſſe alienum.* MVLTA SINE ORE) *quidam lib. habent: Muta ſine ore. non*

probo. Quamquam etiam hæc ſcriptura videtur ferri poſſe, atque adeò eſſe probabilis: vt ſit antitheſis, Muta ſine ore, ſine vultu. iudicent eruditi. Omnino aptior eſſet antitheſis, ſi eſſet, Muta ſine ore, etiam ſine viſu cæca.

ADHÆSV) *vſus eſt hac voce ſuprà lib.3. Nam neque pulueris interdum ſentimus adhæſum, & item alibi. Ordo autem, & ſententia horum verborum eſt, Et multa portenta conata eſt creare natura, vincta, & conſtricta membrorum colligatione, & adhæſione, eáque per totum corpus.*

QVOD FORET VSVS) *Sic repoſui, coniectura ductus, cùm reperiſſem in vno codice manuſcrip. quod fouet vſus.*

ABSTERRVIT) *ſic habent omnes libri & manuſcrip. & vulgati: hoc primum: deinde ſententia eſt optima: poſtremò verbum abſterrere eſt elegantiſsimum, vſitatiſs. ſignificantiſsimum. Et tamen Zoilus, in eius locum ſubſtituere voluit, verbũ abſtergere, idque muſis omnibus, & veneribus inuitis, ac plorantibus. Nam (ſi dîs placet) vt huic verbo hic locus eſſet, nouus iſte grammaticus ex genere, opinor, Ariſtarchorum, aut Priſcianorũ, nouum præteritum finxit, abſterguit. quod in tota lingua Latina non reperitur. habet enim, abſterſit: idque notum eſt vel pueris ſeptennibus. Et tu audes, bellua, manibus tuis inquinatiſsimis bonos ſcriptores attingere? ἐς κόρακας cum tuo fœdiſsimo præterito, abſterguit.* NEC POT. CVP. ÆT. T. FLOR.) *i. nec potuere ad iuſtum ætatis robur, & vigorem peruenire. lib.1. ſummum ætatis peruadere florem. ibid. paullo pòſt. Stare, quibus poſsint æui contingere florem.* MVLTA VID. ENIM) *verſus eſt hypermeter. ſententia autem eſt hæc: multa concurrere debere, vt animantes genus ſuum propagare poſsint, primùm vt ſint pabula: deinde vt viæ quædam ſint, per quas ſemina vim gignendi habentia manare poſsint, membris per rem veneream laxatis & remiſsis: poſtremò, vt mas & fæmina membra habeant, quibus ambo inter ſe per rem veneream iungi, & cõmunem inter ſe voluptatem capere poſsint.* SEMINA QVA POSSINT) *ſic legendum potius, quàm, quæ poſsint. nam hic ordo eſt, deinde vt ſit via, quà genitalia ſèmina per artus, membris relaxatis, manare poſsint.* HABERE, MVTVA QVEIS. &c.) *ſecutus hic eram initio cod. Florentinos, & nonnullos alios vulg. in quibus impreſſum eſt, habendũ, Mutua queis nectant inter ſe gaudia, vtriſque, cum altera ſcriptura, quæ reperitur in aliis libris, habere, Mutua queis nectant inter ſe gaudia vtrique. &c. mihi, propterea quòd erat repetẽdum, aut ſumendũ foris verbum, debẽt, vel debere, ægrè defendi poſſe videretur. Illam autẽ ſic explicabã, Et vt fæmina cum maribus iungi poſsit, habendum eſt vtriſque: id eſt, vtroſq; , ſcilicet mares & fæminas, habere oportet membra, quibus mutua gaudia inter ſe nectant. Nũc magis probo receptam: & ſubintelligo, debent, nempe vtrique mares & fæminæ.*

VESCI VITALIBVS AVRIS) *Virgil. lib.1. Æneid. Quem ſi fata virum ſeruant: ſi veſcitur aura Ætheria, &c. idem lib.4. Quid puer Aſcanius? ſuperátne, & veſcitur aura?* AVT DOLVS, AVT VIRTVS, AVT DEN. &c.) *quæcumque (inquit) animalia vides viuere, ea aut dolo, aut virtute, aut celeritate ſalutem ſuã tutata ſunt. ſic Tyrius Max. διαλ. περὶ τῆς Σωκρ. ἐρωτικῆς. ὥσπερ γὰρ ἄλλο ἄλλῳ ζώῳ ἀλέξημα ἥκει παρὰ τῆς φύσεως εἰς τὸν αὑτοῦ βίον, ὑφ' οὗ σώζεται, λέουσιν ἀλκὴ, ἐλάφοις δρόμοι, θηρατικοῖς κυσὶ· καὶ τοῖς μὲν ἐνύδροις αἱ νήξεις, τοῖς δὲ μετεώροις αἱ πτήσεις, τοῖς δ' ἰλυσπωμένοις οἱ φωλεοὶ, &c. id eſt, quemadmodũ enim aliud alij animali à natura vitæ præſidium, & munimentum datur, à quo ſeruatur: leonibus robur, ceruis curſus, canibus venatio: & generi aquatili natationes, volatili volatus, reptili latebræ, &c.*

MVLTAQ. SVNT EX N. VTIL.) *vt boues, oues, capræ, equi, muli, &c. quæ animantes partim ad veſcendum, partim ad vehendum, partim ad corpora veſtienda nobis ſunt vtiles.* SÆVAQVE SÆCLA) *& genera animantium iracunda.* AT LEVISOMNA) *ſic habent codices aliquot vulgati: in his Veneti, & Florentini, & Germanici, Baſileæ impreßi. & ita legendum. non, Et leuiſomna. nam hic verſus refertur, & pertinet ad ea, quæ ſequuntur. leuiſomnos autem canes appellat, quaſi leuem ſomnum dormientes, & qui facile è ſomno excitentur. vigiles ab Horatio dicuntur, oda 16. lib. 3. & vigilum canum Triſtes excubiæ. Hoc etiam probauit Zoilus, vt ſuum.*

QVOD EST VETERINO) *Veterina (inquit Nonius) animalia dicuntur omnia, quæ vehere quid poſſunt. Lucret. Et genus omne quod eſt vet. ſem. p. & Feſtus. veterinam beſtiam (inquit) iumentum Cato appellauit à vehendo. Opilius veterinam dici putat, quaſi venterinam, vel vterinam, quòd onus ad ventrem religatum gerat.* ET BVCERA SÆCLA) *bucerũ pecus de bubus dicimus, inquit Feſtus. idem Lucret. lib. 2. Buceriæque greges, & equorum duellica proles.*

QVARE) *id eſt, propter quam rem, ſeu propter quam vtilitatem. nam, quare, hic non interrogat, ſed enuntiando referendi vim habet.*

SCILICET HÆC) *refert ad illa ſuperiora: quibus nihil horum tribuit natura, ita vt nec ipſa ſponte ſua viuere, nec vtilitatem aliquam nobis dare poſſent, & cet.* DONICVM) *donec, vt ſæpe aliàs.*

Sed neque Centauri fuerunt, neque tempore in vllo
Eſſe queat duplici natura, & corpore bino
Ex alienigenis membris compacta poteſtas,
Hinc illinc par vis vt non ſic eſſe potis ſit.
Id licet hinc quamuis hebeti cognoſcere corde.
Principiò circùm tribus actis impiger annis
Floret equus: puer haudquaquam. quin ſæpe etiamnum
Vbera mammarum in ſomnis lactantia quærit.
Pòſt, vbi equum validæ vires ætate ſenecta,
Membráque deficiunt fugienti languida vita:
Tum demum pueris, æuo florente, iuuentas
Occipit, & molli veſtit lanugine malas:
Ne fortè ex homine, & veterino ſemine equorum
Confieri credas Centauros poſſe, neque eſſe:
Aut rapidis canibus ſuccinctas ſemimarinis
Corporibus Scyllas, & cetera de genere horum,
Inter ſe quorum diſcordia membra videmus:
Quæ neque floreſcunt pariter, neque robora ſumunt
Corporibus, neque proiiciunt ætate ſenecta:
Nec ſimili Venere ardeſcunt, nec moribus vnis
Conueniunt, neque ſunt eadem iucunda per artus.
Quippe videre licet, pingueſcere ſæpe cicuta

Barbigeras pecudes,homini quæ'ſt acre venenum.
Flamma quidem verò quom corpora fulua leonum
Tam ſoleat torrere,atque vrere,quàm genus omne
Viſceris in terris quodcumque,& ſanguinis exſtet:
Quî fieri potuit,triplici cum corpore vt vna
Prima leo,poſtrema draco,media ipſa Chimæra
Ore foras acrem efflaret de corpore flammam?
Quare etiam tellure noua,cæloque recenti
Talia qui fingit potuiſſe animalia gigni,
Nixus in hoc vno nouitatis nomine inani:
Multa licet ſimili ratione effutiat ore:
Aurea tum dicat per terras flumina volgò
Fluxiſſe,& gemmis florere arbuſta ſueſſe:
Aut hominem tanto membrorum eſſe impete natum,
Trans maria alta pedum niſus vt ponere poſſet:
Et manibus totum circum ſe vertere cælum.
Nam quòd multa fuere in terris ſemina rerum,
Tempore quo primùm tellus animalia fudit:
Nil tamen eſt ſigni,miſtas potuiſſe creari
Inter ſe pecudes,compactáque membra animántum,
Propterea,quia quæ de terris nunc quoque abundant
Herbarum genera,ac fruges,arbuſtáque læta,
Non tamen inter ſe poſſunt complexa creari.
Res ſic quæque ſuo ritu procedit:& omnes
Fœdere naturæ certo diſcrimina ſeruant.

SED NEQVE CENTAVRI FVERVNT) *Centauri, animantes ex homine & equo compacti.ſic ſupr.lib.4.* Nam certè ex viuo Centauri non fit imago, Nulla fuit quoniam talis natura animalis. Verùm vbi equi, atque hominis caſu conuênit imago,Hæreſcit facile extemplo,quod diximus antè. *Virgil.lib.6.Æneid. facit* Centauros *&* Scyllas *in veſtibulo inferorum ſtabulare cum ſomniis.quam ſedem ſomnia vulgò* Vana tenere ferunt,foliiſque ſub omnibus hærent: Multáq; præterea variarum monſtra ferarum,Centauri in foribus ſtabulant, Scyllæq; biformes.

DVPLICI NATVRA) *humana, & equina.* POTESTAS) *dùnamis,potentia.* HINC ILLINC PAR VIS VT NON SIC *ſi huius verſus varias ſcripturas lectori proponere vellem, totam paginam implerem. ſatis erit mihi eas referre,quæ reperiuntur in lib.manuſcriptis, vt videat lector, me ita hunc locum olim reſtituiſſe, vt tamen ab iis non longè diſceſſerim. ſic igitur habet Vaticanus,* Hinc illinc par vis vt non ſint pars eſſe potis ſit: *Scipionis & Faërni,ſic.* Hinc illinc paribus vt non ſit pars eſſe potis ſit. *Bertinianus & Mēmianus,ſic:* Hinc illinc par vis vt non ſit par eſſe potis ſit. *quæ ſcripturæ cùm ſint vitioſæ, ego ſic repoſueram,* Hinc illinc par vis vt non pari eſſe potis ſit. *Atque hæc quidem ſcriptura ferè in Venetis*

In Venetis recentioribus, & Lugdunenſibus reperitur ſic. nam in eis legitur, Hinc illinc par vis vt non par eſſe potis ſit. Sententia autem huius ſcripturæ, ſi cui forte obſcurior videatur, hæc eſt. Non poteſt eſſe natura, ſeu poteſtas aliqua ex alienigenis membris, vt humanis & equinis, compacta, & conflata, ita alienigenis (inquã) vt ex vtraque parte, equi ſcilicet & hominis, aut aliorum animalium inter ſe compactorum, vis par pari eſſe, id eſt, par pari reſpondere non poſſit. de verſus autem ratione non eſt quòd quiſquam dubitet, propter vocem, pari, in qua voce ſyllaba, ri, non eliditur, & corripitur. nam hoc eſſe Lucretio vſitatum alibi oſtendimus. Licet etiam ſic legere, vt Adr. Turnebo placebat, Hinc illinc par vis, vt non ſic eſſe potis ſit, eadẽ fere ſententia: vt ex hac & illa parte non poßit eſſe par vis, ſic, id eſt, compactis inter ſe diuerſis animalibus. Atque hanc lectionem nunc ſequi malui. Licet etiam ſic legere, Hinc illinc par vis pari vti non eſſe potis ſit.

ID LICET) *id, nempe in Centauro nõ poſſe hinc illinc parem pari vim eſſe.*

CIRCVM) *circiter, vel dic potius, circumactis, vt ſit tmeſis.*

FLORET) ἀκμάζει, *viget. hoc modo oſtendit, Centauros eſſe non poſſe. non poteſt vnum animal ex inæqualibus, diſparibus, diſconuenientibus poteſtatibus, & membris eſſe conflatum. Nam ita pars altera erit imbecilla, altera firma: hæc diuturna, & viuax: altera vitæ breuis, & ad mortem præceps: & , quo tempore altera erit ætate corroborata atque adulta, vt equus, qui tribus annis exactis, viget: altera vix dum ab vbere matris erit depulſa, vt puer: & cõtrà, quo tempore pars humana erit valida, ac robuſta, tum equina erit ſenectute confecta. Poſtremò non iiſdem voluptatibus ducuntur, neque iiſdẽ moleſtiis afficiũtur homo & equus. Idem de Scylla canibus ſuccincta, ſentiendũ: de qua etiã mox dicet.* QVIN SÆPE ETIAMNVM) *id eſt, quippe etiam cùm treis annos natus eſt, &c. videtur legendũ: quin ſæpe etiam tunc, vel etiamnũ. quo modo edidi, non, vt vulgò, quin ſæpe etiam nunc.*

LACTANTIA) *lac ſuppeditantia.* FVGIENTI LANGV. VITA) *ſic dixit vitam fugientem, vt Latini dicunt, venenum fugiens, &, litteras fugienteis. Præterea quam hic fugientem vitam appellauit, eam labentem nominauit infrà eod. lib. ibi. Dulcia linquebant labentis lumina vitæ. ſic Horatius annos fugaceis appellat od. 14 lib. 2. Eheu, fugaces, Poſtume, Poſtume, Labũtur anni.* PVERIS) *aliàs, puerili. ego tamen malo, pueris. Etiam hanc lectionem probauit Zoilus.*

IVVENTAS) *iuuentutis dea, & ipſa iuuenta.* ἥβην *appellant Græci.*

ET MOLLI VESTIT LANVG.) *ſic ſupr. eodem libr. mollem veſtem dixit, pro molli pilo, & lanugine. & impubem molli pubeſcere veſte.*

NE FORTE EX HOMINE) *hunc verſum profert Nonius. ne forte autem, id eſt, hæc dixi, vt ne forte credas, &c.* CONFIERI) *id eſt, confici. vtitur eod. verbo ſupr. lib. 3. Id quoque enim ſine pernicie confiet eorum. & ſæpe Virgil. vt lib. 4. Æneid. nunc qua ratione quod inſtat, Confieri poßit, &c. & Cæſ. lib. 7. de bello Gall. poſtquàm id difficilius confieri animaduertit, &c.*

AVT RAPIDIS CAN. SVCC.) *Scyllam ſic deſcribit Homer.* ὀδυσσ. μ. Ἔνθα δ᾽ ἐνὶ Σκύλλη ναίει, δεινὸν λελακυῖα: Τῆς ἤτοι φωνὴ μὲν ὅση σκύλακος νεογιλῆς Γίνεται, αὐτὴ δ᾽ αὖτε πέλωρ κακόν, οὐδέ κέ τίς μιν Γηθήσειεν ἰδών, οὐδ᾽ εἰ θεὸς ἀντιάσειεν, *&c. id eſt, Hic autem Scylla habitat, horribiliter latrans. Cui vox eſt tanta, quanta catuli recens nati: ipſa autem monſtrum eſt malum: neque quiſquam ea viſa lætatus fuerit, ne ſi Deus quidem ei occurrat. M. Tull verr. de ſuppliciis: hoc infeſtior nautis Verres, quàm Scylla, quòd multo ſe pluribus, & maioribus canibus ſuccinxerat.*

NEQVE PROIICIVNT) *ſic tamen edendum curaui in ſecunda editione, Adr. Turnebo aſſenſus. proiicere autem, & ſumere opponuntur. neque pariter, inquit, robora ſumunt, id eſt, corroborantur: neque pariter proiiciunt id eſt, amittunt, quod valet, neque pariter adoleſcunt, neque ſeneſcunt, aut ætate conſumuntur.*

QVIPPE VIDERE LICET P. S. CIC.) *ſic lib 4. de veratro. Præterea nobis veratrum eſt acre venenum: At capris adipes, & coturnicibus auget.*

FLAMMA QVIDEM VERO, *Probat, numquam fuiſſe Chimæram, etiã hoc argumento, quòd, cùm poëtæ fabulentur, eam flammas ore efflare ſolitam, conſtet autem Chimæra ex leone, dracone, capra, ſeu ipſa chimæra: leones proinde vt ceteræ animantes, à flammis lædantur, & torreãtur. Sed non diſſimulabo, nonnullos libros habere, Ignea flamma quidem.* PRIMA LEO, POSTR. DR.) *Ex Hom. il. ζ. & Heſiod. Theogon.* Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα. *Profert & M. Tullius lib. 2 epiſt. ad Attic. Quòd de Q. Fratris epiſtola ſcribis, ad me quoque fuit* πρόσθε λέων, ὄπισθεν δὲ, *quid dicam, neſcio.*

ORE FORAS ACREM EFFLARET DE CORP. FL) *hanc potiſſimùm ſcripturam ſecutus ſum, vt & maximè probabilem, & maximè cum libris antiquis conſentaneam. ſic fere loquitur lib. 6. Spiritus ore foras tetrum voluebat odorem.* EFFVTIAT) *Nonius docet, effutire, idem valere, quod cum mendacio dicere, & profert hunc locum. animaduerti autem hoc verbum in quibuſdam libris ſcribi duplici tt.* AVT HOMINEM TANTO M.) *quamobrem hoc non potuerit initio efficere natura, cauſam affert lib. 1. Denique cur homines tantos natura parare Non potuit, pedibus qui pontum per vada poſſent Tranſire, & magnos manibus diuellere monteis, Multáque viuendo vitalia vincere ſæcla, Si non, materies quia rebus reddita certa eſt Gignundis? &c.*

RES SIC QVÆQVE SVO, &c.) *cùm in omnibus libris & manuſcriptis, & impreſſis, præterquàm in Florent. ſic reperiſſem ſcriptum. Sed ſic quæque ſuo ritu procedit, & omnes Fœdere naturæ certo diſcrimina ſeruant: a me impetrare non potui, vt in quattuor vocibus, quæque, &, omnes, ſeruant, mendum ſubeſſe exiſtimarem, ſed in aliqua alia potius. Itaque Florentinam lectionem refeci, quæ talis eſt. Sed ſic quodque ſuo ritu procedit, vt omnia Fœdere naturæ certo diſcrimine ſeruent. ſuſpicatus autem primam vocem verſus eſſe deprauatam, ſic repoſui, Res ſic quæque ſuo ritu procedit, & omnes, &c. Zoilus initiò probauit hanc emendationem: deinde è veſtigio improbauit, & ita reponendum grauis auctor cenſuit. Sed ſic quidque ſuo ritu procedit, & omnia, &c.*

Et genus humanum multo fuit illud in aruis
Durius, vt decuit, tellus quod dura creaſſet:
Et maioribus, & ſolidis magis oſſibus intus
Fundatum, & validis aptum per viſcera neruis:
Nec facilè ex æſtu, nec frigore quod caperetur:
Nec nouitate cibi, nec labi corporis vlla.
Multáque per cælum ſolis voluentia luſtra
Volgiuago vitam tractabant more ferarum.
Nec robuſtus erat curui moderator aratri
Quiſquam: nec ſcibat ferro molirier arua,

Nec noua defodere in terram virgulta,neque altis
Arboribus veteres decidere falcibu' ramos.
Quod ſol,atque imbres dederant,quod terra crearat
Sponte ſua,ſatis id placabat pectora donum.
Glandiferas inter curabant corpora quercus
Plerumque,&,quæ nunc hiberno tempore cernis
Arbuta pœniceo fieri matura colore,
Plurima tum tellus etiam maiora ferebat.
Multáque præterea nouitas tum florida mundi
Pabula dia tulit,miſeris mortalibus ampla.
At ſedare ſitim fluuij,fontéſque vocabant:
Vt nunc montibus è magnis decurſus aquaï
Claricitat latè ſitientia ſæcla ferarum.
Denique noctiuagi ſilueſtria templa tenebant
Nympharum,quibus exibant humore fluenta
Lubrica,proluuie larga lauere humida ſaxa:
Humida ſaxa ſuper viridi ſtillantia muſco:
Et partim plano ſcatere,atque erumpere campo.
Nec dum res igni ſcibant tractare,neque vti
Pellibus,& ſpoliis corpus veſtire ferarum:
Sed nemora,atque cauos monteis,ſiluáſque colebant,
Et frutices inter condebant ſqualida membra,
Verbera ventorum vitare,imbreíſque coacti.
Nec commune bonum poterant ſpectare,neque vllis
Moribus inter ſe ſcibant,neque legibus vti.
Quod quoique obtulerat prædæ fortuna,ferebat,
Sponte ſua,ſibi quiſque valere,& viuere doctus.
Et Venus in ſiluis iungebat corpora amantum.
Conciliabat enim vel mutua quamque cupido,
Vel violenta viri vis,atque impenſa libido,
Vel pretium glandes,atque arbuta,vel pira lecta.

ET GENVS HVMANVM,&c.) *Nunc de primis hominibus verba facere incipit.* DVRIVS, VT DECVIT, TELL. Q. D. C.) *ſic ferè Virgil. Georgic.1. Vnde homines nati,durum genus.* NEC LABI) *id eſt,nec labe, vt alibi,parti,contagi,voci,& multa alia,pro parte,contage,voce,&c.*

VITAM TRACTABANT) *id eſt,vitam trahebant,ſeu traducebant.quidam tamen legendum putant,tolerabant: quibus propemodum aſſentior. Verumtamen nihil mutare auſim.* MOLIRIER) *moliri dicimur quidquid cum labore facimus,aut agimus. moliri igitur arua hoc loco poſitum eſt pro eo, quod eſt, agros colere,ſeu ex campis,& locis inaratis,agros cultos magno labore efficere:vel*

agros laborioſa cultura meliores reddere. Neque verò me fallit, legi in quibuſdam libris vulgatis, mollirier arua, gemino ll. ſed, molirier, vnico l, magis probo.

NEC NOVA DEFODERE IN T. V.) ſic infra eod. lib. extr. Vnde etiã libitum eſt ſtirpeis committere ramis, Et noua defodere in terram virgulta, &c.

QVOD TERRA CREARAT SP. S.) ad hunc locum illuſtrandũ pertinent illa Tyrij Maximi, περὶ ἔρωτος. Ἦσαν δέ που κατὰ τὸν Ἐπικούρου, φασὶ, βίον, αἱ τροφαὶ τοῖς ἀνθρώποις φηγοὶ καὶ ἄχραι. Καὶ διὰ τοῦτο ἐπεφημίσθη φέρειν ἡ γῆ τοὺς καρποὺς αὐτομάτους, ὅτι αὐτοῖς οὐδὲν ἔδει γεωργίας ἐκ τῶν αὐτοφυῶν βιοτεύουσιν. id eſt, Viuebãt autem ſcilicet (qualem victum adamabat, vt aiunt, Epicurus) primi homines glandibus, & piris agreſtibus. Atque iccirco fama eſt, tum terram fructus tuliſſe ſponte ſua venienteis quia nihil eis opus erat agricultura, aut labore ruſtico, cùm victu vterentur ſponte ſua nato. Eodem pertinent & illa Platonis, πολιτικῷ. Τὸ δ᾽ ἐκεῖ τῶν ἀνθρώπων λεχθὲν αὐτομάτου πέρι βίου, διὰ τὸ τοιόνδε εἴρηται. Θεὸς ἔνεμεν αὐτοὺς αὐτὸς ἐπιστατῶν, καθάπερ νῦν ἄνθρωποι, ζῷον ὂν ἕτερον θειότερον, ἄλλα γένη φαυλότερα αὐτῶν νομεύουσι. νέμοντος δὲ ἐκείνου, πολιτεῖαί τε οὐκ ἦσαν, οὐδὲ κτήσεις γυναικῶν καὶ παίδων· ἐκ γῆς γὰρ ἀνεβιώσκοντο πάντες, οὐδὲν μεμνημένοι τῶν πρόσθεν· ἀλλὰ τὰ μὲν τοιαῦτα ἀπῆν πάντα· καρποὺς δ᾽ ἀφθόνους εἶχον ἀπό τε δρυῶν καὶ πολλῆς ὕλης ἄλλης, οὐχ ὑπὸ γεωργίας φυομένους, ἀλλ᾽ αὐτομάτης ἀναδιδούσης τῆς γῆς, γυμνοὶ δὲ καὶ ἄστρωτοι θυραυλοῦντες τὰ πολλὰ ἐνέμοντο· τὸ γὰρ τῶν ὡρῶν αὐτοῖς ἄλυπον ἐκέκρατο· μαλακὰς δ᾽ εὐνὰς εἶχον ἀναφυομένης ἐκ γῆς πόας ἀφθόνου, &c. Quod igitur de hominum victu ſponte ſua ſuppeditante propter talem cauſam dictum eſt. Deus paſcebat eos, cùm ipſe eis præeſſet: quemadmodum nunc homines, animal alterum diuinius, alia genera ſe deteriora paſcunt, & curant. Illo autem paſcente non erant reip. adminiſtrandæ rationes, neque vxorum & liberorum poſſeſſiones. Ex terra enim reuiuiſcebant omnes, res præteritas memoria non repetentes. Atque hæc quidem talia omnia aberant. Fructus autem vberes, & copioſos habebant, tum ex quercubus, tum ex alia ſilua, non ex agricultura naſcenteis, quos terra ſponte ſua gerebat. Nudi autem & ſine ſtragulis magnam partem foris & ſub dio vitam colebant. Nam anni tempora cùm eſſent temperata, nullam eis moleſtiam exhibebant. cubilia autem mollia habebant, multa herba ex terra ſuccreſcente, &c. GLANDIF. INT. PON. CORP. Q.) Hoc eò dicit, quòd glans, & primus, & primorũ hominũ victus fuit. ex quo idẽ ſic inf. eod. lib. Sic odiũ cepit glãdis, &c. ARBVTA) rubra poma ſiluarũ: quæ Plin. vnedones appellat. Virg. Georg. 1. atq; arbuta ſacræ Deficerẽt ſiluæ.

POENICEO) ſic habent libri manuſcripti, non, vt vulgati, puniceo. Veteres enim in multis nominibus œ pro u. vſurpabant. ita, mœnera, & pœnire, dicebat, pro, munera, &, punire, vt ſupra admonuimus ad illum locum lib. 1. fera mœnera militiai. & ad illum lib. 3. Purpura, pœniceúſque color, clariſſimu multo, &c. vbi etiam malim legi, pœniceúſque color, vt eſt in lib. manuſc. Talia ſunt illa apud M. Tullium in libris de legibus. cœra, œſus, &c. pro, cura, vſus, &c.

PABVLA DIA TVLIT MIS. MORT. A.) ſi legimus, vt habent nonnulli libri vulgati, Pabula dura tulit, &c. ſic explicabo: pabula tulit dura quidem illa, & agreſtia, ſed tamen primis illis hominibus ampla, id eſt, ἀρκοῦντα καὶ ἱκανά· id eſt, quibus illi erant contenti, vel quæ illis ſatis erant: Sin, vt habent tres libri manuſcripti, & docti viri magis probãt: Pabula dia tulit, &c. dia pabula, interpretabor, ſua ſponte, & ſine labore, & quaſi diuinitus venientia, ac naſcentia.

FONTE'SQVE VOCABANT) ſic habẽt omnes libri & manuſcr. & typis excuſi, præter Florent. in quibus legitur, fontéſq; docebant. ego, vocabant, probo, &c.

interpretor, inuitabant. DECVRSVS AQVAI, *id eſt, aqua decurrens, quod eſt ex loco decliui fluẽs. ſic ſup. eod. lib. nõ longè à princip. magnus decurſus aquarũ Vndique declarat.* CLARICITAT LATE SITIENTIA) *Cùm initio ſecutus eſſem libros vulgatos, Clarior accitat ſitientia, &c. & tamen lectori ſcripturæ varietatem indicaſſem: hæc, quæ deinceps ſequuntur, annotaram, his ipſis verbis. clarior aqua, quàm alia in locis, accitat, id eſt inuitat ſitienteis feras. ſed nõ celabo lectorem, in quibuſdam libris manuſcr. ita ſcriptum eſſe, Claricitate ſitientia, &c. in al. clariciaatriate, quæ ſcripturæ ſine dubio mendoſæ ſunt. veruntamen conſideret eas lector ingenioſus. Hactenus hoc de loco olim ſcripſeram. Poſteà ſcripturã veterem repetitam, ac retractatã, hoc modo ſupplebam, Claricitare ſolet ſitiẽtia ſæcla fer. atque hanc emendationem arbitrabar eſſe rectam. Sic autem dictum, claricitare, pro, clarè, aut clara voce citare, vt, altitonans, pro, alte tonans: altiuolans, pro alte volans. beniuolens, blandiloquẽs, & ſimil. pro, benè volens, & blandè loquẽs: Nunc Simeoni Boſio aſſentior, qui in eo meam cõiecturam tuetur, quòd verbũ compoſitum, claricito, retinet: in eo autẽ ab ea diſcedit, quòd pro, ſolet, facit ex antiquæ ſcripturæ veſtigiis, latè, totumque verſum ſic legendum cenſet, Claricitat latè ſitientia ſæcla fer. Latè autem, id eſt lato, magno, & dẽſo agmine. Quòd verò Zoilus reponit, Clare citat ad ſe ſitientia, &c. ferri non poteſt.*

SILVESTRIA TEMPLA) *id eſt antra, & Nympharum domos.*

QVIBVS EXIBANT) *ex quibus ibãt: ex quibus manabant.* HVM. FL. LVBR.) *ordo eſt, fluenta, humore lubrica, id eſt fluenta humida, & liquida.*

LAVERE) *lubrica lauere, id eſt lubrica ad lauandum, vel vt lauarent. licet etiam coniungere cum verbo, exibant, vt ſit, exibãt lauere, id eſt, vt lauerent, quemadmodum loquebantur veteres.* ET PARTIM) *partim, hic ſolum poſitum, quemadmodum & alibi. referendum eſt autem ad verſum illum ſuperiorem: Lubrica proluuie larga lauere, &c.* SCATERE) *ſcatere, à verbo ſcato, is, it. tertiæ inflexionis. ſic lib 6. Quod genus endo mari ſpirat fons dulcis aquaï, Qui ſcatit: ibid. Et ſcatere illa foras in ſtuppam ſemina.*

NECDVM RES IGNI SCIB. TR.) *Caſis enim, & pellibus repertis, certis matrimoniis inſtitutis, & receptis, ignis vſu cognito, tum ingenium hominũ mollius eſſe cœpit, vt dicet non ita multis pòſt verſib.* PELLIBVS) *quæ inuentori ipſi, eique, qui primus geſſit, inuidioſæ, & peſtiferæ fuerunt, vt dicet infrà eod. lib. extr. ibi. Pellis item cecidit, &c.*

NEC COMM. BON. POT SP.) *hac de re inf. eod. lib. ibi. Condere cœperunt vrbeis, &c. Aliquot verſuum, qui deinceps ſequuntur, ordinem neſcio quorum hominum culpa perturbatum, reſtitui.* ET VENVS IN SILVIS IVNGEBAT, &c.) *in quibuſdam libris manuſcr. reperi ſcriptum: Et Venus in ſiluis lucebat. ex qua vitioſa ſcriptura putabam legendum: Et Venus in ſiluis laciebat. Verumtamen receptam lectionem probo.* IMPENSA LIB) *hoc eſt magna libido. ſic Cæſar, impenſò pretio dixit, pro magno.*

Et manuum mira freti virtute, pedúmque,
Conſectabantur ſilueſtria ſæcla ferarum
Miſſilibus ſaxis, & magno pondere clauæ:
Multáque vincebant, vitabant pauca latebris:
Setigeríſque pãres ſuibus ſilueſtria membra

Nuda dabant terræ nocturno tempore capti,
Circùm ſe foliis ac frundibus inuoluentes.
Nec plangore diem magno,ſolémque per agros
Quærebant pauidi,palantes noctis in vmbris:
Sed taciti reſpectabant,ſomnóque ſepulti,
Dum roſea face ſol inferret lumina cælo.
A paruis quòd enim conſuerant cernere ſemper
Alterno tenebras,& lucem tempore gigni,
Non erat,vt fieri poſſet,mirarier vmquam,
Nec diffidere,ne terras æterna teneret
Nox in perpetuum,detracto lumine ſolis:
Sed magis illud erat curæ,quòd ſæcla ferarum
Infeſtam miſeris faciebant ſæpe quietem:
Eiectíque domo fugiebant ſaxea tecta
Spumigeri ſuis aduentu,validíque leonis:
Atque intempeſta cedebant nocte pauentes
Hoſpitibus ſæuis inſtrata cubilia frunde.
Nec nimio tum plus,quàm nunc,mortalia ſæcla
Dulcia linquebant labentis lumina vitæ.
Vnus enim tum quiſque magis deprenſus eorum
Pabula viua feris præbebat dentibus hauſtus:
Et nemora ac monteis gemitu,ſiluáſque replebat,
Viua videns viuo ſepeliri viſcera buſto.
At,quos effugium ſeruarat:corpore adeſo
Poſterius tremulas ſuper vlcera tætra tenentes
Palmas,horriferis accibant vocibus Orcum:
Donicum eos vita priuarant vermina ſæua
Experteis opis,ignaros quid volnera vellent.
At non multa virùm ſub ſignis millia ducta
Vna dies dabat éxitio:nec turbida ponti
AEquora lædebant naueis ad ſaxa,viróſque.
Sed temerè,in caſſum mare,fluctibu' ſæpe coortis,
Sæuibat,leuitérque minas ponebat inaneis.
Nec poterat quemquam placidi pellacia ponti
Subdola pellicere in fraudem ridentibus vndis.
Improba nauigij ratio tum cæca iacebat.
Tum penuria deinde cibi,languentia leto
Membra dabat:contrà nunc rerum copia merſat.
Illi imprudentes ipſi ſibi ſæpe venenum

Vergebant: nunc dant aliis ſollertius ipſi.

MVLTAQVE VINCEBANT) *multa viribus corporis obtinebant: rarò fugiebant, raróque metu perterriti latebras quærebant, & latebrarum præſidio periculum vitabant.* NVDA DABANT) *Sic legendum, non, vt vulgo, Nudabāt terræ. Licet etiam legere, Mandabant terræ, ſi quis forte malit.*

A PARVIS) *quidā libri habent, A pueris.* NON ERAT, VT FIERI, &c.) *ordo eſt, non erat eis curæ mirari, quomodo id fieri poſſet: nec curabant diffidere: id eſt, non veniebat eis in mentem diffidere, ne terra tenebris ſempiternis obſeſſa permaneret: ſed magis illud erat curæ, quòd, &c.*

INFESTAM M. F.) *infeſtam faciebant: id eſt, vt M. Tull. loquitur, infeſtam habebant: atque, vt planius dicam, infeſtabant ſic ſup. eod. Cùm loca præterijt flammis infeſta, &c.* SAXEA TECTA) *antra, ſaxeas domos. ſup. ſilueſtria tēpla.*

HOSPITIB. SÆVIS) *ſuibus ſilueſtribus, leonibus, lupis, vrſis, & ſimil. feris: à quibus ſæpe vorabātur, vt mox dicturus eſt, ibi, Vnus enim tum quiſque magis deprenſus eorū, Pabula viua feris, &c. Quæ videntur ſumta è Plat. in politico.* Τῆς γὰρ τοῦ κεκτημένου, καὶ νέμοντος ἡμᾶς δαίμονος ἀπημελημένοι τῆς ἐπιμελείας, τῶν πολλῶν αὖ θηρίων ὅσα χαλεπὰ τὰς φύσεις ἦν, ἀπαγριωθέντων, αὐτοὶ δὲ ἀσθενεῖς ἄνθρωποι καὶ ἀφύλακτοι γεγονότες, διηρπάζοντο ὑπ' αὐτῶν, *&c. id eſt, nam ab eius, qui nos poßidet, & gubernat, Genij procuratione deſerti, multis feris, quarum naturæ erant ſæuæ atque asperæ, efferatis, cùm ipſi eſſent imbecilli, & ſine cuſtodibus, ab iis diripiebantur, &c.*

ATQVE INTEMPESTA) *Intempeſtam noctem Ælius dicebat, (vt refert Varro lib. 5. de lingua Latina) cùm tempus agendi eſt nullum: quod alij concubium appellarunt, quòd ferè omnes tum cubarent: alij verò ab eo, quòd ſileretur, ſilentium noctis. quod idem tempus Plautus conticinium dicit.*

NEC NIMIO TVM PLVS) *quamuis homines tum ſæpe à feris dilacerabantur, ac deuorabantur: non tamen tunc multo magis, quàm nunc, moriebantur.*

DVLCIA LINQ. LABENTIS LVMINA) *libri quidem omnes & manuſcrip. & typis excuſi habent, lamentis. Sed placet mihi M. Antonij Mureti cōiectura: qui legendum putat, labentis lumina vitæ. Nam quòd ita quidam declarāt, vitam relinquebant lamentis: id eſt, cum lamentis: ſententiam quidem afferunt probabilem, & huic loco conſentaneam: ſed inuſitato loquēdi genere expreſſam. Cùm hæc olim ita ſcripſiſſem, niſi quòd in contextu Lucretianorum verſuum non poſueram, labentis, in prima editione, ſed in ſecunda demum: Zoilus hanc coniecturā vel meam, vel Mureti, arripuit, ſibique, vt ſuam, vindicauit. Quis plagiarius furacior, quis impudentior, quis iniuſtior fingi, aut excogitari poteſt? Non dignus eſt, quem omnes, qui litteras colunt, notis inurant inſignibus ad ignominiam ſempiternam? Confirmant autem hanc lectionem illud, quod eſt ſuprà eodem libro, Membráque deficiunt fugienti languida vita. Nam labentis vitæ, & fugientis vitæ, eadem ratio, & ſententia eſt.* MAGIS) *quàm nunc.*

VIVA VIDENS VIVO) *non temere harum ſyllabarum complosionem quæſiuit, Viua vi. viuo. Quòd autem ad huius loci ſententiam attinet, cum eo congruit illud Ennianum: Vulturis in ſiluis miſerum mandebat homonem. Heu, quàm crudeli condebat membra ſepulcro! Ad hunc eundem locum pertinet & ille ex lib. 3. Mortua quoi propè iam vita eſt viuo, atque videnti.*

HORR. ACC. V. ORC.) *horribilibus vocibus mortem vocabant, dolore*

cruciati. DONICVM EOS) *id eſt, donec eos, &c. ſic autem habent duo libri manuſcrip. reliqui,* Denique, *& item quidam vulgati: quod deprauatum eſt ex recto,* Donicum. VERMINA) *dolores ex vermibus membra corrodentibus, ac depaſcentibus. conſule* Feſtum.

QVID VOLN. VELLENT,) *id eſt, quid vulnera poſtularent: ſeu quæ remedia vulneribus ſanandis eſſent adhibenda.*

AT NON MVLTA VIRVM) At *non multa virorum millia vno die in prælio cadebant* Dicæarchus *libro de interitu hominum (vt refert* M. Tull. *lib. 2. de* Offic.) *collectis ceteris cauſis eluuionis, peſtilentiæ, vaſtitatis, belluarum etiam repentinæ multitudinis, earum impetu docet quædam hominum genera eſſe conſumta: deinde comparat, quanto plures deleti ſint hominum impetu, id eſt, bellis, aut ſeditionibus, quàm omni reliqua calamitate.*

NEC TVRBIDA PONTI) *nec mare ventis turbatum, & concitatum naueis ad ſcopulos allidebat, & ita frangebat.*

SED TEMERE, IN CASSVM MARE FLVCTIBV' S. C.) *id eſt, ſed mare fluctibus coortis, & tempeſtate commota, temere & fruſtra ſæuiebat, ſeu iraſcebatur, nempe quia nemo tum nauigabat. mendoſè in quibuſdã lib. vulgatis legitur,* Nec temere in curſu, *&c. Licet autem etiam ita legere:* Sed temere in caſſum fruſtra mare ſæpe coortum, *&c. vt habent libri* Pariſienſes, *&* Veneti *vtique, &* Baſilienſes. LEVITERQVE MINAS PONEBAT) *ſi legemus, miſcebat, vt habent quidam libri, ſic videtur hic locus explicandus, & leuiter: id eſt, ſine periculo mortalium, minas inaneis miſcebat, id eſt, fruſtra minabatur fluctibus. Sin, vt in quibuſdam vulgatis, à quibus non diſcrepant nonnulli manuſcripti, legitur, minas ponebat inaneis: quam lectionem nunc magis probo: ſic interpretabor: ponebat leuiter minas, &c. id eſt, facile & cito deſinebat minari.*

PELLACIA,) *id eſt, fallacia, & fallax æquoris tranquillitas, quæ poſtea in magnos, & horribileis fluctus interdum verti ſolet. ſuprà lib. 2.* Subdola cùm ridet placidi pellacia ponti. *iynx appellatur à Græcis talis maris fallacia, & quaſi illecebra: videlicet ſumma tranquillitas, quæ ad nauigandum homines inuitat.* Atque *hic locus me admonet, vt locum apud M. Tullium in epiſtolis ad* Atticum, *deprauatum, emendem: qui eſt in epiſtola 12. lib. 5.* Sic *autem in nonnullis libris vulgatis legitur.* Itaque erat in animo nihil feſtinare, nec me Delo mouere, niſi omnia ἀκρωτηρίων iura vidiſſem: *quo modo in noſtris libris veteribus ſcriptum reperi: in nonnullis aliis, niſi omnia* ἀκρωτηρίω: tuta *vidiſſem.* Malaſpina *ſic putauit legendum: niſi omnia* ἀκρωτηρίων iura *vidiſſem: quam lectionem, quòd mihi ſpecioſa videbatur, in mea editione ſecutus ſum.* Sed *tantum abeſt, vt hæc ſit emendata, vt corruptior ſit, quàm recepta.* Ne *diutius igitur lectorẽ ſuſpenſum teneam, ex voce,* ἀκρωτηρίων, *duæ faciendæ ſunt,* ἄκρα τηρίων, *& ex, iura,* ἴυγγα. *ſententia nunc huius loci plana eſt. hoc enim ſentit* Cicero. Propter difficultatem nauigandi, quam ſuperioribus diebus experti ſumus, & quia nauiculæ Rhodiorum fluctum ferre non poſſunt: decretum erat mihi nihil feſtinare, nec me Delo cõmouere, niſi omnia ἄκρα τηρῶν, *ſiue* τηρίων, *id eſt, promuntoria obſeruans,* ἴυγγα, *id eſt, tranquillitatem maris ad nauigandum allicientem atque inuitantem, vidiſſem.* Hæc *igitur eſt illa maris tranquillitas, quam* Lucretius *pellaciam appellat & hoc, & ſecundo libro: quámque* M. Tullius *ſe expectaturum dicit, diligẽter obſeruata ventorum, qui ex promuntoriis exſiſtunt, ratione.* Fuit *autem vox,* ἴυγγα *deprauata à ſcriptore librario, cùm eam ſcripſiſſet litteris Latinis,*

vis Latinis, hoc modo, Iurra: vnde poſtea factum eſt, iura. Verùm, ne quid diſsimulē, huius coniecturæ, & emendationis laus, Simeoni Boſio, viro doctiſsimo, atque ingenioſiſsimo debetur. Et quoniam idem in quodam Moſchi carmine, quo talis maris illecebra deſcribitur, mendum ab aliis non modò non ſublatum, ſed ne animaduerſum quidem, diuina coniectura fretus ſuſtulit, Moſchi verſus, præſertim cùm ad hunc locum illuſtrandum valde pertineāt, non me pigebit huc adſcribere. Sic igitur Moſchus. Τὰν ἅλα τὰν γλαυκὰν, ὅταν ὥνεμος ἀτρέμα βάλλῃ, Τὰν φρένα τὰν δειλὰν ἐρεθίζομαι, οὐδ' ἔτι μοῖσα Ἐστὶ φίλα, ποτάγῃ δὲ πολὺ πλέον ἄμμας γαλάνα. Ἀλλ' ὅταν ἀχήσῃ πολιὸς βυθὸς, ἁ δὲ θάλασσα Κυρτὸν ἐπαφρίζῃ, τὰ δὲ κύματα μακρὰ μεμήνῃ, Ἐς χθόνα παπταίνω, καὶ δένδρεα, τὰν δ' ἅλα φεύγω, Γᾶ δέ μοι ἁ πιστὰ, τάχα δ' εὔσκιος εὔαδεν ὕλα, *&c. id eſt, vt nos quidem vertimus, Cùm mare cæruleum lenis pauit aura, leuíſque, Tum mihi titillant mentem læuam, atque miſellam Æquora, nec mihi terra placet, ſed me magis multo Pellicit æqua maris facies ridentibus vndis. Aſt vbi cana ſonant ponti freta triſtibus Euris: Cùm ſpumant vndæ, & fluctus maris æquora turbant: Terram oculis circumſpicio, ramóſque virenteis, Et fugio mare ventoſum, fluctúſque ſonoros: Terra mihi fida eſt cordi, ſiluæq; ſalubres, &c. Ex interpretatione mea Latina facilè iam cuiuis intelligere licet, ſecundum verſum eſſe mendoſum; & pro* μοῖσα, *legendum, duabus vocibus,* μοι γᾶ. *Quod idem ille Boſius, vnus & princeps vidit, mihíque nuper, cùm eſſet domi meæ, indicauit: ego autem continuò ei aſſenſus ſum.* PELLICERE IN FRAVDEM) *ſuis blanditiis in fraudem allicere. ſup. lib. 4. Quæ lacere in fraudem poſſènt, vinctóſque tenere.*

RIDENTIBVS VNDIS) *placidis, & lenibus. nam* γέλως θαλάσσης, *id eſt. riſus maris, pro tranquillitate maris ponitur à poetis.*

CÆCA) *cur cæcam nauigiorum rationem appellat? an quòd tunc erat ignota? an quòd ab hominibus cæcis, id eſt, imprudentibus atque inconſideratis, poſtea excogitata & inuenta eſt?* ILLI IMPRVDENTES) *quia ignorabant vireis, ſeu poteſtates, & naturas ſtirpium, herbarum, animantium, ceterarúmq; rerum.*

VERGEBANT) *infundebant. Plautus Curculione. Ipſum expeto tangere: inuergere in me liquores tuos Sino ductim. Iterum Lucret. ſupr. lib. 2. In terras igitur quoque ſolis vergitur ardor. vergendi verbo vtebantur in ſacrificiis.*

SOLLERTIVS) *ingenioſius. ex quo venefici appellati ſunt.*

Inde caſas poſtquàm, ac pelleis, ignémque paratur:.
Et mulier coniuncta viro conceſſit in vnum:
Caſtáque priuatæ Veneris connubia læta
Cognita ſunt, prolémque ex ſe videre creatam:
Tum genus humanum primùm molleſcere cœpit.
Ignis enim curauit, vt alſia corpora frigus
Non ita iam poſſent cæli ſub tegmine ferre:
Et Venus imminuit vireis, puerique parentum
Blanditiis facilè ingenium fregere ſuperbum.
Tunc & amicitiam cœperunt iungere habentes
Finitima inter ſe, nec lædere, nec violare.
Et pueros commendarunt, muliebréque ſæclum
Vocibus, & geſtu, cùm balbè ſignificarent,

Imbecillorum eſſe æquum miſererier omnium.
Non tamen omni'modis poterat concordia gigni:
Sed bona, magnáque pars ſeruabant fœdera caſti:
Aut genus humanum iam tum foret omne peremtum:
Nec potuiſſet adhuc perducere ſæcla propago.

AC PELLEIS) *primùm enim pellibus corpora texerunt homines: deinde elegantiorem, atque operoſiorem veſtitum repererunt. Itaque Hercules pelle amictus fingitur ac pingitur, vt homines antiquum veſtiendi corporis morem memoria repetant. Quod confirmat Diodori Siculi auctoritas, lib. 1. his verbis.* Ὁμοίως δὲ τό, τε ῥόπαλον, καὶ τὴν λεοντῆν τῷ παλαιῷ πρέπειν Ἡρακλεῖ, διὰ τὸ κατ' ἐκείνους τοὺς χρόνους μήπω τῶν ὅπλων εὑρημένων, τοὺς ἀνθρώπους τοῖς μὲν ξύλοις ἀμύνεσθαι τοὺς ἀντιταττομένους, ταῖς δὲ δοραῖς τῶν θηρίων σκεπαστηρίοις χρῆσθαι: *id eſt, ſimiliter autem clauam, & pellem leoninam antiquo Herculi conuenire, propterea quòd temporibus illis homines, nondum armorum vſu reperto, vim aduerſariorum ſuorum lignis propulſabant, pellibus autem corpora tegebant.* CVRAVIT) *effecit. tralatio eſt. ſic lib. 3. calidíque vaporis Semina curare, in membris vt vita moretur. & lib. 4. Quod ne miremur, ſopor, atque obliuia curant. & infrà eodem libro, Suſcipiendáque curarit ſollemnia ſacra.* ALSIA CORPORA) *ſic legi debet, & ita habent libri manuſcripti, vulgati verò algida, mendoſe. ſunt autem alſij, & alſioſi, qui frigus ferre non poſſunt. Varro lib. 2. de re ruſtica cap. 3. de capris. ſtabulatur pecus melius, ad hibernos exortus ſi ſpectat, quòd eſt alſioſum. Hãc quoque emendationem probauit & ſecutus eſt Zoilus, tamquam eius auctor.*

CÆLI SVB TEGMINE) *ſub diuo.* HABENTES FINITIMA) *id eſt, finitimi, ſeu finitimos agros habentes,* ὅμοροι. *non eſt autem quòd quemquam moueat duorum manuſcriptorum librorum ſcriptura, auentes. erratum enim eſt librariorum, qui ſæpe ſcribebant u, pro b. & contrà b, pro u. & item ſæpe aſpirationis notam omittebant.* BALBE) *balbutientes. Balbutit, inquit auctor vocabularij Latinogræci,* νηπιάζει, ψελλίζει, τραυλίζει.

MISERERIER OMNIVM) *ſic habent omnes ferè libri vulgati. manuſcripti autem, omni. ex quo ſuſpicantur nonnulli legendum, omnis. ſeu omneis. Omnino ſcriptura vulgata, tolerabilis, & probabilis eſt. Nam in voce, omniũ, fit συνιζήσεως. ſeu συμφωνήσεως, vt apud Virgil. lib. 1. Æneid. depẽdent lychni laquearibus aureis. & apud Catull. carm. de nuptiis Pelei & Thet. Qualis adẽſt Thetidi, qualis cõcordia Peleo.* SED BONA, MAGNAQVE PARS) *ſi non omnibus modis poterat concordia gigni: at bona, & magna pars fœdera ſeruabat.*

ADHVC) *vſque ad hoc tempus.* SÆCLA) *genera animantium.*

At varios linguæ ſonitus natura ſubegit
Mittere: & vtilitas expreſſit nomina rerum,
Non alia longè ratione, atque ipſa videtur
Protrahere ad geſtum pueros infantia linguæ,
Cùm facit, vt digito, quæ ſint præſentia, monſtrent.
Sentit enim vim quiſque ſuam, quam poſſit abuti.
Cornua nata prius vitulo quàm frontibus extent,

Illis iratus petit, atque infenſus inurguet.
At catuli pantherarum, ſcymníque leonum
Vnguibus, ac pedibus iam tum, morſúque repugnant,
Vix dum etiam cùm ſunt dentes, vnguéſque creati.
Alituum porrò genus, alis omne videmus
Fidere, & à pennis tremulum petere auxiliatum.
Proinde putare aliquem tum nomina diſtribuiſſe
Rebus: & inde homines didiciſſe vocabula prima,
Deſipere'ſt. nam cur hic poſſet cuncta notare
Vocibus, & varios ſonitus emittere linguæ:
Tempore eodem alij facere id non quiſſe putentur?
Præterea, ſi non alij quoque vocibus vſi
Inter ſe fuerant: vnde inſita notities eſt
Vtilitatis? & vnde data'ſt huic prima poteſtas,
Quid vellet, facere, vt ſcirent, animóque viderent?
Cogere item plureis vnus, victóſque domare
Non poterat, rerum vt perdiſcere nomina vellent:
Nec ratione docere vlla, ſuaderéque ſurdis,
Quid facto eſſet opus. neque enim faciles paterentur:
Nec ratione vlla ſibi ferrent amplius aureis
Vocis inauditos ſonitus obtundere fruſtrà.

AT VARIOS LINGVÆ SONITVS) *Nunc de principio & origine ſermonis humani. De quo ſic Laërtius:* ὅθεν καὶ τὰ ὀνόματα ἐξ ἀρχῆς μὴ θέσει γενέσθαι, ἀλλ' αὐτὰς τὰς φύσεις τῶν ἀνθρώπων καθ' ἕκαστα ἔθνη ἴδια πασχούσας πάθη, καὶ ἴδια λαμβανούσας φαντάσματα, ἰδίως εἰς τὸν ἀέρα φωνὴν ἐκπέμπειν, στελλομένην ὑφ' ἑκάστων τῶν παθῶν, καὶ τῶν φαντασμάτων, *&c. id eſt, Ex quo & nomina. ſeu vocabula rerum ab initio non ex inſtituto, & conſilio eſſe nata, ſed ipſas hominum naturas in ſingulis gẽtibus, propriis affectibus tactas, & propriis viſionibus pulſas, propriè vocem in aërem emiſiſſe, ab vnoquoque affectu, & viſo contractam, vt aliquando eſſet etiam ex gentium locis differentia. Poſterius autem in ſingulis gentibus priuata nomina fuiſſe rebus impoſita, vt declarationes cogitationum eſſent inter ſe minus ambiguæ, & breuiores, & dilucidiores. Cùm autem ij, qui apud alios ſui animi ſenſa expromere vellent, res illis ignotas, miniméque in promtu poſitas proponerẽt: nonos quoſdam ſonitus edere coactos eſſe: illos autem ratiocinatione & coniectura maxima ex parte ductos, quid hi ſibi vellent, cognouiſſe, & eorum ſententiam interpretatos eſſe. Hactenus Laërtius. lege etiã hac de re Diod. Sicul. initio lib. 1. ſed maximè Platonem in Cratylo.* INFANTIA LINGVÆ.) ἀφασία.

SENTIT ENIM VIM Q. S. QVAM P.) *cùm in omnibus ferè lib. vulgatis legeretur, quod poſſit abuti, ego, quoad, repoſueram, vt eſſet hæc ſententia: ſentit quiſque vim ſuam, quouſque ea vi abuti poſſit. nam, quoad, vnius ſyllabæ eſt per ſyniZeſin, vt ſuprà lib. 2. Quoad licet, ac potis es reperire inolentis oliui, &c. Sed cùm in vno, atque altero lib. manuſcripto reperiſſem, quam poſſit abuti, hanc*

ſcripturam ſecutus ſum, vt longè omnium optimam. vtor enim, & abutor, etiam cum quarto caſu iungebant veteres. Quòd autem ad huius loci ſententiam attinet, cum eo congruunt illa ex Minucio in Octauio, Quídue animantium loquar aduerſus ſeſe tutelam multiformem? alias armatas cornibus, alias dentibus ſæptas, & fundatas vngulis, & ſpicatas aculeis, aut pedũ celeritate liberas, aut elatione pinnarũ?

AT CATVLI PANTH. SCYMNIQVE) *profert hunc verſum Nonius in voce, catuli. Iam ſcymni, Græca vox eſt, idémque valet, quod Latina, catuli.*

VIX DVM ETIAM CVM SVNT) *Cùm olim ſecutus eſſem omneis fere libros vulgatos, hæc annotaram: In quibuſdam libris manuſcriptis deſideratur vox, ipſis, vt fortaſſè legendum ſit, Vix dum etiam cùm ſunt dentes, vnguéſque creati. Codices quidem Florentini ſic habent: Vix etiam cum ſunt, &c. Nunc igitur ſic legendum cenſeo, Vix dum etiam cùm ſunt, &c. non, vt vulgò, Vix dum cum ipſis ſunt, &c. Licet etiam ſic legere: Vix dum eis, cùm ſunt dentes, vnguéſque creati.* ALITVVM PORRO GENVS) *profert hunc verſum Nonius, cum eo, qui proxime ſequitur, in voce, auxiliatus. alituum autem, pro, alitum, poſitum. Sic Virgil. lib 8. Æneid. Alituum, pecudúmque genus ſopor altus habebat. & Lucretius paullo pòſt. Poſtremò genus alituum, &c.*

PROINDE PVTARE ALIQVEM) *Hæc contra Pythagoram dicuntur, cui ſummæ ſapientiæ viſum eſt, rebus omnibus nomina impoſuiſſe: & item contrà Platonem, qui in Cratylo docet, nomina conſultò rebus eſſe impoſita, eúmque, qui primus nomina fabricatus ſit, ὀνοματουργὸν, id eſt, nominum opificem, & ὀνοματοθέτην, id eſt, nominum impoſitorem, ſeu conditorem nominat.*

TEMPORE EODEM ALII &c.) *proinde ac ſi dicat. ſi quis vnus potuit nomina rebus imponere, & res vocabulis notare: idem & alius eodem tempore facere potuit.* PRÆTEREA SI NON ALII QVOQVE) *huius loci hæc ſentẽtia eſt. Præterea ſi non etiam alij homines inter ſe oratione vſi fuerant: vnde huic vni nata eſt cognitio vtilitatis, quæ ex ſermone percipitur? & vnde ei data eſt poteſtas faciendi, vt alij ſcirent, atque intelligerent, quid ſibi vellet? Hic enim ordo verborum eſt: vnde huic data eſt poteſtas facere, id eſt, poteſtas faciendi, vt ſcirent, animóque viderent, quid vellet?*

QVID FACTO ESSET OPVS) *Sic neceſſariò legendum, eſſet, quamuis codices omnes reclamarent. Verùm tamen adiuuant & confirmant hanc ſcripturam duo codices veteres, cum quibus conſentiunt quidam vulg. qui habent, Quid facto ſit opus.* SVADEREQVE SVRDIS) *id eſt, ſuadere non intelligentibus, ſeu iis, qui intelligere non curarent.*

Poſtremò quid in hac mirabile tantopere'ſt re,
Si genus humanum, quoi vox, & lingua vigeret:
Pro vario ſenſu varias rés voce notaret,
Quom pecudes mutæ, quom denique ſæcla ferarum
Diſſimileis ſoleant voces, variáſque ciere,
Quom metus, aut dolor eſt, & quom iam gaudia gliſcunt?
Quippe etenim id licet è rebus cognoſcere apertis.
Inritata canum quom primùm magna Moloſſûm
Mollia ricta fremunt, duros nudantia denteis:

Longè alio ſonitu rabie diſtricta minantur:
Et quom iam latrant, & vocibus omnia complent.
At catulos blandè quom lingua lambere tentant:
Aut vbi eos iactant pedibus, morſúque petentes,
Suſpenſis teneros imitantur dentibus hauſtus:
Longè alio pacto gannitu vocis adulant,
Ac quom deſerti baubantur in ædibus, aut quom
Plorantes fugiunt ſummiſſo corpore plagas.
Denique non hinnitus item differre videtur,
Inter equas vbi equus florenti ætate iuuencus
Pinnigeri ſæuit calcaribus ictus amoris,
Et fremitum patulis ſub naribus edit ad arma:
Ac quom ſis aliàs concuſſis artubus hinnit?
Poſtremò genus alituum, variæque volucres,
Accipitres, atque oſſifragæ, mergíque, marinis
Fluctibus in ſalſis victum, vitámque petentes,
Longè aliàs alio iaciunt in tempore voces:
Et quom de victu certant, prædáque repugnant,
Et partim mutant cum tempeſtatibus vnà
Rauciſonos cantus: cornicum vt ſæcla vetuſta,
Coruorúmque greges, vbi aquam dicuntur, & imbreis
Poſcere, & interdum ventos, auráſque vocare.
Ergo ſi varij ſenſus animalia cogunt,
Muta tamen quom ſint, varias emittere voces:
Quanto mortaleis magis æquum'ſt tum potuiſſe
Diſſimileis alia, atque alia res voce notare?

POSTREMO QVID IN H.) *poſtremò (inquit) quid mirum eſt, homines, quibus natura præcipuè vocem, & linguam dedit, potuiſſe ſuo cuiuſque arbitratu, ac pro ſuo cuiuſque ſenſu, qui eſt varius, & multiplex, ſingulas res notare, cùm muta animalia ſuos affectus, qui ſunt admodum pauci, diſsimilibus tamen vocibus notare poſsint, ac ſoleant? Nam animantes rationis expertes dolorem duntaxat, & voluptatem, & ceteros affectus, qui his duobus ſubiiciuntur, voce inarticulata quidem illa, ſed tamen diſsimili, ſignificant.*

GAVDIA GLISCVNT) *ſic loquitur Pacuuius: ſed neſcio quidnam ſit animi. horreſcit, & gliſcit gaudium. gliſcere (inquit Nonius) eſt congelaſcere, & colligi, vel creſcere, vel igneſcere. ſuprà lib. 1. Ignis Alexandri Phrygio ſub pectore gliſcens. & lib. 3. Nant oculi? clamor, ſingultus, iurgia gliſcunt?*

INRITATA CANVM QVOM PR.) *ordo & ſententia horum verborum hæc eſt. Cùm primùm ricta magna, & mollia canum Moloſſorum: id eſt, ex Epiro, irritata, duros nudantia denteis, tremunt, ſeu fremunt: id eſt, cùm primùm canes magni Epirotici rictu diducto, & dentibus nudatis irritati tremunt præ ira, ſeu*

fremunt: longè alio ſonitu rictibus ira diſtrictu minantur, atque cùm iam latrant, & omnia vocibus complent. tremunt autem, initio repoſuerã, Nonium ſecutus, qui in voce, rictus, proferens hunc locum, ita videtur legiſſe, niſi corruptus eſt. Sed docti quidam, quibus aſſentior, malunt legi, fremunt, vt eſt impreſſum in codicib. Pariſienſib. & antiquis Aldinis: quanquam, tremunt, non reiicio. Prӕterea, diſtricta, excudendum curaui, adductus auctoritate librorum veterum, cùm in vulgatis legatur, diſtracta. rictus, us, autem, & rictum, i. pro eodem vſurparunt veteres, teſte Nonio. Lucret. lib. 6. inhorrebat rictum, frons tenta minebat. Quòd autem Zoilus edidit, premunt, ferri non poteſt. AT CATVLOS) *ſic legendum: & ita ſcriptum eſt in quattuor libris manuſcriptis, & in antiquis Venetis. Nam alij vulg. habent, Aut catulos. & item nonnulli manuſcripti, mendoſè.*

AVT VBI EOS) *ſecutus ſum codices antiqu. Aldinos: in quibus ita legitur. nam ceteri ſunt mendoſi, in quibus ſcriptum eſt, At vbi.*

IACTANT) *ſic legendũ, non, lactant. ſignificat enim tempus illud, quo tempore canes ludibundӕ ſuos catulos, aut pedibus iactant, aut morſiunculis appetentes, non valide impreßis dentibus, ſed ſuſtentatis, & ſuſpenſis, & faucibus tenerè admotis, eos quodammodo haurire velle videntur, ita tamen vt illas ſuis catulis nocere nolle, facile appareat. Zoilus hanc emendationem non probat, vel ſtupore mentis, vel maleuolentia, vel vtroque (quod credibilius eſt) impeditus.*

SVSPENSIS) *non grauiter impreßis, ſed ſubleuatis. ſuprà lib. 2. Namque papauerum, aura poteſt ſuſpenſa, leuiſque, Cogere, vt ab ſummo tibi diffluat altus aceruus. Idem lib 6. Aut etiam ſuſpenſa manet vis aëre in ipſo. Virgil. lib. 7. de Camilla. Vel mare per medium fluctu ſuſpenſa tumenti Ferret iter, celereis nec tingueret ӕquore plantas. Idem lib. 1. Georgic. At ſi non fuerit tellus fӕcunda, ſub ipſum Arcturum tenui ſat erit ſuſpendere ſulco. ſuſpendere, ſubintell. tellurem.*

LONGE ALIO PACTO) *hunc verſ. profert Nonius, quanquã corruptũ.*

ADVLANT) *adulantur. adulationem propriè canum eſſe docet Nonius, in voce, adulatio. M. Tull. de nat. Deor. lib. 2. canum tam amans dominorũ adulatio.*

BAVBANTVR) *latrant. verbum factum à canum voce (inquit Nonius) in verbo, baubari. Et auctor vocabularij Latinogrӕci, baubari, inquit, ὑλακτεῖν.*

PINNIGERI) *alibi, pennigeri. cur Cupido fingatur pennatus, conſule Propertium lib. 2 eleg. 12.* ET CVM SIS ALIAS, &c.) *ſic reſtitui, cùm in libris omnibus legeretur, Et cùm ſic aliàs. Nam quid valet hoc loco, ſic? Plane otioſum, & ineptum eſt. ſis autem, id eſt, ſuis, vt ſup. libr. 3. Lumina ſis oculis etiam bonus Ancu' reliquit.* AD ARMA) *quӕnam arma? Martiáne, an venerea?*

POSTREMO GENVS ALITVVM, &c.) *ſup. Principiò genus alituum, variӕque volucres.* OSSIFRAGÆ) *oßifragӕ, aquilӕ genus: de quo lege Plin. lib. 10. cap. 2.* ET CVM DE VICTV, &c.) *proinde ac ſi ita loquatur, Et mutant cantus partim cùm de victu certant, prӕdáque repugnant, partim cùm tempora mutantur.* CORNICVM VT SÆCLA VETVSTA, CORV) *Virgil. Georgic. 1 Tum Cornix plena pluuiam vocat improba voce, Et ſola in ſicca ſecum ſpatiatur arena. Idem ibid. Tum liquidas corui preſſo ter gutture voces, Aut quater ingeminant, & ſӕpe cubilibus altis Neſcio qua prӕter ſolitum dulcedine lӕti Inter ſe foliis ſtrepitant.*

SÆCLA VETVSTA) *Cornicem nouem hominum ӕtates viuere teſtatur Heſiodus: hoc eſt, annos fere trecentos. ſic ille.* Ἐννέα τοι ζώει γενεὰς λακέρυζα κορώνη

Id eſt nouem ætates viuit garrula cornix. Horat. oda 17.lib.3. Annoſa cornix. & oda 13.lib.4. Cornicis vetulæ.

Illud in his rebus tacitus ne fortè requiras:
Fulmen detulit in terras mortalibus ignem
Primitus: inde omnis flammarum diditur ardor.
Multa videmus enim cæleſtibus incita flammis
Fúlgere, quom cæli donauit plaga vapores.
Et ramoſa tamen quom ventis pulſa vacillans
AEſtuat in ramos incumbens arboris arbor,
Exprimitur validis extritus viribus ignis:
Et micat interdum flammaï feruidus ardor,
Mutua dum inter ſe rami, ſtirpéſque teruntur.
Quorum vtrumque dediſſe poteſt mortalibus ignem.
Inde cibum coquere, ac flammæ mollire vapore
Sol docuit, quoniam miteſcere multa videbant
Verberibus radiorum, atque æſtu victa per agros:
Inque dies magis hi victum, vitámque priorem
Commutare nouis monſtrabant rebus, & igni,
Ingenio qui præſtabant, & corde vigebant.
Condere cœperunt vrbeis, arcémque locare,
Præſidium, reges ipſi ſibi, perfugiúmque.
Et pecudes, & agros diuiſere, atque dedere
Pro facie quoiuſque, & viribus, ingenióque.
Nam facies multùm valuit, viréſque vigebant.
Poſterius res inuenta'ſt, aurúmque repertum:
Quod facilè & validis, & pulchris demſit honorem.
Diuitioris enim ſectam plerumque ſequuntur
Quamlibet & fortes, & pulchro corpore creti.
Quòd ſiquis vera vitam ratione gubernet;
Diuitiæ grandes homini ſunt, viuere parcè
AEquo animo. neque enim'ſt vmquàm pænuria parui.
At claros ſe homines voluêre eſſe, atque potenteis,
Vt fundamento ſtabili fortuna maneret,
Et placidam poſſent opulenti degere vitam:
Nequicquam, quoniam ad ſummum ſuccedere honorem
Certantes, iter infeſtum fecere viaï.
Et tamen è ſummo quaſi fulmen deiicit ictos
Inuidia interdum contemtim in tartara tætra:
Vt ſatius multo iam ſit parêre quietum,

Quàm regere imperio res velle,& regna tenere.
Proinde ſine in caſſum defeſſi ſanguine ſudent,
Anguſtum per iter luctantes ambitionis:
Inuidia quoniam,ceu fulmine,ſumma vaporant
Plerumque,& quæ ſunt aliis magis edita cumque:
Quandoquidem ſapiunt alieno ex ore:petúntque
Res ex auditis potius,quàm ſenſibus ipſis.
Nec magis id nunc eſt,neque erit mox,quàm fuit antè.

ILLVD IN HIS REBVS,&c.) *Nunc oſtẽdit, vnde ignis in terras delatus ſit. profert hunc locum Seruius lib.*1. *Georg. ibi: Et ſilicis venis abſtruſum excuderet ignem.* FVLMEN DET. IN TERR. M. IGN.)*Hoc idem ſignificant poëtæ,cùm faciunt Vulcanum eò,quòd claudus eſſet,à Iunone in terras deiectum:à Thetide autem & Eurynoma receptum, ac ſeruatum. Nam per Vulcanum claudum,ſignificatur ignis noſter,qui ſine materia conſtare non poteſt:per Iunonem Vulcani matrem, aër, in quo fulmen, & cetera* μετέωρα *gignuntur, & vnde naſcuntur: per Thetidem verò,ſitus terræ: per Eurynomam,ignis diſtributio & communicatio, & vſus. Nam hæc duo,terræ ſitus, & ab hominibus cognita ignis vtilitas,inter ipſos diſtributa,& communicata,ignem conſeruarunt.Fabula autem eſt apud Hom* ἰλ. Σ. *ibi.* Ἦ ῥά νυ μοι δεινή τε καὶ αἰδοίη θεὸς ἔνδον, Ἥ μ' ἐσάωσ', ὅτε μ' ἄλγος ἀφίκετο τῆλε πεσόντα, Μητρὸς ἐμῆς ἰότητι κυνώπιδος, ἥ μ' ἐθέλησε Κρύψαι, χωλὸν ἐόντα. τότ' ἂν πάθον ἄλγεα θυμῷ, Εἰ μή μ' Εὐρυνόμη τε, Θέτις θ' ὑπεδέξατο κόλπῳ, &c. *id eſt, Profectò veneranda,& verenda dea mihi domi eſt:quæ me ſeruauit,cùm me dolor tetigit,graui caſu debilitatum, matris meæ impudentis conſilio & voluntate: quæ me volebat à conſpectu ſuo & deorum remouere, & de medio tollere, quòd claudus eſſem.Tunc equidem graues animo dolores pertuliſſem,niſi me Eurynome,& Thetis ſuo ſinu excepiſſent.* MVLTA VID. ENIM) *profert hunc verſum cum eo,qui deinceps ſequitur,Nonius Marc.in verbo,fúlgere, penultima correpta. Idem Lucret.lib.6.Fulgit item, nubes ignis cùm lumina multa Excuſſere.*

ET RAMOSA TAMEN CVM V.)*ſignificat,etiam probabile eſſe,primum ignem ex duabus arboribus inter ſe colliſis & cõflictis expreſſum fuiſſe:quod fieri ſolere dictum eſt ſup.lib.*1.*At ſæpe in magnis fit mõtibus (inquis) vt altis Arboribus vicina cacumina ſumma terantur,&c.*

EMICAT,&c.)*Seruius hunc locum proferens eodem,quem ſup.indicauimus, loco,legit,Emicat:itáque legitur in quibuſdam lib.manuſcr. quos nunc ſequor.nam vulgati habent,Et micat* MVTVA DVM) *mutua,id eſt mutuò: vt ſup.lib.*2. *crebra reuiſit.ibid. & inter ſe mortales mutua viuunt.*

VERBERIBVS RADIORVM) *tralatio. ſic ſup.hoc lib. Et radij ſolis cogebant vndique terram Verberibus crebris extrema ad limina apertam,&c.*

ET CORDE VIGEBANT) *id eſt, & cordati erant: conſilio & mente præſtabant. cor pro animo poſuerunt veteres:ex quo cordati. & excordes. Ennius, Egregiè cordatus homo,catus Ælius Sextus. Horat.epiſt. .lib. . fuiſſet turpis & excors. Auſonius,Qui remin[illegible] putat ſe dicere poſſe [illegible]atinè,Hic: vbi co ſcriptum eſt, faceret cor,ſi cor haberet. Arnobius lib.*VI. *Vſque adeòne mortales ſæculi illius, ac temporis,corde fuerant vacui? &c.*

FACIES)

FACIES) ſpecies, εἶδος. Etiam Ariſtoteles lib. I. de rep. ſcribit, ſi qui reperiantur ita pulchritudine corporis præditi, quæ in deorum ſtatuis cernitur, nemini dubium futurum, quin ij alijs imperare debeant. Xenophon præterea in ſympoſio ait pulchritudinem eſſe quiddam regium natura. Eodem pertinet hoc Euripidis, quod eſt apud Stobæum in iis, quæ collegit de pulchritudine. Ἴδοιμι δ' αὐτῶν ἔκγον' ἄῤῥεν' ἀῤῥένων, Πρῶτον μὲν εἶδος ἀξίους τυραννίδος. Πλεῖστον γὰρ ἀρετῆς τοῦτ' ὑπάρχει ἐν βίῳ Τὴν ἀξίωσιν τῶν καλῶν τὸ σῶμ' ἔχειν. id eſt videam eorum filios mares ex maribus prognatos, primùm quidem forma & ſpecie ipſa regno dignos. Maxima enim virtus eſt in hac vita, ſi cui corpus contigerit dignitate quadam honeſta præditum. M. Tullius partitionib. Poſteà de corporis bonis (dicendum) in quibus quidem, quæ virtutem maximè ſignificat, facillimè forma laudatur. VIRESQVE VIGEB.) id eſt, & qui viribus præſtabant, erant in pretio, & aliis imperabant. Sic Varro Margop. Qui poteſt plus, vrget, piſceis vt ſæpe minutos Magnu' comeſt: vt aueis enecat accipiter.

POSTERIVS RES INVENTA'ST) res, id eſt pecunia, bona fortunæ. Horat. ſaty. 5. lib. 2. Et genus & virtus, niſi cum re vilior alga eſt.

QVOD FACILE ET VAL. ET P.) Horat. ſaty. 3. lib. 2. omnis enim res, Virtus, fama, decus, diuina, humanáque pulchris Diuitiis parent.

DIVITIORIS) id eſt, ditioris. ſic Terent. Phorm. ſemper aliquid addant diuitioribus. & M. Tull. 3. de Orat. diuitior dithyrambus. & offic. II. Mamerco homini diuitiſſimo. Et Æmilius Probus, ſeu Cornel. Nepos, in Alcib. Socerum habuit Hipponicum, omnium Græcorum diuitiſſimum. ſic enim edidimus, & ita legendum, non, vt vulgò diſertiſſimum. Idem in Phocione, Fuit enim perpetuò pauper, cùm diuitiſſimus eſſe poſſet, propter frequenteis delatos honores, poteſtatéſque ſummas, &c.

CRETI) creati. DIVITIÆ GRANDES HOM.) Cùm ſæpe habebat in ore Epicurus parſimoniam, continentiam, tenuitatem victus, animi deniq. æquitatem, tùm id, quod verbis laudabat, aiunt eum perpetua vitæ conſtantia comprobaſſe. Verba autem eius hæc ſunt apud Laërtium. Καὶ τὴν αὐτάρκειαν δὲ ἀγαθὸν μέγα νομίζομεν, οὐχ ἵνα πάντως τοῖς ὀλίγοις χρώμεθα, ἀλλ' ὅπως, ἐὰν μὴ ἔχωμεν τὰ πολλά, τοῖς ὀλίγοις χρώμεθα, πεπεισμένοι γνησίως, ὅτι ἥδιστα πολυτελείας ἀπολαύουσιν, οἱ ἥκιστα ταύτης δεόμενοι. id eſt, & animi æquitatem nihil externi deſiderantem, magnum bonum eſſe arbitramur, non vt prorſus paucis vtamur, ſed vt, ſi non habeamus multa, paucis vtamur, verè perſuaſum habentes, eos iucundiſſimè ſumtuoſo apparatu, victúque perfrui, qui eum minime deſiderant. de eiuſdē continentia ſic M. Tull. lib. 3. Tuſcul. Negat Epicurus iucundè poſſe viui, niſi cum virtute viuatur: negat, vllam in ſapientem vim eſſe fortunæ: tenuem victum antefert copioſo. His adde, quæ præterea à nobis dicuntur infrà, procemio lib. VI. ibi. Nam cùm vidit hic, ad vitam quæ flagitat vſus, Omnia iam fermè mortalibus eſſe parata, & cet.

NEQVE EN. ST VMQ. PÆN. P.) id eſt, neque enim vmquam hominibus deſunt pauca, ſeu parua. Ita fit, vt ſapiens numquam egeat, immo verò vt ſit diues. Quod ita colligi, & concludi poteſt. Homines non egent rebus paruis, neque paucis. Sapiens paruis & paucis contentus eſt. Ergo ſapiens numquam re vlla eget. At qui numquam re vlla eget, diues eſt. Ergo ſapiens ſemper diues eſt.

DEGERE VITAM) ſic habent quattuor libri manuſcripti. vulgati, ducere vitam. CONTEMTIM) duo libri manuſcripti habent, contemtus, planè mendoſè ſed tamen de hac ſcriptura lectorem celatum nolui. PROINDE SINE IN CASSVM) ſecutus ſum ſcripturam vulgatam. nam nonnulli ſcripti

habent, Proinde fidei incaſſum, planè mendosè, niſi fallor. SANGVINE SVDENT) *ſine valde laborent. ſudor ſanguinis, ingentem corporis laborem, grauémque animi moleſtiam ſignificat. ſanguine ſudent autem, tranſlatè dictum, vt, Sudent humore, &c. lib. VI. Idem ibidem. Sudabāt etiam fauces intrinſecus atro Sanguine. Sic fere Plautus in Pſeudolo dixit, flere drachmis argenteis, non longè admodum à principio. totum locum adſcribam. Vt litterarum ego harum ſermonem audio, Niſi tu illi drachmis fleueris argenteis, Quòd tu iſtis lacrymis te probare poſtulas, Non pluris réfert, quàm ſi imbrem in cribrum ingeras.* INVIDIA QVON.) *Flaccus oda X lib. 2. feriúntque ſummos Fulgura, al. (Fulmina) monteis.*

VAPORANT) *calent, ardent, flagrant.* QVÆ SVNT ALIIS M.) *id eſt, quæcumque aliis ſunt editiora, atque altiora. Sic eſt autem legendum, non, vt vulgò, quæ ſunt altis m. ed. c.* EX AVDITIS) *id eſt, ex iis, quæ audierunt, & acceperunt ab aliis, non quæ ipſi ſuis oculis viderunt, aut vſu experti ſunt. ſic loquitur Plautus Bacchid. Quin ego quom peribat, vidi, non ego ex audito arguo.*

Ergo regibus occiſis, ſubuerſa iacebat
Priſtina maieſtas ſoliorum, & ſceptra ſuperba:
Et capitis ſummi præclarum inſigne, cruentum
Sub pedibus volgi magnum lugebat honorem.
Nam cupidè conculcatur nimis antè metutum.
Res itaque ad ſummam fæcem, turbáſque redibat,
Imperium ſibi quom, ac ſummatum quiſque petebat.
Inde magiſtratum partim docuere creare:
Iuráque conſtituêre, vt vellent legibus vti.
Nam genus humanum defeſſum vi colere æuum,
Ex inimicitiis languebat: quo magis ipſum
Sponte ſua cécidit ſub leges, artáque iura.
Acrius ex ira quòd enim ſe quiſque parabat
Vlciſci, quàm nunc conceſſum'ſt legibus æquis:
Hanc ob rem eſt homines pertæſum vi colere æuum:
Vnde metus maculat pœnarum præmia vitæ.
Circumretit enim vis, atque iniuria quemquè:
Atque, vnde exorta'ſt, ad eum plerumque reuertit:
Nec facilè eſt placidam, ac pacatam degere vitam,
Qui violat factis communia fœdera pacis.
Et ſi fallit enim diuûm genus, humanúmque:
Perpetuò tamen id fore clàm diffidere debet.
Quippe vbi ſe multi per ſomnia ſæpe loquentes,
Aut morbo delirantes procraxe ferantur:
Et celata diu in medium peccata dedìſſe.

SOLIORVM) *ſellarum regiarū.* INSIGNE) *diadema.* CRVENTVM) *regibus occiſis, vt ſuprà dixit.* NAM CVPIDE CONCVLC.) *ſententia hæc*

eſt.quod homines anteà nimis metuerunt, ab eis cupidè pedibus teritur, & conculcatur. Sic fere M.Tull.Off 2.*Qui verò in libera ciuitate ita ſe inſtruunt, vt metuantur, his nihil poteſt eſſe dementius. quamuis enim ſint demerſæ leges alicuius opib. quamuis timefacta libertas: emergit tamen hæc aliquando aut iudiciis tacitis, aut occultis de honore ſuffragiis. acriores autẽ morſus ſunt intermiſſæ libertatis, quàm retentæ.* NIMIS ANTE METVTVM) *id eſt, quod homines nimis antè metuerunt. participium paßiuum veteribus vſitatum, poſterioribus obſoletum.* [illegible] Priſcianus lib.X. AD SVMMAM FÆCEM) *ad infimam plebem, atque ad vulgus hominum quod genus reip. adminiſtrandæ, ὀχλοκρατία appellatur à Græcis.* SVMMATVM) *principatum, ſummum gradum, ſupremos honores.*

QVO MAGIS IPSVM SPONTE S. CEC. SVB L.) *id eſt, quapropter tanto magis ſe ſubiecit legibus, & iuribus. ſignificat* Lucretius, *leges eſſe ab hominibus acceptas, vt eis ſine vi, ſinéque iniuriæ metu viuere liceret. ſic fere* Horat. *ſaty* 3.*lib.*1.*Iura inuenta metu iniuſti fateare neceſſe eſt, Tempora ſi, faſtóſque voles euoluere mundi. ſic apud* Herod *lib* 2.Deioces *quidã, magna de ſe opinione iuſtitiæ apud* Medos *excitata, cùm de eorum controuerſiis vltro ad ſe delatis magna cum æquitate ſententiam ferret, tyrannidem libentibus illis occupauit.*

ARTAQVE IVRA) *codex* Memmianus *habet, artque luſa: ex qua ſcriptura* P.Paſchalius, *vir eloquentißimus, hiſtoricus* Regius, *idémq; mihi amicißimus, ſuſpicatur legendum, artaque iuſſa. cui propemodum aſſentior.* Nam *apud* M.Tull. *crebrò reperitur hæc vox, vt iuſſa populorum, ſcita ac iuſſa noſtra.* Hoc *quoq; arripuit* Zoilus, *quamuis alicui leue videri poßit: & homo ieiunus, idémq; iniuſtißimus, hãc non meam, ſed* Paſchalij *coniecturam, inuncauit.* VNDE) *ex legibus. nonnulli libri habent,* Inde. PRÆMIA VITÆ) *dulcedinem vitæ: ſeu fructum, qui ex vita percipi debet.* CIRCVMRETIT ENIM) *quia qui vim, & iniuriam infert alteri, legibus irretitus dat continuò, aut certè aliquãdo, pœnas.* NEC FACILE EST PLACIDAM, &c.) *quia, vt ait* M.Tull. *ſua quemque fraus, ſuum facinus, ſuum ſcelus, ſua audacia de ſanitate ac mente deturbat.* ET SI FALLIT) *id eſt, & ſi latet. ſic* Horat.*epiſt.ad* Quinctiũ *lib.*1.*Da mihi fallere: da iuſtũ, ſanctúmq; videri: Noctem peccatis, & fraudibus obiice nubẽ. Atqui deos nemo fallere poteſt.* Hac *de re autem exſtat apud* Gelliũ Peregrini *philoſophi grauis oratio, lib.*12.*cap.*11.*Iam verò totius huius loci ſentẽtia ab illo verſu,* Circumretit enim vis, atq; iniuria, &c. *ad illa, quæ refert* Diog.Laërtius *in* Epicuro, *pertinet.* ἡ ἀδικία, οὐ καθ' ἑαυτὴν κακὸν, ἀλλ' ἐν τῷ κατὰ τὴν ὑποψίαν φόβῳ, εἰ μὴ λήσει ὑπὸ τῶν τοιούτων ἐφεστηκότας κολαστάς. οὐκ ἔστι γὰρ τὸν λάθρα τι ποιοῦντα ὧν συνέθεντο πρὸς ἀλλήλους εἰς τὸ μὴ βλάπτειν, καὶ βλάπτεσθαι, πιστεύειν, ὅτι λήσει, κἂν μυριάκις ἐπὶ τοῦ παρόντος λανθάνῃ· μέχρι γὰρ καταστροφῆς, ἄδηλον, εἰ λήσει. i. *iniuſtitia non eſt per ſe malum: ſed eò, quòd metu afficiatur ex ſuſpicione, ſi nõ fallet, aut latebit eos, qui præſunt talibus facinoribus vindicãdis. Non poteſt enim fieri, vt, qui clam violat aliquid eorũ, quæ inter homines conuenerunt, & pacta ſunt, ne cui damnũ inferant, néve ab aliquo detrimẽtum accipiãt, credat fore, vt ignoretur, & fallat, etiã ſi millies in præſenti tempore ignoretur. Nã perpetuò, & vſq, ad exitũ vitæ fore clam diffidere debet.* PERPETVO T. ID F. CL.) *ſic* M.Tull.*lib.*1.*de* Finib. *cuius in mẽte cõſedit temeritas, hoc ipſo, quòd adeſt, turbulẽta nõ poteſt nõ fieri: & ſi verò molita quippiã eſt, quãuis occultè fecerit, numquã tamẽ confidet id fore ſemper occultũ. Plerumq; improborũ facta primò ſuſpicio inſequitur, deinde ſermo, atq; fama, tùm accuſator, tum index: multi etiam, vt te conſule, ipſi ſe indicauerũt.*

FORE CLAM) *Sic Terent. Adelph. ſi ſperat fore clam, rurſus ad ingeniũ redit.*

QVIPPE VBI SE M. P. SOMN.) *ſic ſupra lib. 4. Multi de magnis per ſomnum rebu' loquuntur: Indicióque ſui facti perſæpe fuere.*

PROCRAXE,) *id eſt, palàm aperuiſſe, atque indicaſſe, & quaſi in publico garriiſſe. Verbum eſt è Græco detortum, κράζω, ſeu κράγω, quod ipſum à præterito, κέκραγα factũ eſt. valet autẽ κράζω idẽ quod κλάζω, id eſt, clamo, & vociferor. cuius præteritũ, κέκραγα: hinc verbũ procrago, procraxi, procraxiſſe, & κτ̃ συζυγίαν, procraxe, vt ſup. lib. 3. abſtraxe pro abſtraxiſſe, & ſimilia. quamquam hoc loco quidã malunt legi, protraxe, vt habent plerique libri vulgati: à quibus equidem inuitus diſſentio. ſed cum procraxe reperiatur in aliquot libris manuſcriptis, & in antiquis Venetis, & probetur Hermolao Barbaro, & (quod caput eſt) longe ſignificantius ſit, quàm protraxe, illud potius, quàm hoc excudẽdum curaui. Licet etiam legere prograxe.* ET CEL. D. IN MED. PECC. DED.) *id eſt, & diu occultata peccata ſua in medium protuliſſe, & vulgaſſe.*

Nunc quæ cauſa, deûm per magnas numina genteis
Peruolgarit, & ararum compleuerit vrbeis,
Suſcipiendáque curarit ſollemnia ſacra,
"Quæ nunc in magnis florent ſacra rebu', locíſque:"
Vnde etiam nunc eſt mortalibus inſitus horror,
Qui delubra deûm noua toto ſuſcitat orbi
Terrarum, & in feſtis cogit celebrare diebus:
Non ita difficilè eſt rationem reddere verbis.
Quippe etenim iam tum diuûm mortalia ſæcla,
Egregias animo facies vigilante videbant,
Et magis in ſomnis mirando corporis auctu.
His igitur ſenſum tribuebant propterea, quòd
Membra mouere videbantur, vocéſque ſuperbas
Mittere pro facie præclara, & viribus amplis.
AEternámque dabant vitam, quia ſemper eorum
Suppeditabatur facies, & forma manebat:
(Et manet omninò) & quòd tantis viribus auctos
Non temere vlla vi conuinci poſſe putabant,
Fortuníſque ideò longè præſtare putabant,
Quòd mortis timor haud quemquam vexaret eorum:
Et ſimul in ſomnis quia multa, & mira videbant
Efficere: & nullum capere ipſos inde laborem.
Præterea cæli rationes, ordine certo,
Et varia annorum cernebant tempora verti:
Nec poterant quibus id fieret cognoſcere cauſis.
Ergo perfugium ſibi habebant, omnia diuis
Tradere, & illorum nutu facere omnia flecti.

In cæloque Deûm ſedes,& templa locarunt,
Per cælum volui quia ſol,& luna videtur:
Luna,dies,& nox,& noctis ſigna ſeuera,
Noctiuagæq; faces cæli,flammæq; volantes,
Nubila,ros,imbres,nix,venti,fulmina,grando,
Et rapidi fremitus,& murmura magna minarum.

NVNC QVÆ CAVSA) *Nunc docet,quæ res opinionem deorum in animis hominum inſeuerit,& vnde nata ſit religio.*

CVRARIT) *tralatio.ſic ſup.eod.lib.Ignis enim curauit,vt alſia corpora,&c.*

QVÆ N. IN M. FL. S. R.) *eam ſcripturam ſecutus ſum, quæ reperitur in tribus libris manuſcriptis,& in totidem vulgatis. neque eſt quòd quemquam offendat vox,ſacra,iterata.Nam hæc ἐπαναφορὰ valet ad ornatum ac venuſtatem.Si quis tamen alteram lectionem malet, non pugnabo:quæ talis eſt. Quæ nunc in magnis florent rebúſque,locíſque.in magnis rebus autem,verbi gratia in iis,quæ ad bellum,aut ad pacem pertinent,vbi vota pro rep.nuncupantur,& cùm res magnæ ſuſcipiuntur. quidam tamen hunc verſum exiſtimant non eſſe Lucretianum,ſed inculcatum.* CELEBRARE) *colere,& celebria reddere.*

ANIMO FAC. VIG. VID.) *id eſt, animo depingebant, & informabant. vigilantes:ὕπαρ ἐξαιπάζοντο.* IN SOMNIS) *ὄναρ.*

MIRANDO CORPORIS AVCTV) *mira corporis magnitudine: miro augmento,ſeu augmine.in quibuſdã libris ſcriptum reperi,auctus:vnde quis ſuſpicari poſſit legendum, mirandos corporis auctus, vt ſit hæc ſententia, & videbant. magis in ſomnis,quàm vigilantes, magnos corporis auctus : id eſt, ingentia corpora. hanc coniecturam meam,molli & leui brachio,& ἐν παρόδῳ,à me propoſitam,Zoilus,quaſi ſuam,refert,Vt puerum ſauo credas dictata magiſtro Reddere.*

ÆTERNAMQVE DABANT VIT.) *id eſt, & tribuebant ingentibus illis corporibus deorum immortalitatem: pulchra & valida illa deorum corpora, immortalia faciebant.* QVIA SEMPER EOR. SVPPED. F.) *nempe ἐκ συνεχοῦς ἐπιῤῥύσεως τῶν ὁμοίων εἰδώλων ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἀποτελουμένων, id eſt, ex aſſiduo & continente ſimilium imaginum,in idem finitarum affluxione.*

(ET MANET OMNINO.) *ex voce, tamen, quæ erat corrupta, totidem litteris verbũ,manet, feci:quod huic loco prorſus cónuenit.Nam huius loci hæc ſententia eſt.diis tribuebant immortalitatem,quia ſemper eorum facies ſuppetebat,& forma permanebat:& planè permanet:& quia tantis,&c.*

FORTVNISQVE IDEO LONGE PR.) *id eſt, & eò fortunatiſſimos & beatiſſimos deos eſſe putabant,quòd metu mortis vacarent.*

PRÆTEREA CÆLI) *altera cauſa quamobrem homines deos eſſe crediderint ex Epicuri ſententia. Præterea(inquit)cælum eadem ſemper ratione moueri, & varia annorum tempora immutabili, & rato ordine verti cernebant. cæli rationes,id eſt,cæli motus ratos. At Stoici hoc maxime argumento prouidentiam probari poſſe putabant,quòd eſſent certi cæli motus,rati aſtrorum ordines,& ab omni æternitate immutabiles curſus.Sed quid ſi dicamus,legendum, Præterea cæli regiones,ordine certo,&c. vt ita explicemus, atque interpretemur, Præterea cernebant oras cæli,&c,certo ordine moueri,ac verſari.*

ERGO PERFVGIVM, &c.) ergo cùm rerum cauſas ignorarent, hoc perfugium habebant, vt omnia deorum arbitrio, & prouidentiæ mandarent.

IN CÆLOQVE DEVM SEDES) Quod verũ eſſe negauit ſuprà lib. eod. non longè à princip. ibi, Illud item non eſt vt poſſis credere, ſedes Eſſe deûm, &c.

ET NOCTIS SIGNA SEV.) ſic habent omnes, quos vidi, libri. nonnulli tamen legi volunt, ſerena. in quibus ego me principem profiteri non dubitem. Vide quæ notauimus ad illum verſum lib. 4. Et ſonitus audire, ſeuera ſilentia noctis Vndique cùm conſtent.

ET MVRMVRA M. MIN.) id eſt, & tonitrua, per quæ dij videntur hominibus minari, & terrorem inferre.

O genus infelix humanum, talia diuis
Quom tribuit facta, atque iras adiunxit acerbas:
Quantos tum gemitus ipſi ſibi, quantáque nobis
Volnera? quas lacrymas peperere minoribu' noſtris?
Nec pietas vlla'ſt, velatum ſæpe videri
Vertier ad lapidem, atque omneis accedere ad aras:
Nec procumbere humi proſtratum, & pandere palmas
Ante Deûm delubra, nec aras ſanguine multo
Spargere quadrupedum, nec votis nectere vota:
Sed mage pacata poſſe omnia mente tueri.
Nam cùm ſuſpicimus magni cæleſtia mundi
Templa ſuper, ſtellíſque micantibus æthera fixum:
Et venit in mentem ſolis, lunæque viarum:
Tunc aliis oppreſſa malis in pectore cura
Illa quoque experfefactum caput erigere infit,
Ecquæ fortè Deûm nobis immenſa poteſtas
Sit, vario motu quæ candida ſidera verſet.
Tentat enim dubiam mentem rationis egeſtas,
Ecquæ nam fuerit mundi genitalis origo:
Et ſimul ecquæ ſit finis, quoad mœnia mundi,
Et tanti motus poſſint hunc ferre laborem:
An diuinitus æterna donata ſalute,
Perpetuo poſſint æui labentia tractu,
Immenſi validas æui contemnere vireis.
Præterea quoi non animus formidine diuûm
Contrahitur? quoi non correpunt membra pauore:
Fulminis horribili quom plaga torrida tellus
Contremit, & magnum percurrunt murmura cælum?
Non populi, gentéſque tremunt? regéſque ſuperbi
Corripiunt, diuûm perculſi membra timore,

Ne quod ob admiſſum fœdè, dictúmve ſuperbè,
Pœnarum graue ſit ſoluendi tempus adactum?
Summa etiam quom vis violenti per mare venti
Induperatorem claſſis ſuper æquora verrit
Cum validis pariter legionibus, atque elephantis:
Non diuûm pacem votis adit, ac prece quæſit
Ventorum pauidus paces, animáſque ſecundas?
Nequicquam, quoniam violento turbine ſæpe
Correptus, nihilo fertur minus ad vada leti:
Vſqueadeò res humanas vis abdita quædam
Obterit, & pulchros faſceis, ſæuáſque ſecureis
Proculcare, ac ludibrio ſibi habere videtur.
Denique ſub pedibus tellus quom tota vacillat:
Concuſſæque cadunt vrbes, dubiæque minantur:
Quid mirum ſi ſe temnunt mortalia ſæcla?
Atque poteſtates magnas, miráſque relinquunt
In rebus vireis diuûm, quæ cuncta gubernent?

O GENVS INF. HVM.) *ὀρφώνυμα. ſic ſup. libr. 2. princip. O miſeras hominum menteis, ô pectora cæca.* ATQVE IRAS ADIVNXIT AC.) *quod Epicurus dicebat alienum eſſe à præſtantia naturæ diuinæ. ſup. lib. 2. Ipſa ſuis pollens opibus, nihil indiga noſtri, Nec bene promeritis capitur, neque tangitur ira.*

MINORIBV' NOSTRIS) *poſteris noſtris.*

NAM PIETAS NVLLA'ST, &c.) *hũc verſum cũ quattuor deinceps ſequẽtibus, profert Firmianus lib. 2. de origine erroris. Non admodũ autẽ diſsimile eſt his Lucretianis illud Arnobij lib. 4. Cultus verus in pectore eſt, atq; opinatio de diis digna: nec quidquam prodeſt illatio ſanguinis & cruoris, niſi credis de his ea, quæ non modò ſint longè ab eorum diuina, præſtantíque natura, verùm etiam labis & turpitudinis aliquid, & maieſtati eorum concilient, & decóri.*

VELATVM) *qui deos venerabantur, operto erãt capite. cuius ritus rationem multis verbis reddit Plutarch. ῥωμαϊκοῖς. Plaut. Amphitr. Inuocat Deos immortaleis, vt ſibi auxilium ferant, Manibus puris, capite operto. Præterea velati dicebantur, quorum caput licio laneo circundatum erat: quod vſurpabant legati, qui res repetebant, & ſupplices. T. Liuius lib. 1. legatus vbi ad fineis eorum venit, vnde res repetuntur, capite velato, audi Iupiter, inquit, audite fines, &c. Virgil. lib. 3 Exorat pacem diuûm, vittáſque reſoluit Sacrati capitis. Idem libr. 7. Præferimus manibus vittas, & verba precantum. Idem lib. 12. Velati lino, & verbenis tempora vincti. Plautus Amphitr. velatis manibus orant, ignoſcamus peccatum ſuum.*

VERTIER AD LAPIDEM) *id eſt, circumagi ad ſtatuam lapideam. Ad hunc locum intelligendum opus eſt Plutarcho aduocato. Sic igitur ille in Marcello. verba autem Græca non referemus, ſed ea noſtro arbitratu vertemus, ab illo loco, ἤδη δέ πως εἰς ἐμβολὴν ὄντων ἐφορμῆς, &c. id eſt, cùm autem is ad conflictum ſe conuerteret, accidit, vt equus, hoſtium ferocia territus, auerteret ſe ab acie, & Marcellum inuitum in diuerſam partem ferret. Ille autem veritus, ne trepidationem ex-*

religione Romanis incuteret, equo celeriter in læuam partem, qua parte habenam tenebat, retracto, & circumacto aduerſus hoſteis, ipſe ſolem demiſſo capite adorauit, quaſi non fortuitò, ſed huius rei gratia, circumactione illa vſus eſſet. Eſt enim hoc in more poſitum Romanis deos venerari dextrorſum circumacto & verſato corpore. Plautus Curculione. Quò me vertam, neſcio. P A. *Si deos ſalutas, dextrouorſum cenſeo. ad quem locum plura.*

PANDERE PALMAS) *tendere manus. quod item faciunt qui deos orant. Virgil. Æneid. 1. Ingemit, & duplices tendens ad ſidera palmas, &c.*

PACATA P. O. MENTE) *pacata mente: id eſt, ἀταράχως. Laudabat autem, & crebrò habebat in ore Epicurus ἀταραξίαν illam: id eſt, vacuitatem ab omni motu turbido, mentiſque æquabilitatem, & trāquillitatem. Cum hoc loco congruit verſus ille lib 6. non longè à princip. Nec, de corpore quæ ſancto, &c. Suſcipere hæc animi tranquilla pace valebis.* CAPVT ERIGERE) *caput attollere. ſic ſupr. de relligione, lib. 1. Quæ caput à cæli regionibus oſtendebat Horribili ſuper adſpectu mortalibus inſtans.* INFIT) *incipit, vt ſup. lib. 3. Commutare animum quicumque adoritur, & infit.* ECQVÆ FORTE, &c.) *pendent hæc ex iis, quæ antecedunt. illa cura (inquit) caput erigere, id eſt, animos hominum ſollicitare incipit, num forte aliqua ſit Deorum poteſtas immenſa, quæ mundum gubernet.* RATIONIS EGESTAS) *ignoratio rationis, & cauſæ.*

ECQVÆNAM) *num aliqua: vt lib. 2. Nunc age. ſummaï ecquænam ſit finis eorum, &c.* QVOAD) *vſque ad quem finem.*

ET TANTI MOTVS, &c.) *ſic legendum potius. & ita habent codices quattuor manuſcripti, quibuſcum conſentiunt Pariſienſes, Vicetini, Germanici. in aliis eſt, Et taciti motus.*

CONREPVNT) *contrahuntur, & in vnum coguntur. tralatio eſt mirabilis, & audax. Idcirco docti quidam legendū cenſent, horreſcunt, vt infr. lib. 6. In terra quoque vt horreſcant, ac tecta requirant. ego nihil mutandum cenſeo.*

CONRIPIVNT) *celeriter contrahunt, vt lib. 4. conrepta luce diei.*

PERCVLSI) *quidam libri ſcripti habent, percuſſi. vtrumuis ferri poteſt. percuſſi, id eſt, permoti. perculſi, de ſtatu moti, & proſtrati.*

NE QVOD OB ADMISSVM, &c.) *ordo eſt. ne ob aliquod facinus fœdè admiſſum, aut ob dictum ſuperbum, graue tempus adactum ſit, ad eos, ſubaudi: id eſt, tempus eis aduenerit; ſoluendi pœnarum, id eſt, ſoluendi pœnas, aut ſoluendarum pœnarum. Sic loquitur Terentius prologo Heautont. Date creſcendi copiam, Nouarum qui ſpectandi faciunt copiam ſine vitiis. ſic & Plautus Capt. Nominandi iſtorum tibi erit magis, quàm adeundi copia. & M. Tull. de inuent. rhet. lib 2. princip. nobis omnium, quicumque fuerunt, ab vltimo principio huius præceptionis vſque ad hoc tempus expoſitis copiis, quodcumque placeret, eligendi poteſtas fuit. Idem Accuſ. lib. 4. earum autem rerum nullam ſibi iſte neque infitiandi rationem, neque defendendi facultatem reliquit. Idem Philipp. 5. Agitur, vtrùm M. Antonio facultas detur opprimendæ reip. cædis faciendæ bonorum, diripiendæ vrbis, agrorum ſuis latronibus condonandi, populi Rom ſeruitute opprimendi, an nihil horum ei facere liceat. ſic & Sueton. in Octauiano Auguſto, ſub extr. Iiſdem etiam epulum in conſpectu ſuo præbuit, permiſſa, immò exacta iocandi licentia, diripiendique pomorum, & obſoniorum, rerumque miſſilium.*

VERRIT) *impellit, iactat, agitat. tralatio eſt, qua vſus eſt & aliàs, vt libr. 1.*

Sunt

Sunt igitur venti nimirum corpora cæca, Quæ mare, quæ terras, quæ denique nubila cæli Verrunt. NAM DIVVM PACEM) *ſic Plautus, Amphitr. in extr. Abi domum. iube vaſa pura actutum adornari mihi, vt Iouis ſupremi multis hoſtiis pacem expetam. Idem Curcul. Hoc animum aduorte. pacem ab Æſculapio petas. Idem Rud. Qui ſunt, qui à patrona paces meas expetiſſunt? vbi vulgò legitur, preces, mendoſè.* QVÆSIT) *orat, vel quærit. Feſtus. Quæſo, ſignificat idem, quod rogo. quæſere tamen Ennius pro quærere poſuit.*

ANIMASQVE SECVNDAS) *id eſt, & ventos ſecundos. ſic Horat. od. 12. libr. 4. Impellunt animæ lintea Thraciæ.* PVLCHROS FASC. SÆVA'SQVE SEC.) *per inſignia magiſtratuum, & honorum, honores ipſos ſignificat, vt ſupr. libr. 3. Qui petere à populo faſceis, ſæuáſque ſecureis Imbibit. & Horat. epiſt. ad Quinctium lib. 1. Vt ſi Detuleris faſceis indigno, & cet.*

DENIQVE SVB PED. T. QV. T. V.) *terræ motū ſignificat, ac deſcribit.* SI SE TEMNVNT) *ſi ſibi diffidunt, & ad deos confugiunt, ſuæ imbecillitati diffidentes.* MORTALIA SÆCLA) *homines, genera humana.*

Quod ſupereſt, æs atque aurum, ferrúmque repertum'ſt,
Et ſimul argenti pondus, plumbíque poteſtas,
Ignis vbi ingenteis ſiluas ardore cremarat
Montibus in magnis: ſeu cæli fulmine miſſo:
Siue quòd inter ſe bellum ſilueſtre gerentes,
Hoſtibus intulerant ignem formidinis ergô:
Siue quòd inducti terræ bonitate, volebant
Pandere agros pingueis, & paſcua reddere rura:
Siue feras interficere, & diteſcere præda.
Nam fouea, atque igni prius eſt venarier ortum,
Quàm ſæpire plagis ſaltum, canibúſque ciere.
Quidquid id eſt, quacunque è cauſa flammeus ardor
Horribili ſonitu ſiluas exederat altas
Ab radicibus, & terram percoxerat igni:
Manabat venis feruentibus in loca terræ
Concaua conueniens argenti riuus, & auri:
AEris item, & plumbi: quæ cùm concreta videbant
Poſterius claro in terris ſplendere colore:
Tollebant nitido capti, læuíque lepôre,
Et ſimili formata videbant eſſe figura,
Atque lacunarum fuerant veſtigia quoique.
Tum penetrabat eos, poſſe hæc liquefacta calore,
Quamlibet in formam, & faciem decurrere rerum:
Et prorſum quamuis in acuta, ac tenuia poſſe
Mucronum duci faſtigia procudendo,
Vt ſibi tela parent, ſiluáſque excidere poſſint,

Materiem læuare, dolare, & radere tigna,
Et terebrare etiam, ac pertundere, pérque forare.
Nec minus argento facere hæc, autóque parabant,
Quàm validi primùm violentis viribus æris:
Nequicquam, quoniam cedebat victa poteſtas:
Nec poterat pariter durum ſufferre laborem.
Nam fuit in pretio magis æs, aurúmque iacebat
Propter inutilitatem, hebeti mucrone retuſum.
Nunc iacet æs, aurum in ſummum ſucceſſit honorem.
Sic voluenda ætas commutat tempora rerum.
Quod fuit in pretio, fit nullo denique honore:
Porrò aliud ſuccedit, & è contemtibus exit:
Inque dies magis appetitur: florétque repertum
Laudibus: & miro'ſt mortaleis inter honore.

QVOD SVPEREST, ÆS, &c.) *Nunc docet, quomodo aurum, argentum, æs, & cetera metalla, reperta ſint.* IGNIS VBI INGENTEIS) *Vult metalla eſſe primùm reperta incendio ſiluarum. hanc ſententiam confirmat id, quod ſcribit Ariſtot.* περὶ θαυμασ. ἀκουσμ. *his verbis:* Ἐν τῇ Ἰβηρίᾳ λέγουσι τῶν δρυμῶν ἐμπρησθέντων ὑπὸ τινῶν ποιμένων, καὶ τῆς γῆς διαθερμανθείσης ὑπὸ τῆς ὕλης, φανερῶς ἀργύρῳ ῥεῦσαι τὴν χώραν, καὶ μετὰ χρόνον σεισμῶν ἐπιγενομένων, καὶ τῶν τόπων ἐκραγέντων, παμπληθὲς συναχθῆναι ἀργύριον: ὃ δὴ καὶ Μασσαλιώταις πρόσοδον ἐποίησεν οὐ τὴν τυχοῦσαν. *id eſt, Aiunt, in Hiſpania ſiluis incenſis à quibuſdam paſtoribus, & terra à materia concalefacta, perſpicuè argentum in ea regione fluxiſſe, & aliquanto pòſt tempore terræmotu ſubſecuto, & locu diſciſſu, ingentem vim argenti coactam eſſe. quæ res etiam Maſſilienſibus vectigalia peperit non parua. Sed de metallorum primu inuentoribus lege Georg. Agricolam lib. 1. de metallis.*

FORMIDINIS ERGO) *id eſt, terroris inferendi cauſa. ergô productum valet idem, quod* χάριν, *vt docet Feſtus.*

SIVE QVOD INDVCTI) *Virgil. lib. 1. Georgic. Sæpe etiam ſterileis incendere profuit agros: Atque leuem ſtipulam crepitantibus vrere flammis.*

SILV. EXED. ALTAS) *ſic habẽt tres lib. manuſcr. Vatic. Tettian. Memm. & vulgati veneti, Pariſienſ. alij, altis, vt cohæreat cum voce, radicibus.*

TVM PENETRABAT EOS) *tum veniebat eis in mentem: vel tum ſibi perſuadebant, vel, vt Arnobius loquitur lib. 1. tum cogitatio eos ſubibat.*

ET PRORSVM QVAMVIS IN AC.) *ordo eſt, & penetrabat eos, hæc prorſum poſſe duci procudendo in faſtigia mucronum, quamuis, id eſt, quantumuis, acuta & tenuia.* VT SIBI TELA PARENT) *tela, id eſt, inſtrumenta apta ad dolandum, læuandum, radendum, perforandum, &c. ſic infrà eodem lib. Textile poſt ferru'ſt, quia ferro tela parãtur. Sic enim docti viri hunc verſum legunt, non, vt vulgò, tela paratur.*

SILVASQ. EXCID. POSS.) *legendum fortaſſe eſt ſiluas quibu' cædere paſſint* MATERIEM LÆVARE, DOLARE, &c.) *cùm ego ita ſcriptum reperiſſem in quattuor cod. manuſcr. Materiémque dolare, læuare, & radere*

tigna, conuerſo ordine verborum ſic reſtitui, Materiem læuare, dolare, & rad. tig. Quanquam P. Paſchalius cenſet legendũ, Materiem læuare, & læuia radere tigna. Iam vulgata ſcriptura, quæ reperitur in vtriſque cod. venetis, Florent. Pariſienſib. Lugdunenſ. Materiámque dolare, & læuia radere tigna, mihi non probatur. niſi quis eam ita leuiter immutet, & lænia reddere tigna: quæ immutatio cùm longius abſit, & ab antiqua, & à vulgata ſcriptura, proponenda illa quidem, ſed non recipienda mihi viſa eſt. Cùm hæc edidiſſem: Zoilus, non probata hac lectione, hanc oppoſuit, Materiámq; dólere, læuare, & radere tigna: vt ſit anapæſtus, ſcilicet pro ſpondéo. vult etiam hoc modo legi poſſe, Materiámque dolare, læuare, & rad. tigna, vt ſit creticus, inquit. Valeat nebulo cum ſuis lutulentis verſibus.

DOLARE) *vnde dolabra dicitur.*

ET TEREBRARE) *vnde terebrum, & terebellum.*

PERQVE FORARE) *& perforare: tmeſis. vt ſup. diſque ſupatis, inque pediri, cónque globari, & ſimilia ſexcenta.* POTESTAS) *auri, & argenti.*

NAM FVIT IN PR. M. ÆS) *propterea quòd ſolidius, & durius eſt auro.*

PROPTER INVTILITATEM) *quia aurum mollius eſt ære, & ferro.*

AVRVM IN SVMMVM SVCC. H.) *aurũ meritò ceteris omnibus metallis anteponitur, propter eximium nitorem, & naturam ab igni & flamma, præterquàm quòd liqueſcit, vndique tutam, atque inuictam. hoc etiam auri maxime proprium eſt, quòd, cùm ſit ære, ferro, atque adeò argento mollius, malleo tamen omnium metallorum latiſſimè ducitur, vt ex aureo leuiſſimi ponderis nummo complures aureæ bracteæ fieri poſſint.* VOLVENDA ÆTAS) *volubilis. ſic Virg. princip. lib. 9. Turne, quod optanti diuûm promittere nemo Auderet, voluẽda dies en attulit vltrò. Idẽ lib. 1. Triginta magnos voluẽdis mẽſib. orbeis Imperio explebit.*

PORRO ALIVD SVCCED. ET E CONTEMTIB. EXIT) *ſic ſuprà eodem libro, Nec manet vlla ſui ſimilis res: omnia migrant: Omnia commutat natura, & vertere cogit. Namque aliud putreſcit, & è contemtibus exit. & lib. 2. ſic rerum ſumma nouatur Semper: & inter ſe mortales mutua viuunt. Augeſcunt aliæ gentes, aliæ minuuntur: Inque breui ſpatio mutantur ſæcla animantum, & cet. ad quos verſus plura diximus de mutatione rerum, animalium, & ipſorum hominum: quibus conſentanea ferè ſunt his illa Epicharmi:* Οὐ γὰρ ὧδε νῦν ὁρῇ, καὶ χθὲς τοὺς ἀνθρώπους. ὁ μὲν γὰρ αὔξεθ', ὁ δὲ μὰν φθίνει· ἐν μεταλλαγᾷ δὲ πάντες ἐντὶ πάντα τὸν χρόνον· ὁ δὲ μεταλλάσσει κατὰ φύσιν, καὶ οὔποκ' ἐν ταὐτῷ μένει, *& cet. id eſt, Non enim ſic nunc, atque heri, videt (ſol) homines. hic enim augetur, & creſcit: ille minuitur, atque interit: in mutatione autem verſantur omnes omni tempore. Iam verò mutatur ipſe homo natura, & numquam in eodem ſtatu manet, &c.*

Nunc tibi quo pacto ferri natura reperta
Sit, facile eſt ipſi per te cognoſcere, Memmi.
Arma antiqua, manus, vngues, dentéſque fuerunt,
Et lapides, & item, ſiluarum fragmina, rami:
Et flammæ, atque ignes, poſtquàm ſunt cognita primùm.
Poſterius ferri vis eſt, æríſque reperta:
Et prior æris erat, quàm ferri, cognitus vſus:
Quo facilis magis eſt natura, & copia maior.

AEre ſolum terræ tractabant, æréque belli
Miſcebant fluctus, & volnera vaſta ſerebant:
Et pecus, atque agros adimebant. nam facilè ollis
Omnia cedebant armatis nuda, & inerma.
Inde minutatim proceſſit ferreus enſis,
Verſáque in opprobrium ſpecies eſt falcis ahenæ:
Et ferro cœpere ſolum proſcindere terræ,
Exæquatáque ſunt creperi certamina belli.
Et prius eſt reppertum in equi conſcendere coſtas,
Et moderarier hunc frenis, dextráque vigere,
Quàm biiugo curru belli tentare pericla.
Et biiugo prius eſt, quàm bis coniungere binos,
Et quàm falciferos inuentum adſcendere currus.
Inde boues lucas turrito corpore, tætros
Anguimanos, belli docuerunt volnera Pœni
Sufferre, & magnas Martis turbare cateruas.
Sic alid ex alio peperit diſcordia triſtis,
Horribile humanis quod gentibus eſſet in armis:
Inque dies belli terroribus addidit augmen.

NVNC TIBI, QVO PACTO) *Nunc docet, quomodo aurum repertum ſit.*

POSTQVAM SVNT) *non enim ignis vnà cum hominibus natus cognitus eſt, vt ſup. Nec dum res igni ſcibant tractare, neque vti Pellibus, &c.*

ET PRIVS ÆRIS ERAT, &c.) *ſic Ouid. 4. Faſt. Æs erat in pretio, chalybis iam maſſa placebat. Eheu, perpetuò debuit illa tegi. Apud Homerum appellatione æris, quod Græci* χαλκὸν *appellant, ferrum intelligitur, propterea quòd veteres ære vtebantur pro ferro, vt notat Euſtathius ad illum locum* ἰλιαδ. Α. περὶ γάρ ῥά ἑ χαλκὸς ἔλεψε φύλλα τε καὶ φλοιόν *quod item teſtatur Heſiodus hoc verſu,* Χαλκῷ εἰργάζοντο, μέλας δ' οὐκ ἔσκε σίδηρος. VOLNERA VASTA SEREBANT) *ſic habent omnes libri, quos quidem viderim. quidam tamen, ferebant, legendum putant, vt ferebant, pro inferebant poſitũ eſſe intelligamus. ego nihil muto. Eſt enim tralatio.*

VERSAQVE IN OPPROBR.) *ſic Virgil. lib 1. Georg. in extr. Et curuæ rigidum falces conflantur in enſem.* PROSCINDERE) *ſic ſup. bidenti Ingemere, & terram preſsis proſcindere aratris. & Lucil. Túne iugo iungas me autem, & ſuccedere aratro Inuitum, & glebas ſubigas proſcindere ferro?*

CREPERI) *profert hunc verſum Nonius, &, creperum, interpretatur anceps, dubium. Præterea Feſtus, creperum, dubium, (inquit) vnde increpitare. quia maledicta ferè incerta, & dubia ſunt. Poſtremò Varro lib. 5. de lingua Lat. Crepuſculum ſignificat dubium. ab eo res dubiæ, dictæ creperæ, quòd crepuſculum, dies etiamnũ ſit, an iam nox. multis dubium eſt Attius. Nunc tu in re crepera quid captas conſilij?*

ET PRIVS EST REPPERTVM IN EQVI) *ſic habẽt duo lib. manuſcr. & ita legendum videtur. alij, Et prius eſt armatum in equi. &c. quæ lectio ferri etiam poteſt, vt repetamus infernè verbum, inuentum.*

DEXTRAQVE VIGERE) *ſic legendum: & ſic habent omnes libri & manuſcr. & vulgati. Quòd autem Thraſones, vegere, legi volunt, de equite intelligentes, qui equum regat: cui hoc probabitur, cùm eques equum regat læua, non dextra? Quid igitur ſibi vult, dextra vigere? hoc, opinor. dextra pugnare, dextra aduerſarium valide & acriter oppugnare.* BIIVGO CVRRV) *curru à duobus equis tracto: bigis cuius moris exempla exſtãt apud Homerũ innumerabilia.* ET BIIVGO PRIVS EST, &c.) *id eſt & prius eſt inuentum curru biiugo belli pericula tentare, quàm quadrigis vti.* FALCIFEROS) *de falciferis curribus lege ſup. ad illum locum lib. 3. Falciferos memorant currus abſcindere membra, &c.*

INDE BOVES LVCAS) *id eſt elefantos. Varro lib. 6. de lingua Lat. opinionem refellit & eorum, qui putant boues Lucos, ſiue boues Lucas à Lucanis dictas ab eo quòd Romani, cùm maximam quadrupedem, quam ipſi haberent, vocarent bouem, in Lucania Pyrrhi bello primùm elefantos apud hoſteis vidiſſent: & eorum, quià Libycis dictas volunt. ad extremum autem ait, ſe arbitrari, boues lucas ab luce potius dictas eſſe, quod longè relucebãt, propter inauratos regios clypeos, quibus eorum turres erant ornatæ. Plinius tamen lib. 8. prioribus illis aſſentiens, ſic ſcribit. Elefantos Italia primùm vidit Pyrrhi regis bello: & boues Lucas appellauit in Lucanis viſos anno vrbis CCCCLXXII. Ennius. Atque prius pariet locuſta lucam bouem. Auſonius epiſt. ad Tetrad. Cur me propinquum Santonorum mœnibus Declinas, vt Lucas boues Olim reſumto præferoceis prœlio Fugit iuuentus Romula?*

TVRRITO CORPORE) *Plin. lib. 8 cap. 9 de elefantis loquens, turreis armatorum in hoſteis ferunt. Plutarchus in Eumene.* καὶ (ὡς) τῶν θηρίων τοὺς πύργους αὐτῶν καὶ τὰς πορφύρας εἶδον, ὅσπερ ἦν αὐτοῖς κόσμος ἐς μάχην ἀγομένοις, *&c. id eſt, Et vbi ferarum, id eſt elefantorum, turreis ſurſum, & purpuras viderunt, quod erat eorum ornamentum, cùm ad prœlium ducebantur, & cet.*

TÆTROS ANGVIMANOS) *elefantos: quibus proboſcis flexilis, volubilis, & plicabilis, loco manus eſt: atque adeò manus appellatur à Latinis. M. Tull. lib. 3. de natura Deor. Manus etiam data elefantis, quia propter magnitudinem corporis difficileis aditus habebant ad paſtum. Anguimani igitur dicuntur quia manum habent anguis inſtar, volubilem. Hos (vt ſcribit Vegetius lib. 3.) contra Romanum exercitum primus in Lucania rex Pyrrhus eduxit: poſtea Annibal in Africa. Iterum Lucretius lib. 2. Sicuti quadrupedum cum primis eſſe videmus In genere anguimanos elefantos, & cet.*

ALID) *aliud, à maſculino, alis, quo vſus eſt Catullus. lege quæ annotata ſunt ſuprà lib. 1. Quando alid ex alio reficit natura, nec vllam, &c.*

INQ. DIES BELLI TERR. *& cet.) id eſt & in dies belli terrores auxit.*

Tentarunt etiam tauros in mœnere belli:
Expertíque ſues ſæuos ſunt mittere in hoſteis:
Et validos Parthi præ ſe miſére leones
Cum ductoribus armatis, ſæuíſque magiſtris:
Qui moderarier his poſſent, vinclíſque tenere:
Nequicquam, quoniam permiſta cæde calentes
Turbabant ſæui nullo diſcrimine turmas,
Terrificas capitum quatientes vndique criſtas:

Nec poterant equites fremitu perterrita equorum
Pectora mulcere,& frenis conuertere in hoſteis.
Inritata leæ iaciebant corpora ſaltu
Vndique,& aduorſum venientibus ora petebant:
Et nec opinanteis à tergo diripiebant:
Deplexæque dabant in terram volnere vinctos,
Morſibus adfixæ validis,atque vnguibus vncis.
Iactabántque ſues tauri,pedibúſque terebant,
Et latera,ac ventres hautibant ſubter equorum,
Cornibus,ad terrámque minanti mente ruebant.
At validis ſocios cædebant dentibus apri,
Tela infracta ſuo tinguentes ſanguine ſæui:
In ſe fracta ſuo tinguentes ſanguine tela.
Permiſtáſque dabant equitum,peditúmque ruinas.
Nam tranſuerſa feros exibant dentis adactus
Iumenta:aut pedibus ventos erecta petebant,
Nequicquam:quoniam à neruis ſuccisa videres
Concidere,atque graui terram conſternere caſu.
Sic,quos antè domi domitos ſatis eſſe putabant,
Efferuiſcere cernebant in rebus agundis,
Volneribus,clamore,fuga,terrore,tumultu:
Nec poterant vllam partem redducere eorum.
Diffugiebat enim varium genus omne ferarum:
Vt nunc ſæpe boues Lucæ,ferro male mactæ,
Diffugiunt,fera facta ſuis cùm multa dedere.
Sic fuit,vt facerent. ſed vix adducor,vt antè
Non quierint animo præſentire,atque videre,
Quàm commune malum fuerat,fœdúmque futurum.
Et magis id poſſis factum contendere in omni,
In variis mundis,varia ratione creatis,
Quàm certo,atque vno terrarum quolibet orbi.
Sed facere id non tam vincendi ſpe voluerunt,
Quàm dare quod gemerent hoſtes,ipſiq; perire,
Qui numero diffidebant,armíſque vacabant.

IN MOENERE BELLI) *ſic habent tres libri manuſcripti, Vaticanus, Bertinianus, Memmianus: & typis excuſi, Veneti antiquiores. alij, in munera belli. quæ ſcriptura tamen non eſt reiicienda.* PARTHI) *ſic habent tres libri manuſcripti, & totidem vulgati. alij vulgati, partim.* CVM DVCTORIBVS ARMATIS) *nihil muto, tametſi negare non poßim, eam ſcripturam, quæ in duobus libris manuſcriptis reperitur, Cum doctoribus armatis, ferri poſſe.* Hæc omnia Zoilus

aſſentitur, & probat, atque adeò excipit, & iterat, vt dictata.

QVI MODERARIER HIS) *hanc lectionem probo, quamuis nonnulli libri habeant, Qui moderarier hos poſſent.*

PERMISTA CÆDE CALENTES) *ſic ſuprà lib. 3. Sæpe ita deſubitò permiſta cæde calentes, &c.* TERRIFICAS CAPITVM, &c.) *ſic ſup. lib. 2. Terrificas capitum quatientes numine criſtas.*

PECTORA) *leonum pectora, equorum hinnitu, & fremitu perterrita.*

LEÆ) *leonum fœminæ.* ORA PETEBANT) *ſic legendum, non, patebãt. Eſt enim hic ordo verborum, & leæ hominibus etiam ſuis, aduerſum venientibus, ora & faciem appetebant.* DEPLEXÆQVE) *ſic habent omnes libri & manuſcripti, & typis excuſi. quæ ſcriptura ſi recta, & vera eſt, deplexæ, hoc eſt, deligatæ, & ſolutæ ſed quidã legi volũt, depexæ, id eſt, horridæ, ſeu laceræ, κατ' ἀντίφρασιν: vt apud Terent. Heaut. adeò exornatum dabo, Adeò depexum, vt, dum viuat, meminerit ſemper mei. Nam depexus comtum, & cultum ſignificat. nonnulli, deuexæ: id eſt pronæ & deorſum ruentes,* DABANT IN TERRAM) *id eſt, ad terram affligebant.* VOLNERE VINCTOS) *ſic legi debere, & duo libri manuſcripti declarant, & ratio euincit. ſic ſup. lib. 1. æterno diuinctus volnere amoris.* RVEBANT) *proruebant.*

IN SE FRACTA S. TINGV. SANG. TELA) *ante hũc verſum ſcriptus eſt in lib. manuſcriptis verſus alter eiuſdem ferè ſententiæ. Tela infracta ſuo tinguentes ſanguine ſæui: qui reperitur etiam in lib. Pariſienſib. & nonnullis aliis impreſſis. ego (vt dicam, quod ſentio) neque hunc, neque alterum, Lucretianum eſſe puto. hunc tamen illo tolerabiliorem eſſe arbitror. Cùm hæc ſcripſiſſem, Zoilus auſus eſt, (quid enim non audeat ſycophanta?) mandare litteris, me hunc verſum veruto confodiſſe: Marullum, alterum. Atqui aut vtrumque damnaui, aut neutrum.*

EXIBANT DENTIS ADACTVS,) *id eſt, effugiebant, declinabant, euadebant. ſic lib. 6. Aut procul abſiliebat, vt acrem exiret odorem. ibid. citrà, Profluuiũ porrò qui tetri ſanguinis acre Exierat, &c. Videtur eſſe à gladiatoribus tractũ, & tranſlatum. Sic loquuntur & Græci: exempli cauſa, Demoſth. κατ' Ἀνδροτίωνος. εἰσφέρων δ' ἐκ τῶν ἰδίων, οὐδένα κίνδυνον ὑπὲρ δόξης ἐξέστη. id eſt, conferens autem de re ſua familiari in rempublicam, nullum periculum exijt, ſeu, (quod idem valet) euaſit, id eſt, effugit. Sic & κατὰ Τιμοκράτους, & quidem iiſdem planè verbis. Sic M. Tull. Catil. 1. Quot ego tuas petitiones ita coniectas, vt vitari poſſe non viderentur, parua quadam declinatione, vt aiunt, corporis euaſi? vbi vulgò legitur, parua quadam declinatione, &, vt aiunt, corpore effugi: malè, & mendoſe, opinor. Quam ſcripturam tamen in mea Ciceronis editione ſecutus ſum, nondum animaduerſa antiqua, quam poſtea reperi ferè expreſſam in vno exemplari manuſcripto, peruetuſto, niſi quòd, duæ voces, corporis, & euaſi, delitеſcunt in litura: neque ſatis liquidæ, aut integræ ſunt, propterea quòd emendator aliquis, ſeu fortaſſe corruptor potius, conatus eſt in locum antiquæ ſcripturæ, corporis, & euaſi, ſubſtituere, corpore & effugi. Quod eò dico, quia homo male de me meritus, approbata mea emendatione, in illo verſu, qui eſt lib. 6. Aut procul abſiliebat, vt acrem exiret odorem, pro quo libri omnes habent, Aut procul abſiliebat, vt acrem exciret odõrem, commemorans verba illa Ciceronis in Catilinaria prima, ait ſe ita emendaſſe, Quot ego tuas petitiones, ita coniectas, vt vitari poſſe non viderentur, parua quadam declinatione, &, vt aiunt, corpore exceſſi? quam ſcripturam, quamuis non damnem, præſertim cùm à recepta in hoc vno*

diſcrepet, quòd, exceſſi, reponatur, pro, effúgi: recepta autem lectio in voce, corpore, non poſſit damnari, quòd eam Virgilius confirmet in verſu illo, qui eſt lib. 5. Corpore tela modò, atque oculis vigilantibus exit: mouet me tamen litura, quæ eſt in codice manuſcripto. Præterea illud, declinatione corporis, valde mihi videtur vſitatè dictum, & ſignificanter. Præterea illud, exceſſi, pro, euaſi, vt puto legendum ex antiquæ ſcripturæ veſtigiis, aut, effúgi, vt habent libri vulgati, & nonnulli veteres, duriuſculum eſt apud Ciceronem: neque id facile receperim, niſi vetus codex comprobet. Nam ſi ita ſcriptum eſt in vet. codice, nihil cauſæ dico, quin, omnibus aliis ſcripturis, & coniecturis reiectis, ita ſit legendum. Mihi enim curior eſt veritas, & antiqua ſcriptura, præſertim probabilis, quàm meæ omnes cõiecturæ, & cogitationes.

SIC, QVOS) *Olim ſecutus libros omnes, ediderã, Si quos. ſed hoc annotaram: fortaſſe legendum, Sic, quos. At Zoilus tribus annis pòſt quid facit? quod homo iniuſtiſſimus, & impudentiſſimus faciat. adſcribit, ſe repoſuiſſe, Sic, coniectura ductum. Ex quo iſtum hominum genere cenſeas? non ex Autolicorum, aut Eurybatarum, aut talium ſocietatis humanæ peſtium?*

DOMI DOMITOS, *domi, domi, compoſitio. & comploſio binarum ſyllabarum.* EFFERVISCERE) *quidam libri habent, Efferuiſcere. quod magis probo, quàm Efferueſcere. & vbique malim ita legi, feruiſcit, & feruiſcere.*

VT NVNC SÆPE BOVES LVCÆ, *ſic habent omnes libri veteres, quibus ego vſus ſum, ſi bene memini. neque video, quamobrem quicquam mutari debeat. Confert enim tauros, apros, leones, quibus vſi ſunt in præliis primi homines, cum elefantis, quibus ſunt vſi poſteriores. Nonnulli tamen legi volunt. Vt nunc ſæpe boues templis ferro malè caſæ Diffugiunt, &c. ſeu, Effugiunt. Ego, ſi quid ſit mutandum malim legi, Vt nũc ſæpe boues lectæ ferro male mactæ, vt intelligamus per boues lectas, maiores hoſtias, ſeu victimas, quæ ſolebant ex toto armento eligi. lectæ, ad immolandũ ſcilicet. Probabilius autem eſt ex, lectæ, factum eſſe, Lucæ, propter verſum illum, qui eſt ſuprà, Inde boues Lucas, &c. quàm ex templis: quam vocem nullo in codice neque manuſcripto, neque vulg. reperi.*

FERRO MALE MACTÆ) *ſic legendum, & ita habent quattuor libri manuſcripti, & aliquot typis excuſi: mactus autem (vt docet Feſtus) idem valet, quod magis auctus: ex quo mactare. Iam malè mactus: id eſt, non auctus, læſus: vel mactæ ferro, ſic dictum, vt mactare infortunio, cruce, cruciatu apud Plautum. vel male mactæ, id eſt, male mactatæ.* DIFFVGIVNT) *ſic habent omnes ferè libri manuſcripti, & aliquot impreſſi: alij, Effugiunt.*

FERA FACTA) *ſic habent omnes libri, quos quidem viderim quidam tamẽ legi volunt fera fata.* SIC FVIT, VT,) *id eſt, ſic fieri potuit, vt facerent. contingere potuit, vt ita facerent.* ATQVE VIDERE) *atque præuidere. nam præpoſitio præ, repetenda eſt.* QVAM COMM. MAL. FVERAT) *quàm valde ſibi cum aduerſariis hoc malum fuerat commune futurum: vel quàm æqualiter & peræquè hæ animantes fuerant ſibi & aduerſariis exitio futuræ.*

DARE QVOD GEMERENT) *dare propter quod gemerent: dare plorantus hoſtibus: δοῦναι οἰμωγάς, ſic Terentius Phormion. Vin' primum hodie facere, quod ego gaudeam, Nauſiſtrata, Et quod tuo viro oculi doleant?*

IPSIQVE PERIRE) *nonnulli libri habent, ipſique perirent.*

Nexilis ante fuit veſtis, quàm textile tegmen:

Textile

Textile poſt ferrum'ſt:quia ferro tela parantur.
Nec ratione alia poſſunt tam læuia gigni
Inſilia,ac fuſi,& radij,ſcapíque ſonantes.
Et facere antè viros lanam natura coëgit,
Quàm muliebre genus.nam longè præſtat in arte,
Et ſollertius eſt multo genus omne virile:
Agricolæ donec vitio vertêre ſeueri,
Vt muliebribus id manibus concedere vellent:
Atque ipſi potius durum ſufferre laborem:
Atque opere in duro durarent membra,manúſque.

QVIA FERRO TELA PARANTVR) *textile(inquit)fuit poſt vſum ferri repertum,quia tela,ſeu inſtrumenta textoria, quibus textilis veſtis conficitur, ferro parantur,& componuntur.hunc locum ſic reſtituit* Adr.Turnebus. *Nam in omnibus fere libris legitur,tela paratur.quaſi tela ſit numeri ſingularis fœminini generis:quod eſt falſum. eſt enim numeri multitudinis, tela, orum. Cùm hæc ſcripſiſſem,& edidiſſem,*Zoilus,*tamquam ſcarabæus aliquis,exortus, reſcidit meum,age mitto meum:ſed infirmauit,*Turnebi *iudicium. Vide, obſecro te, lector, os hominis: ſi quid oris habere poteſt* κίναδος ἀναισχυντότατον.

NEC RAT. AL.) *quàm ferro.* INSILIA) *inſubula olim legendum eſſe putaram ex* Iſidoro, *qui docet, inſubula eſſe textoris inſtrumenta, dicta quòd infrà & ſuprà ſint, vel quia inſubulantur.Nam inſilia quid ſint,me fugit.*

FVSI) κλωστῆρες.Catull.de Pelei & Thet.nuptiis:Libratum tereti verſabat pollice fuſum. ET RADII) κερκίδες.Virg.9. Æneid. Excuſſi manibus radij, reuolutáque penſa. SCAPIQVE) σπάθαι, *inſtrumenta textoris,quorum pulſu tela coarctatur,& condenſatur.*

ATQVE IPSI POTIVS D. S. L.) *repete* ἀπὸ κοινοῦ, *vellent. ſic autem legendum eſt,non,vt vulgò,* Atque ipſi pariter. *Hoc enim ſentit toto hoc loco* Lucret. *viros, antè quàm mulieres, lanam carpere, & texere, & nere natura docuit: Viri enim ſunt mulieribus ſollertiores:donec hoc ita turpe habitum eſt, vt lanificium mulieribus concederent:ipſi autem agrum colerent potius, atque in opere ruſtico faciẽdo manus durarent.*Etiam *hanc emendationem ſecutus eſt* zoilus, *vt ſcripturam receptam,& vulgatam.* OPERE IN DVRO) *in opere ruſtico faciendo, in agro colendo.* DVRARENT) *dura & calloſa redderent.ſic habent tres libri manuſcripti,&* Veneti *antiquiores.* Vulgati *autem, durarunt.*

At ſpecimen ſationis,& inſitionis origo,
Ipſa fuit rerum primùm natura creatrix:
Arboribus quoniam bacæ,glandéſque caducæ
Tempeſtiua dabant pullorum examina ſubter:
Vnde etiam libitum'ſt ſtirpeis committere ramis:
Et noua defodere in terram virgulta per agros.
Inde aliam,atque aliam culturam dulcis agelli

Tentabant, fructúſque feros manſueſcere terra
Cernebant indulgendo, blandéque colendo.
Inq́; dies magis in montem ſuccedere ſiluas
Cogebant, infráque locum concedere cultis:
Prata, lacus, riuos, ſegetes, vinetáque læta
Collibus, & campis vt haberent: atque olearum
Cærula diſtinguens inter plaga currere poſſet
Per tumulos, & conualleis, campóſque profuſa:
Vt nunc eſſe vides vario diſtincta lepôre
Omnia, quæ pomis interſita dulcibus ornant:
Arbuſtíſque tenent felicibus obſita circùm.

AT SPECIMEN SATIONIS) *Nunc docet, vnde didicerint homines ſerere, atque inſerere. & ait, ſpecimen, id eſt, exemplum, ſeu documentum ſationis naturam dediſſe, cùm ſub arboribus virgulta quædam tenera, & pulli arborum ex earũ fructibus in terram delapſis naſcerentur. Specimen auctor vocabularij manuſcripti, Latinogræci, interpretatur, δεῖγμα.*

CADVCÆ) *cadentes ex arboribus.* PVLLORVM EXAMINA) *fœtus arborum pullulantium. examina propriè de apibus dicuntur.*

STIRPEIS COMMITTERE RAMIS) *quod vnum eſt ex pluribus inſitionis generibus: de quo Virg lib. 2. Georg. Aut rurſum enodes trunci reſecãtur, & aliè Finditur in ſolidum cuneis via: deinde feraces Plantæ immittuntur, &c.*

ET NOVA DEFODERE, &c.) *ſup eod. lib. Nec noua defôdere in terrã virgulta, &c.* INDVLGENDO) *tralatio Sic Virg Georg. 2 Indulge ordinib.*

IN MONTEM SVCCEDERE) *ſuccedere, id eſt, ſurſum cedere.*

INFRAQVE LOCVM) *& locum, qui infrà eſſet, ſeu locum inferiorem. talia ſunt illa nuper notitia apud Terent. Heaut Vbi tamen quidam legunt, nupera notitia & antè malorum apud Virg. lib. 1. Aeneid & ſemper amicitia apud Propert. in quibuſdam libris tamen legitur hic, infiáque ſitum. id eſt. ſitum inferiorem.*

INTER PLAGA CVRRERE) *intercurrere. tmeſis.*

DVLCIBVS) *mitibus. Virg. l. Tityro, ſunt nobis mitia poma*

FELICIBVS) *quæ ſint arbores felices, quæ infelices, cùm alij docuerunt, tum nos quoque admonuimus ad illum locum Hor. oda 2. Epod Inutileiſque falce ramos amputans, Feliciores inſerit.* OBSITA) *circùm ſata ἐν κύκλῳ φυτευθέντα. M. Tullius accuſ. lib. 3. Campus Leontinus, cuius antea ſpecies hæc erat, vt, cùm eum obſitũ vidiſſes, annonæ caritatẽ non vererere. ſic erat deformis, atq; horridus, &c.*

At liquidas auium voces imitarier ore
Antè fuit multo, quàm læuia carmina cantu
Concelebrare homines poſſent, aureiſque iuuare.
Et Zephyri caua per calamorum ſibila primùm
Agreſteis docuere cauas inflare cicutas.
Inde minutatim dulceis didicere querelas:
Tibia quas fundit digitis pulſata canentum,

Auia per nemora, ac ſiluas, ſaltúſque reperta,
Per loca paſtorum deſerta, atque otia dia.
Sic vnumquicquid paullatim protrahit ætas
In medium, ratióque in luminis eruit oras.
Hæc animos ollis mulcebant, atque iuuabant
Cum ſatiate cibi. nam tum ſunt omnia cordi.
Sæpe itaque inter ſe proſtrati in gramine molli
Propter aquæ riuum, ſub ramis arboris altæ,
Non magnis opibus iucundè corpora habebant:
Præſertim quom tempeſtas ridebat: & anni
Tempora pingebant viridanteis floribus herbas.
Tum ioca, tum ſermo, tum dulces eſſe cachinni
Conſuerunt. agreſtis enim tum muſa vigebat.
Tum caput, atque humeros plexis redimêre coronis,
Floribus, & foliis laſciuia læta monebat:
Atque extra numerum procedere membra mouenteis
Duriter, & duro terram pede pellere matrem:
Vnde oriebantur riſus, dulcéſque cachinni:
Omnia quòd noua tum magis hæc, & mira vigebant:
Et vigilantibus hinc aderant ſolatia ſomni,
Ducere multi'modis voces, & flectere cantus:
Et ſuperà calamos vnco percurrere labro.
Vnde etiam vigiles nunc hæc accepta tuentur:
Et numerûm ſeruare genus didicere: neque hilo
Maiorem interea capiunt dulcedini' fructum,
Quàm ſilueſtre genus capiebat terrigenarum.
Nam, quod adeſt præſtò, (niſi quid cognouimus antè
Suauius) in primis placet, & pollere videtur.
Poſteriórque ferè melior res, illa reperta
Perdit, & immutat ſenſus ad priſtina quæque.
Sic odium cepit glandis: ſic illa relicta
Strata cubilia ſunt, herbis, & frundibus aucta.
Pellis item cecidit, veſtis contemta ferina'ſt:
Quam reor inuidia tali tunc eſſe repertam,
Vt letum inſidiis, qui geſſit primus, obiret:
Et tandem inter eos diſtractum, ſanguine multo
Diſperſiſſe, neque in fructum conuertere quiſſe.

AT LIQVIDAS) *Nunc de muſicæ origine.* LÆVIA CARM.) *tranſlatio eſt à rebus, quæ tactu ſentiuntur, ad eas, quæ auditu percipiuntur.*

AVREISQVE IVVARE) & aureis delectare. ET ZEPHYRI CAVA) ordo eſt, Et primùm Zephyri docuerunt agreſteis cauas cicutas inflare, per calamorum ſibila caua: id eſt, & Fauonij docuerunt primùm ruſticos cicutas inflare ex eo, quòd calami ab iis agitati ſibilos edebant. Iam illud totum, caua per calamorum ſibila, duplicem interpretationem recipere videtur, quæ tamen eodem reuoluitur. Nam vel, ſibila, ſic accipi poteſt, vt ſit nomen ſubſtant. caua autem, adiect. vel contrà, caua, licet eſſet ſubſtant. ſibila, adiectiuum. Et ita, caua calamorum, interpretabimur, cauitates calamorum: ſibila autem, ſibilos mittentia. Virgil. lib. 3. Georg. Tollentémque minas, & ſibila colla tumentem. Idem Æneid. 5. Parte ferox, ardénſque oculis, & ſibila colla Arduus attollens, & cet.

INFLARE CICVTAS) cicutas, id eſt, calamos, cannas. Virgil. Alex. Eſt mihi diſparibus ſeptem compacta cicutis Fiſtula. ſup. lib. 4. Vnco ſæpe labro calamos percurrit hianteis. qui verſus ſtatim iteratur. inflare autem propriè dictũ. Sic Virg. in Daphn. princ Tu calamos inflare leueis, ego dicere verſus. M. Tull. in Bruto, ſi tibiæ inflata non referunt ſonũ, &c. VNVMQVICQVID) vnũquidque.

HÆC ANIMOS OLLIS, &c.) id eſt, his rudes illi homines mulcebãtur, ac delectabãtur eo ipſo tempore, quo epulabãtur, & ſatiabãtur: vel vna cum cibo, quo ſatiabantur, agreſti muſica animos ſuos oblectabant ſatiate, id eſt, ſatietate.

NAM TVM SVNT OMN.) id eſt, nam tum omnia grata ſunt. quidam legunt, nam tum hæc ſunt omnia cordi. PROPTER AQVÆ R.) id eſt, prope aquæ riuum. profert hunc verſum Donatus, ad illud Terentij, Adelphis, ibi, angiportum propter eſt. Expreßit hoc hemiſtichium Virgil. Pharmaceutr. Propter aquæ riuum viridi procumbit in herba.

CVM TEMPESTAS RIDEBAT) cùm per anni tempus licebat: cùm anni tempeſtas non erat turbida, aut frigida: ſed ſerena, & tepida. Idem Lucret. libro 2. princip. Præſertim cùm tempeſtas arridet, & anni Tempora, &c.

ET ANNI TEMPORA) ver, & æſtas. CORONIS) alij legunt, corollis. quod nullis in libris reperi. Omnino non eſt neceſſe quidquam hîc immutare. Nam vtrumque nomen à veteribus pro re eadem reperio eſſe vſurpatũ. Plautus Amphitr. Capiam coronam mi in caput. aßimulabo me eſſe ebrium. Sequitur paucis pòſt verſib. Ibo intro: capiam ornatum, qui potu decet. Sic enim reſtitui, vbi vulgò legitur, qui potius decet. Atque hæc eſt vna emendatio ex ſexcentis, quibus ſtatum meliorem factum, & propemodum redintegratum, & præterea breuib commentariis illuſtratum, breui diuulgabo, Deo opt. max. approbante. Idem Pſeud. SIMO. Quid video ego? PS. Cum corona ebrium Pſeudolum tuũ. ſequitur paucis pòſt verſib. Quæ iſthæc audacia eſt? te ſic interdius cum corolla ebrium incedere? En perſpicuè corollam, & coronam pro re eadem vſurpauit. Flaccus ſat. 3 lib. 2. potus vt ille Dicitur ex collo furtim carpſiſſe coronas.

ATQVE EXTRA NVMERVM PROC.) non in numerum, vt ſup. lib. 4 Quid porrò, in numerum procedere cùm ſimulacra Cernimus in ſomnis, & mollia membra mouere? DVRITER) antiquum, teſte Cariſio. Ennius Phœnißis. Quam tibi ex ore orationem duriter dictis dedit? Terent. Adelph. Ruri agere vitã, ſemper parcè, ac duriter ſeſe habere. Idem Andr. Primùm hæc pudicè vitam, parcè, ac duriter agebat. Ad quem locum Donatus, duriter, inquit, id eſt, ſine ſenſu dolorum. durè autem, crudeliter. illud ad laborem: hoc ad ſæuitiam relatum eſt.

ET DVRO TERR. P. PELL. M.) & ſaltare duriter, & quaſi terram.

λακτίζειν: id eſt calcibus petere, atque inſectari. ſic Horat. od. 18. lib. 3. Gaudet inuiſam pepuliſſe foſſor Ter pede terram. Idem od. 17. lib. 1. Nunc eſt bibendum, nunc pede libero pulſanda tellus Sic omnium princeps Homer. ιλ. σ. οἱ δὲ ῥήσσοντες ἁμαρτῇ Μολπῇ τ', ἰυγμῷ τε ποσὶ σκαίροντες ἕποντο. id eſt, illi autem terram pulſantes ſimul, cantum, & clamorem pedibus ſaltando ſequebantur.

HINC) ex eo, quod ſequitur, Ducere multimodis voces, & cet.

SOLATIA SOMNI) ſecutus ſum codicem vaticanum. nam alij libri habent, ſomno ſignificat autem eos, qui dormire nequirent, varijs cantibus, & vocibus inſomniam ſolatos eſſe. Cur igitur non dixit ſolatia inſomniæ? vt infrà lib. 6. in princip Dulcia permulcent animos ſolatia vitæ. & lib. eod. Et primæ dederunt ſolatia dulcia vitæ. & Virgilius, duri ſolatia caſus .

DVCERE MVLTIMODIS VOC.) hoc eſt, opinor, quod Græci dicunt, μινυρίζειν: quod eſt vocem variè fingere, & figurare: ſeu voce variè figurata cantillare. ducere autem, id eſt, producere. ET FLECTERE CANT.) hinc molles in cantu flexiones apud M. Tull. lib. 3 de orat. ad Qu. Fr.

ET SVPERA) id eſt, & ſuprà, ſeu in ſuperiore parte calamorum. ſic ſuprà lib. 4. Vnco ſæpe labro calamos percurrit hianteis.

MAIOREM INTEREA) ſic reſtitueram in ſecunda iam editione. Eſſe autem ſic legendum & ratio, & trium cod. antiquorum auctoritas peruincunt. nam vulgata lectio, Maiore interea capiunt dulcedine fructum, ferri non poteſt Hæc autem, quam reſtitui, hanc ſententiam habet. neque ex hodierna muſica, quamuis ſit eruditior, & compoſitior, & cultior, homines huius ætatis maiorem voluptatem percipiunt, quàm olim primi illi, & rudes homines, ex ſua incondita, ruſtica, atque agreſti capiebant. TERRIGENARVM) id eſt, primorum illorum hominum, è terra natorum: γηγενῶν, terræ filiorum. ſequitur paullo pòſt. Frigus enim nudos ſine pellibus excruciabat Terrigenas. POSTERIORQVE FERE, &c.) id eſt, & ferè euenit, vt res poſterior melior, priora reperta perdat, atque ex animo deleat: & immutet ſenſus ad priſtina, id eſt, faciat, vt priſtina non æquè ſint grata, neque iucunda ſenſibus, atque anteà fuerant.

SIC ODIVM CEPIT GL) ex quo illud, ἅλις δρυός: ſatis quercus. & M. Tull orat. perf. Quæ eſt in hominibus tanta peruerſitas, vt inuentis frugibus glande veſcantur? Glandis, & δρυός, ſiue quercus facta mentio, mihi aurem vellit, méque admonet, vt locum in epiſtolar. Cicer. ad Attic. libro 4. epiſtola, cuius initium eſt, O exſpectatas, &c. in mea editione: in editionibus alijs verò, epiſtola, quæ hinc initiũ capit, Occupationum, &c. ab omnibus eruditis, qui eum vſque ad hunc diem attigerunt, quíque ei manus admouerunt, deſperatum, ac pro inſanabili derelictum, ſanem atque emendem, de ſententia amici mei Sim Boſij, viri ingenioſiß. verba Ciceronis ſunt hæc. Itaque dixit ſtatim reus lege maieſtatis, OY COI AAPYC ΛΛΛΛΛ ΦΥΗ. ſic legitur in veterib cod. quæ litteræ, perſpicuè ſunt corruptæ. ſic igitur legit ille: οὐ σοὶ ἁ δρῦς μᾶλα φύῃ. id eſt, non tibi hæc quercus mála, id eſt, glandes gignit. verba ſunt liberti cuiuſdam, qui videns ſe reum eſſe, & fortaſſe etiam damnatum iri, iocans in periculo ante oculos poſito, & alludens ad quercum glandiferam, quæ cibum ſuppeditauit primis illis hominibus, fuítque eis quaſi nutrix: & præterea pœnam lege conſtitutam reſpiciens, (fuſte autem verberabantur liberti condemnati, interdum etiam extremo ſupplicio afficiebantur) hæc loquitur, non tibi hæc quercus glandeis procreat: id eſt, hæc accuſatio, non tibi victum, ſed.

magnum malum datura eſt. Eadem opera illud quoque alterum vulnus, quod eſt in eadem epiſtola, ſanabo, ΠΟΡΓΑ ΠΥΜΝΆ: vbi quidam legunt, πρῷ ἐκ πρύμνα: ſed legendum cenſet ille, ΓΟΡΓΙΑ ΓΥΜΝΑ. id eſt, laruæ, ſeu perſonæ nudæ. Sed de Cicerone hactenus: nunc ad Lucretium redeamus.

PELLIS ITEM) quæ fuit inuenta à primis illis hominibus, vt ſup. Inde caſas poſtquàm, ac pelleis, ignémque pararunt, &c. cécidit autem pellis, & contemni cœpta eſt poſt vſum veſtium è lana nexilium, aut textilium, aut ſutilium repertum. Cùm toto autem hoc loco mire congruũt illa Arnobij, lib. 2 aduerſ gent. Quid enim ſi hoc modo culpam velimus infligere prioribus illis, atq; antiquiſſimus ſæculis, quòd inuentis frugib. glandes ſpreuerint, & repudiauerint arbuta? quòd corticibus contegi, & ámici deſierint pellibus, poſtquam veſtis excogitata eſt textilis, vſu & commoditate ſuccinctior? aut quòd ſtructis domibus, & lautioribus ſucceſſibus inſtitutis, non antiquas adamauerint caſulas, nec ſub rupibus, & cauernis præoptauerint, vt belluæ, permanere? Commune eſt omnibus, & ab ipſis pæne incunabulis traditum, bona malis anteferre, inutilibus vtilia præponere, & quod eſſe conſtituerit pretioſius, lætius id conſectari, & petere: in eóque defigere ſpem ſalutis, & ſalutarium commodorum. QVAM REOR INV.) id eſt, quam puto ita fuiſſe inuentori ipſi inuidioſam, vt is, qui primus eam geſſit, per inſidias ab aliis interfectus fuerit. ET TANDEM INTER EOS DISTRACTVM SANG. M. DISPERSISSE) ſecutus ſum cod. manuſcript. nam vulgati habent, Diſperiiſſe, mendoſè. huius igitur ſcripturæ hæc ſententia eſt. Et reor, eum, qui primus geſſit veſtem ferinam, inter eos, à quibus per inſidias interfectus eſt, diſtractum, diſperſiſſè, id eſt, diuerſis in partibus contaminaſſe ſanguine multo, ſubintéllige, veſtem. licèt etiam legas, diſtractam, vt habent lib. vulgati. diſtractam autem, veſtem ſcilicet. Hanc quoque emendationem amplectitur Zoilus more ſuo.

Tunc igitur pelles: nunc aurum, & purpura curis
Exercent hominum vitam, bellóque fatigant.
Quo magis in nobis (vt opinor) culpa reſidit.
Frigus enim nudos ſine pellibus excruciabat
Terrigenas: at nos nil lædit veſte carere
Purpurea, atque auro, ſigníſque ingentibus apta:
Dum plebeia tamen ſit, quæ defendere poſſit.
Ergo hominum genus in caſſum, fruſtráque laborat
Semper, & in curis conſumit inanibus æuum:
Nimirum, quia non cognouit, quæ ſit habendi
Finis, & omnino quoad creſcat vera voluptas:
Idque minutatim vitam prouexit in altum:
Et belli magnos commouit funditus æſtus.
At vigiles, mundi magnum & verſatile templum,
Sol & luna, ſuo luſtrantes lumine circùm,
Perdocuere homines annorum tempora verti:
Et certa ratione geri rem, atque ordine certo.

Iam validis ſæpti degebant turribus æuum:
Et diuiſa colebatur, diſcretáque tellus.
Tum mare veliuolum florebat nauibu' pandis:
Auxilia, & ſocios iam pacto fœdere habebant:
Carminibus cùm res geſtas cœpere poëtæ
Tradere: nec multo priu' ſunt elementa reperta.
Propterea, quid ſit prius actum, reſpicere ætas
Noſtra nequit, niſi quà ratio veſtigia mônſtrat.
Nauigia, atque agri culturas, mœnia, leges,
Arma, vias, veſteis, & cetera de genere horum,
Præmia, delicias quoque vitæ funditus omneis,
Carmina, picturas, & dædala ſigna polire,
Vſus, & impigræ ſimul experientia mentis
Paullatim docuit, pedetentim progredientis.
Sic vnumquicquid paullatim protrahit ætas
In medium, ratióque in luminis eruit oras.
Namque alid ex alio clareſcere corde videbant
Artibus, ad ſummum donec venêre cacumen.

EXERCENT.) *vexant, tranquillè viuere non ſinunt.*

CVLPA RESIDIT) *ſic legendum, à verbo, reſido, dis: quo vtitur lib. 2. Et proiecta refrenatur, retróque reſidit? non reſedit, à verbo, reſideo.*

FRIGVS ENIM) *neceßitas primò veſtium vſum reperit. frigoris enim depellendi, & iniuriæ cæli arcendæ cauſa veſtes repertæ ſunt: deinde acceßit luxus & voluptas, cùm veſteis purpureas, & auro inſigneis, & acu pictas gerere voluerunt ſic ferè* M. Tull lib 3 de oratore. Nam *vt veſtis frigoris depellēdi cauſa reperta primò: pòſt adhiberi cœpta eſt ad ornatum etiam corporis, & dignitatem: ſic verbi tranſlatio inſtituta eſt inopiæ cauſa, frequentata delectationis.*

TERRIGENAS) *homines, ex terra natos, vt ſuprà, non longè,* Quàm ſilueſtre genus capiebat terrigenarum Varro Eumenidib. Empedocles *natos homines ex terra ait, vt blitum, ex* Nonio, *in voce, blitum.*

IN CASS. FRVSTRAQVE LAB.) *quia nō eſt contentus paruo, aut modico, & quia cupiditates habet infinitas, miniméque neceſſarias, &, vt ſtatim ſubiungit, quia non cognouit, quæ ſit habendi finis: id eſt, quid ſit homini ſatis: vel, ſi cognouit, eo non eſt contentus. ſic* Lucill. lib. 5. Nam ſiquod ſatis eſt homini, id ſatis eſſe poteſſet: Hoc ſat erat: nunc, cùm hoc non eſt, qui credimu' porrò Diuitias vllas animum mi explere poteſſe? Idem lib. 18 Denique vti ſtulto nil ſit ſatis, omnia cùm ſint.

AT VIGILES MVNDI) *dicit, homines ex ſolis & lunæ curſu didiciſſe annorum tempora circumagi, atque in orbem redire, & ſtatos, ac ratos eſſe rerum ordines.* IAM VALIDIS SÆPTI) *Tunc cœperunt homines in turribus, atq; in locis munitis habitare, vrbes condere, agros limitibus diſtinguere, ac terminare, nauigare, &c.* DISCRETAQ. TELL.) *limitibus diſtincta, & finibus. alij legunt, diſcriptáque tellus.* NAVIBV' PANDIS) *nauibus curuis. nonnulli libri*

habent, florebat propter odores, ſed, vt opinor, corruptè. Hoc totum enim, *propter odores, natum puto ex annotatione, eáque pingui, & craſſa. nam ad hæc verba, florebat nauibus, adſcripſit aliquis minime malus, propter odores: ſignificans merceis odoratas, quæ nauibus veherentur. quæ verba poſteà coniecta ſunt in contextum, detruſis rectis vocibus, nauibus pandis. quod factitari eſſe ſolitum, ſæpe aliàs admonuimus.* NEC MVLTO PRIV') *quàm poëtæ res geſtas carminibus perſequi cœperunt.* QVID SIT PRIVS ACTVM) *prius, quàm elementa litterarum eſſent reperta.*

RESPICERE) *reſpicere dicimur præterita. nam quæ præterita ſunt, retro eſſe dicuntur.* Horat. od. 29 *lib. 3. non tamen irritum Quodcunque retro eſt, efficiet: neque* Diffinget, *infectúmque reddet, Quod fugiens ſemel hora vexit.*

NAVIGIA, ATQVE AGRICVLT.) *Nauigiorum conficiendorum, & agrorum colendorum rationem, mœnia, leges, & cetera, quæ hîc enumerantur, vſus, & diligentia, & experientia. paullatim progredientes, docuerunt, inquit.* Sic *ferè* Arnobius *lib. 2. aduerſus genteis Quid eſt enim in negotiis hominum, quod vel opera corporis, & manibus fiat, vel ſolius animi diſciplina, & cognitione teneatur, quod non ex aliquo cœperit tempore, & in vſum exierit, experientiámque mortalium?* Philoſophia, *muſica, ceteræque omnes artes, quibus vita eſt exculta, & expolita communis, cum hominibus natæ ſunt, & non potius nuper, quin immò pæne paullo antè agitari, intelligi, celebraríque cœperunt?*

PEDETENTIM PROGREDIENTIS) *ſic locutus eſt ſup. eod. lib. ſed quæ ſit earum, præcipere, haud quaquam'ſt pedetentim progredientis.*

SIC VNVMQV. PAVLLAT. PR.) *Quæ arte, & ratione conſtant, inquit, non fuerunt vno, eodémque tempore inuenta, & perfecta: ſed primùm inuenta, eáque nondum ſatis polita: deinde temporis tractu perfecta, ac perpolita.* Hac *de re ſic* Laertius. Ἀλλὰ μὴν ὑποληπτέον καὶ τὴν φύσιν πολλὰ καὶ παντοῖα ὑπ' αὐτῶν τῶν πραγμάτων διδαχθῆναί τε καὶ ἀναγκασθῆναι, τὸν δὲ λογισμὸν τὰ ὑπὸ ταύτης παρεγγυηθέντα, ὕστερον ἐπακριβοῦν, καὶ προσεξευρίσκειν, ἐν μέν τισι θᾶττον, ἐν δέ τισι βραδύτερον; *& cet. id eſt, Porrò autem exiſtimare oportet, naturam quoque multa & varia à rebus ipſis edoctam, & coactam eſſe: rationem verò ea, quæ ab illa ſibi mandata, & tradita fuerunt, poſterius accuratiora, & politiora reddidiſſe, & inuentis addidiſſe, in nonnullis citius, in aliis tardius, &c.*

DIONYS.

DIONYSIVS LAMBINVS,

IO. AVRATO S. D.

Vellem hoc natura rerum tuliſſet, Ioannes Aurate, vt, quemadmodum eorum, quibus ſuperiores libros dicaui, neminem eruditione, & doctrina tibi antepono: ita pari omnium gradu, ordinéque ſeruato, tibi & illis ſuum cuique librum dicare potuiſſem. Nam neque alios aliis anteferendo, his iniuriam facere, ab illis inire gratiam voluiſſe viſus eſſem: neque te, qui principem, aut certè proximum doctrinæ locum inter noſtræ ætatis homines eruditos obtines, ſexto loco locauiſſem. Nunc autem cùm mihi ordo librorum ſeruandus eſſet: ea autem numerorum ſit natura, vt & quæ prima ſunt, ſecundis, & quæ ſecunda, tertiis, & reliqua deinceps conſequentibus ordine ſint priora, prioréque loco ponenda: effugere non potui, quin, cùm ſingulos libros ſingulis hominibus donare conſtituiſſem, alios aliis anteferrem. Quamuis enim negare non poſſim, à me etiam hominum dignitatis habitam eſſe rationem: ſpectaui tamen vnà cum dignitate præcipuas quaſdam, & peculiareis ſingularum perſonarum cauſas. Ne longius abeam: in eo, quòd Errico Memmio primum librum dicaui, præter hominis dignitatem, atque amplitudinem ſumma eruditione coniunctam, primùm ſpectata eſt à me duorum Memmiorum ὁμωνυμία, ſeu gentilitatis, & nominis communitas: deinde referendæ gratiæ obligatio, vtpote, qui in hoc negotio conficiẽdo plurimùm à libro illo manuſcripto, quem is mihi commodatò dediſſet, adiutus eſſem: deinde cetera, quæ in mea ad illum epiſtola à me ſunt expoſita. Secundum item librum vt Petro Ronſardo donarem, multæ, & magnæ me cauſæ impulerunt: quarum tu in primis conſcius es. Quid dicam de Germano Pimpuntio Valente, homine doctiſſimo, & ſingulari humanitate prædito, & mihi amiciſſimo? Quid de Mureto? quid de Turnebo? Quæ ſint horum omnium cauſæ, vides. Quinque igitur libris conſumtis, atque exhauſtis, reſtat ſextus, non ab aliis derelictus, aut reiectus: ſed, vt omnium pulcherrimus, ornatiſſimus, accuratiſſimus, tibi vni reſeruatus. Totam enim de rebus ſuperis, & ſublimibus, quas μετεώρους appellant Græci, diſputationem continet. ad quas accedunt iucundiſſimæ de Ætnæ ignibus, de Nili incrementi cauſis, de auernorum ratione, de variis fontium, & puteorum naturis, de magnete, de peſtilentiæ origine, quæſtiones: &, quæ libri clauſula eſt, Athenienſis illius peſtilentiæ funeſtiſſimæ deſcriptio, ex Thucydide pæne ad verbum expreſſa. Hunc igitur librum, Aurate, tibi excepi ac reſeruaui. Neq; enim mihi fas fuit te præterire, primùm collegam meum: deinde in ipſa collegij neceſſitudine eaſdem litteras docentem, ac profitentem: deinde, quod caput eſt, amicum. Et verò cùm de eximia, ac, pæne dicam, diuina tui ingenij præſtantia, ſingularíque doctrina cogito, & cùm tua ſcripta vel relego, vel memoria repeto, videor mihi felicibus illis, & fertilibus nobilium poëtarum temporibus natus eſſe: iis dico vel quibus Græci illi, Simonides, Archilochus Pindarus, Steſichorus, Alcæus, Mimnermus, Callimachus, Theocritus: vel quibus Latini, Catullus, Virgilius, Horatius, Tibullus, Propertius, Ouidius florebant. Ceteros enim homines admiramur, & in doctis viris numeramus, qui veterum illorum ſiue Græcorum, ſiue Latinorum ſententias ſæpe perobſcuras, & ænigmatum ſimillimas explicare, atq; enodare poſſunt. Te autem quid dicam eam laudem eſſe conſecutum, qui non ſolùm antiquorum ſcripta vel obſcura ſic illuſtras, vel

corrupta ſic corrigis, ac reſtituis, vt cum illis vixiſſe videaris: verùm etiam ſcribendi ſimilitudine proximè ad illos accedis? Cùm enim dithyrambos ſcribendos ſuſcipis: cum Pindaro ancipiti Marte certas. cùm verſus Lyricos ſcribis: cum eodem Pindaro, cum Simonide, Steſichoro, Alcæo, Sapphone non ſine vincendi ſpe contendere videris. Cùm elegos decantas: Mimnermum, Callimachum, Philetam ſi non ſuperas, at certe aſſequeris, breuiſſimo quàm proximus interuallo. Cùm bucolica ludibundus componis: Theocrito nihil concedis. Quid de tuis ſcriptis Latinis dicam? Cùm te ad epigrammata ſcribenda confers: Catullum ſpiras. Cùm verſus Lyricos canis, lyram videris tractare Horatianam. Cùm elegos amatorios ludis: Tibullum, & Propertium, & Ouidium exprimis. Deniq; veteres illos in ſingulis poëſeos generibus elaboraſſe, & præſtitiſſe videmus: te vnum, tanquam & epicum, & melicum, & lyricum, & elegorum, & bucolicorum, & epigrammatum ſcriptorem optimum, admiramur. Neque verò mihi verendum eſt, ne, dum ego de te hæc prædico, tibi videar ea gratificari voluiſſe: cùm hæc ſcribam iis viuis, qui me mentientem refellere, & coarguere poſſint. Verumtamẽ finem facere ſatius eſt, ne in re nota, clara, & tot hominum conſcientia, ſermonéque teſtata, noſtræ quoque orationis teſtimonium minime neceſſarium adhibere voluiſſe videamur. Vale Lutetiæ, pridie idus Octobr. anno. CIↃ. IↃ. LXIII.

T. LVCRETII CARI DE
RERVM NATVRA,
LIBER VI.

PRimæ frugiferos fœtus mortalibus ægris
Dididerũt quõdã pręclaro nomine Athenę:
Et recreauerunt vitam, legéſque rogarunt:
Et primæ dederunt ſolatia dulcia vitæ,
Cùm genuere virum tali cũ corde repertũ,
Omnia veridico qui quõdã ex ore profudit:
Quoius & exſtincti, propter diuina reperta,
Diuolgata vetus iam ad cælum gloria fertur.
Nam cùm vidit hic, ad victum quæ flagitat vſus,
Et, per quæ poſſent vitam conſiſtere tutam,
Omnia iam fermè mortalibus eſſe parata:
Diuitiis homines, & honore, & laude potenteis
Affluere, atque bona natorum excellere fama:
Nec minus eſſe domi quidquam tamen anxia corda,
Atque animum infeſtis cogi ſeruire querelis:
Intellexit, ibi vitium vas efficere ipſum,
Omniáque illius vitio corrumpier intus,
Quæ conlata foris, & commoda cumque venirent,

Partim quòd fluxum, pertuſúmque eſſe videbat,
Vt nulla poſſet ratione explerier vmquam:
Partim quòd tætro quaſi conſpurcare ſapore
Omnia cernebat, quæcumque receperat intus.
Veridicis igitur purgauit pectora dictis:
Et finem ſtatuit cuppedinis, atque timoris:
Expoſuítque bonum ſummum, quò tendimus omnes,
Quid foret, atque viam monſtrauit rramite prono,
Quà poſſemus ad id recto contendere curſu:
Quídve mali foret in rebus mortalibu' paſſim,
Quod flueret natura vi, variéque volaret,
Seu caſu, ſeu vi, quòd ſic natura paraſſet:
Et quibus è portis occurri quoique deceret.
Et genus humanum fruſtra, plerumque probauit
Voluere curarum triſteis in pectore fluctus.
Nam veluti pueri trepidant, atque omnia cæcis
In tenebris metuunt: ſic nos in luce timemus
Interdum, nihilo quæ ſunt metuenda magis, quàm
Quæ pueri in tenebris pauitant, fingúntque futura.
Hunc igitur terrorem animi, tenebráſque neceſſe'ſt
Non radij ſolis, neque lucida tela diei
Diſcutiant, ſed naturæ ſpecies, ratióque:
Quo magis inceptum pergam pertexere dictis.

PRIMÆ FRVGIFEROS) *ſic M. Tull. orat. pro Flacco. Adſunt Athenienſes, vnde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortæ, atque in omneis terras diſtributæ putantur. Et Iſocrates Panegyr. & Ariſtides Smyrnæus in Panathen. quorum verba longum ſit hîc referre. & Diodorus Siculus lib. 13. his verbis.* Καὶ γὰρ εἴ τινων ἄλλων, Ἀθηναίων ἄξιόν ἐστιν ἐντραπῆναι μὲν τὸ τῆς πόλεως ἀξίωμα, χάριν δ' αὐτοῖς ἀπομερίσαι τῶν εἰς ἀνθρώπους εὐεργετημάτων. οὗτοι γάρ εἰσιν οἱ πρῶτοι τροφῆς ἡμέρου τοῖς Ἕλλησι μεταδόντες, ἣν ἰδίᾳ παρὰ θεῶν λαβόντες, τῇ χρείᾳ κοινὴν ἐποίησαν. οὗτοι νόμους εὗρον, δι' οὓς ὁ κοινὸς βίος ἐκ τῆς ἀγρίας καὶ ἀδίκου ζωῆς, εἰς ἥμερον καὶ δικαίαν ἐλήλυθε συμβίωσιν *id eſt, Etenim ſi quorum aliorum, Athenienſium ciuitatis dignitatem pareſt colere, & vereri, iiſque beneficiorum, quæ in homines contulerunt, gratiam referre. hi enim ſunt, qui primi victum manſuetum & ciuilem hominibus impertiuerunt, quem propriè & priuatim à Diis conſecuti, vſu cum omnibus communicarunt. hi leges inuenerunt, quibus vita communis ex vitæ cultu agreſti, atque iniuſto, ad hunc humanum, ac iuſtũ conuictũ peruẽnit.* FRVGIFEROS) *quidam libri habent, frugiparos.*

MORTALIBVS ÆGRIS) *hanc verſus clauſulam mutuatus eſt pluribus locis Virgil. vt Georg. 1. duæ mortalibus ægris Munere conceſſæ Diuûm, & lib. 2. Æneid. Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris Incipit.*

DIDIDERVNT) *diſtribuerunt.* ROGARVNT) *tulerunt. Natum ex*

συγκρίνεσθαι ἐπιχειροῦντα, καὶ ἐξαπτόμενον τοῦ ῥοπάλου καὶ τῆς λεοντῆς, καὶ λέγοντα πρὸς αὐτόν, ὡς ἐγὼ τούτων ἀξιώτερος. τί ἀποφθορεῦ, κακὸν κάθαρμα, ἐπὶ τοὺς κροκωτοὺς καὶ τὰς μαλακίδας, μεθ' ὧν ἐπὶ τῶν κλίναις διημερεύεις, ποτὲ μὲν πορφυρέαν χαίρων, ἄλλοτε δὲ στεφάνοις ἀναδούμενος, ἔστιν ὅτε καὶ τὰ ὄμματα ὑπεγραφόμενος, ἢ καὶ ἐν πολλῇ καὶ ἀσχήμονι μέθῃ κατακυλιόμενος. καὶ λοιπὸν ἐπὶ τούτοις ἐπὶ στρῶμα πεσὼν, καθάπερ τις σκώληξ ἐν πάνυ πονηρῷ τινι καὶ κοπρώδει βορβόρῳ κυλινδούμενος· σὺ δὲ σοῦ, ὦ θρασυτάτη καὶ ἀναιδεστάτη κεφαλή, ὃν φιλοσοφίας ἀποφθαρεὶς οἰχήσῃ ἐπὶ λεόντιον καὶ φιλαινίδα, καὶ τὰς ἄλλας ἑταίρας, καὶ τὰ ἱερὰ ἀνακραυγάσματα, μετὰ μηδὲν εἰδὼς καὶ σαρδαναπάλῳ, καὶ μετὰ πάντων τῶν σαυτοῦ διασωτῶν; οὐκ οἶδας, ὅτι ἡ φιλοσοφία ἡρακλέα καὶ ἄνδρας ἡρακλείους καλεῖ, οὐχὶ μὰ δία κιναίδους καὶ ἡδονήν; &c. Quæ ſic interpretor, ducto à primis initio. At enim in principiis ſummæ ſummarum, & diſputatione de finibus bonorum, & malorum, & in moralibus, talis eſt, & in iis, quæ ad aſtrologiam pertinent, & in eo loco, vbi de viſionibus diſſerit, & omnino in omni quæſtione, & ratione, multo talpis cæcior eſt, neque verò mirum. Non eſt enim profectò hominum voluptariorum veritatem in iis, quæ ſunt, reperire, ſed virorum ad veritatem natura factorum, nihilque hac antiquius habentium, & non eorum, qui ſummum bonum firma corporis conſtitutione, eiúſque ſpe explorata definiri & cõtineri dicũt. Antiqui igitur edicto publico ex vrbibus exterminabãt eos, & qui hãc ſectã ſequerẽtur, & qui talia ſcripta probarẽt, ad peſtẽ & interitũ valere exiſtimãtes tantæ cæcitatis & impudẽtiæ plena decreta. Qui autem hodie viuunt homines, vt pote, opinor, luxu & mollitia eneruati, huius ſectæ ſtudioſos tanti faciũt, eorúmque ſcripta, vt videãtur malle, Epicurum, & qui eum ſequutur, vera dicere, quàm deos & prouidentiã in natura rerum eſſe. Et nonnullis ſane optabilius eſt prouidentiam ſuam interire, quàm Epicurum mendacij conuinci: ita ſunt infeliciter animati, & vſqueadeò à voluptate ſuſpenſas habẽt omneis vitæ ſuæ rationes, vt eius patronum omnibus rebus humanis habeant cariorem: &c. ταῦτα καὶ ἱερά, &c id eſt. Hæc & ſacra Epicuri ſapientia reperit. At videlicet mihi venit in mentẽ, eum cum Therſite Homerico comparare. Quemadmodum enim ille, cùm in exercitu Græcorũ deterrimus fuiſſet, (vt & ipſe poëta dicit, & Vlyſſem dicentẽ fecit: ipſe quidẽ his verbis, Graiorum venit Troiam turpiſſimus ille, & quæ deinceps ſequuntur. Vlyſſem verò hæc ei dicentẽ fecit. Namque alium quemquam mortalem deteriorem Te eſſe nego.) verumtamen, quamuis talis ſit, non quieſcit, ſed primùm quidem cum regibus rixatur & contendit, multa ſibi arrogans, quaſi ipſe magnificus quidã vir ſit: deinde inter optimateis ſe ipſe collocare audet, cum dicit, quas tibi Graij Primo donamus cùm aliquam expugnauimus vrbem. & illud, Quem aut ego captiuum vinctus abduxero palmis, Aut alius Graiorum aliquis. Sic & Epicurus, tanquã aliquis ſit, de ſe inſolenter prædicat, ſeipſum in philoſophis numerari poſtulans: neque hoc ſolùm, ſed etiã primas parteis ſe ferre cõfirmans: atq; hac ratione ſeipſe Therſita audaciorem declarans. Ille enim tantùm vt optimas, & regibus æqualis, nimium ſibi arrogat. primas partes verò nequaquam iam etiam ſibi ipſe tribuit. At iſte multa ſapiẽtia & ſcientia fretus ſe ſolum veritatẽ reperiſſe aſſeuerat, atque iccirco ſe principem locũ obtinere, & primas parteis ferre poſtulat, Quare multo iuſtius mihi videtur aliquis ei eſſe dicturus. O, cuius, Therſita, modo, ordine, iudicióque Verba carent, quamuis Graiorum voce ſuaui, Et clara orator clucas, finem face. Neque enim iſtum voce clara, & ſuaui præditum dixerim, vt illum Therſiten, &c.

Ἀλλ' ὅμως πειθὼ καὶ ἐν τοῖς λόγοις, &c. id eſt, verumtamen cùm & in ſermonibus, & in decretis talis ſit, non pudet eum ſe in Pythagoræ & Heracliti, & So-

cratis ordine collocare, atque adeò primam ſedem inter eos obtinere poſtulare, quod ſimillimum eſt, atque ſi ſacrilegi inter ſacerdotes & ſacrificorum principes locum obtinere conentur, primam in eis ſedem ſibi vindicantes: aut ſi quis Sardanapalum animo complectatur de tolerantia laborũ cum Hercule contendere, &. comparari conantẽ, & clauam, leoniſq; exuuium tractantẽ, eique dicentẽ, ego his dignior ſum, quàm tu. Nõ ibis in malam rem, ô ſcelerate? ad crocótas, & ad concubinas, quibuscum in lectis totum diẽ conteres, modò lanã purpura tinctam trahens, modò corollis redimitus, nonnumquã etiam oculos habẽs fuligine, & nigro colore obductos, aut etiã in multa, & indecora ebrietate tibiarũ cantu delinitus: ceterùm quæ his ſunt cõſentanea, & cõſequentia agens, vt vermis quidã in valde ſpurco, & ſtercoris pleno cœno volutatus? non etiã tu, audaciſsimũ, & impudentiſsimũ caput, à philoſophia profugiens, ad Leontiũ, & Philænidẽ, & alias puellas impudicas ibis, & ad ſacros iſtos clamores, cum Mindurida, & Sardanapalo, & cum tuis omnibus eiuſdẽ ordinis & chori ſaltatoribus? neſcis, philoſophiã Herculẽ, & viros Herculéos ad ſe vocare, nõ mehercule cinædos, & voluptati deditos homines? Hactenus Cleomedes. Profert autem hunc Lucretij verſum Probus grammaticus in Inſtitutis.

ET, PER QVÆ POSSENT) hic verſus hoc loco poni debet, nempe deinceps poſt verſum, Nam cùm vidit hic, &c. ſi modo Lucretianus eſt. cõſiſtere autem, id eſt, ſtatuere, & ſtabilire. ſed quidam putant non eſſe Lucretianum, atque iccirco delẽdum cenſent: quibus planè aſſentior, nam primùm ſuperuacaneus eſt, præſertim quo ordine vulgò legitur: deinde illud, vitã cõſiſtere tutam, concoquere nõ poſſum: Quin hoc concedo, Latinè dici nõ poſſe, vitã tutam ſtabilire. Nã ſtabilire vitã, valet per ſe, vitã tutã reddere. Quòd ſi, vitam tutã ſtabilire, ſolœcũ eſt, ergo multo magis, vitã cõſiſtere tutã: in qua oratione, volũt iſti, conſiſtere, valere ſtabilire, & cõſtituere. quod ego tamen ante quẽquã eorũ ſic interpretatus ſum. poſtremò in lib. Florent. legitur cõciſcere. adde quòd in Mẽmiano ſcriptũ eſt, Et per quã vitã poſſent cõſiſtere tutam. OMNIA IAM FERME MORT.) Detracto ſuperiore illo verſu, Et per quæ poſſent, &c. ſententia huius loci, ab illo verſu, Nam cùm vidit hic, ad vitã quæ ſt. &c. vſque ad verſum, Veridicis igitur. &c. hæc eſt. Nam cùm vidit Epicurus, ea, quæ ad victum, cultúmque neceſſaria ſunt hominibus, eſſe in promtu poſita, & facilia: homines interdum diuitiis, & honore, & gloria, & filiis probis ac piis excellere, neque minus tamen domi anxios eſſe, & ipſos ſibi diſplicere, & cum fortuna expoſtulare: intellexit, hoc vitium, atque hanc culpam ab animo proficiſci, ægroto, & male ſano. Quemadmodum enim vas ſi non eſt ſincerum, quidquid in id infunditur, corrumpit: ſi pertuſum eſt, nõ poteſt continere: ita ſi animus nõ eſt purgatus, & ſanus, nulla ſunt bona externa, quæ eũ explere, quæ ve eum æquum reddere, & oblectare, poſsint. Iuuabit repetere quæ poſita ſunt lib. 2. princip. nónne videre, Nil aliud ſibi naturam latrare, niſi, vt, cùm Corpore ſeiunctus dolor abſit, mente fruatur Iucundo ſenſu, cura ſémota, metuque? Ergo corpoream ad naturam pauca videmus Eſſè opus omnino, quæ demant quemque dolorem. Delicias quoque uti nullas, &c. quibuſcum conſentanea ſunt illa eiuſdẽ Lucretij ex lib. 5. Quòd ſi quis vera vitam ratione gubernet: Diuitiæ grandes homini ſunt, viuere parcè Æquo animo, neque enim'ſt vnquam penuria parui. Poſtremò traditum eſt, Epicurum paruo fuiſſe contentum, plurimáque de tenui victu ſcripſiſſe, ſæpéque habuiſſe in ore, exiguam fortunam interuenire ſapiẽti: omneis denique cupiditates ſuperuacaneas, & neque naturaleis, neque neceſſarias, funditus ex animo ſapientis euelliſſe.

PARATA) *quaſi in medio poſita, & parabilia. natura enim res paratu difficiles, & ſumtuoſas non deſiderat, ſed parabilibus contenta eſt. Sic Laertius,* καὶ τὸ τῆς φύσεως ἐπιλελογισμένου τέλος, καὶ τὸ μὲν τῶν ἀγαθῶν πέρας, ὡς ἔστιν εὐσυμπλήρωτόν τε, καὶ εὐπόριστον, διαλαμβάνοντος· τὸ δὲ τῶν κακῶν ὡς ἢ χρόνους, ἢ πόνους ἔχει. *id eſt, & qui naturæ finem animo, atque ratione comprehenderit, quique, dilectu habito, ſeu diſtinctione adhibita, intelligat bonorum quidem extremum facilè compleri, & paruo ſumtu parari poſſe, malorum verò, longo tempore, & multo labore.*

NEC MINVS ESSE D. QVIDQVAM T.) *nec tamen quidquã, id eſt, vlla ex parte, minus eſſe domi anxia eorum corda, &c. Sic autem legendũ, non, vt vulgò, quoiquam, aut, cuiquam. Si quis tamen malet legi, quoquam, in ſept. caſu, non pugnabo, vt, nec quoquam minus, dictum intelligamus, pro & nihilo minus. quam ſententiam ea quoque ſcriptura, quam ſecuti ſumus, exprimit. nam, nec quidquam minus, idem eſt, atque id, quod Græci dicunt,* οὐδέ τι ἧσσον. *hoc eſt, & nihilo minus, vel, nec vlla re minus.* ATQVE ANIMVM INFESTIS COGI SERVIRE Q.) *hunc locum (abſit verbo inuidia) perquàm* εὐτυχῶς *reſtitui. Cùm enim hîc ita in omnibus libris ſcriptum eſſet, Atq; animi ingratis vitam vexare querelis, Cauſam quæ infeſtis cogit ſeruire querelis, niſi quòd in nonnullis ſcriptis, proximus ſic legitur, Pauſa atque infeſtis, &c. in Florentin. autem, ſic, Plurima, quæ infeſtis, &c. ego, qui animaduerterim (quod antea admonui) vbicumque duo verſus, quorum alter alteri ſit proximus, eodem nomine finirẽtur, alterum ferè eſſe alienum, & inculcatum: veram & rectam ſcripturam repoſui. cuius ſententiam, quamuis planiſſima ſit, mox exponam.*

INTELLEXIT IBI VITIVM, &c.) ἀνταπόδοσις. *Nam hic verſus pendet ab illo, qui eſt ſuprà. Nam cùm vidit hic, &c. vt ſit hæc totius huius loci ſententia. Nam cùm vidit Epicurus, ea ferè omnia, quæ vſus & neceſſitas ad victum poſtulant, hominibus eſſe parata: homines, diuites, honoratos, potenteis eſſe, liberóſque habere populi iudicio probatos: neque ideò minus tamen quemquam eorum anxiè viuere, animúmque ipſorum cogi ſeruire & opprimi querelis moleſtiſſimis, atque acerbiſſimis: tum intellexit, vas ipſum, hoc eſt, animum, vitij cauſam eſſe, & omnia bona, quæcumque extrinſecus & foris comportata, & congeſta eſſent, illius vitio corrumpi.* CONLATA) *id eſt, comportata. ſic enim Horat. epiſt. 2. lib. 1. Valeat poſſeſſor oportet, Si comportatis rebus bene cogitat vti.*

PARTIM QVOD FLVX. PERT.) *quale eſſe dolium Danai filiarum ferunt. ſupr. libr. 3. Et non omnia pertuſum congeſta quaſi in vas Commoda perfluxere, &c. Quæ exſtant apud Feſtum de dolio pertuſo, mutilata ſunt. hæc tantùm ſunt integra, Pertuſum dolium dicitur, cùm ventrem ſignificat.*

PARTIM QVOD TÆTRO) *ordo & ſententia eſt, partim, quòd cernebat, id vas ſuo tætro & immundo ſapore ea omnia, quæ receperat, conſpurcare, id eſt, ſpurca & immunda reddere. Sic Horat. epiſt. 2. lib. 1. Sincerum eſt niſi vas, quodcumque infundis, aceſcit.* QVÆCVMQVE RECEPERAT) *poſt verbum, receperat, diſtinctionis nota videtur ponenda, vt aduerbium, intus, cohæreat cum infinitiuo, conſpurcare. alioqui aut legẽdum eſſet receperat intrò, aut intus pro intro accipiendum. quod huic ſcriptori non eſſe inuſitatum, iam antè admonuimus.*

VERIDICIS IGITVR) *ſic ſuprà non longe. Omnia veridico, qui quondam ex ore profudit. Hunc verſum autem, & quattuor deinceps ſequentes, profert Lactantius Firmianus libro 7. diuin. inſt.*

ET FINEM STATVIT CVPP.) *Epicurus cupiditates neceßitate & natura terminabat. eas autem, quæ neque naturales eſſent, neque neceſſariæ, dicebat eſſe infinitas, & ſtultis conuenire.* ATQVE TIMORIS) *cùm ſuſtulit omnes religiones, & immortalitatem animorum. Hæc enim docuit, deos nõ eſſe timendos, vt qui non iraſcantur: & mortuos omni ſenſu carere, quippe cùm homine mortuo ſenſus omnes exſtinguantur: in quibus tamen valde diſſentimus ab Epicuro.* TRAMITE PRONO) *itinere facili & procliui. ſecutus ſum autem nonnullos libros manuſcriptos. nam vulgatorum alij habent, tramite paruo, alij, limite paruo. quarum duarum lectionum eam, quæ poſterior eſt, non improbo, ne alteram quidem damnare auſim.* RECTO CONT. CVRSV) *κατ' εὐθείας, κατ' εὐθυωρίαν. non per ambages, mæandros, & flexiones.*

QVOD FLVERET NATVRÆ VI,) *cùm in cod. Vaticano, Bertiniano, & Memmiano, ſcriptum reperiſſem. Quod flueret naturali, variéque volaret: ego, naturæ vi, repoſui: in ceteris, codices manuſcriptos ſecutus ſum. vulgati habent, Quod flueret naturali viro, atque veniret. Zoilus legit hoc modo, Quod flueret naturaï, variéque volaret quæ lectio neque vllo modo ferri, neque à quoquam explicari poteſt, niſi ab eo, qui mentis ſtupore, Zoili ſit ſimillimus.*

ET QVIBVS E PORTIS) *è quibus viis. tralatio eſt à re militari, id eſt, à portis vrbium, ſeu caſtrorum, ex quibus in hoſtem fit eruptio, quibúſque hoſti obuiam itur.* VOLVERE CVRAR. TRIST.) *ſic idé infr. Conſtitues magnos irarum voluere fluctus. quod mutuatus eſt Virgil. lib. 12. Æneid. Irarum tantos voluis ſub pectore fluctus.* NAM VELVTI) *ſeptem hi, qui deinceps ſequuntur, verſus, iam antè lib. 2. non longè à principio, poſiti ſunt.*

HVNC IGITVR TERR.) *tres hi verſus ordine ſequentes, etiam libro 1. vſurpati ſunt, ferè in principio.*

Et quoniam docui, mundi mortalia templa
Eſſe, & natiuo conſiſtere corpore cælum:
Et, quæcunque in eo fiunt, fientque, neceſſe
Eſſe ea diſſolui: quæ reſtant percipe porrò:
"Quandoquidem ſemel inſignem conſcendere currum
"Vincendi exhortata'ſt ſpes, atque obuia curſu
"Quæ fuerant, ſunt placato conuerſa furore.'
Cetera quæ fieri in terris, cæló que tuentur
Mortales, pauidis quom pendent mentibu' ſæpe,
Efficiunt animos humileis formidine diuûm:
Depreſſóſque premunt ad terram, propterea quòd
Ignorantia cauſarum conferre Deorum
Cogit ad imperium res, & concedere regnum: &,
Quorum operum cauſas nulla ratione videre
Poſſunt, hæc fieri diuino numine rentur.
Nam, bene, qui didicere Deos ſecurum agere æuum,
Si tamen interea mirantur, qua ratione

Quæque

Quæque geri poſſint, præſertim rebus in illis,
Quæ ſupra caput ætheris cernuntur in oris:
Rurſus in antiquas referuntur relligiones:
Et dominos acreis aſciſcunt, omnia poſſe
Quos miſeri credunt, ignari quid queat eſſe,
Quid nequeat: finita poteſtas denique quoique
Quánam ſit ratione, atque altè terminus hærens:
Quo magis errantes tota regione feruntur.
Quæ niſi reſpuis ex animo, longéque remittis,
Diis indigna putando, alienáque pacis eorum:
Delibrata Deûm per te tibi numina ſancta
Sæpe aderunt, non quò violari ſumma deûm vis
Poſſit, vt ex ira pœnas petere imbibat acreis:
Sed quia tute tibi placida cum pace quietos,
Conſtitues magnos irarum voluere fluctus:
Nec delubra deûm placido cum pectore adibis,
Nec, de corpore quæ ſancto ſimulacra feruntur
In menteis hominum, diuinæ nuntia formæ,
Suſcipere hæc animi tranquilla pace valebis.
Inde videre licet, qualis iam vita ſequatur.
Quam quidem vt à nobis ratio veriſſima longè
Reiiciat, quamquam ſunt à me multa profata:
Multa tamen reſtant, & ſunt ornanda politis
Verſibus: & ratio ſuperûm, cælíque tenenda:
Sunt tempeſtates, & fulmina clara canenda,
Quid faciant, & qua de cauſa cumque ferantur,
Ne trepides cæli diuiſis partibus amens,
Vnde volans ignis peruenerit, aut in vtram ſe
Verterit hinc partem: quo pacto per loca ſæpta
Inſinuarit, & hinc dominatus vt extulerit ſe.
Quorum operum cauſas nulla ratione videre
Poſſunt, ac fieri diuino numine rentur.
Tu mihi, ſupremæ præſcripta ad candida calcis
Currenti, ſpatium præmonſtra callida Muſa,
Calliope, requies hominum, diuûmque voluptas,
Te duce vt inſigni capiam cum laude coronam.

ET QVONIAM DOCVI, &c.) *libro ſuperiore.* PORRO) *porrotenus.* QVANDOQVIDEM SEMEL) *allegoria eſt ducta à certaminibus Circenſibus.*

VINCENDI EXHORTATA'ST SPES) *cùm in lib. Scipionis ſcriptum reperiſſem, Ventorum, vt habent ferè omnes libri, cum litura: & ad oram libri adſcriptum, Vincendi: in Memmiano autem, exſiſtat ſpes, ſic repoſui: Vincendi exhortata'ſt ſpes, ratione hanc ſcripturam flagitante. Nam primùm, ventorum, ab aliquo maleuolo, aut ineptè religioſo ſubſtitutum eſt: deinde ex, ventorum, factum eſt, votorum: quod vtrumque à ſententia alienum eſt, niſi quis dicat, per, ſpem votorum, ſignificari ſpem pottendi re optata: quod loquendi genus non videtur mihi Lucretio dignum. Io. Auratus autem ex, ventorum, faciebat, ventoſum, vt cohareat cum voce, currum: quo epitheto etiam Horatius vſus eſt epiſt. ad Auguſt. Quem tulit ad ſcenam ventoſo gloria curru: totúmque hunc locum ſic legendum cenſebat. Quandoquidem ſemel haud ſegnis conſcendere currum Ventoſum ſpes hortata'ſt, atque obuia curſu Quæ fuerant, ſunt placato cõuerſa furore, &c. Ego autẽ, ne quid diſſimulem, hos verſus puto eſſe ſuppoſitos. Cõfer autem cum hoc loco verſus, qui ſunt infrà, non longo pòſt interuallo. Tu mihi ſupremæ præſcripta ad cãdida calcis Currenti, ſpatium præmonſtra callida Muſa, &c. Te duce, vt inſigni capiam cum laude coronam.* ATQVE OBVIA CVRSV, &c.) *allegoria eſt. & quandoquidem, quæ mihi obſtabant, ſunt conuerſa, furore ſedato, ac propitiato, &c. vel, ſi legamus, vt habent libri fere omnes, ſunt placato cõuerſa fauore: id eſt, ſunt conuerſa & mutata in fauorem propitium. quidam vir doctus legendum putat, ſunt conuerſo placata fauore. obuia curſu, autem, id eſt, obuia curſui: quod ſic Auratus emendauit. nam libri omnes habent, obuia rurſum. Sic Virgil. lib. 6. Æneid. téque adſpectu ne ſubtrahe noſtro. idem Georg. 3. Quòd nec concubitu indulgent. & Lucilius. Quòd ſumtum, atque epulas victu præponis honeſto.*

EFFICIVNT ANIMOS) *hunc verſum, & partem eius, qui deinceps ſequitur, profert Firmianus aduerſus eos, qui ſtatuas colunt, & venerantur: libro 2. diuin. inſtit. efficiunt humileis, autem, id eſt, ταπεινοῦν, ad terram abiiciunt.*

NAM, BENE QVI DIDICERE) *hic verſus cum octo deinceps ſequentibus, iam antè poſiti ſunt lib. 5.* SECVRVM AGERE ÆVVM) *hunc verſum paullùm immutatum mutuatus eſt Horat. lib. 1. ſerm. ſaty. 9. Non ego: namque deos didici ſecurum agere æuum.* QVID NEQVEAT, &c.) *hic verſus, & præterea ii, qui proximè ſequitur, lib. 1 poſitus eſt fere in princip. & lib. 5. item in princip. Quoniam autem fugit me antea admonere lectorem, mihi aliquando viſum eſſe, & etiamnum videri, hunc verſum, in omnibus locis, ſic quoque legi poſſe, Quánam ſit ratione, & quàm altè terminus hærens. vel ſic, Quánam ſit ratione, vtque altè terminus hærens, id hoc loco præterire nolui. Nam quòd quidam ſic legi volunt, Quánam ſit ratione, vtque altè terminus hæreat, non probo.*

QVO MAG. ERR. TOTA REGIONE) *ſic reſtitui: & ita ſine dubio legendum. ſic enim loquimur, errare toto cælo, tota via. iam, tota regione, &, tota via, idem valent. Sæpe autem animaduerti, à librariis in voce, ratione, peccatum eſſe, cùm, ratione, ſcriberent, pro, regione. ſi quis tamen malet legi, cæca ratione, vt habent nonnulli codices, vt non probabo, ita non pugnabo.*

LONGE'QVE REMITTIS) *& longè abs te reiicis, ac repellis. Io. Auratus vult legi, renutas, vt cohæreat cum infinitiuo, putare. hoc modo: longéque renutas diis indigna putare, &c.* DIIS INDIGNA PVTANDO) *ſic legendum, non, vt vulgò, putare. ſiue legamus, remittis, vt habent omnes, quos vidi libri: ſiue, renutas, vt vult Auratus: in quam lectionem propenſior ſum. nam, remittis, pro re-*

ficis, mihi videtur inſolens. ALIENA'QVE PACIS) aliena iunxit cum patrio caſu. ſic lib. 3. Aut quia non veniunt omnino aliena ſalutis.

DELIBRATA) cùm in aliquot libris manuſcriptis reperiſſem ſcriptum, deliberata, ego, delibrata, repoſui. quod interpretor, deminuta, & violata, & quaſi detrita. delibrare enim, valet corticem detrahere, vt ſuprà ex Feſto diximus. lib. 3. in extr. Nec prorſum vitā ducendo demimus hilum Tempore de mortis, nec delibrare valemus: niſi quis malit legi & hîc, delimata: & illîc, nec delimare valemus. ne, delibata, quidem improbo, vt ſit tralatio à vino libato, & delibato: quòd libando deminutum eſſe intelligitur. VIOLARI) quod fieret, ſi dij iraſcerentur. ira enim iratorum & animos, & corpora immutat.

IMBIBAT) in animo habeat, vehementer cupiat. ſic ſupr. libr. 3. Qui petere à populo faſceis, ſæuáſque ſecureis Imbibit. Sed Io. Auratus vult legi, imbitet, quod interpretatur, incipiat. vult enim imbito as at, verbum eſſe compoſitum ex in, & ito as, interpoſito b. vt ambigo, ex am, & ago: ambeo, ex an & eo. Itaque & ſupra lib. 3. legit, imbitat: & apud M. Tull. pro Quintio, imbitauerit. Ego imbitere, & præterbitere, & cetera compoſita à verbo, beto is it, quod valet, eo is it, agnoſco. imbito as at, non item. MAGNOS IR. VOLV. FL.) ſic locutus eſt paullo antè, Voluere curarum triſteis, &c. & T. Liuius lib. 35. de Philippo. noſſe ſe ſpiritus eius, noſſe animum: ſcire, ferarum modo, quæ clauſtris, aut vinculis teneantur, ingenteis iamdiu iras eum in pectore voluere.

DIVINÆ NVNTIA FORMÆ) id eſt, diuinæ formæ memoriam refricantia, vel potius diuinæ formæ imaginem perferentia. nuntia, hoc loco nomen eſt adiectum, ſeu adiectiuum. nuntius a um. vt ſup. lib. 4 Nuntia præclari voltus, pulchríque coloris. SVSCIPERE HÆC) nec poteris (inquit) deorum ſimulacra & imagines, quæ proficiſcuntur & fluunt ex eorum quaſi corporibus, animo quieto concipere, ſeu in animum tranquillum recipere, id eſt, cogitatione, ſeu mente quieta & tranquilla complecti. non poteris de diis animo quieto & tranquillo cogitare: ſed quoties ij tibi venient in mentem, triſtibus curis ſollicitabere, magnis timoribus terrebere. PROFATA) ſic legendum cenſet Auratus. nam libri vulgati habent, profecta. ET RATIO SVPERVM, CÆLIQVE) Cum his congruunt illa lib. 1. Quapropter bene cùm ſuperis de rebus habenda Nobis eſt ratio, &c. Sic autem reſtitui, ſecutus auctoritatem librorum manuſcr. Atque vt magis credas vulgatam ſcripturam, ratio cæli, ſpeciéſque tenenda, eſſe corruptā, Memmianus ſic habet: ratio, cælique tenēda. ex qua ſcriptura appâret omiſſam eſſè à librario vocem, ſuperûm: deinde, cùm perſpicuè verſus claudicaret, inculcatum eſſe nomen, ſpecies. per ſupera autem μετέωρα ſignificat. Iam Epicurus harum omnium rerum cauſas, naturaleis eſſe docebat, ne, ſi deos in eis rebus adminiſtrandis occupatos eſſe fateretur, eadem opera beatitudinem eis adimeret: ſimúlque nos metu deorum, quorum prouidentia mundus gubernaretur, conturbaremur: & ita vitam ſollicitam, & anxiam, & turbulentam, miniméque tranquillam coleremus. In quo ille magnopere fallebatur. Sic autem Laërtius: Καὶ μὴν ἐν τοῖς μετεώροις φορὰν, καὶ τροπὴν, καὶ ἔκλειψιν, καὶ ἀνατολὴν, καὶ δύσιν, καὶ τὰ σύστοιχα τούτοις, μήτε λειτουργοῦντός τινος νομίζειν δεῖ γίνεσθαι, μήτε διατάττοντος, ἢ διατάξαντος, &c. id eſt, Iam verò in rebus ſuperis, motum, & conuerſionem, & defectionem, & ortum, & occaſum, & his ſimilia, non oportet exiſtimare cuiuſquam gubernatoris munere neceſſario fungentis opera fieri, qui hæc in ordinem vel adducat, vel adduxerit, quique eodem

tempore omnem beatitudinem continent, & immortalitatem. Non enim conſonāt, *neque congruunt negotia, & curæ, & iræ, & gratiæ cum beatitudine, ſed cum imbecillitate, & timore, & indigentia alterius.* Vide ſuprà lib. 2. *Quæ benè cognita ſi teneas, natura videtur Libera continuò dominis priuata ſuperbis, Ipſa ſua per ſe ſpōte omnia dijs agere expers.* Nam, *prò ſancta deûm tranquilla pectora pace, Quis regere immenſi ſummam, &c.*

CÆLI DIVISIS PARTIBVS) *hoc ad haruſpicum, Etruſcorúmque diſciplinam pertinet, de qua ſic M. Tull lib. ſecundo de diuin cælum in xvj. parteis diuiſerunt Etruſci, facile id quidem fuit: quatuor, quas nos habemus, duplicare: pòſt idem iterum facere, vt ex eo dicerent, fulmen qua ex parte veniſſet.*

VNDE VOLANS) *hic verſus cum duobus deinceps ſequentibus poſterius iterantur.* IN VTRAM) *dextram, an ſiniſtram. dextræ autem partes ſunt octo ab occaſu: ſiniſtræ totidem ab ortu.* INSINVARIT) *inſinuarit, hoc loco abſolutè poſitum eſt, pro ſubierit, intrarit, introierit, penetrarit.*

QVORVM OPERVM CAVSAS) *hi duo verſus paullo antè poſiti ſunt. Quare fortaſſe huc temere inculcati ſunt.*

PRÆSCRIPTA AD CAND. CAL.) *Cùm olim in prima editione edidiſſem, præſcripta & candida calcu, ego hæc, quæ ſequūtur, annotarā, id eſt calcem præſcriptā, & candidā. calcem autem, id eſt metam. talia ſunt illa, vera viai, vltima naturai, cærula cæli, & ſimilia innumerabilia. quidam tamen legi volunt, præſcripta ad candida calcis, & cet. vt ſit hæc ſententia. tu mihi, Muſa, currenti ſpatiū ad calcem præſcriptam & candidā, præmonſtra eam calcem, vel mihi currēti præmonſtra id ſpatiū. Nūc igitur hanc poſteriorem ſcripturā aſſero, præſertim cùm eam in ſecunda iam editione comprobarim ac ſecutus ſim, Adriano Turnebo ſuaſore, & Seneca auctore, qui docet lib. 19. epiſtol. eam, quam nūc in Circo metam dicunt Latini, calcem antiquos appellaſſe, quia ſcilicet ſinis curriculi ſæpe calce notaretur.*

Principiò tonitru quatiuntur cærula cæli
Propterea, quia concurrunt ſublime volantes
AEtheriæ nubes contrà pugnantibu' ventis.
Nec fit enim ſonitus cæli de parte ſerena:
Verùm, vbicunque magis denſo ſunt agmine nubes,
Tam magis hinc magno fremitus fit murmure ſæpe.
Præterea neque tam condenſo corpore nubes
Eſſe queunt, quàm ſunt lapides, ac tigna: neque autem
Tam tenues, quàm ſunt nebulæ, fumique volantes.
Nam aut cadere abrupto deberent pondere preſſæ,
Vt lapides: aut, vt fumus, conſtare nequirent,
Nec cohibere niueis gelidas, & grandinis imbreis.
Dant etiam ſonitum patuli ſuper æquora mundi,
Carbaſus vt quondam magnis intenta theatris
Dat crepitum malos inter iactata, trabeiſque.
Interdum perſciſſa furit petulantibus Euris,
Et fragileis ſonitus chartarum commeditatur:

(Id quoque enim genus in tonitru cognoſcere poſſis)
Aut vti ſuſpenſam veſtem, chartáſve volanteis
Verberibus venti verſant, plangúntque per auras.
Fit quoque enim interdum, vt non tam concurrere nubes
Frontibus aduerſis poſſint, quàm de látere ire,
Diuerſo motu radentes corpori' tractum:
Aridus vnde aureis terget ſonus ille, diúque
Ducitur, exierit donec regionibus arctis.
Hoc etiam pacto tonitru concuſſa videntur
Omnia ſæpe graui tremere, & diuolſa repentè:
Maxima diſſiluiſſe capacis mœnia mundi:
Cùm ſubitò validi venti conlecta procella
Nubibus intorſit ſeſe, concluſáque ibidem
Turbine verſanti magis ac magis vndique nubem
Cogit, vti fiat ſpiſſo caua corpore circùm.
Pòſt vbi commouit vis eius, & impetus acer:
Tum perterricrepo ſonitu dat miſſa fragorem.
Nec mirum, cùm plena anima veſicula parua
Sæpe ita dat pariter ſonitum diſploſa repentè.

PRINCIPIO TONITRV QVAT.) *Vult tonitru fieri ex nubium concurſu, ventis contrà pugnantibus. Qua de re ſic Laertius.* Βροντὰς ἐνδέχεται γίνεσθαι καὶ κατὰ πνεύματος ἐν τοῖς κοιλώμασι τῶν νεφῶν ἀνείλησιν, καθάπερ ἐν τοῖς ἡμετέροις ἀγγείοις, καὶ παρὰ πυρὸς πεπνευματωμένοις βόμβον ἐν αὐτοῖς, καὶ κατὰ ῥήξεις δὲ νεφῶν, καὶ διαστάσεις, καὶ παρατρίψεις, καὶ κατάξεις, πῆξιν εἰληφότων κρυσταλλοειδῆ, *&c. id eſt Tonitrua fieri poſſunt ex ſpiritus in nubium cauitatibus compreſſione, & conſtrictione, quemadmodum in vaſis noſtris fieri ſolet, quibus ab igni inflatis ſonitus editur: Tum etiam ex nubium ruptionibus, & diſtractionibus, & affrictionibus, & perfractionib. poſteaquam glacialem quandam concretionem adeptæ ſunt, &c. Ariſtot lib 2.* μετεωρ. *ait tonitru eſſe ſonitum, aut crepitum plagæ, quam gignit calor per vim ruens & incidens in eas nubeis, quibus incluſus cōtinetur. Apuleius lib. de deo Socratis hos ſex verſus deinceps conſequenteis profert.*

CÆRVLA CÆLI) *id eſt cælum cæruleum.* SVBLIME VOLANTES) *ſic ſup. lib. 2. Nocturnáſque faceis cæli ſublime volanteis.*

NEC FIT ENIM SONITVS) *id eſt, non enim tonat ab ea parte cæli, quæ ſerena eſt. contrà Horat. od. 34 lib. I. nanque Dieſpiter Plerumque per purum tonanteis Egit equos, volucrémque currum. Idem Lucretius infrà negat, fulmina cælo ſereno, aut leuiter denſis nubibus, mitti, ibi: nam cælo nulla ſereno, Nec leuiter denſis mittuntur nubibus vnquam.* DENSO SVNT AGMINE) *denſo actu, & quaſi ductu. Idem lib. 5. inde ſuper terras fluit agmine dulci. Virgil. lib. 3. Georg. confertóque agmine cerui Torpent mole noua. Idem lib. 2. Æneid. has ſeruant agmine denſo. Nonnulli tamen hîc legi volunt, denſo ſunt augmine. à quibus diſſentio.*

PRÆTEREA NEQ. T. COND.) *Sententia huius loci hæc eſt. Præterea,*

(inquit) neque nubes tam ſolido, & denſo corpore conſtant, quàm lapides, ac tigna: neque tã tenues, & raræ ſunt, quàm fumi. nam ſi eſſent ſolidæ, vt lapides: ſua grauitate, & ſuo pondere depreſſæ, cadere deberent: ſi tenues, vt nebulæ, ac fumus: nõ poſſent conſtare, nec niueis, aut imbreis continere: ſed diſsiparentur.

NAM AVT CADERE ABRVPTO) *ſic repoſui ſecutus & codices manuſcr. & nonnullos vulgatos, in his Aldinos antiquiores, & Pariſienſeis, & Baſilienſeis. nam alij habent, Nam cadere aut bruto, mendoſè. abrupto pondere, autem, ſic dictum, vt illud Virgil. Æn. 3. abrupti nubibus ignes. ſic Plin. lib. 2. cap. 48. Defert hic aliquid abruptum è nube gelida conuoluens, verſanſque, &c. & ipſe Lucretius lib. 1. Nunc hinc, nunc illinc abrupti nubibus ignes. hanc emendationem ſecutus eſt iniuſtiſsimus, atque impudentiſsimus Zoilus: ſuiſq; codicibus acceptam retulit, quaſi ego eam duabus iam editionibus non reſtituiſſem ex noſtris.*

PATVLI SVPER ÆQ. M.) *ſuper mundi planitiem.*

CARBASVS VT QVOND.) *id eſt, quemadmodum interdum velum theatris intentum ſonitum edere ſolet. quidam legunt, magnis intenta trachelis, exiſtimantes, Lucretium hoc loco vela ſignificare antemnis alligata: (trachelum enim media pars mali eſt) cùm ea vela ſignificet potius, quæ ſolebant theatris prætendi, ſolis, aut imbris arcendi cauſa, vt appâret ex illis verſibus, qui leguntur lib. 4. Et volgò faciunt id lutea, ruſſáque vela, Et ferrugina, cùm magnis intenta theatris, Per malos, &c. Namque ibi conſeſſum, & cet.*

DAT. CREPITVM MVROS INTER) *ſic habent aliquot libri manuſcr. & nonnulli vulgati: in his Veneti antiq. & Pariſ. Alij, malos inter.*

PETVLANTIBVS EVRIS) *aliàs, petulantibus auris.*

COMMEDITATVR) *tralatio. ſic Horat. od. 14. lib. 4 horrendámque cultis Diluuiem meditatur agris,* VERBERIBVS) *ſic ſup. lib. V. Verbera ventorum vitare, imbreiſque coacti. Etiam verbera ſoli tribuit eodem lib. V. ibi, Et (quãto magis ſubintell ἀπὸ κοινοῦ) radij ſolis cogebant vndique terram Verberibus crebris extrema ad limina apertam, &c.* PLANGVNT) *verberant.*

RADENTES CORP. TRACT.) *ſui corporis agmen, ſeu ductum, & extremitatem radentes. Zoilus mauult legi, corporis tactum. ídque interpretatur, corpus. quod planè non placet. Sic autem dixit, corporis tractum, vt lib. 2. flammarum tractus: quod Virgil. lib. 1. Georg. æmulatus eſt, Flammarum longos à tergo albeſcere tractus. Idem Lucret. lib. 1. æui tractum, ibi. Quod neque clara ſuo percurrere flumina curſu, Perpetuo poſsint æui labentia tractu.* ARIDVS VNDE AVR.) *profert hunc verſum Nonius in voce, aridus.* TERGET) *radit, mulcet, tangit. tralatio eſt.* EXIERIT DON. REG.) *donec calor ille & ignis compreſſus, eruperit è nubibus.* DISSILVISSE) *diſceſsiſſe, diſſoluta eſſe, dirupta eſſe.*

PROCELLA) καταιγὶς, *vel* ἐκνεφίας ἄνεμος, *vel* λαῖλαψ.

NVBIBVS INTORSIT SESE) *in nubeis ſeſe induit, atque inſinuauit: ſeſe nubibus inuoluit.* COGIT, VTI FIAT SPISSO CAVA, &c.) *id eſt vno verbo, inflat.* PERTERRICR. SON.) *id eſt, ſonitu horribiliter crepante: vel ſonitu terrorem inter crepandum incutiente.*

DAT MISSA) *procella emiſſa edit fragorem.* NEC MIRVM, CVM PLENA) *ſic Varro Antanabatis. Anima vi concluſa in veſica quando eſt arctè ligata, ſi perculeris, aëra reddet. Horat. ſaty. 8 lib. 1. Nam, diſploſa ſonat quantum veſica, pepẽdi Diffiſſa nate ficus. Et Epicurus apud Laërt.* βροντὰς ἐνδέχεται γίνεσθαι καὶ

πνεύματος ἐν τοῖς κοιλώμασι τῶν νεφῶν ἀνείλησιν, καθάπερ ἐν τοῖς ἡμετέροις ἀγγείοις, &c. id eſt, tonitru autem fieri poteſt ex ſpiritu in nubeis cauas inuoluto, atque intorto, quemadmodum in vaſis noſtris ab igni inflatis edi ſonitum videmus. quæ verba paullo antè protulimus. DISPLOSA,) *id eſt, cum magno ſonitu dirupta, & diſciſſa. vſus eſt eadem voce* Horatius *cùm de eadem re loqueretur, in eo verſu, quem proximè protuli: & idem* Lucretius *infrà. diſploſa repente* Opprimere *vt cæli videantur templa ſupernè.*

Eſt etiam ratio, quom venti nubila perflant,
Cur ſonitus faciant. etenim ramoſa videmus
Nubila ſæpe modis multis, atque aſpera ferri.
Scilicet vt crebram ſiluam quom flamina Cauri
Perflant, dant ſonitum frundes, ramíque fragorem.
Fit quoque, vt interdum validi vis incita venti
Perſcindat nubem, perfringens impete recto.
Nam quid poſſit ibi flatus, manifeſta docet res:
Hîc, vbi lenior eſt, in terra quom tamen alta
Arbuſta euoluens radicibus haurit ab imis.
Sunt etiam fluctus per nubila, qui quaſi murmur
Dant infringendo grauiter: quod item fit in altis
Fluminibus, magnóque mari, quom frangitur æſtu.
Fit quoque, vbi è nube in nubem vis incidit ardens
Fulminis, hæc multo ſi fortè humore recepit
Ignem, continuò vt magno clamore trucidet:
Vt calidis candens ferrum è fornacibus olim
Stridit, vbi in gelidum properè demerſimus imbrem.
Aridior porrò ſi nubes accipit ignem,
Vritur ingenti ſonitu ſuccenſa repentè:
Lauricomos vt ſi per monteis flamma vagetur,
Turbine ventorum comburens impete magno.
Nec res vlla magis, quàm Phœbi Delphica laurus
Terribili ſonitu flamma crepitante crematur.
Denique ſæpe geli multus fragor, atque ruina
Grandinis, in magnis ſonitum dat nubibus altè.
Ventus enim quom confercit, franguntur in artum
Concreti montes nimborum, & grandine miſti.

CVR SONITVS F.) *ſic reſtitui, cùm lib. & manuſcr. & typis excuſi mendoſi eſſent, neque inter ſe congruerēt. alij enim habent,* Vt venti: *alij,* Cur venti: *quos ſecutus ſum.* Eſt etiam ratio *(inquit) quamobrem venti cùm nubeis perflant, ſonitus edant. hoc demonſtrat à ſimili.* RAMOSA,) *id eſt, quæ non ſunt æquabilia, ſed arborum ramoſarum inſtar, partibus conſtāt eminentibus, & huc illuc proiectis.*

Tralatio eſt. ſic lib. 2. primordia nonnulla dixit eſſe quaſi ramoſa: ibi, Hæc magis hamatis inter ſeſe eſſe neceſſe eſt, Et quaſi ramoſis, altè cõpacta teneri. Propriè vſurpauit lib. 5. Et ramoſa tamen cùm ventis pulſa vacillans Æſtuat in ramos incumbẽs arboris arbor: Exprimit, &c. FLAMINA CAVRI) *Caurus, ſeu Corus, ventus eſt ſpirans ab occaſu æſtiuo: quem Græci* ἀργέστην *appellãt ſic ſuprà lib. 1. Sic igitur debent venti quoq; flamina ferri. & ſup. lib. proximo, Eteſia flabra Aquilonum.*

VALIDI VIS INCITA V.) *vis incita, vis incitata. ſic lib. 1. Principio venti vis verberat incita pontum. & lib. 5. Multa videmus enim cæleſtibus incita flammis Fulgere. & hoc lib. infrà. Eſt etiam cùm vis extrinſecus incita venti, &c.*

IMPETE) *impetu, vt lib. 2. Tranſmittunt valido quatientes impete campos: itémque ſuprà & infrà complurib. locis.* HIC VBI LENIOR EST, &c.) *ordo eſt, Cùm tamen hîc, nempe in terra, vbi lenior eſt, quàm in regione aerea, & in partibus mũdi ſupernis, arbores alias radicitus euellat. cùm, iunxit cum indicatiuo: quod M. Tullio, & bonis ſcriptoribus vſitatum eſt: tametſi ſecus exiſtimet vulgus.*

QVOD ITEM FIT) *nam in fluminibus magnis magni ſæpe fluctus excitãtur.* FIT QVOQVE, VBI E NVBE) *ſic legendum: & ita habent libri omnes & manuſcripti, & vulg. Eò dico, quòd alij hunc locum deprauarũt, qui ediderunt, Fit quoque vti, &c. nam verſu ab hoc, tertio, particula, vt, quæ deſiderabatur, ſuo loco ponitur in codicibus emendatis, hoc modo, Ignem, continuò vt magno clamore trucidet.* E NVBE) *arida. ſcilicet.* IN NVBEM) *Vuidam, & madidam.* HÆC) *nubes madida, & vuida*

MAGNO CLAMORE TRVC.) *tralatio eſt in voce, clamore: niſi forte legendum ſit, clangore: quod quibuſdam videtur.* VT CALIDIS) *à ſimili.*

OLIM) *aliquando.* STRIDIT) *Stridit, à ſtrido is. tertiæ. ſic apud Horatium ſat. vlt. lib 2. Stridere ſecreta diuiſos aure ſuſurros.* ACCIPIT IGNEM) *ſic ſup. lib. 5. locutus eſt. Accipere ex vna ſcintilla incendia paßim.* LAVRICOMOS) *lauris veſtitos & coopertos.* TVRBINE VENT.) συστροφῇ ἀνέμων. *ſic enim interpretatur auctor vocabularij Latinogræci, ſæpe à me commemorati.*

NEC RES VLLA MAGIS) *Laurus (inquit Plin. lib. 15 cap. vlt.) manifeſtò abdicat igneis crepitu, & quadam deteſtatione interaneorum etiam vitia ligno torquente. Tiberiũ principẽ tonante cælo coronari ea ſolitũ ferũt cõtra fulminis metus.*

DELPHICA LAVRVS) *Duo lauri genera tradidiſſe Catonem ſcribit eodem loco Plinius, Delphicam & Cypriam: Pompeium, Lenæam adieciſſe, quã muſtacem appellauit. ſed dici poteſt, laurum Delphicã à Lucretio appellari, quaſi Apollineam. quòd Apollini Delphico ſacra ſit.* FLAMMA CREPIT.) *ſic Virgil. Georg lib. 1. Atque leuẽ ſtipulã crepitantibus vrere flãmis. notat Macrob. Sat. lib. 6. cap. 4.* GELI) *gelus, li, & gelu, lu. (inquit Non.) ſic ſup. lib. 5. Aßiduúſq; geli caſus mortalibus aufert. & inf. Et vis magna geli, magnũ duramen aquarum. Poteſt fieri tamen, vt ſit hîc neutri generis, gelum, li, lo: quemadmodum & ſup. Aßiduúſq; geli caſus, &c. Et vis magna geli, &c. Sed ſi in his locis dubitationi locus eſt, nullus eſt in illo, inf. quaſi ſæpe gelum, quod continet in ſe, Mutat, & exſoluit glaciẽ, &c. Perſpicuè enim in eo verſu neutrum eſſe declarat relatiuum, quod.*

CONFERCIT) *complet, & condenſat nubeis.*

Fulgit item, nubes ignis cùm ſemina multa
Excuſſere ſuo concurſu, ceu lapidem ſi

Percutiat lapis,aut ferrum.nam tum quoque lumen
Exſilit,& claras ſcintillas diſſupat ignis.
Sed,tonitrum fit vti pòſt auribus accipiamus,
Fúlgere quàm cernant oculi,quia ſemper ad aureis
Tardius adueniunt,quàm,viſum quæ moueant,res.
Id licet hinc etiam cognoſcere,cædere ſi quem
Ancipiti videas ferro procul arboris auctum:
Antè fit vt cernas ictum,quàm plaga per aureis
Det ſonitum:ſic fulgorem quoque cernimus antè,
Quàm tonitrum accipimus,pariter qui mittitur igni,
E ſimili cauſa,& concurſu natus eodem.
Hoc etiam pacto volucri loca lumine tingunt
Nubes,& tremulo tempeſtas impete fulgit,
Ventus vbi inuaſit nubem,& verſatus ibidem
Fecit vt antè cauam docui ſpiſſeſcere nubem:
Mobilitate ſua feruiſcit,vt omnia motu
Percalefacta vides ardeſcere:plumbea verò
Glans etiam longo curſu voluenda liqueſcit.
Ergo feruidus hic nubem quom perſcidit atram:
Diſſupat ardoris quaſi per vim expreſſa repentè
Semina,quæ faciunt nictantia fulgura flammæ:
Inde ſonus ſequitur,qui tardius adlicit aureis,
Quàm,quæ perueniunt oculos ad,lumina,noſtros.

FVLGIT ITEM) *Nunc de fulgure,quod ἀστραπὴν nominant Græci. De quo ſic Laërt.* καὶ ἀστραπὴ δ' ὡσαύτως γίνεται κατὰ πλείους τρόπους· καὶ γὰρ κατὰ παράτριψιν καὶ σύγκρουσιν νεφῶν, ὁ πυρὸς ἀποτελεστικὸς σχηματισμὸς ἐξολισθαίνων, ἀστραπὴν γεννᾷ. καὶ κατ' ἐκριπισμὸν ἐκ τῶν νεφῶν, *&c. i. Et fulgura,ſeu fulgetra ſimiliter plurib. modis fiunt. Nam & ex affrictione,ac colliſione nubium,figuratio ea,quæ eſt ignis effectrix,lubricè elabens,fulgur gignit: & ex nubium ventilatione à flatibus,qui hunc fulgorem efficiũt: & per expreſſionem compreſſione nubium facta,vel ab ipſis inter ſe,vel à ventis,&c. Fulgit autem legendum,non fulget: & ita Nonius.ſic lib.5. Multa videmus enim cæleſtibus incita flammis Fúlgere idẽ infrà, Fulgit itẽ cùm rareſcunt quoq; nubila cæli.*

IGNIS CVM SEMINA) *Ariſtot.lib.2* μετεωρ. *fulgur vult eſſe ventum è nubibus expreſſum,tenui & inualido incendio inflammatum.*

CEV LAPIDEM SI PERCVT. LAP.) *ſup.lib 1. Cùm lapidi lapidem terimus,manare cruorem.* SED TONITRVM FIT VTI,&c) *Ariſtot. eod lib* γίνεται δ' ἐν τῇ πληγῇ καὶ ὕστερον τῆς βροντῆς· ἀλλὰ φαίνεται πρότερον διὰ τὸ τὴν ὄψιν προτερεῖν τῆς ἀκοῆς*:id eſt,fit autem fulgur,ſeu fulgetrũ poſt plagam, & poſterius quàm tonitru.ſed cernitur prius propterea quòd videndi ſenſus celerior & acrior eſt,quàm auditus.* ADVENIVNT) *res,quæ auditu ſentiuntur.*

CÆDERE SI QVEM) vtitur alio exemplo Ariſtot. illo eod. loco, nempe remigationis, his verbis. δηλοῖ δ' ἡ εἰρεσία τῶν τριήρων. ἤδη γὰρ ἀναφερόντων πάλιν τὰς κώπας ὁ πρῶτος ἀφικνεῖται ψόφος τῆς κωπηλασίας, id eſt, declarat autem triremium remigatio. Nam tum demũ primus agitationis remorum ſonitus ad aureis peruenit, cùm iam remiges iterum remos ſublatos inferunt. Epicurus autem apud Laertium ſic huius rei cauſam multis verbis explicat. πρότερον δ' ἀστραπὴ τῆς βροντῆς ἐν τοιᾷδέ τινι περιστάσει τῶν νεφῶν, διὰ τὸ ἅμα τῷ τὸ πνεῦμα ἐμπίπτειν, ἐξωθεῖσθαι τὸν ἀστραπῆς ἀποτελεστικὸν σχηματισμὸν, ὕστερον δὲ τὸ πνεῦμα ἀνειλούμενον, τὸν βόμβον ἀποτελεῖν τοῦτον, καὶ κατ' ἔμπτωσιν δὲ ἀμφοτέρων, ἅμα τῷ τάχει συντονωτέρῳ κεχρῆσθαι πρὸς ἡμᾶς τὴν ἀστραπὴν, ὑστερεῖν δὲ τὴν βροντὴν, καθάπερ ἐπ' ἐνίων ἐξ ἀποστήματος θεωρουμένων, καὶ πληγάς τινας ποιουμένων: id eſt, Ante it autem fulgur tonitru tali caſu nubeis circumſiſtente, quia eodem tempore, quo flatus in nubem incidit, extruditur ea, quæ fulgur creat figuratio, poſterius verò flatus expreſſus hunc ſonitum edat: & vtroque ſimul incidente, fulgur celeritate ad nos contentiore vtatur: tonitru autem tardius ſit, quemadmodum euenit in quibuſdam, quæ ex interuallo cernuntur, & ictus quoſdam gignunt. Plinius eandem breuius, lib. 2. cap. 54. quoniam lux, inquit, ſonitu eſt velocior.

ARBORIS AVCTVM) arboris augmen: arborem. Sic lib. 2. Eſſe infinito debebant corporis auctu. & 5. mirando corporis auctu.

PER AVREIS, alibi legitur per auras.

FVLGOREM) fulgur. nam (vt alibi diximus) alterum pro altero ſumit Lucr.

PARITER QVI MITTITVR) pariter igni, id eſt, in eodem tempore, atque ignis. ſic loquitur Horat. epiſt. 10. lib. 1. Annuimus pariter vetulis, notiſque columbis. HOC ETIAM PACTO) aliam cauſam affert fulguris.

VOLVCRI LOCA LVMINE TINGVNT) nubes tingunt loca lumine: id eſt, illuſtrant, & quaſi colorant. ſic libro quinto. Perueniunt noſtros ad ſenſus, & loca tingunt. al. & loca fulgent.

FECIT, VT ANTE, CAVAM, DOCVI) ordo eſt: fecit ſpiſſeſcere cauam nubem, vt antè docui. Sermo eſt implicatus: vt ſuprà lib. 1. Quorum vtrumque quid à vero, iam, diſtet, habebas. Hoc autem docuit eod. lib paullo antè, ibi, Cùm ſubitò validi venti conlecta procella Nubibus intorſit ſeſe, &c.

PLVMBEA VERO GLANS ETIAM) ſic infrà. Non alia longè ratione, ac plumbea ſæpe, &c.

VOLVENDA) volubilis, vel dum voluitur, vt ſuprà libro quinto. Et voluenda ætas commutat tempora rerum.

NICTANTIA) Nictare (inquit Feſtus) eſt oculorum & aliorum membrorũ niſu ſæpe aliquid conari. vide cetera apud eundem, & Paullum. Sed hîc nictantia tranſlatè poſitum videtur, pro micantia, ſeu vibrantia.

ADLICIT AVREIS,) laceſſit & prouocat audiendi ſenſum. Sed quid ſi dicam legendum, adtigit aureis: vt intelligamus, adtigit, eſſe præſentis temporis à verbo tago, is, it. quo vtebantur veteres, pro tango? ſic ſuprà lib 3. Nec deſiderium noſtri nos adtigit hilum. Verumtamen nihil mutare auſim.

OCVLOS AD LVMINA NOSTROS.) ordo eſt, quàm lumina, quæ ad oculos noſtros perueniunt ſic autem legi debet, vt ego excudendũ curaui, non, vt vulgò legitur, oculorum ad lumina noſtra. Hanc etiam lectionem approbauit & ſecutus eſt Zoilus, vt à ſe repertam, aut excogitatam.

Scilicet hoc denſis fit nubibus,& ſimul altè
Exſtructis aliis alias ſuper impete miro.
Nec tibi ſit fraudi,quòd nos infernè videmus,
Quàm ſint lata magis,quàm,ſurſum exſtructa quid exſtent.
Contemplator enim, quom montibus adſimulata
Nubila portabunt venti tranſuerſa per auras:
Aut vbi per magnos monteis cumulata videbis
Inſuper eſſe aliis alia,atque vrgere,ſuperna
In ſtatione locata,ſepultis vndique ventis:
Tum poteris magnas moleis cognoſcere eorum:
Speluncáſque velut ſaxis pendentibu' ſtructas
Cernere,quas venti quom tempeſtate coorta
Complerunt;magno indignantur murmure clauſi
Nubibus;in caueíſque,ferarum more,minantur.
Nunc hinc,nunc illinc fremitus per nubila mittunt:
Quærentéſque viam circumuerſantur:& ignis
Semina conuoluunt è nubibus:atque ita cogunt
Multa,rotántque cauis flammam fornacibus intus,
Donec diuolſa fulſerunt nube coruſci.
Hac etiam fit vti de cauſa mobilis ille
Deuolet in terram liquidi color aureus ignis,
Semina quòd nubeis ipſas permulta neceſſe'ſt
Ignis habere.etenim cùm ſunt humore ſine vllo,
Flammeus eſt plerumque colos,& ſplendidus ollis.
Quippe etenim ſolis de lumine multa neceſſe'ſt
Concipere,vt meritò rubeant,igneíſque profundant.
Haſce igitur quom ventus agens contruſit in vnum,
Compreſſitque locum cogens:expreſſa profundunt
Semina,quæ faciunt flammæ fulgêre colores.
Fulgit item,quom rareſcunt quoque nubila cæli.
Nam quom ventus eas leuiter diducit eunteis,
Diſſoluítque:cadant ingratiis illa neceſſe'ſt
Semina,quæ faciunt fulgorem.tum ſine tætro
Terrore,& ſonitu fulgit,nullóque tumultu.

ET SIMVL ALTE' EXSTRVCTIS) *id eſt,& ſimul altè exaggeratis, & coacernatis. ſic loquitur infrà* Fulmina gignier è craſſis, altéque putandum eſt Nubibus exſtructis. IMPETE MIRO) *id eſt,mira celeritate, ſeu miro impetu. ſic lib. 4. de naui loquens,* Et manus vna regit,quantouis impete euntem. *& lib. 5. de æthere.* Ipſe ſuos igneis certo fert impete labens. *& infrà non longe, de fluminib.* Nunc ea quo pacto gignantur,& impete tanto Fiant, *&c.*

NEC TIBI SIT FRAVDI, &c.) nec te decipiat, vel, & vide ne te inducat, quòd ex locis infernis magis cernimus, quàm latè pateāt nubila, quàm quanta ſint altitudine, & quàm in altum, & ſurſum verſus exaggerata inferne, id eſt, ex terra, ex loco infimo, ſeu inferno. neque verò eſt, quòd quēquam moueat vltima ſyllaba correpta. eſt enim breuis. & ita de, ſupernè ſentiendum: vt lib. 4 & recta ſupernè guberna. verumtamen non diſsimulabo, in quibuſdam lib. legi, inferna: quā lectionem ſi probabimus, paullo aliter hunc locum explicabimus.

QVAM SVRSVM, &c) ordo eſt. quàm quid exſtent ſurſum exſtructa, id eſt, quàm quantum exſtent ſurſum verſus ſpiſſa & denſa. quòd ſi quis malet legi, inferna totum hunc locum ſic declarabo. Et ne te decipiat, quòd nos magis videmus, quàm ſint lata inferna, id eſt, infernæ nubiū partes, quàm ſurſum exſtructa, id eſt, eæ partes, quæ ſunt ſurſum verſus exſtructæ, quid exſtent, id eſt, quantum emineāt.

CONTEMPLATOR ENIM) ſic ſup. lib. 2. Contemplator enim cùm ſolis lumina cumque, &c. SEPVLTIS VND. VENT.) ſedatis & ſtratis ventis. tralatio eſt. ſic Græci dicunt, κοιμίζειν ἀνέμους, id eſt, ſòpire.

SPELVNCASQVE VELVT SAX. P. STR.) M. Tull libro 1. Tuſcul. quæſt. ex neſcio quo poëta: per ſpelūcas ſaxis ſtructas aſperis, pendētibus, maximis.

TEMPESTATE COORTA) ſic loquitur & Cæſar lib. 7. de bello Gall. quòd magna ſubitò erat coorta tempeſtas. idem Lucret. lib 1. Aut ita diffugient, vt tempeſtate coorta, &c idem infr. Vſque adeò, donec tempeſtas ſæua coorta'ſt. Virg. lib. 10. Ac veluti optata ventis æſtate coortis, &c.

MAGNO INDIGN. MVRM. CL.) Sic Virg. lib. 1. Æneid. Illi indignantes magno cum murmure, montis Circum clauſtra fremunt.

CONVOLVVNT) corradunt, colligunt. FVLSERVNT) fulgorem conceptum ediderunt. HAC ETIAM) alia cauſa fulguris, quia nubes multa in ſe ignis ſemina cōtineant. LIQVIDI) lucidi, vel puri, vel effuſi & abundantis. Macrob. lib. 6 Saturn. cap. 5. PLERVMQVE COLOS) vtraq; ſunt vſitata, color, honor, timor, labor, vapor, odor: & colos, honos, timos, labos, vapos. Nonius in voce, vapos, & odos. QVIPPE ETENIM SOLIS DE LVM.) hanc ſententiam tangit, & refellit Ariſtot. lib. 2. μετεωρ. Καίτοι τινὲς λέγουσιν, ὡς ἐν τοῖς νέφεσιν ἐγγίνεται πῦρ. τοῦτο δ' Ἐμπεδοκλῆς μὲν φησιν εἶναι τὸ ἐμπεριλαμβανόμενον ἐκ τῶν τοῦ ἡλίου ἀκτίνων: Ἀναξαγόρας δὲ ἐκ τοῦ ἄνωθεν αἰθέρος, ὃ δὴ ἐκεῖνος καλεῖ πῦρ, κατενεχθὲν ἄνωθεν κάτω. id eſt, Atqui aiunt nonnulli in nubibus ignem innaſci. hunc autem ignem Empedocles quidem dicit eſſe eum, qui comprehenditur & concipitur ex radiis ſolis: Anaxagoras autem ex ſupremo æthere (quem ille ignem appellat) ſupernè deorſum delatum, &c. HASCE IGITVR) ſic habent libri ferè omnes manuſcr. & nonnulli vulgati: alij, Has igitur. AGENS) impellens, incitans.

EXPRESSA) ἐκτεθλιμμένα. QVÆ FACIVNT FL. FVLG.) Quæ faciunt, vt flāma exſiſtat, & fulgor oriatur. ſic loquitur & alibi: vt ſup. lib. prox. Quæ faciunt igneis interſtingui, atque perire? & eod. lib. ſuprà. Quæ faciunt ſolis noua ſemper lumina gigni. & eod libro. Qui faciunt ſolem certa de ſurgere parte. & hoc libro 6. paullo antè, Fecit, vt ante, cauam, docui, ſpiſſeſcere nubem. & lib. 3 Harmoniam Graij, quam dicunt, quòd faciat nos viuere cum ſenſu, &c. ad quē locum plura exempla congeſta ſunt. FVLGIT ITEM) Alia cauſa fulguris, non cuiuſlibet, ſed eius, quod fit ſine terrore Hunc verſum profert Nonius in verbo, fulget. DIDVCIT) diſtrahit, diuellit,

INGRATIIS) *aduerbium, quod valet inuitè, & velint, nolint: vel ablatiui caſus, ſine recto, compoſiti ex gratiis, & particula, negat. in. vt ſup. lib. 3. in extr. ingratiis hæret & angit. eſt autem vtrobique triſyllabum. apud Terent. autem, Heauton t. quattuor ſyllabarum, Proterruiſti hinc ea coacta ingratiis, &c.*

Quod ſupereſt, quali natura prædita conſtent
Fulmina, declarant ictus, & inuſta vapore
Signa, notæque graueis halantes ſulfuris auras.
Ignis enim ſunt hæc, non venti ſigna, neque imbris.
Præterea per ſe accendunt quoque tecta domorum:
Et celeri flamma dominantur in ædibus ipſis.
Hunc tibi ſubtilem cum primis ignibus ignem
Conſtituit natura minutis, mobilibúſque
Corporibus, quoi nil omnino obſiſtere poſſit.
Tranſit enim validè fulmen per ſæpta domorum:
Clamor vti, ac voces: tranſit per ſaxa, per æra:
Et liquidum puncto facit æs in tempore, & aurum.
Curat item, vt, vaſis integris, vina repentè
Diffugiant: quia nimirum facilè omnia circùm
Conlaxat, raréque facit lateramina vaſi
Adueniens calor eius, vt inſinuatur in ipſum: &
Mobiliter ſoluens differt primordia vini:
Quod ſolis vapor ætatem non poſſe videtur
Efficere, vſqueadeò pollens feruore coruſco:
Tanto mobilior vis, & dominantior hæc eſt.

QVOD SVPEREST, QVALI) *Nunc de fulminis natura, eiúſque mobilitate. Et ait, declarari fulmen natura eſſe ignea ex eo, quòd loca fulmine tacta odorem ſulfuris mittant, & quòd atra ſint, quaſi calore inuſta. hunc locum autem in integrum reſtitui partim offenſus ſcriptura vulgata, quæ eſt, Quod ſupereſt quòd ſic: partim ab vno codice manuſcrip. admonitus, in quo ſcriptum reperi, Quod ſupereſt, quaſi: ex quo feci, Quod ſupereſt, quali, &c. quæ lectio ſine dubio recta & vera eſt. Etiam hãc emendationẽ Zoilus tacitus amplexus eſt, nulla varietatis mentione facta.* NOTÆQVE GRAVEIS HALANTES) *ordo. notæque halantes, id eſt, exhalãtes auras graueis & tetras, & ſulfureas. vitioſe autem habent quidam vulgati libri, halanteis.* QVOI NIL OMN. OBSIST. POSS) *ſic infrà non longè: Nec facile'ſt tali naturæ obſiſtere quidquam.*

TRANSIT ENIM VALIDE') *cod. Memm. habet, Tranſit enim validum fulm.* CLAMOR VTI, AC VOCES) *ſic habent tres lib. manuſcr. Vatic. Tertian. Memmian. & ita legi debet: tantùm apponendum eſt comma poſt nomen, voces, vt verbum, tranſit, cohæreat cum voce, fulmen, & ſit* [illegible]*, hoc modo, fulmen tranſit per ſæpta domorum, tranſit per ſaxa, per æra, quẽadmodum clamor, & voces. ad hunc locum pertinent illa lib. 1. Inter ſæpta meant voces, & ſæpta domorũ Tranſuolitãt. ibidẽ, Tranſit enim fulmen cæli per ſæpta domorũ, Clamor vti,*

ac voces. Sed quæri poteſt, quamobrem tanta vis inſit in fulmine, tantáque mobilitas. primùm ventus eſt. ventus autem mobilis eſt. deinde ventus eſt incenſus. ignea autem omnia mobilia ſunt. deinde è nubibus magno impetu exprimitur. at, quæ exprimuntur, quà erumpunt, celerrimè & validiſſimè euolãt, vt, quæ è tormentis miſſa ferri videmus: quod & Lucret. poſterius teſtatur, ibi. Inde, vbi non potuit nubes capere impetu auctum: Exprimitur vis, atq; ideò volat impete miro, Vt, validis quæ de tormentis miſſa feruntur. motus autem calorẽ auget. Ita fit, vt ignis fulmineus ſit & ſubtiliſſimus, & celerrimus, & validiſſimus: ſaxa diſcutiat, aut penetret: æs & aurum, & ſimilia liquefaciat: ſolo denique contactu, atq; adeò afflatu animanteis interimat, & ſimilia alia mira faciat.

ET LIQVIDVM PVNC.) Et clypei æs, aut ferrum liquefacit: lignũ nullo dãno afficit (inquit Ariſtot. lib. 3. μετεωρ.) propterea quòd natura ligni, rara & mollis eſt: hæc metalla autem, dura & ſolida ſunt: fulmen autem per lignum & ſimilia permanat ác permeat prius quàm in ea vim ſuam expromat: dura verò, & obſtantia, & remorantia vel diſcutit ac diſturbat, vel conſumit, ac liquefacit. Plin. lib. 2. cap. 51. Aurum & æs, & argentum liquatur, intus ſacculis ipſis nullo modo ambuſtis. Quidam libri habent, Et liquidum paruo facit æs, &c.

CVRAT ITEM) tralatio eſt. ſic ſup. lib. 3. calidique vaporis Semina curare, in membris vt vita moretur. VT VASIS INTEGRIS) ſic & Plin. lib. eod. Tertium fulminis genus eſt, quod clarum vocant, mirificæ maximè naturæ, quo dolia exhauriuntur, intactis operimentis, nullóque alio veſtigio relicto.

DIFFVGIANT) tralatio illuſtris. & tamen vſitata, pro eo, quod eſt, diffluant, & dilabantur. idem lib. 1. in extr. ad flammas tranſtulit. Ne volucrum ritu flammarum, mœnia mundi Diffugiant ſubitò, &c. in eodem lib. ſup. ad fulmina, ad imbreis & ad ventos: Aut ita diffugient, vt, tempeſtate coorta, Fulmina diffugere, atque imbreis, ventóſque videmus. ſic Plautus Aulul. Tum aquam aufugiſſe dicito, ſi quis petet. LATERAMINA VASI) cùm animaduerterem, libros omneis manuſcriptos habere, lateramina: vulgatos autem, latera omnia: diu, multúmque dubitaui, vtram lectionem probarem. ad extremum, lectionem veterem ſequi malui, ídque tutius eſſe iudicaui. Acceſſit, quo facilius hanc ſcripturam probarem, quòd vaſa vinaria, cùm ſint fere rotunda, latera non habent: lateramina autem, id eſt lateres, habent, cùm ſint fictilia, & ex terra conſtent. Vaſi, autem, quod in ſuperiorib. duobus editionibus prætermiſeram, quia nullo in codice repereram, in hac editione tandem repoſui, Capellæ auctoritatem ſecutus: quem homo contumelioſus, & de me malè meritus teſtem produxit. Nam libri omnes & vulgati & manuſcripti habẽt, vaſis. Vas autem & vaſum dixiſſe veteres, teſtatur & Cariſius, nullo quidem ſcriptore teſte producto: ſed licet hoc auctoris locupletis, Fabij Pictoris, teſtimonio confirmare. ſic igitur ille apud Nonium, in voce, polubrum. Aquam manibus, pedibúſque dato: polubrum ſiniſtra manu teneto: dextra vaſum cum aqua. & Plauti, in Trucul. Aut emta ancilla, aut aliquod vaſum argenteum, &c. & Catonis apud A. Gell. lib. XIII. cap. 22. Neque mihi ædificatio, neque vaſum, neque veſtimentum vllum eſt in manu pretioſum: neque pretioſus ſeruus, neque ancilla.

VT INSINVATVR) id eſt vbi, vel cùm inſinuatur.

ÆTATEM) longiſſimum tempus, diutiſſimè. ſic Plautus Amphitr. eo modo, vt profectò viuas ætatem miſer. idem Curculione. ſed viues per me ætatem quidem. Idem Pſeudulo. do Iouem teſtem tibi, te ætatem impune habiturum. Idem Pœnulo.

Bono ſi quid malefacias, ætatem expetit. Sic & Terent. Eun. an abiit à milite? C. Iandudum, ætatem. Idem Heautont. Quid? (malum) me ætatem cenſes velle id adſimularier? Vnus eſt dies, dum argentum eripio: pax, nihil amplius. vbi tamen vulgò legitur. Quid? malum, me tandem. idem Hecy. Nam neque ille hoc animo erit ætatem: neque pol tu eadem iſtac ætate.

VSQVE ADEO POLLENS) *ſic reſtitui, à quinque libris manuſcriptis admonitus, in quorum tribus ſcriptum eſt, tollens, in duobus, tellens. niſi quis dicat, legi poſſe, cellens, pro, excellens: vt ſit ſimplex pro compoſito. quod minus probo. Vulgata lectio autem, candens, ſubdititia, & adulterina eſt.* ET DOMINANTIOR) *& potentior, ἰσχυρότερος, κρείττων, κυριώτερος.* HÆC) *vis fulminis.*

Nunc, ea quo pacto gignantur, & impete tanto
Fiant, vt poſſint ictu diſcludere turreis,
Diſturbare domos, auellere tigna, trabeíſque,
Et monumenta virûm demoliri, atque ciere,
Exanimare homines, pecudes proſternere paſſim,
Cetera de genere hoc, qua vi facere omnia poſſint:
Expediam, neque te in promiſſis plura morabor.
Fulmina gignier è craſſis, altéque putandum'ſt
Nubibus exſtructis. nam cælo nulla ſereno,
Nec leuiter denſis mittuntur nubibus vmquam.
Nam dubio procul hoc fieri manifeſta docet res,
Quòd tunc per totum concreſcunt aëra nubes
Vndique, vti tenebras omneis Acherunta reamur
Liquiſſe, & magnas cæli compleſſe cauernas:
Vſqueadeò, tætra nimborum nocte coorta,
Impendent atræ formidinis ora ſupernè,
Cùm commoliri tempeſtas fulmina cœptat.
Præterea perſæpe niger quoque per mare nimbus,
Vt picis è cælo demiſſum flumen, in vndas
Sic cadit, & fertur tenebris procul, & trahit atram
Fulminibus grauidam tempeſtatem, atque procellis,
Ignibus, ac ventis cumprimis ipſe repletus,
In terra quoque vt horreſcant, ac tecta requirant,
Sic igitur ſupera noſtrum caput eſſe putandum'ſt
Tempeſtatem altam. neque enim caligine tanta
Obruerent terras, niſi inædificata ſupernè
Multa forent multis exemto nubila ſole:
Nec tanti poſſent venientes opprimere imbres,
Flumina abundare vt facerent, campóſque natare,
Si non exſtructis foret altè nubibus æther.

AVELLERE TIGNA,) ſic repoſui, ſecutus ſcripturæ veteris non obſcura veſtigia. nam libri vulgati habent, ligna. Etiam hanc emendationem diſsimulanter arripuit Zoilus. MONVMENTA) vt ſtatuas, ſepulcra, tropæa, porticus, theatra, templa, arcus triumphaleis, & ſimil. DEMOLIRI) quidam libri ſcripti habent, commoliri. ego ſcripturam vulgatam retineo. neque tamen antiquã damno.

NEQVE TE IN PROMISSIS PL. M.) ſic ſup. lib. 5. Quod ſupereſt, ne te in promiſsis plura moremur, &c. vbi admonuimus, à quibuſdam viris doctis legi, ne te promiſsis, &c ſine præpoſitione, in. PLVRA) amplius.

ALTEQVE PVT. NVB. EXSTRVCTIS) ſic legendum, non, vt in quibuſdam lib. extractis, neque vt in nonnullis, extruſis. altè exſtructis, autem, id eſt, altè exaggeratis, & denſis. ſic M. Tull dixit lib. 2. de leg. ſepulcrum altius exſtruere. idem 5. Tuſcul tranſlatè, menſæ conquiſitiſsimis epulis exſtruebantur: & Horat. ſaty. 6. lib. 2. Quæ procul exſtructis inerant heſterna caniſtris. hic quoque ſui ſimilis fuit Zoilus. NAM CÆLO N. S.) nam eadem eſt venti, terræ motus, tonitrus, & fulminis materia, & (vt ita dicam) eſſentia, nempe ſicca exhalatio, vt ſcribit Ariſtoteles lib. 2. meteor. in extr. ex hac enim ſuper terram quidem fit ventus: in terra autem, ſeu ſub terra, terræ motus: in nubibus verò vel imber, vel tonitrus, vel procella, vel fulmen. VNDIQVE VTI TENEB. OMN.) quattuor verſus, qui deinceps ſequuntur, ſuprà poſiti ſunt lib. 4 non longè à princip.

DEMISSVM FLVMEN) ſic legendum, non, demiſſum fulmen. nigrum enim nimbum expreſsit ſimilitudine fluminis picei è cælo demiſsi. Hic quoque Zoilus fuit malignus, & βάσκανος, & κυνόμυια. HORRESCANT) homines.

AC TECTA REQVIRANT) immò etiam ſpecus ſubeant. quod de Tiberio traditum eſt. INÆDIFICATA) exaggerata, & exſtructa. tralatio eſt. propriè vſurpauit Cæſar lib. 1. de bello ciuili. portas obſtruit: vicos, plateáſque inædificat, foſſas tranſuerſas in viis perducit. & M. Tull. orat. de haruſp. reſp. in domo tua eſt inædificatum ſacellum. quanquã hoc proximum exemplum aliquantum à ſuperiore diſcrepat. NEC TANTI POSS. VEN. OPPR. IMBR.) ſecutus olim fuerã codices vulgatos, qui ſic habent, Nec tanto poſſent hæc terras opprimere imbri. Et tamẽ antiquam ſcripturam lectori indicaram: quæ talis eſt: Nec tanto poſſent venientes opprimere imbri: vnde quoſdam ſuſpicari ſcripſeram, legendum, viuenteis, id eſt homines, ſeu animanteis. vulgatam autem illam ſic declarabam, & hæc, videlicet fulmina, non poſſent, &c. ne illud quidem omiſeram, quibuſdam videri legendum, & ſuprà, Obrueret terras, &c. vt ſubintelligatur vox, tempeſtas: & hic, Nec tãto poſſet terras hæc oppr. imbri, &c. & verſu ſeq. Flum. abũd. vt faceret. Nunc verò antiquam ſic leuiter immuto, Nec tanti poſſent venientes opprimere imbres, Flumina, &c. ad, opprimere autẽ, ſubintelligo, nos, ſeu animanteis. Licet etiam ſic legere, non ita longè ab antiqua ſcriptura, Nec tanto poſſent viuenteis opprimere imbri, vt ſubintelligamus, nubila: &, viuenteis, ſit accuſandi caſus, & ſignificet, animanteis. Superiorem lectionem adiuuat verſus, qui eſt lib. 1. Nec validi poſſunt pontes venientis aquaï Vim ſubitam tolerare, &c. Viuentes autem pro hominibus & animantibus etiam Arnobius poſuit lib. 1. à quo (Chriſto) iamdudum tanta & accepimus dona viuentes, & exſpectamus, dies cùm venerit, ampliora?

CAMPOSQVE NATARE) hoc eod. lib infrà, quid vndas Arguit, & liquidam molem, campóſque natanteis? & lib. 5 Augebat mare manando, campóſq; natanteis. facerent abundare flumina, autem, vſitatum loquendi genus Lucretio, &

aliis

alïis bonis ſcriptoribus: de quo ſuprà non longè, ibi, quæ faciunt flammæ fulgêre colores & item libro ibi quod faciat nos viuere cum ſenſu, &c.

His igitur ventis. atque ignibus omnia plena
Sunt: ideo paſſim fremitus, & fulgura fiunt.
Quippe etenim ſuperà docui, permulta vaporis
Semina habere cauas nubeis: & multa neceſſe'ſt
Concipere ex ſolis radiis, ardoréque eorum.
Hic vbi ventus eas idem, qui cogit in vnum
Fortè locum quemuis, expreſſit multa vaporis
Semina, ſéque ſimul cum eo commiſcuit igni:
Inſinuatus ibi vortex verſatur in alto,
Et calidis acuit fulmen fornacibus intus.
Nam duplici ratione accenditur. ipſe ſuapte
Mobilitate caleſcit, & è contagibus ignis.
Inde, vbi percaluit vis venti, vel grauis ignis
Impetus inceſſit: maturum tum quaſi fulmen
Perſcindit ſubitò nubem, fertúrque coruſcis
Omnia luminibus luſtrans loca pércitus ardor.
Quem grauis inſequitur ſonitus, diſploſa repentè
Opprimere vt cæli videantur templa ſupernè.
Inde tremor tetras grauiter pertentat, & altum
Murmura percurrunt cælum. nam tota ferè tum
Tempeſtas concuſſa tremit, fremitúſque mouentur.
Quo de concuſſu ſequitur grauis imber, & vber,
Omnis vti videatur in imbrem vertier æther:
Atque ita præcipitans ad diluuiem reuocare:
Tantus diſcidio nubis, ventíque procella,
Mittitur ardenti ſonitus cùm prouolat ictu.

HIS IGITVR VENT.) *id eſt talibus igitur ventis, atque ignibus omnia aëris loca, referta ſunt: ideóque paßim, i. per totam cæli regionē, & per omneis ætheris parteis, tonitrua, & fulgura gignuntur, & excitantur. Vocem plena iunxit cum auferendi caſu, cùm M. Tullius ſoleat fere cum patrio coniungere.*

QVIPPE ETENIM SVPRA) *paucis antè verſibus: ibi. Hac etiam fit vti de cauſa mobilis ille Deuolet in terram, &c.* HIC VBI VENTVS EAS IDEM *ordo: Vbi igitur hic idem ventus, qui eas in vnum quemuis locum fortè cogit, expreßit, &c.* VAPORIS) *caloris, vt ſæpe alibi, & ferè ſemper.*

SE'QVE SIMVL CVM EO) *in præpoſitione, cum, m. non eliditur. quod neque huic ſcriptori, neque aliis nonnullis eſt inuſitatum, vt aliàs admonuimus.*

INSINVATVS IBI V.) *id eſt, tum ventorum globus ingreſſus, vel intromiſſus, circumagitur in aëre, & fulmen veluti quibuſdam calidis fornacibus intus fabricatur, parat, excudit, & exacuit.*

NAM DVPL. RAT. ACC.) *nam duobus modis vortex ille venti, ſeu ventus ille conglobatus, & conuolutus, ignem concipit; id eſt, fit fulmen.*

IPSE SVAPTE MOB.) *libri vulgati habent: ipſe ſua cum, &c. quidam legunt, ipſe ſuáq; ego, ipſe ſuapte, hac editione repoſui: quamuis olim, ipſe ſua nam, ediderim: quam lectionem alij auidè ſunt ſecuti. Sunt autem hi duo modi, quibus ventus ille cõuolutus, & conglobatus, fit fulmen. ipſe, inquit, vortex & ex ſua ipſius mobilitate, hoc eſt, ſua celeritate, ſiue ſuo celerrimo motu, calorem contrahit, & è contactu ignis.* E CONTAGIBVS) *id eſt, è contactu. contagibus, à ſingulari, contages: quo vtitur ſup. lib. 3. Et mala multa animus contagi fungitur eius. & 4. Quæ contage ſua palloribus omnia pingunt. & infrà. contagibus ibant.*

INCESSIT) *inuaſit.* MATVRVM TVM QVASI) *ſi non addidiſſet, quaſi, tralatio eſſet. nunc autem, eſt εἰκὼν. tum, inquit, fulmen, quaſi maturum, quippe vbi ventus percaluit vel ſuo motu, vel igne foris concepto, (fulmen enim nihil ferè aliud eſt, quàm ventus incenſus, vt ſuprà diximus) tum, inquam, perſcindit ſubitò nubem, &c.* DISPLOSA REP. *ſup. eodem lib. Sæpe ita dat ſonitum pariter diſploſa repente.* DISPLOSA R. OPPRIM. VT CÆLI VID) *id eſt vt cælum diſploſum, videatur iamiam caſurum: & ſua ruina mortaleis, terráſque omneis oppreſſurum.*

PERTENTAT) *percipit peruadit, permouet. ſic Virg. lib 3 Georg. Nónne vides, vt tota tremor pertentet equorum Corpora, &c. Idem lib. 7. Æn. Ac, dum prima lues vdo ſublapſa veneno Pertentat ſenſus, &c. Idem contrà, de gaudiis. lib. 1. Æn. Latonæ tacitum pertentãt gaudia pectus. & lib. V. Hîc patris Anchiſæ ſuſpenſam blanda viciſſim Gaudia pertentant mentem.*

QVO DE CONC. SEQ. GR. IMB. ET VB.) *id eſt ex qua concuſſione, ſeu cõmotione, &c.* VBER) *multus, abũdãs.* PRÆCIPITANS) *præceps cadens. hunc verſum profert Priſcian. lib. 5.* DISCIDIO *ſic habent lib. manuſcripti. diſcidium autem à verbo diſcindo natum eſt, de quo ſuprà diximus.*

Eſt etiam, quom vis extrinſecus íncita venti
Incidit in validam maturo fulmine nubem:
Quam cùm pérſcidit, extemplò cadit igneus ille
Vortex, quod patrio vocitamus nomine fulmen.
Hoc fit item in parteis alias, quocumque tulit vis.
Fit quoque, vt interdum venti vis miſſa ſine igni,
Igneſcat tamen in ſpatio, longóque meatu,
Dum venit, amittens in curſu corpora quædam
Grandia, quæ nequeunt pariter penetrare per auras:
Atque alia ex ipſo conradens aëre portat
Paruola, quæ faciunt ignem commiſta volando:
Non alia longè ratione, ac plumbea ſæpe
Feruida fit glans in curſu, quom multa rigoris
Corpora dimittens, ignem concepit in auris.
Fit quoque, vt ipſius plagæ vis excitet ignem,
Frigida quom venti pepulit vis miſſa ſine igni:

Nimirum quia quom vehementi perculit ictu,
Confluere ex ipſo poſſunt elementa vaporis:
Et ſimul ex illa, quæ tum res excipit ictum.
Vt, lapidem ferro quom cædimus, euolat ignis:
Nec, quòd frigida vis ſit ferri, hoc ſecius illa
Semina concurrunt calidi fulgoris ad ictum.
Sic igitur quoque res accendi fulmine debet,
Opportuna fuit ſi fortè, & idonea flammis.
Nec temerè omnino planè vis frigida venti
Eſſe poteſt, ex quo tanta vi immiſſa ſuperne'ſt:
Quin, prius in curſu ſi non accenditur igni,
At tepefacta tamen veniat commiſta calore.

EST ETIAM, QVOM VIS) *eſt cùm, eſt quando, more Græcorum dictum. ἔστιν ὅτε: quod valet, aliquando, & interdum. hoc igitur dicit Lucretius. Interdum etiam vis venti extrinſecus incita: id eſt, incitata, &c.*

MATVRO FVLM.) *ſic ſuprà, non longe, maturum tum quaſi fulmen. hoc tantum intereſt, quòd illic eſt εἰκών, vt diximus: hîc mera tranſlatio.*

PERSCIDIT) *perfregit. ſic paullo antè, ibidem: quam cùm perſcidit &c.*

IGNEVS ILLE VORTEX, QVOD P.) *non temerè additū eſt, igneus. nam ſi eſſet vortex ſine igne è nube perſciſſâ abruptus, non eſſet fulmen, ſed τυφών: id eſt, vibratus ἐκνεφίας, ſeu vibrata procella: cui rei teſtimonio eſt Plin: lib. 2 cap. 43. his verbis, Sin verò depreſſo ſinu arctius rotati flatus nubem effregerint ſine igne: id eſt, ſine fulmine, vorticem faciunt, qui typhon vocatur, id eſt, vibratus ecnephias. neque ab his admodum diſcrepant quæ leguntur apud Ariſt lib. 3. meteor. cap. 1.*

QVOD PATRIO VOCIT.) *cod. Memmianus habet, quod Latio vocitamus nom. fulm. Græci autem κεραυνὸν appellant.*

HOC FIT ITEM) *ſic habent complures lib. manuſcripti, & aliquot vulgati: in his Pariſienſes. alij habent, Hoc fit idem.*

IGNESCAT) *inflammetur, exardeſcat, ignem concipiat.*

CORPORA QVÆD. GR) *Grandia, atq; ita ab ignea natura aliena. ignis enim conſtat ex corpuſculis paruulis, & ſubtilibus, vt docuit lib. 2.*

CONRADENS) *colligens, ſumens, conquirens, petens. ſic infr. Vortex conradens ex aëre ſemina nubis. ſup. lib 1. tranſlate poſuit, ſidem dictis conradere noſtris.*

NON ALIA LONGE R. AC PL.) *Sic ſup. plumbea verò Glans etiam longo curſu voluenda liqueſcit.* RIGORIS,) *id eſt, frigoris, vt ſup. lib. 5 Brumaleis vſque ad flexus. gelidúmque rigorem. & inf. Prima caloris enim pars, & poſtrema rigoris.* IPSIVS PLAGÆ) *ipſius ictus.* PERCVLIT) *nonnulli volunt legi, perpulit: alij, percutit, in præſenti.*

ELEMENTA VAPORIS) *principia caloris.*

ET SIM. EX ILLA, &c.) *Et ſimul ex illa re, quæ res tum plagam accipit, ſeu, quæ percutitur ac pulſatur.* VT LAPIDEM FERRO CVM CÆD.) *ſup. eod. lib. ceu lapidem ſi percutiat lapis, aut ferrum.* EVOLAT) *emicat, exſilit. tralatio eſt.* NEC, QVOD FRIG. VIS SIT.) *id eſt, nec, quia ferrum frigidum eſt, ideo minus illa caloris ſemina ad plagam concurrunt.*

OPPORTVNA FVIT SI F. *&c.) ſi forte fuit apta ad ignẽ accipiendũ.*

NEC TEMERE OMNINO, *&c.) id eſt, nec omnino ſine magna cauſa, aut ratione, ventus frigidus eſſe poteſt, ex quo tempore, ſeu ex quo loco, tanta vi immiſſus eſt: vt non, ſi in curſu, id eſt, interea dum fertur, non cõcipit ignem, neque accenditur, at ſaltem perueniat in loca inferiora, iam caloris particeps, & cum calore miſtus.*

Mobilitas autem fit fulminis, & grauis ictus:
Et celeri fermè pergunt ſic fulmina lapſu,
Nubibus ipſa quòd omnino prius incita ſe vis
Colligit, & magnum conamen ſumit eundi.
Inde, vbi non potuit nubes capere impetis auctum:
Exprimitur vis: atque ideò volat impete miro:
Vt validis quæ de tormentis miſſa feruntur.
Adde quòd è paruis, ac læuibus eſt elementis:
Nec facile'ſt tali naturæ obſiſtere quicquam.
Inter enim fugit, ac penetrat per rara viarum.
Non igitur multis offenſibus in remorando
Hæſitat. hanc ob rem celeri volat impete labens.
Deinde, quòd omnino natura pondera deorſum.
Omnia nituntur: cùm plaga ſit addita verò,
Mobilitas duplicatur, & impetus ille graueſcit:
Vt vehementius, & citius, quæcumque morantur,
Obuia diſcutiat plagis, itinérque ſequatur.
Denique, quòd longo venit impete, ſumere debet
Mobilitatem, etiam atque etiam quæ creſcit eundo,
Et validas auget vireis, & roborat ictum.
Nam facit, vt, quæ ſint illius ſemina cumque,
E regione locum quaſi in vnum cuncta ferantur,
Omnia coniiciens in eum voluentia curſum.
Forſan & ex ipſo veniens trahat aëre quædam
Corpora, quæ plagis intendunt mobilitatem.
Incolumeiſque venit per res, atque integra tranſit
Multa, foraminibus liquidis quia tranſuolat ignis.
Multáque perfringit, cùm corpora fulminis ipſa
Corporibus rerum inciderint, quà texta tenentur.
Diſſoluit porrò facilè æs, aurúmque repentè
Conferuefacit, è paruis quia facta minutè
Corporibus vis eſt, & læuibus ex elementis,
Quæ facile inſinuantur: & inſinuata, repente
Diſſoluunt nodos omneis, & vincla relaxant.

MOBILITAS) *Nunc mobilitatis, quæ eſt in fulmine, cauſas affert.*

INCITA SE VIS *ſic legendum potius quàm, inſita, ſi libris manuſcriptis fidem habemus.* CONAMEN SVMIT) *conatum ſumit. ſic loquitur & infrà, ibi. & partem in quamquam conamina ſumſit.*

CAPERE) *χωρεῖν, recipere, tanquam vas.* IMPETIS AVCTVM.) *id eſt, impetus magnitudinem, ſeu incrementum.* EXPRIMITVR) *ἐκθλίβεται.*

VOLAT) *tralatio, ad ſignificandum & illuſtrandum adhibita.*

VT VALIDIS, QVÆ DE TORM.) *alia illuſtratio, à ſimili.*

ADDE, QVOD E PARVIS, &c.) *ſic ſup lib. 2. Dicere enim poßis, cæleſtem fulminis ignem, Subtilem magis è paruis conſtare figuris, &c.*

NEC FACILE'ST TALI N. O.) *ſic paullo antè. quoi nil omnino obſiſtere poßit.* INTER ENIM FVG.) *id eſt, nam fugit inter omneis res, in quas incidit, ſi modò ſint raræ, & non ſolidæ.* PER RARA VIARVM) *ſic habent omnes libri vulgati, præter Florentinos: quibuſcum (vulgatos illos dico) congruunt quattuor libri manuſcripti. neque video, quam brem quicquam immutare debuerit Marullus: qui repoſuit, per operta viarum. Nam ſignificat (opinor) Lucretius, fulmen penetrare in corpora per raras vias, quæ ſcilicet inſunt in corporibus non ſolidis, ſed raris, quale eſt lignum. nam quæ ſunt ſolida, & dura, vel diſcutit, & diſturbat, vt ſaxa: vel liquefacit, vt aurum: vel comburit, vt oſſa.*

NON IGITVR MVLT. OFF.) *id eſt, nō igitur offendit in multas res, quæ id remorari, & retardare poßint: vel, quibus retardatum hæſitet.*

DEINDE QVOD OMNINO, &c.) *alia ratio mobilitatis fulminis: quæ ſumitur ex eo, quod ſuprà probauit lib. 2. omnia corpora deorſum ferri, nulla ſurſum: ibi, Nunc locus eſt (vt opinor) in his illud quoque rebus Confirmare tibi, nullam rem poſſe ſua vi Corpoream ſurſum ferri, ſurſumque meare.*

DISCVTIAT PLAG.) *diſturbet, & diruat ictibus.*

ITINERQVE SEQ.) *profert hunc locum Nonius in voce, itiner: affértque teſtimonia aliorum antiquorum ſcriptorum, vt Turpil. in Thraſyl. age, age: ingredere: atque vtinam iſtuc perpetuum itiner ſit tibi. & Pacuu. Atalanta: dolet, pigétque magis, magiſque me, conatum hoc nequicquam itiner.*

DENIQVE QVOD LONGO) *Poſtrema ratio, quamquam ſubijcit ei & aliam, ſed quaſi dubitans. Denique (inquit) quia fulmen longo ſpatio, & longo tractu, atque impetu fertur, idcirco credibile eſt, id mobilius fieri, & mobilitatem adipiſci: quæ intenditur eundo.* NAM FACIT) *mobilitas.*

VT, QVÆ SINT ILI. S. CVMQVE) *tmeſis. quæcumque illius ſint ſemina. illius, videlicet, fulminis.*

E REGIONE) *directò. tollenda autem diſtinctionis nota eſt poſt vocem, regione: & locanda poſt particulam, cumque.*

OMNIA CONIIC. IN EVM V. C.) *horum verborum ordo difficilis eſt. ego hunc eſſe puto. conijciens, ea (inquam) mobilitas, omnia ſemina voluentia, id eſt, volubilia, vt ſit abſolutū, quemadmodum libro quinto, Multáque per cælum ſolis voluentia luſtra: vel, ſe conuoluentia in eum curſum: vel ſic: conijciens omnia ſemina voluentia curſum, in eum locum.*

FORSAN ET EX IPSO) *alia cauſa mobilitatis, nempe quia fulmen, dum fertur, quædam corpora ex aëre ſecum trahere poteſt, quæ augeant eius mobilitatem. At quæ alia ex aëre corpora trahere poteſt, quàm venti ſemina? Atqui*

Ariſtoteles lib.3.meteor.cap.1.in extremo, ait, ſemper vētum eſſe comitem fulminis, ſempérque ei præire. cuius rei hoc argumentum affert, quòd ea, quæ à fulmine iamiam tangenda ſunt, prius quàm percutiantur, mouentur, vt pote vento prius in ea irruente. INTENDVNT) *amplificant, augent.*

INCOLVMEISQVE VENIT) *nunc rationem exponit, quamobrem per quaſdam res integras & incolumeis tranſeat: quaſdam perfringat, ac diſturbet, aut liquefaciat ac diſſòluat. vox, incolumeis, accuſandi caſus eſt, numeri multitudinis, vt & hoc totum, quod ſequitur, multa integra. ſignificat enim, fulmen tranſire res multas integras.* FORAM. LIQVIDIS) *quia (inquit) ignis per foramina rerum liquida, id eſt, patentia, & aperta tranſuolat: quod ſimile eſt, vt ſi diceret, ignem per res foraminoſas, & raras tranſire, cuiuſmodi ſunt lignum, corium, veſtis, & ſimil. Atque huius quidem ſcripturæ, quæ in omnibus ferè libris reperitur, hæc ſententia eſt ſed in quodā exemplo Baſileæ impreſſo anno* CIↃ. IↃ. XXXI, *ſic legitur, foraminibus liquidus quia tranſuolat ignis. quæ lectio ſi cui probabitur, hæc erit eius ſententia, ignem liquidum, id eſt, purum, & ſincerum, tranſire per foramina rerum, ſeu per res foraminoſas, & minime ſòlidas. Præterea non eſt celandus lector, omneis libros manuſcriptos habere, partim, quia tranſuiat ignis, partim, quia trauiat ignis. Vnde mihi videbatur legendum, trameat, quod & homini cuidam iniuſtiſſimo, peſſiméque de me inſonte, merito, venit in mentem.*

MVLTAQVE PERFRINGIT, &c.) *i. multa etiam perfringit fulmen, ſæpe dura, & ſòlida, & reſiſtentia: qualia ſunt ſaxa, cùm in talia corpora inciderit, qua parte texta cohæreſcunt.* CORPORIBVS RER. INCID.) *in corpora rerum inciderint.* QVA TEXTA TENENTVR,) *id eſt, qua parte res ſunt denſiſſimæ, ſolidiſſimæ, & maxime contextæ.*

NODOS) *copulas, compages, coniunctiones. συνδέσμους, compoſituras.*

DISSOLVIT PORRO FACILE ÆS) *ratio, quamobrem æs & aurū à fulmine facile diſſoluantur, & liqueſiant.* VIS) *æris, & auri.*

Auctumnóque magis ſtellis fulgentibus alta
Concutitur cæli domus vndique, totáque tellus:
Et quom tempora ſe Veris florentia pandunt.
Frigore enim deſunt igneis, ventíque calore
Deficiunt, neque ſunt tam denſo corpore nubes.
Inter vtrumque igitur quom cæli tempora conſtant:
Tum variæ cauſæ concurrunt fulminis omnes.
Nam fretus ipſe anni permiſcet frigus, & æſtum:
Quorum vtrumque opus eſt fabricanda ad fulmina nobis,
Vt diſcordia ſit rerum, magnóque tumultu,
Ignibus, & ventis furibundus fluctuet aër.
Prima caloris enim pars, & poſtrema rigoris,
Tempus id eſt vernum. quare pugnare neceſſe'ſt
Diſſimileis inter ſe res, turbareque miſtas.
Et calor extremus primo cum frigore miſtus
Voluitur, auctumni quod fertur nomine tempus.

Hic quoque conſligunt hiemes æſtatibus acres.
Propterea ſunt hæc bella anni nominitanda.
Nec mirum'ſt,in eo ſi tempore plurima fiunt
Fulmina,tempeſtáſque cietur turbida cælo:
Ancipiti quoniam bello turbatur vtrinque,
Hinc flammis,illinc ventis,humoréque miſto.

AVCTVNNO'QVE MAGIS) *Cur Auctunno & Vere crebriora ſint tonitrua,& fulmina.* ALTA CONCVTITVR CÆLI DOMVS) *ſup. lib.2.in extr.Nubibus vt tenebras faciat,cælique ſerena Concutiat ſonitu.*

NAM FRETVS IPSE ANNI) *Hunc verſum profert Nonius, vt probet, vtrumque eſſe vſitatum Latinis, fretum i.& fretus us.maſcul.gen. profert ille & hoc Varronis.Inter Italiam & Siciliam:qui eſt fretus inter Rhegium & Meſſanam. teſtatur & Cariſius,hic fretus,huius fretus, vſurpatum eſſe ab antiquis:profértque aliquot exempla ex Porcio Licinio, Meſſala, & M. Tull. Idémque docet A. Gellius lib.13.cap.19. Errat igitur & Priſcianus, qui lib.1 fretu, poſitũ eſſe à Lucretio pro, freto ſcribit,quaſi hic fretus,huius fretus,nõ ſit in vſu,quod tamen idẽ fatetur lib.5. & Marullus,qui eum ſecutus,legit hoc loco,Namque frit ipſe anni. per fretum anni autem,eas anni partes, quæ ſunt inter frigus & calorem interiectæ,ſignificat Lucretius, à ſimilitudine maris anguſti, inter duas terras, quod fretum propriè appellant Latini à feruendo:quia in talibus anguſtiis maxime mare efferueſcit, atque æſtuat.idem Lucret.ſup.lib.1.Anguſtóque fretu rapidum mare diuidit vndu.*

QVORVM VTRVMQ. OPVS EST) *opus eſt,id eſt,requiritur.ſeu,vſus eſt,vt lib.2.Scire licet nil principiis opus eſſe colores:& lib.4. Nec motus opu'ſunt noſtris vxoribus hilũ.& item ſæpe.* PRIMA CALORIS ENIM) *prima caloris pars, à quo æſtas incipit,& poſtrema rigorũ:id eſt, frigoris, in quod hiems deſinit, id ipſum tempus eſt vernum. legendum eſt autem, Tempus id eſt vernum, quemadmodum habent libri manuſcripti, & aliquot vulgati emendatiores, non, Tempus adeſt vernum,vt vulgati mendoſi.*

ET CALOR EXTR.) *æſtatis.* PRIMO CVM FRIG) *hiemis.*

CONFLIGVNT) *pugnant inter ſe hiems,& æſtas.tralatio eſt.*

NEC MIRVM'ST, IN EO SI TEMPORE) *ſic habent quattuor libri manuſcripti:& ita legendum eſt.vulgati autem inter ſe diſſentiunt,omniúmq; lectio videtur mendoſa:qui habent partim, Nec mirum, ſi in eo iam tempore,&c. partim,Nec mirum,ſi in eo tum tempore,&c partim,Nec mirum,ſi in eo ſic tempore, &c. Harum tamen trium tolerabiliſſimæ ſunt duæ priores. Poſtrema verò, quæ reperitur etiam in cod.Tettiano,Nec mirum,ſi in eo ſic,à recta paullùm detorta eſt. nam ſi pro,'ſt·ſic pro,ſi,ſubditum eſt.Sentẽtia autem hæc eſt, Nec mirum eſt,ſi in Veris,& Auctumni tempore plurima exſiſtunt tonitrua,plurimáque cadunt fulmina, plurimæ denique turbidæ tempeſtates in cælo cooriuntur:quoniam duæ qualitates tum ſunt inter ſe pares, & æquales,calor & frigus. Hinc autem bellum anceps oritur. quod non fit æſtate, aut bruma. tum enim quia calor, aut frigus ſuperat,dominatur,ac præpollet,nullus eſt bello locus: quod idcirco duellum dictum eſt, quòd duæ partes æquales de victoria contendant.*

Hoc eſt igniferi naturam fulminis ipſam.

Perſpicere,& qua vi faciat rem quamque,videre:
Non Tyrrhena retro voluentem carmina fruſtrà,
Indicia occultæ diuûm perquirere mentis,
Vnde volans ignis peruenerit,aut in vtram ſe
Verterit hic partem:quo pacto per loca ſæpta
Inſinuarit,& hinc dominatus vt extulerit ſe:
Quídve nocere queat de cælo fulminis ictus.
Quòd ſi Iupiter,atque alij fulgentia diui
Terrifico quatiunt ſonitu cæleſtia templa,
Et iaciunt igneis,quo quoique eſt cumque voluntas:
Cur,quibus incautum ſcelus auerſabile cumque'ſt,
Non faciunt,icti flammas vt fulguris halent,
Pectore perfixo,documen mortalibus acre?
Et potius nullæ ſibi turpis conſciu' reij
Voluitur in flammis innoxius,ínque peditur,
Turbine cæleſti ſubito conreptus,& igni?
Cur etiam loca ſola petunt?fruſtráque laborant?
An con brachia ſuefaciunt,firmántque lacertos?
In terráque patris cur telum perpetiuntur
Obtundi?cur ipſe ſinit,neque parcit in hoſteis?
Denique,cur numquam cælo iacit vndique puro
Iupiter in terras fulmen,ſonitúſque profundit?
An ſimul ac nubes ſucceſſere,ipſe in eas tum
Deſcendit,propè vt hinc teli determinet ictus?
In mare qua porrò mittit ratione?quid vndas
Arguit,& liquidam molem,campóſque natanteis?
Præterea,ſi vult caueamus fulminis ictum:
Cur dubitat facere,vt poſſimus cernere miſſum?
Si nec opinanteis autem vult opprimere igni:
Cur tonat ex illa parte,vt vitare queamus?
Cur tenebras antè,& fremitus,& murmura concit?
Et ſimul in multas parteis quî credere poſſis
Mittere?an hoc auſis numquam contendere factum,
Vt fierent ictus vno ſub tempore plures?
At ſæpe'ſt numero factum,fieríque neceſſe'ſt,
Vt pluere in multis regionibus,& cadere imbreis,
Fulmina ſic vno fieri ſub tempore multa.
Poſtremò cur ſancta Deûm delubra,ſuáſque
Diſcutit infeſto præclaras fulmine ſedes?

Et bene-

Et benefacta Deûm frangit ſimulacra? ſuíſque
Demit imaginibus violento volnere honorem?
Altáque cur plerumque petit loca? plurimáque huius
Montibus in ſummis veſtigia cernimus ignis?

HOC EST IGNIFERI) *Ἐπιφάνημα. hoc eſt (inquit) naturã fulminis perueſtigare, atque adeò cernere, & qua poteſtate. ſeu facultate quidque faciat, videre, non, reuoluentem, & replicantem Etruſcorum, & haruſpicum carmina, id eſt, libros Tageticos (qui omnem Etruſcorum diſciplinam continebant, à Tagete illo puero Etruſco ex agro Tarquinienſi, cùm terra araretur, edito: de quo lege M. Tull. lib. 2. de diuin) non, inquam, Etruſcorum libros conſulentem, ſigna voluntatis deorum obſcuræ, & incognitæ indagare: quod faciebant haruſpices, diuiſo in aliquot parteis cælo, vt ſuprà diximus, ibi, Ne trepides, cæli diuiſis partibus, &c.*

VNDE VOLANS, &c) *hi tres verſus deinceps ſequentes, iam antè poſiti ſunt, ſtatim poſt eum verſum, quem modò protuli.*

INDICIA OCCVLTÆ) *ſic habent tres libri manuſcripti, & Veneti recentiores, & Lugdunenſes, & Baſilienſes. duo manuſcrip. & Veneti antiq. & Pariſienſ. & Florent. Iudicia. quam ſcripturam reieci, vt mendoſam, & corruptam. Nam conſtat, veteres illos, auſpicia, auguria, omina, oſtenta denique, & talium rerum obſeruationes inſtituiſſe, atque vſurpaſſe, vt ex iis voluntatem deorum, quam his indicari, & ſignificari putabant, cognoſcerent.*

QVOD SI IVPITER) *vult probare, fulmina à diis non mitti, ſed ex certis & naturalibus cauſis naſci.* ALII FVLG. DIVI.) *Plinius lib. 2. cap. 52 ſcribit, ex Thuſcorũ literis nouẽ deos fulmina emittere. quod & Arnobius confirmat lib. 3. aduerſus genteis, ex auctoritate Manilij, his verbis. Nouenſileis, nouem deos ait eſſe Manilius, quibus ſolis Iupiter poteſtatẽ iaciendi ſui permiſerit fulminis.*

QVO QVOIQVE EST CVMQVE VOLVNTAS) *ſic habẽt quattuor libri manuſcr. & aliquot vulgati. alij, quò cuique eſt cumque voluptas: alij, quò inducit quemque voluptas.* SCELVS AVERSABILE) *ſic habẽt tres lib. manuſcr. quibuſcum congruunt Florent. alij, aduerſabile: mẽdoſè, opinor. auerſabile, autem, ſcelus interpretor, horrendum, fugiendum, & quod omnes auerſari debent. Itaq; totum hunc locum ſic explico ac declaro. Cur dij non faciunt, vt, quicunque à ſcelere nefario, atque horrẽdo ſibi non cauerunt, id eſt, ſeſe non abſtinuerunt, ij percuſſi halent fulguris flammas, id eſt, flammis conflagrent, quo ſint ceteris mortalibus documento, atque exemplo? & potius homines innocentes & nullius turpitudinis ſibi conſcij, fulmine icti exanimantur? ſic Ariſtoph. Νεφελ. Εἴπερ βάλλει τοὺς ἐπιόρκους, πῶς δῆτ' οὐχὶ Σίμων' ἐνέπρησεν, Οὐδὲ Κλεώνυμον, οὐδὲ Θεόδωρον; καίτοι σφόδρα γ' εἴσ' ἐπίορκοι· Ἀλλὰ τὸν αὑτοῦ νεὼν βάλλει, καὶ Σούνιον, ἄκρον Ἀθηνῶν, Καὶ τὰς δρῦς τὰς μεγάλας. τί μαθών; οὐ γὰρ δὴ δρῦς ἐπιορκεῖ: id eſt, ſi Iupiter fulmine periuros petit, qui fit, vt Simonem non inflammarit, neque Cleonymum, neque Theodorũ? Atqui valde ſunt periuri. ſed templum ſuum petit, & Sunium, Athenarum promuntorium, & quercus magnas? quamobrem? non enim quercus peierat.*

FLAMM. VT FVLGVRIS HALENT.) *ſic legendum: & ita habent libri omnes & manuſcripti, & vulgati. ſic autem loquutur infr. Terráque cùm fumans humorem tota rehalat. Quare, edant, quod Zoilus ſubſtituit, hinc procul arceatur, vt profanum.*

DOCVMEN MORT.) *eſſet acre mortalibus documentum, ſi improbi, & impij darẽt pœnas. nunc autem, quia hoc non fit, Iarbas ille apud Virg. lib. 4. Æn. ſic cum Ioue expoſtulat. Adſpicis hæc? an te, genitor, cùm fulmina torques, Nequicquã horremus? cæciq; in nubibus ignes Terrificant animos, inania murmura miſcẽt? &c.*

ET POTIVS NVLLÆ SIBI TVRPIS CONSCIV' REII) *ſic reſtitui hũc verſum, cõiectura quidẽ ductus, ſed tamen à vetere ſcriptura admonitus, quæ talis eſt, nulla ſibi turpi conſcius re. ex hac enim ſuſpicatus ſum præpoſitionem in, eſſe inculcatam, & ita à Lucretio ſcriptum eſſe, vt excudendum curaui, præſertim veritate hanc lectionem flagitante. ſic enim Latini loquuntur, nullius rei turpis ſibi conſcius, non conſcius in re turpi, quo modo eſt in libris vulgatis Sic enim habent, Et potius nulla ſibi turpi conſcius in re, planè ineptè. nullæ autem, in patrio caſu, antiquum, & antiquis vſitatum, vt apud Terent. Heautont. alteræ dum narrat. lege quæ annotata ſunt ſuprà ad illum locum, lib. 4. vnæque figuræ. Hanc quoque emendationẽ ſibi arrogauit Zoilus.* LOCA SOLA) *loca deſerta, ſolitudines.*

CON BRACHIA SVEFACIVNT) *Sic propemodũ edendum curaui in ſecunda editione, nempe hoc modo, An tum brachia ſuefaciunt, &c. ſed volueram edi, An con brachia ſuefaciunt, &c. vt intelligamus, eſſe tmeſim, pro, conſuefaciunt brachia. quo modo ſupr. non longè à princip. lib. 4. quidam de me malè meriti non malè repoſuerunt, ordine eodem, Quo fuerint, & con formæ ſeruare figuram. Sic igitur nunc reſtituo hunc locum. nam, conſueſcunt; quod vulgò legitur, pro conſuefaciunt, mihi probari non poteſt.* CVR IPSE) *cur pater Iupiter.*

NEQVE PARCIT IN H.) *& cur non parcit ſuo telo in hoſteis, id eſt, ad hoſteis ſuos perdendos?* DENIQVE CVR NVMQVAM CÆLO) *ſic ſup. eod. lib. nam cælo nulla ſereno, Nec leuiter denſis mittuntur nubibus vnquam. ſic Ariſtot. lib 2. meteor. cap. 9.* καὶ διὰ τί ποτε τοῦτο γίγνεται κατὰ τὸν οὐρανὸν, ὅταν ἐπινέφελον ᾖ μόνον, ἀλλ' οὐχὶ συνεχῶς οὕτως, αἰθρίας δ' οὔσης οὐ γίγνεται; *id eſt, & quamobrem hoc fit in cælo, cùm eſt nebuloſum & concretum tantummodò, & non ita perpetuò: cælo autem puro & ſereno non fit?*

IPSE IN EAS TVM) *cùm & in quinque libris manuſcriptis, & in aliquot vulgatis reperiſſem ita ſcriptum, ipſe in æſtum, non, vt in alijs, ipſius in æſtum, orta eſt continuò mihi mendi ſuſpicio, præſertim iam anteà mea ſponte hanc vulgatam faſtidienti quid enim ſibi vult, deſcendere in æſtum? primis igitur cum vltimis comparatis, & medijs cum extremis, venit mihi in mentem ita eſſe legendum, & ita à Lucretio eſſe ſcriptum, ipſe in eas tum, &c. Primùm enim leuis admodum, & parua fit immutatio ſcripturæ vulgatæ: quippe ex voce, æſtũ, fiunt duæ, eas tum, duarum vocalium ordine mutato: deinde ſententia iam fit planiſſima, hoc modo, An ſimulac nubes ſurſum venerunt, tum ipſe Iupiter è ſummo cæli, & ætheris vertice in eas deſcendit, vt in his nubibus, teli, id eſt, fulminis, ictus determinet? Deſcendere autem tum Iouem dicunt poëtæ, cùm iam iam futurum eſt, vt vel tonet, vel pluat, vel grãdinet, vel ninguat, quaſi ſine nubibus, & niſi è cælo in nubeis deſcendat, neque tonare, neque pluere, neq; grandinare, neq, ninguere poſſit. Ex hoc Virg. lib. 1. Georg. Ipſe pater media nimborum in nocte coruſca Fulmina molitur dextra. Idem Melib. Iupiter, & læto deſcendet plurimus imbri. idem Georgic. 2. Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther Coniugis in gremium lætæ deſcendit. & Horatius od 13. epod. Horrida tempeſtas cælum contraxit, & imbreis, Niueſque deducunt Iouem, & cet.*

IN MARE QVA) *cum hoc toto loco congruit ille apud M. Tull. lib. 2. de diuin. Quid enim proficit, cùm in medium mare fulmen iacit? quid cùm in altiſſimos monteis? quod plerumque fit. quid cùm in deſertas ſolitudines? quid cùm in earum gentium oras, in quibus hæc ne obſeruantur quidem?*

CAMPOSQVE NATANTEIS) *ſup. Augebat mare manando, campóſque natanteis. & infr. Aëra permenſus multum, campóſq. natanteis. Poſt hunc verſum videtur locandus ille, ſi modò Lucretianus eſt, qui eſt ab hoc ſeptuageſimus, Nã ratio cum ſanguine abeſt humoribus omnis.*

PRÆTEREA SI VOLT CAVEAM.) *dilemma. Iupiter aut vult nobis antè denuntiare & præſignificare fulminis ictum, vt nobis ab eo caueamus: aut vult nos opprimere nec opinanteis, & imparatos. ſi vult nos præmonere: cur non facit, vt fulmen ab eo miſſum cernamus? ſin vult nos opprimere imparatos: cur ex certa cæli parte tonat?* ET SIMVL IN MVLTAS, &c.) *huius loci & argumenti hæc mihi videtur ſententia & vis eſſe. vel dices, Iouem vno, eodémque tempore fulmen in multas parteis mittere, vel negabis. ſi dices: quo pacto hoc cuiquam perſuaderi poteſt, vnum ſiue hominem, ſiue deum multa tela in multas ac diuerſas parteis vno tempore mittere? ſi negabis: res ipſa vincet, vt fatearis.*

POSTREMO CVR SANCTA) *cum hoc loco congruit ille, qui eſt lib. 2. in extr. tum fulmina mittat, & ædeis Sæpe ſuas diſturbet, & in deſerta recedens, Sæuiat exercens telum, quod ſæpe nocenteis Præterit, exanimátque indignos, ínque merenteis. & cum his Lucretianis conſentiunt illa M. Tullij ex lib. 2. de conſul. quæ poſita ſunt lib. 1. de diuin. Nam pater altitonans, &c. nam ea protulimus ſup. lib. 2. in extr. & profert Firmianus lib. 3. diuin. inſtit. cap. 17.*

ALTAQVE CVR PLERVMQVE) *ſic Horat. od. 10. lib. 2. feriúntq; ſummos Fulmina (al. Fulgura) monteis.* PLVRIMAQVE HVIVS) *ſic reſtitui, & ita legi debet. Zoilus hanc coniecturam non probauit, cùm ſit tamen rectiſſima, & veriſſima: ſcribítque eſſe verſum, μείουρον. Primùm non vſurpat verſus miuros Lucretius. quamobrem? quia nihil eſt neceſſe. deinde ſi darẽ, locum eſſe verſibus miuris in hoc egregio poëmate, tamen ſententia hic ferre non poteſt, vt legatur plur. quod tu ſi Zoile vidiſſes, qui luce clara non vides, numquam iſta tam incõſiderate ſcripſiſſes. Ἐς κόρακας igitur cum tuis putidiſſimis verſibus.*

Quod ſupereſt, facile'ſt ex his cognoſcere rebus,
Πρηστῆρας Graij quos ab re nominitarunt,
In mare qua miſſi veniant ratione supernè.
Nam fit, vt interdum tanquam demiſſa columna
In mare de cælo deſcendat: quam freta circum
Feruiſcunt grauiter ſpirantibus íncita flabris:
Et, quæcumque in eo tum ſunt deprenſa tumultu
Nauigia, in ſummum veniunt vexata periclum.
Hoc fit, vbi interdum non quit vis íncita venti
Rumpere, quam cœpit, nubem: ſed deprimit, vt ſit
In mare de cælo tanquam demiſſa columna
Paullatim, quaſi quid pugno, brachiíque supernè

Coniectu trudatur, & extendatur in vndas:
Quam cùm diſcidit: hinc prorumpitur in mare venti
Vis, & feruorem mirum concinnat in vndis.
Verſabundus enim turbo deſcendit: & illam
Deducit pariter lento cum corpore nubem.
Quam ſimulac grauidam detruſit ad æquora ponti:
Ille in aquam ſubitò totum ſe immittit, & omne
Excitat ingenti ſonitu mare feruere cogens.
Fit quoque, vt inuoluat venti ſe nubibus ipſe
Vortex, conradens ex aëre ſemina nubis,
Et quaſi demiſſum cælo preſtêra imitetur.
Hic vbi ſe in terras demiſit, diſſoluitque:
Turbinis immanem vim prouomit, atque procellæ.
Sed quia fit rarò omnino, monteiſque neceſſe'ſt
Officere in terris: appâret crebrius idem
Proſpectu maris in magno, cælóque patenti.

QVOD SVPEREST, *&c.) Quod ſupereſt, (inquit) ex iis, quæ antè diximus, cognoſcere facile eſt eorum fulminum, quæ* πρηστῆρες *à Græcis nominantur, naturas, cauſas, & motus. Nam alia quædam ſunt fulmina, quæ præſteres non ſunt, vt, quæ non ſunt ignita: qualia ſunt, quæ columnæ, procellæ, turbines, vortices appellantur. Atque. vt hanc totam de fulminibus diſputationē facilius intelligere poßimus, ſciendum eſt (quod & anteà attigimus) omnia & tonitrua, & fulgetra, & fulmina, flatus, ſeu anhelitus terræ eſſe: qui ſi minutatim & ſparſim diffundantur, ac, cùm ſint tenuiores, difflentur: tonitrua, & fulgura: ſin denſiores, & crebriores, minúſque tenues erumpant: procellam gignunt, quæ vocatur à Græcis ecnephias ventus. ideircò violētus eſt. eruptionis enim celeritas robur & vim efficit. Cùm verò flatus ſine igne erumpens ex nube, in alterius nubis flatum incurrerit, quemadmodum ventus in portis, aut viis ex laxitate in anguſtias redactus, luctatur, & circumuerſatur: tum fit vortex, qui typhon à Græcis appellatur, maximè ſi fragorem edat. nam ſi ſtridorem potius mittat, quàm fragorem, turbo eſt. Quòd ſi hic flatus poſteà exardeſcat, præſter eſt. Si verò non poſteaquàm è nube erupit, ignem concipiat, ſed cùm primùm è nube exprimitur: fulmen eſt, quod Græci* κεραυνὸν *vocant. Vbi autem non poteſt flatus nubem perfringere, neque ex ea erumpere, ſed eam deorſum in terram, aut in mare deprimit, ita, vt videatur vnda quædam denſa, & rigida oblonga decidere: tum eſt columna. De preſteribus ſic Laertius.* Πρηστῆρας ἐνδέχεται γίνεσθαι, καὶ κατὰ κάθεσιν νέφους εἰς τοὺς κάτω τόπους ἀγομένου ὑπὸ πνεύματος ἀθρόου ὠσθέντος, καὶ διὰ τοῦ πνεύματος φερομένου, ἅμα καὶ τὸ νέφος εἰς τὸ πλησίον ὠθοῦντος τοῦ ἐκτὸς πνεύματος, καὶ κατὰ περίστασιν δὲ πνεύματος εἰς κύκλον ἀέρος τινὸς ἐπισυνωθουμένου ἄνωθεν, καὶ ῥύσεως πολλῆς πνευμάτων γενομένης, καὶ οὐ δυναμένης εἰς τὰ πλάγια διαρρυῆναι διὰ τὴν πέριξ τοῦ ἀέρος πίλησιν. καὶ ἕως μὲν γῆς, τοῦ πρηστῆρος καθιεμένου, στρόβιλοι γίνονται, ὡς ἂν καὶ ἡ ἀπογέννησις κατὰ τὴν κίνησιν τοῦ πνεύματος γίνηται· ἕως δὲ θαλάττης δῖνοι ἀποτελοῦνται. *id eſt Preſteres fieri poſſunt, & ex demißione nubis ad loca inferiora, diſſimiliter à vento conferto pulſæ, & per*

ventum ruentis, ſimul externo flatu nubem in locum propinquum impellente, & propter flatum circumſtantem aëre nonnullo ſuperne in eam vnà pulſo, & multis flatib. confluentibus, qui nõ poßint in obliqua diffluere, propter aëris circumfuſi condenſationem. Et, vbi quidem preſter vſque ad terram demittitur, turbines fiunt, vt & generatio ex motione flatus exſiſtat: vbi verò vſque ad mare, vertices creantur.

BRACHIIQVE SVPERNE CONIECTV) *mendoſè habent quidam lib. vulgati, brachiiſque.* CONCINNAT) *efficit, κατασκευάζει. ſic ſup. lib. 4. in extr. conſuetudo concinnat amorem. & infrà. magnum concinnat hiatum. tralatio eſt, à cinno, quem Græci κυκεῶνα appellant. Eſt autem potionis genus ex multis liquoribus confectum. vocem Græcam vſurpauit Homerus ιλ. Λ. ibi. Τοῖσι δὲ τεῦχε κυκειῶ ἐϋπλόκαμος Ἑκαμήδη id eſt, His autem cinnum confecit pulchrè comta Hecamede. Vſurpauit & Orpheus in iis verſibus, quos refert Clemens Alexandr. προτρεπτ. Ὣς εἰποῦσα, πέπλους ἀνεσύρετο· δεῖξε δὲ πάντα Σώματος, οὐδὲ πρέποντα τύπον· παῖς δ' ἦεν Ἴακχος, χειρί τέ μιν ῥίπτασκε γελῶν, Βαυβοῦς ὑπὸ κόλποις. Ἡ δ' ἐπεὶ οὖν μείδησε θεὰ, μείδησ' ἐνὶ θυμῷ· Δέξατο δ' αἰόλον ἄγγος, ἐν ᾧ κυκεὼν ἐνέκειτο. Hos autem verſus eo libentius huc adſcripſi, quòd cùm eos Latinis verſibus reddiderit Arnobius lib. V. aduerſ. Genteis, ij Latini verſus non ſatis emendati ſunt in vulgatis codicib. ſic enim leguntur. Sic effata, ſimul veſtem contraxit ab imo: Obiecitq. oculis formatas inguinibus res. Quas caua ſuccutiens Baubo manu, (nam puerilis Olli vultus erat,) plaudit, contrectat amicè. Tum dea defigens auguſti luminis orbeis, Triſtitias animi paullũ mollita repoñit. Inde manu poclum ſumit, riſúque ſequenti Perducit totũ cyceonis læta liquorẽ. In primo verſũ igitur, pro, ſimul, legendum arbitror, ſinu. in tertio, pro, Baubo manu, rectè coniecit Io. Auratus, legendum, Bacchi manu', vt manu', ſic recti caſus, numeri ſingul. Habetur autem ſermo de Cerere ob amiſſam Proſerpinam filiam mærore confecta: quam Baubo nulla alia re ad hilaritatem ex luctu traducere potuit, quàm parte illa ſua muliebri inhoneſta, nudata, & oculis eius ſubiecta. Si quis autem fortè dubitet, quid ſibi velit in vltimo verſu, Perducit, & c. Perducit, hoc loco valet, perbibit, ſeu perpotat.* DETRVSIT) *ſic legendum, non, detrudit.*

FIT QVOQVE) *Nunc de vortice: de quo ſic Plin. lib. 2. Sin verò flatus repentini, depreſſò ſinu, arctius rotati nubẽ effregerint, ſine igne, hoc eſt ſine fulmine: vorticem faciunt.* VT INVOLVAT VENTI SE NVBIBVS IPSE VORTEX) *ſic ex Ariſtotele, & Plinio hunc locum reſtitui, cùm antea legeretur, ventis è nubibus. venti autem vortex dicitur, quia vortex nihil aliud eſt, quàm flatus circumactus, & circumuolutus. Hunc quoque locum ſibi arrogauit Zoilus.*

PRESTERA IMITETVR) *à preſtere hoc tantùm differat, quòd non ſit accenſus.* PROSP. MAR. IN MAGNO) *id eſt in magno & lato mari: in quo maior eſt proſpectus, quàm in terra.*

CÆLOQ. PAT.) *idem ſignificat. Nam in mari cælum latius, & longius patet, propter maris æqualitatem, & planitiem, quàm in terra, propter monteis, qui proſpectum interrumpunt.*

Nubila concreſcunt, vbi corpora multa volando
Hoc ſuper in cæli ſpatio coïere repentè
Aſperiora, modis quæ poſſint endopedita
Exiguis, tamen inter ſe comprenſa teneri.
Hæc faciunt primùm paruas conſiſtere nubeis:

Inde ea comprendunt inter ſe, cónque gregantur,
Et coniungendo creſcunt, ventíſque feruntur
Vſqueadeò, donec tempeſtas ſæua coorta'ſt.
Fit quoque, vti, montis vicina cacumina cælo
Quàm ſint quæque magis, tanto magis edita fument
Aſſiduè fuluæ nubis caligine craſſa,
Propterea, quia cùm conſiſtunt nubila primùm,
Antè videre oculi quàm poſſint tenuia, venti
Portantes cogunt ad ſumma cacumina montis.
Hic demum fit, vti, turba maiore coorta,
Condenſa, ac ſtipata ſimul cernantur, & vdo
Vertice de montis videantur ſurgere in æthram.
Nam loca declarat ſurſum ventoſa patêre
Res ipſa, & ſenſus, monteis cùm aſcendimus altos.
Præterea permulta mari quoque tollere toto
Corpora naturam, declarant litore veſtes
Suſpenſæ, cùm concipiunt humoris adhæſum.
Quo magis ad nubeis augendas multa videntur
Poſſe quoque è ſalſo conſurgere momine ponti.
Nam rario cum ſanguine abeſt humoribus omnis.
Præterea fluuiis ex omnibus, & ſimul ipſa
Surgere de terra nebulas, æſtúmque videmus:
Quæ velut halitus, hinc ita ſurſum expreſſa feruntur,
Suffundúntque ſua cælum caligine, & altas
Sufficiunt nubeis, paullatim conueniundo.
Vrget enim quoque ſigniferi ſuper ætheris æſtus,
Et quaſi denſendo ſubtexit cærula nimbis.
Fit quoque, vt hunc veniant in cœtum extrinſecus illa
Corpora, quæ faciunt nubeis, nimbóſque volanteis.
Innumerabilem enim numerum, ſummámque profundi
Eſſe infinitam docui: quantáque volarent
Corpora mobilitate, oſtendi, quámque repentè
Immemorabile per ſpatium tranſire ſolerent.
Haud igitur mirum'ſt, ſi paruo tempore ſæpe
Tam magnos monteis tempeſtas, atque tenebræ
Cooperiant maria, ac terras, impenſa ſupernè:
Vndique quandoquidem per caulas ætheris omneis,
Et quaſi per magni circum ſpiracula mundi,
Exitus, introitúſque elementis redditus exſtat.

NVBILA CONCRESCVNT.) Quo pacto nubes & nubila concreſcant, id eſt, cogantur. HOC SVPER IN C. SP.) malim legi, ſuperà. Sic enim explico, ſuprà in hoc cæli ſpatio. MODIS ENDOPEDITA EXIG.) ordo & ſententia eſt: quæ impedita, & implicata modis exiguis, id eſt, modice, nec nimis arctè, aut adſtricte, poßint tamen complexa cohærere.

COMPRENSA) ſic potius legendum videtur, vt habent quidã lib. manuſcr. quàm vt eſt in aliis, compreſſa. atque hanc lectionem confirmat verſus ſequens, ab hoc tertius, Inde ea comprendunt inter ſe. dictum autem, comprendunt inter ſe, vt, amant inter ſe. QVAM SINT QVÆQVE) ſic habent omnes libri, ne quis ſemidoctus putet legi debere, Quo ſint quæque magis. de quo loquendi genere in ſcholiis lib. 1. diximus, ad illum locum, Et quàm quæque magis cohibet res intus inane, Tam magis, &c. Sententia autem huius loci hæc eſt. fit quoque, vt, quo montis cacumina ſunt altiora, & cælo propinquiora, eo magis nubes in eis caligino-ſæ cogantur, propterea quòd, quo primùm tempore nubes cõcreſcunt, eæ etiamnum tenues, oculis cerni non poſſunt: & prius ad ſumma montis cacumina à ventis portatæ conueniunt, & confluunt, quàm eas oculis vſurpare poßimus.

PROPTEREA, QVIA CVM CONSISTVNT N. P.) ſic reſtitui, trium lib. manuſcriptorum auctoritate fretus. nam alij habent, quia tum conſ. coniũgẽdum eſt autem aduerbium, cùm, vnà cum aduerbio primùm, vt fit, cùm primùm.

ANTE VID. OC. Q. P. T.) ante quàm oculi ea videre poßint, vt pote tenuia, & tenueis halitus. CONDENSA, ET STIPATA SIMVL C. ET VDO) hunc verſum ſic emendatum reperi in margine vnius exempli Veneti ab Aldo impreßi, quod mihi commodatò dederat Io. Pupperius Lugdunenſis. Sed neque eum, neq; duos, qui deinceps ſequũtur à proximo, Lucretianos eſſe puto.

IN ÆTHRAM) id eſt, in aëra lucidum. nomen eſt Græcum, quo ſæpe vtuntur & Latini. Virgil Æneid. 6. Nam neque erãt aſtrorum ignes, neque lucidus æthra Siderea polus. Idem lib. 12. Namque volans rubra fuluus Iouis ales in æthra, &c. Hom. ιλ. ρ. Ποίησεν δ' αἴθρην, δῶκε δ' ὀφθαλμοῖσιν ἰδέσθαι. ad quem locum Euſtath. αἴθρην λέγει τὴν λάμψιν, τὴν εὐδίαν, τὴν αἰθρίαν: id eſt æthram dicit, aërem lucidum, ſerenitatem, & cælum purum. NAM LOCA DECLARAT) ſic habent lib. quattuor manuſcripti. loca ſurſum autem interpretor, loca ſuperna. quamquam non probatur mihi hoc loquendi genus, neque hunc verſum Lucretianum eſſe arbitror, neque huic proximum. RES IPSA, ET SENSVS) ſic habent tres libri manuſcripti, quibuſcum conſentiunt antiqui Veneti, & Pariſienſes. ordo autem verborum eſt. res ipſa & ſenſus declarat, loca ſuperna patêre ventoſa, cùm, & cet. Alij habent, Res ipſa ad ſenſum. Verùm (vt iam dixi) neque hic verſus, neque ſuperior, neque ille, Condenſa, & ſtipata, &c. videntur mihi Lucretiani: neque denique horum verſuum ſententia mihi placet. Quòd ſi operæpretium eſſet eos emendare, ſic legendos putarem: Nam hoc loca declarant ſurſum ventoſa, patétque. Senſibus res ipſis, monteis cùm aſcendimus altos. Poſſet etiam ſic legi verſus prior. Nam hoc loca declarant ventoſa ſuperne, patétque, &c.

PRÆTEREA PERM. MARI Q.) ſententia horum verſuum hæc eſt: Præterea naturam multa corpuſcula è toto mari attollere declarant veſtes in litore ſuſpenſæ, cùm humorem ex mari contrahunt. At multo credibilius eſt, multa corpuſcula ex mari vnà exſiſtere poſſe, ad nubeis cogendas, & augendas. Quare ſi illud verum eſt, vt eſt: ergo & hoc.

DECLARANT LIT. VEST. SVSP.) *ſic ſuprà lib. 1. Denique fluctifraɡo ſuſpenſæ in litore veſtes Vueſcunt.*

ADHÆSVM) *vtitur & alib. hoc nomine, vt lib. 3. Nam neque pulueris interdum ſentimus adhæſum Corpore.* MOMINE) *ſi hæc ſcriptura placet, quæ reperitur in tribus lib manuſcr. & in omnibus vulgatis, momẽ põti intelligemus agitationẽ, motum, & ſalum maris. ſin cui ſuſpecta eſt, videat, præſtét ne legere, numine poni: nam in Memmiano, ſcriptum eſt. nomine: quod quidam putant deprauatũ eſſe ex, numine. omnino magis probo, momine. verùm tamen iudicet lector.*

NAM RATIO CVM. SANG. ABEST H.) *Auancius ſcriptũ reliquit, ſe, quid ſibi hic verſus velit, non videre. ego ex verbis ſententiam aliquam elici poſſe puto, ſed quorſum ponatur, aut quò pertineat, excogitare non poſſum. Omnino ſi Lucretianus eſt, videtur alieno loco eſſe inculcatus, & ſuprà potius poſt verſum, Arguit & liquidam molem, campóſque natanteis, eſſe collocandus: vt ſit hic Lucretij ſenſus. quamobrem Iupiter in mare fulmen mittit? quid vndas arguit, & mare? nam ratio, & ſanguis, & ſenſus abeſt ab aquis. Licet igitur multi mortales in aquis intereant, non tamen idcircò aquæ in crimen vocandæ ſunt, cùm ſint rationis & conſilij expertes: peccatum autem non ſit ſine conſilio & volũtate nocendi. Sed non celabo lectorem, in cod Memmiano ſcriptum eſſe, Nam ratio conſanguinea, ſe amoribus omnibus: in vulgatis autem Florentinis, Nam ratio tum ſegnis abeſt humoribus omnis: in Pariſienſibus autem, Nam ratio cum ſanguine adeſt hum. omnis.*

SVFFICIVNT) *ſuppeditant.* ÆTHERIS ÆSTVS) *calor ætheris ſigniferi. iam æthera ſigniferũ etiã ſuprà dixit lib. 5. primus ſe ſuſtulit æther Signifer.*

DENSENDO.) *id eſt denſando, vt ſup. lib. 1 Denſeri poterunt ignes, rarique relinqui.* INNVMERABILEM ENIM, &c.) *lib. 1. Omne, quod eſt igitur, nulla regione viarum Finitum'ſt, &c.*

QVANTAQVE VOLARENT CORP.) *lib. 2. ibi, Nũc quæ mobilitas ſit reddita materiai Corporibus, &c.* IMPENSA SVPERNE) *tempeſtas & tenebræ, duo illa, impenſa, id eſt, effuſa, cooperiant maria ac terras è ſupera regione. impenſa, à verbo impendor, eris: id eſt, profuſa, effuſa, magna.*

PER CAVLAS *per inania, & cauitates, vt ſup lib. 2. Diſperſámque foras per caulas eijcit omneis.* SPIRACVLA) *aditus, fauceis. Vergil. lib. 7 Æn. Hic ſpecus horrendum, & ſæui ſpiracula mundi Monſtrantur.*

Nunc age, quo pacto pluuius concreſcat in altis
Nubibus humor, & in terras, demiſſus vt imber,
Decidat, expediam. primùm iam ſemina aquai
Multa ſimul vincam conſurgere nubibus ipſis,
Omnibus ex rebus, paritérque ita creſcere vtrumque,
Et nubeis, & aquam, quæcumque in nubibus exſtat:
Vt pariter nobis corpus cum ſanguine creſcit:
Sudor item, atque humor quicumq; eſt denique membris.
Concipiunt etiam multum quoque ſæpe marinum
Humorem, veluti pendentia vellera lanæ,
Cùm ſupera magnum venti mare nubila portant.

Conſimili

Conſimili ratione ex omnibus amnibus humor
Tollitur in nubeis:quò cùm bene ſemina aquatum
Multa modis multis conuenete vndique adaucta:
Confertæ nubes vi venti mittete certant
Duplicitet.nam vis venti conttudit,& ipſa
Copia nimbotum, tutba maiore coorta,
Vrget,& è ſupeto ptemit,ac facit efflucte imbreis.
Ptæterea,cùm rareſcunt quoquc nubila ventis,
Aut diſſoluuntut ſolis ſuper icta calore:
Mittunt humorem pluuium:ſtillántque,quaſi igni
Cera ſuper calido tabeſcens multa liqueſcat.
Sed vehemens imber fit,vbi vehementer vtroque
Nubila vi cumulata premuntur,& impete venti.
At retinete diu pluuiæ,longúmque morari
Conſuerunt,vbi multa fuerunt ſemina aquatum:
Atque aliis aliæ nubes,nimbíque tigantes,
Inſupet,atque omni volgò de parte feruntur:
Tetráque cùm fumans humorem tota rehalat.
Hinc vbi ſol radiis tempeſtatem inter opacam
Aduerſa fulſit nimborum aſpergine conttà:
Tum colot in nigris exſiſtit nubibus arqui.
Cetera quæ ſurſum creſcunt,ſutſúmque cteantur:
Et quæ concreſcunt in nubibus omnia,prorſum
Omnia,nix,venti,grando,gelidæque pruinæ,
Et vis magna geli,magnum duramen aquarum,
Et mora,quæ fluuios paſſim tefrenat eunteis:
Perfacile'ſt tamen hæc reperire,animóque videte
Omnia quo pacto fiant,quatéve cteentut,
Quom bene cognoris,elemeentis teddita quæ ſint.

NVNC AGE, Q. P.) *Nunc de aqua pluuia, & imbribus.* DEMISSVS.) *Sic malo legi, quàm dimiſſus.* VINCAM) *firmiſsimis argumentis probabo. ſic lib. 2. Quod quoniam vinco fieri, nunc eſſe docebo. ſic* Horat. *ſaty. 3. lib. 2.* Vincit *enim ſtultos ratio inſanire nepotes.*

VT PARITER NOBIS CORPVS) *Malim ſic legi, ſi libri patiantur,* Vt *pariter nobis ſanguis cum corpore creſcit.*

SVDOR ITEM, ATQVE HVMOR) *hunc verſum, vt ſpurium, delendum cenſeo.* CONCIPIVNT) *alibi ſcribitur,* Conſugunt. *alibi,* Conciliant.

VELLERA LANÆ) *vellus à vellendo dictum eſſe docet* Varro *libro quarto de lingua* Latina, *ſic vtrumque coniungit* Horat. *od. 13. epod.* Muricibus Tyrius *iteratæ vellera lanæ* Cui *properabantur?*

MITTERE) *aquas conceptas, & collectas.* TVRBA MAIORE COORTA) *ſic legendum eſſe vincis verſus, qui paullo antè poſitus eſt, Hîc demũ fit vti, turba maiore coorta, &c.* FACIT EFFLVERE) *ſic loquitur ſup. lib. 5. Qui faciant ſolem certa de ſurgere parte. & hoc eodem lib. ſuprà, Hæc faciunt primùm vacuas conſiſtere nubeis. & item alibi.*

STILLANTQVE) *ſic reſtitui, cùm in omnibus libris tum manuſcriptis, tum vulgatis, (præter Florent. qui habent, ſtillando) legatur, ſtillante, planè mẽdosè. Arbitror autem à Lucretio ſcriptum eſſe, ſtillántque: deinde à ſcriptore librario deſcriptum multis poſt ſæculis, ſtillántce. c pro qu. vt aca, pro aqua: poſtremò à nonnullis factum, ſtillante, detracto c. quòd eam litteram inanem, & ſuperuacaneam putarint. Hæc Zoilus non probat: reditque ad ſuos vomitus: verſus volui dicere, vt cenſeat legendum, ſtillantia quaſi igni.*

AT RETINERE) *Nũc, cur interdũ lõgæ & diuturnæ ſint pluuiæ. Sed cur nõ dixit, At durare diu pluuiæ, &c. Reſpõdeo. pluuiæ, quæ durant, homines morãtur, & retinent. Itaq; ex effectu, hoc eſt, ex eo, quòd pluuiæ retinẽt, durare intelligũtur.*

REHALAT) *humorem è cælo delapſum iterum, atque iterum ſurſum halat.*

HINC, VBI SOL RADIIS) *Nũc de arcu, ſeu arquo, ſeu arco cæleſti, qui Iris à Græcis appellatur. Nonnulli libri habent, Hîc vbi, &c.*

ADVERSA FVLSIT) *nam ſemper fit ex aduerſa ſoli parte. Atque ex hoc probant, iridem, ſeu arcum pluuiũ nihil eſſe aliud, quàm adſpectus noſtri refractionem, ad ſolem: quam Græci* ἀνάκλασιν *appellant.* Ἔστιν οὖν τὸ τῆς ἴριδος πάθος τοιοῦτον, *inquit Plutarchus lib. 3.* περὶ τῆς ἴριδος. δεῖ γὰρ ἐπινοῆσαι τὴν ὑγρὰν ἀναθυμίασιν εἰς νέφος μεταβάλλουσαν, εἶτα ἐκ τοῦ κατὰ βραχὺ εἰς μικρὰς ῥανίδας νοτίζουσαν. ὅταν οὖν ὁ ἥλιος κλίνηται εἰς δυσμὰς, ἀνάγκη πᾶσαν ἶριν ἀντικρὺ ἡλίου φαίνεσθαι, ὅτι ἡ ὄψις προσπίπτουσα ταῖς ῥανίσιν, ἀνακλᾶται, ὥστε γίνεσθαι τὴν ἶριν. *id eſt. Eſt igitur Iris affectus talis. Oportet enim exhalationem humidam cogitare, quæ in nubem mutetur: deinde paullatim in paruas guttas liqueſcat. Cùm igitur ſol in occaſu fuerit, neceſſe eſt omnem arcum cæleſtem è regione ſolis videri. quia cùm adſpectus noſter in guttas illas incidit, refringitur, ita vt fiat Iris. De Iride legendus Ariſtoteles lib.* μετεωρ. γ. *vt & de aliis omnibus rebus ſuperis, ſuo vnaquaque loco.*

TVM COLOR IN) *hunc verſum profert Nonius in voce, arcus, legitque hoc loco arqui, non arci, docens, arquum, dici Irim: arcum, ſuſpenſum fornicem. Priſcianus verò libro ſexto probat ex Cicerone libro tertio de natura Deorum, arcum arci in ſecunda quoque declinatione vſurpari pro arcu cæleſti. Sic Cic. Cur autem arci ſpecies non in numero deorum reponatur? Exſiſtunt porrò, aut certè appárent tres colores in iride: puniceus, viridis, purpureus.*

NIX.) *Nix fit cùm tenuis aqua è nubibus fuſa, ſenſim décidens concreſcit non longè à terra, ſed longè à nubibus, è quibus effuſa eſt, ita vt, propter magnum interuallum, guttæ rotunditatem ſuam conſeruare non potuerint, ſed diſtractæ iam, ac diuulſæ, ad locum, vbi frigore concreuerunt, peruenerint.*

GRANDO) *Grando fit, cùm guttæ è nubibus effluentes, ſtatim vt ex illis exſiluerunt, frigore concreſcunt guttæ autem omnes rotũdæ ſunt natura, quod ſenſus docet, ac indicat. Ita fit, vt guttæ illæ, quæ natura rotundæ ſunt, antè quàm longius à nubibus recedunt, frigore, quod ibi eſt acerrimum, & intenuſſimum propter antiperiſtaſin, concretæ, fiant id, quod dicuntur, ex aqua, grandines. Ex quo niues fiunt hieme maximè: at grandines Vere, atque Autumno.*

GELIDÆ Q. PRVINÆ) *Pruina, ros eſt congelatus, & frigore concretus. Itaque ros fit æſtate maximè, interdum etiam vere, & in locis tepidis, & calidis: pruina verò, quam πάχνην nominant Græci, hieme, & in locis frigidis.*

MAGNVM DVRAMEN) *aquæ duratæ, ſeu vis ea, quæ durat aquas, ſeu glacies, κρύσταλλος: ex cuius ſimilitudine ſuprà lib. 1. glaciem æris dixit, tenuem æris laminam, ſeu bracteam, quæ glaciei inſtar, ſit læuis, & rigida. ibi. Tum glacies æris flamma deuicta liqueſcit: vbi vulgò legebatur, Tum glacies acri fl. d. &c.*

ET MORA, QVÆ FL.) *idem dicit. glaciem enim ſignificat, quæ fluuios moratur. ſic Virgil. lib. 4. Georg. & glacie curſus frenaret aquarum. & Horat. epiſt. ad Iul. florum. Thracáne vos, Ebrúſque, niuali compede vinctus, &c.*

EVNTEIS) *quidam libri habent, aquanteis: in his Florentini.*

REPERIRE) *quidam legendum putant, ſe per te, animóque videre.*

ANIMOQVE VID.) *ſic ſuprà lib. 5. & corde vigebant.*

Nunc age, quæ ratio terraï motibus exſtet,
Percipe, & in primis terram fac vt eſſe rearis
Subter item, vt ſupera'ſt, ventis, atque vndique plenam
Speluncis, multóſque lacus, multáſque lacunas
In gremio gerere, & rupeis, deruptáque ſaxa:
Multáque ſub tergo terraï flumina tecta
Voluere vi fluctus, ſubmerſáque ſaxa, putandum'ſt.
Vndique enim ſimilem eſſe ſui, res poſtulat ipſa.
His igitur rebus ſubiunctis, ſuppoſitíſque,
Terra ſuperne tremit magnis concuſſa ruinis
Subter, vbi ingenteis ſpeluncas ſubruit ætas.
Quippe cadunt toti montes, magnóque repentè
Concuſſu latè diſſerpunt inde tremores:
Et meritò, quoniam plauſtris concuſſa tremiſcunt
Tecta viam propter non magno pondere tota.
Nec minus exſultant, vbi currus fortis equûm vis
Ferratos vtrimque rotarum ſuccutit orbeis.
Fit quoque, vbi magnas in aquæ, vaſtáſque lacunas
Gleba vetuſtate è terra prouoluitur ingens,
Vt iactetur aqua, & fluctu quoque terra vacillet:
Vt vas in terra non quit conſtare, niſi humor
Deſtitit in dubio fluctu iactarier intus.
Præterea ventus cùm per loca ſubcaua terræ
Conlectus parti ex vna procumbit, & vrget
Obnixus magnis ſpeluncas viribus altas:
Incumbit tellus, quò venti prona premit vis.
Tum, ſupera terram quæ ſunt exſtructa domorum,

Ad cælúmque magis quanto ſunt edita quæque,
Inclinata minent in eandem prodita partem,
Protractæque trabes impendent ire paratæ.
Et metuunt magni naturam credere mundi
Exitiale aliquod tempus, cladémque manere,
Cùm videant tantam terrarum incumbere molem.
Quòd niſi reſpirent venti: non vlla refrenet
Res, neque ab exitio poſſit reprendere euntem.
Nunc, quia reſpirant alternis, ínque graueſcunt,
Et quaſi conlecti redeunt, cedúntque repulſi:
Sæpius hanc ob rem minitatur terra ruinas,
Quàm facit. inclinatur enim, retróque recellit,
Et recipit prolapſa ſuas ſe in pondere ſedes.
Hac igitur ratione vacillant omnia tecta,
Summa magis mediis, media imis, ima perhilum.

NVNC AGE, QVÆ RATIO) *Nunc de terræ motibus, de quorum variis generibus lege Ariſtot. lib. de mundo. cap. 4. & μετεωρολ. β. cap. 7. & 8.*

ET IN PRIMIS TERRAM F. VT) *hæc ſententia fuit* Democriti, *vt ſcribit Ariſtot. lib. 2. de reb. ſuperis.* Δημόκριτος δέ φησι πλήρη τὴν γῆν ὕδατος οὖσαν, καὶ πολὺ δεχομένην ἕτερον ὄμβριον ὕδωρ, ὑπὸ τούτου κινεῖσθαι. πλείονός τε γὰρ γινομένου, διὰ τὸ μὴ δέχεσθαι τὰς κοιλίας, ἀποβιαζόμενον ποιεῖν τὸν σεισμόν, καὶ ξηραινομένην καὶ ἕλκουσαν εἰς τοὺς κενοὺς τόπους ἐκ τῶν πληρεστέρων, τὸ μεταβάλλον ἐμπῖπτον κινεῖν. *id eſt,* Democritus *autẽ ait, terram, cùm ſit aquæ plena, multámque aliam aquam pluuiam recipiat, ab hac moueri. Nam & cùm hæc augetur, creſcitque, propterea quòd lacunæ totam non recipiunt, eam vi irrumpentem, terræ motum efficere: & terram areſcentem, atque in partes inanes è locis plenioribus attrahentem, ab aqua locum mutante & illabẽte moueri. Sic ferè* Plutarchus *lib. 3.* περὶ τῶν ἀρεσκ. *ex ſententia* Epic. Ἐπίκουρος φησὶν ἐνδέχεσθαι μὲν ὑπὸ τοῦ πάχους ἀέρος τοῦ ὑποκειμένου, ὑδατώδους ὄντος, ἀνακρουομένην αὐτήν, καὶ οἷον ὑποτυπτομένην, κινεῖσθαι. *id eſt,* Epicurus *ait euenire poſſe, vt terra à craſſo aëre ſubiecto, qui ſit aquoſus, repulſa, & veluti ſubtus verberata, moueatur.*

MVLTAQVE SVB TERGO) *id eſt, & multa flumina ſub terra latentia fluctuare, & ſaxa vnà ſecum rapere è locis plenioribus.*

SIMILEM ESSE SVI) *terram. cod. Vatic. habet, ſimile eſſe & par, res poſtulat ipſa.* HIS IGITVR REB. SVBIVNCT. SVPP.) τούτων δὲ ὑποκειμένων, καὶ ὑποτεθέντων. TERRA SVPERNE TREMIT) *millies iam dixi, vltimam ſyllabam aduerbij, supernè, breuem eſſe: itaque eos errare, qui hoc loco & ſimilibus legi volunt, ſuperna, præſertim reclamantibus omnibus libr., & manuſcriptis, & vulgatis, præter Venetos antiq. & Pariſienſ.*

DISSERPVNT) *ſic legendum, non, diſcerpunt. diſſerpunt, autem, id eſt, in diuerſas partes ſerpunt, & dimanant & diuagantur.*

QVONIAM NON MAGNO) *argumentum à minori.*

VIAM PROPTER) ἀντὶ τοῦ ἐγγύς: *propter viam, id eſt, prope viam, vt propter viam facere. de quo Feſtus, & Macrob.*

NEC MINVS EXSVLT. VBI CVRR. FORTIS EQVVM VIS) *ſecutus eram initio codices Florent. Lugdun. Venetos, Baſilienſeis, in quibus ſic legitur, Nec minus exſultant vbi currus cuinque equitum vi. nam alij vulgati habent, Nec minus exultantia ſunt, fortis quàm vbi equûm vis. Memmianus autem manuſcript. Nec minus exultantes dupuiſcumque vim. ex quibus ſcripturis vitiatis, & corruptis, nunc hanc elicio. Nec minus exſultant, vbi currus, fortis equûm vis, &c. vt ſit hic ordo verborum, hæcque ſententia, Nec minus exſultãt, (tecta ſubint.) vbi fortis equûm vis, hoc eſt, fortes equi, ſuccutit, (ſuccutiunt) vtrimque ferratos orbeis rotarum. currus. currus enim, eſt patrij caſus.*

FIT QVOQVE, VBI MAGNAS IN AQVÆ,) *ſic reſtitui, ſcripturæ veteris veſtigia ſecutus. Sic enim habent quattuor libri manuſcripti, Fit quoque, vbi in magnas aquæ. vulgati autẽ fœdè corrupti ſunt, in quibus ita legitur, Fit quoque, vbi in magnas æquè. Venetos antiq. & Pariſienſ. & Vicetinos excipio: in quibus eſt, Fit quoque, vbi magnas in aquas, &c. quam lectionẽ non damno, ſed illam magis probo. Verùm non probat eam Zoilus, ſed quãdam perrecónditam, talem ſcilicet: Fit quoque vbi in magnas aquæ, &c. aqua interdum (inquit) habet primam longam, vt docet Beda libro de metris. Primùm Beda non dicit hoc eſſe perpetuum: deinde Beda non profert hunc locum, ſed alium, qui eſt infrà, Quæ calidum faciunt aquæ tactum, atque ſaporem. in quo tamen oſtendã, Bedam falli, neq; eius me mouet auctoritas. Sic igitur hunc locũ eſſe legendũ aio, vt olim edidi, quidquid dicant Zoili, & ſycophantæ. Licebit tamen legere, vt illi volunt, modò aquæ ſit triſyllab.*

VT IACTETVR AQVA ET FLVCTV Q. T. VACILL.) *Cùm olim hanc ſcripturam codicum Pariſienſium ſecutus eſſem, Vt iactetur aquæ fluctu quoque terra vacillans: hæc annotaram, his ipſis verbis. ſecutus ſum codices Pariſienſeis. nam alij vulgati partim habent, Vt iactetur, aquæ fluctu quoque terra vacillet: partim, Vt iactentur aquæ, fluctu quoque terra vacillet. manuſcripti autem etiam inter ſe diſſentiunt, & alij cum his, alij cum illis vulgatis congruunt. Memmianus porrò in eo quòd habet, vacillans, etiam cum Pariſienſibus conſentit. legendum fortaſſe eſt, Vt iactetur aqua, & fluctu quoque terra vacillet. Hanc igitur ſcripturam nunc magis probo, idque pro meo iure: ab iiſque, qui eam mihi palàm ademerunt, recuperatorio iudicio repeto.*

VT VAS IN TERRA, &c.) *id docet à ſimili, hoc modo. Quemadmodum (inquit) ſi aqua, quæ eſt in vaſe, moueatur, mouetur & vas, neque prius moueri deſinit, quàm aqua moueri deſita ſit.*

IACTARIER) *in codice Vaticano ſcriptum eſt, verſarier.*

PRÆTEREA VENTVS) *aliam rationem affert terræ motus.*

EXSTRVCTA DOMORVM) *talia ſunt illa, ſtrata viarum, ſtructa ſaxorum, &c.* AD CÆLVM) *& quanto quæque ſunt editiora, & à terra remotiora edificia, tanto magis, tantóque latius mouentur.*

MINENT) *ſic repoſui, cùm libri omnes & manuſcripti, & vulgati, habeant partim, micant, partim, minant, partim, manent, partim hoc ipſum, minent. minent autem, verbum eſt ſimplex pro compoſito poſitum, imminent. atque ita habent codices Veneti anno* CIↃ. CCCCLXXXXV. *impreſſi.*

PRODITA) *ſic habent omnes libri tum manuſcr. tum vulgati, quos quidem viderim: quidam tamen in nõnullis ſcriptum dicunt eſſe, percita: ex qua putat quidam amicus meus legendum, prócita. ego nil mutãdum cenſeo. ſic enim paullo pòſt*

loquitur. rerúmque ſequatur prodita ſumma. ET METVVNT M. N. CR.) *& homines metuunt vſque adeò, vt credant exitium aliquod, cladémque mundo imminere. metuunt credere, more Græcorum dictum eſſe puto, φοβοῦνται πιστεύειν, ὥστε πιστεύειν.* QVOD NISI RESP. VENTI: NON VLLA R.) *i. ſi autem non reſpirarent venti: nulla res terram refrenaret, aut reprimeret, nulláque eam euntem, & pereuntem, ab interitu retinere poſſet.*

REPRENDERE EVNTEM) *ſic habẽt aliquot lib. manuſc. euntes autẽ, quod eſt in vulg. factũ ex, euntez, per z. ζ, autem ſcribebant librarij illi ſcriptores pro m.*

RETROQVE RECELLIT) *id eſt, reclinat. & ita Feſtus.*

ET RECIPIT PROL. SVAS SE IN POND. S.) *ordo eſt. Et prolapſa ſe in ſuas ſedes, pondere, id eſt, per ſuum pondus, recipit.*

PERHILVM) *perpaullum.*

Eſt hæc eiuſdem quoque magni cauſa tremoris,
Ventus vbi, atque animæ ſubitò vis maxima quædam,
Aut extrinſecus, aut ipſa à tellure coorta,
In loca ſe caua terraï coniecit, ibíque
Speluncas inter magnas fremit antè tumultu:
Verſabundáque portatur pòſt incita quom vis:
Exagitata foras erumpitur, & ſimul altam
Diffindens terram, magnum concinnat hiatum:
In Tyria Sidone quod accidit, & fuit AEgis
In Peloponneſo. quas exitus hic animaï
Diſturbât vrbeis, & terræmotus obortus?
Multáque præterea ceciderunt mœnia magnis
Motibus in terris, & multæ per mare peſſum
Subſedere ſuis pariter cum ciuibus vrbes.
Quòd niſi prorumpit, tamen impetus ipſe animaï,
Et fera vis venti, per crebra foramina terræ
Diſpertitur, vt horror: & incutit inde tremorem:
Frigus vti noſtros penitus cùm vênit in artus:
Concutit inuitos cogens tremere, atque moueri.
Ancipiti trepidant igitur terrore per vrbeis:
Tecta ſuperne timent, metuunt inferne, cauernas
Terraï ne diſſoluat natura repente:
Neu diſtracta ſuum latè diſpandat hiatum:
Idque ſuis confuſa velit complere ruinis.
Proinde licet quamuis cælum, terrámque reantur
Incorrupta fore, æternæ mandata ſaluti:
Attamen interdum præſens vis ipſa pericli
Subdit ar hunc ſtimulum, quadam de parte, timoris,
Ne pedibus raptim tellus ſubtracta feratur

In barathrum, rerúmque ſequatur prodita ſumma
Funditus, & fiat mundi confuſa ruina.

EST HÆC EIVSDEM) *alia cauſa terræ motus, quæ etiam à Plutarcho exponitur eodem loco, his verbis:* ἐνδέχεσθαι δὲ καὶ σηραγγώδη τῆς κατωτέρω μέρους καθεστῶσαν, ὑπὸ τοῦ διασπειρομένου πνεύματος εἰς τὰς ἀντροειδεῖς κοιλότητας ἐμπίπτοντος σαλεύεσθαι. *id eſt fieri poſſe autem, vt terra, quæ ſit in inferiorib. partibus cauernoſa, à vento diſperſo, & in cauitates antrorum ſimileis incitato, quatiatur.*

ANIMÆ SVB. VIS) *vis animæ, id eſt vis flatus, vt ſæpe aliàs.*

AVT IPSA A TELLVRE) *ſic legendum eſt, vel, vt habent nonnulli alij lib. veteres, ab tellure: quibuſcum conſentiunt cod. Florentini. nam alij libri vulgati non habent præpoſitionem.* CONCINNAT) *efficit, vt ſæpe aliàs.*

IN TYRIA SIDONE QVOD ACC.) *Iuſtinus lib. 18. Tyriorum gens cõndita à Phœnicibus fuit, qui terræ motu vexati, relicto patriæ ſolo, Aſſyrium ſtagnum primò, mox mari proximum litus incoluerunt, cõndita ibi vrbe, quam à piſcium vbertate, Sidona appellauerunt. Nam piſcem Phœnices ſidon vocant. Hæc icirco notaui, quòd omnes ferè libri vulg. habent, in Syria Sidone, mendosè. atq; hanc meam emendationem Zoilus ſibi adſcripſit more ſuo.*

ET FVIT ÆGIS IN PELOP.) *Ægis Achaicis. hunc terræ motum fortaſſe ſignificat Ariſt. lib. 2. meteor. cap. 8. ibi,* ἐγένετο δὲ καὶ περὶ Ἀχαΐαν *&c. nam ſatis eſt mihi locum indicaſſe.* DISTVRBAT VRBEIS) *ſecutus ſum codices manuſcriptos. neque verò eſt quòd quenquam moueat vltima ſyllaba verbi, diſturbât. eſt enim longa, pro præterito, diſturbauit, poſita, vt ſup. lib. I. Virtutem inritât animi, pro irritauit. Mendoſi igitur ſunt omnes libri vulgati, quorum alij habent, Diſturbauit res, vt Florent. alij, Diſturbátq; vrbeis, vt Veneti antiq. alij, Diſturbans vrbeis: vt Veneti recentiores, & Lugd. & Baſil. Hanc quoque emendationem compilauit Zoilus: & profectò piget me ſingillatim huius ſycophantæ furta apertiſſima, atque impudentiſſima indicare.* MVLTAQVE PRÆT.) *lege Plin. lib. 2. cap. 80.* PESSVM) *deorſum, & quaſi ſub pedes. nõnulli tamẽ lib. habent, paßim.*

DISPERTITVR, VT HORROR, &c.) *ſic ferè Ariſtot. lib. β. μετεωρ.* δεῖ γὰρ νοεῖν, ὅτι, ὥσπερ ἐν τῷ σώματι ἡμῶν, καὶ τρόμων, καὶ σφυγμῶν αἴτιόν ἐστιν ἡ τοῦ πνεύματος ἀπολαμβανομένη δύναμις, οὕτω καὶ ἐν τῇ γῇ τὸ πνεῦμα παραπλήσια ποιεῖν, καὶ τὸν μὲν τῶν σεισμῶν, οἷον τρόμον εἶναι, τὸν δ' οἷον σφυγμόν. *id eſt intelligere enim oportet, quemadmodum in corpore noſtro, tremorum, & pulſuum cauſa eſt efficiens vis animæ, ſeu flatus, qui intercipitur, ita & in terra flatum ſimile quiddam efficere, & terræ motus alios eſſe veluti tremores, alios pulſibus conſimileis.*

TECTA SVPERNE TIM. METVVNT INFERNE) *ſic legendum, & ita ſcriptum eſt in codice Vaticano, Tettiano, & Memmiano. quibuſcum congruunt codices Florentini, & Veneti recentiores. alij autem, in quibus ſuppoſitum eſt, ſuperna, &, interna, mendoſi ſunt, quippe corrupti ab iis, qui putarent, in illis aduerbiis vltimam ſyllabã longam eſſe. quod falſum eſt, vt ſæpe iam diximus. ſubintellige autem in, timent, metuunt, homines, hoc modo, timent homines à ſuperiore parte, ne tecta corruant, ſcilicet: inferne, id eſt ab inferiore parte, metuunt, ne terræ cauernas repente natura diſſoluat.* NEV DISTRACTA SVVM L. D.) *&, néve terra diuulſa, ſuum hiatũ latè in diuerſas parteis aperiat. Mirè autẽ terræ motum deſcripſit, eiúsque magnitudinem terroris plenam auxit, & amplificauit: vi-*

detúrque cum Homero certaſſe, qui non diſsimili ratione terræ motum excitatum à Neptuno tùm, cùm Achilles placatus Græcis, prœlium longo interuallo iniit, exaggerauit: niſi quòd Lucr. noſter non eſt auſus tanta ſermonis vti ſuperlatione, quãta Homerus. Sed præſtat Homeri verſus adſcribere. Sic igitur ille in libro Υ. αὐτὰρ ἔνερθε Ποσειδάων ἐτίναξε Γαῖαν ἀπειρεσίην, ὀρέων τ' αἰπεινὰ κάρηνα. Πάντες δ' ἐσσείοντο πόδες πολυπιδάκου Ἴδης, Καὶ κορυφαί, Τρώων τε πόλις, καὶ νῆες ἀχαιῶν. Ἔδδεισεν δ' ὑπένερθεν ἄναξ ἐνέρων Ἀϊδωνεὺς, Δείσας δ', ἐκ θρόνου ἆλτο, καὶ ἴαχε, μή οἱ ὕπερθε Γαῖαν ἀναρρήξειε Ποσειδάων ἐνοσίχθων, Οἰκία δὲ θνητοῖσι, καὶ ἀθανάτοισι φανείη Σμερδαλέ', εὐρώεντα, τά τε στυγέουσι θεοί περ *&c. id eſt, Neptunus autem infernè terram immenſam, montiúmq; alta cacumina concuſsit: omnes Idæ radices, ſeu pedes vacillabant, & vertices: tum vrbs Troianorum, & Græcorum naues commotæ ſunt. Timuit autem inferne rex inferorum Pluto, & timore affectus è ſede ſua exſiluit, & vociferatus eſt, ne ſubtus ſibi terram perfringeret Neptunus, ædes autem ſuæ terribiles, & ſitu ſentæ, quas etiam dij horrent atque oderunt, mortalibus, & immortalib. paterent. Tantus ſonitus excitatus eſt, diis ad pugnandum congreſsis.*

SVBDITAT H. STIM.) *hunc ſtimulum timoris ſubter admonet.*

NE PEDIBVS RAPTIM, &c.) *ſic lib. 1. extr. Terráque ſe pedibus raptim ſubducat, &c.* PROINDE, LICET QVAMVIS) *id eſt proinde, quantumuis licet homines putent mundum eſſe immortalem, numquámque interiturum: ipſa tamen periculi magnitudo interdum eos timere cogit, ne terra ſeſe eorum pedibus ſubtrahat, atque in barathrum præceps cadat.*

Nunc ratio reddunda, augmen cur neſciat æquor.
Principiò mare mirantur non reddere maius
Naturam, quò tantu' fuat decurſus aquarum:
Omnia quò veniant ex omni flumina parte.
Adde vagos imbreis, tempeſtatéſque volanteis:
Omnia quæ maria, ac terras ſpargúntque, rigántque:
Adde ſuos fonteis: tamen ad maris omnia ſummam,
Guttaï vix inſtar erunt vnius ad augmen:
Quo minus eſt mirum, mare non augeſcere magnum.
Præterea magnam ſol partem detrahit æſtu.
Quippe videmus enim, veſteis humore madenteis
Exſiccare ſuis radiis ardentibu' ſolem.
At pelage multa, & latè ſubſtrata videmus.
Proinde licet quamuis ex vno quoque loco ſol
Humoris paruam delibet ab æquore partem:
Largiter in tanto ſpatio tamen auferet vndis.
Tum porrò venti magnam quoque tollere partem
Humoris poſſunt, verrentes æquora ponti:
Vna nocte vias quoniam perſæpe videmus
Siccari, molliſque luti concreſcere cruſtas.
Præterea docui, multum quoque tollere nubeis

Humorem,

Humorem, magno conceptum ex æquore ponti:
Et paſſim toto terrarum ſpargere in orbe,
Cùm pluit in terris, & venti nubila portant.
Poſtremò, quoniam raro cum corpore tellus
Eſt, & coniunctas oras maris vndique cingit:
Debet, vt in mare de terris venit humor aquaï,
In terras itidem manare ex æquore ſalſo.
Percolatur enim virus, retróque remanat
Materies humoris, & ad caput amnibus omnis
Confluit: inde ſuper terras redit agmine dulci:
Quà via ſecta ſemel liquido pede detulit vndas.

NVNC RATIO REDD.) *Cur tot fluuiis in more decurrentibus, mare tamen nihilo maius fiat, quæſitum eſt ab antiquis, teſte Ariſtot. lib. 2. μετεωρ. cuius hæc verba ſunt.* τὸ δὲ ζητεῖν τὴν ἀρχαίαν ἀπορίαν, διὰ τί τοσοῦτον πλῆθος ὕδατος οὐδαμοῦ φαίνεται (καθ' ἑκάστην γὰρ ἡμέραν ποταμῶν ῥεόντων ἀναριθμήτων, καὶ τὸ μέγεθος ἀπλέτων, οὐδὲν ἡ θάλαττα γίνεται πλείων) τοῦτο οὐδὲν μὲν ἄτοπον ἀπορῆσαί τινας, οὐ μὴν ἀποβλέψαντί γε, χαλεπὸν ἰδεῖν. τὸ γὰρ αὐτὸ πλῆθος ὕδατος εἰς πλάτος τε διαταθὲν, καὶ ἀθρόον, οὐκ ἐν ἴσῳ χρόνῳ ἀναξηραίνεται, ἀλλὰ διαφέρει τοσοῦτον, ὥστε τὸ μὲν διαμεῖναι ἂν ὅλην τὴν ἡμέραν, τὸ δὲ, ὥσπερ εἴ τις ἐπὶ τράπεζαν μεγάλην περιχέειεν ὕδατος κύαθον, ἅμα διανοουμένοις ἂν ἀφανισθείη πᾶν. ὃ δὴ καὶ περὶ τοὺς ποταμοὺς συμβαίνει. συνεχῶς μὲν γὰρ ῥεόντων ἀθρόον, ἀεὶ τὸ ἀφικνούμενον εἰς ἀχανῆ καὶ πλατὺν τόπον ἀναξηραίνεται ταχὺ καὶ ἀδήλως. *id eſt, Quærere autem id, de quo ab antiquis dubitatum eſt, quamobrem tanta aquæ multitudo nuſquam appareat: (innumerabilibus enim & immenſis fluminibus quotidie in mare influentibus, id nihilo fit maius) hoc quidem non eſt abſurdum ſi nonnulli dubitēt: non eſt tamen, ſi quis attendat, rationem videre difficile. Nam eadem aquæ magnitudo in latitudinem confertim effuſa, non æquali tempore areſcit: ſed hoc differt, quòd pars quidem totum diem permanere poſſit, pars autem puncto temporis euaneſcat, proinde ac ſi quis aquæ cyathum in magnam menſam profuderit, ac dilatarit. quod & hic accidit. Aſſiduè enim & continenter, & confertim influentibus in mare fluminibus, ſemper id, quod delabitur in locum vaſtum, & latum, citò, & obſcurè areſcit. hactenus Ariſtot. Idem ibidem refellit ſententiam Platonis in Phædone de Tartaro, quem ille putat principium & fontem eſſe omnium aquarum.*

QVO TANTVS FVAT DECVRS. AQVAR.) *ſic nunc reſtitui. Nam vulgo legitur, quò ſit tantus dec. aq. alij legunt, quò fiat tantus decurſ. aq. quod ferri non poteſt.* DECVRSVS AQVARVM, *tranſlatè, & tamen vſitatè dictum eſt. ſic lib. I. Montibus ex altis magnus decurſus aquaï, &c.*

OMNIA QVO VENIANT EX O. FL.) *ſuprà lib. I. Efficit, vt largis auidum mare fluminis vndis Integrent amnes, &c. Sic Plautus in Trucul. Nam hoc aſſimile eſt, quaſi de fluuio qui aquam deriuat ſibi. Niſi deriuetur, tamen omnis ea aqua abeat in mare. Nam in mare abit, miſeréque perit ſine omni bona gratia. ſequitur paucis pòſt verbis. Meretricem ego item eſſe reor, mare vt eſt. quod des, deuorat, nec vnquam abundat. at hoc ſaltem ſeruatum tibi æſtuat. id apparet. huic des quantum uis, nuſquam apparet, neque datori, neque acceptrici.* AD MARIS OMN. SVMM.) *id eſt, ſi cum maris ſumma omnia comparentur.*

AD AVGMEN) *ad augendum mare.* PRÆTEREA MAGNAM SOL P.) *alia ratio, quamobrem mare non augeatur, tot fluuiis in id influentibus.*

AT PELAGE MVLTA) *Cùm & in aliquot lib. manuſcriptis reperiſſem ſcriptum, At pelagi multa, & viderem, ſcripturam vulgatam, pelago, ferri non poſſe, ſic repoſui, præſertim cùm viderem codices Florent. ſic habere, ſciremque Marullum hanc lectionem probauiſſe. pelage autem, id eſt maria, quarti caſus eſt,* πελάγη. *quo vtitur ſup. lib. 5. princip.* Propter Atlantéum litus, pelagéque ſeuera. *vtitur & Catull. in Galliambo.* Rapidum ſalum tuliſtis, truculentáque pelage: *quamquam non pugnem cum iis, qui apud Catull. lectionem vulg. malint, pelagi, in patrio caſu.*

DE LIBET) *deguſtet, & ita detrahat, & deminuat. quidam tamen legendum etiam hoc loco putant, delibret: nonnulli, delimet.* TVM PORRO) *alia ratio.*

VERRENTES) *ſic ſup. lib. 5.* Partim quòd validi verrẽtes æquora venti Deminuunt, radiiſque retexens ætherius ſol.

MOLLISQ. L. CONCR.) *& lutum, quod erat molle, dureſcere.*

PRÆTEREA DOCVI) *alia ratio.* CONCEPTVM) *contractũ, hauſtũ.*

POSTREMO QVONIAM) *poſtrema ratio, quæ eſt huiuſmodi. quoniam (inquit) terra raro corpore eſt, & oras maris extremas & proximas omni ex parte cingit: quemadmodum aqua è terris in mare, ita è mari in terrã manare debet. libri quidem omnes habent, & coniuncta' ſt oras maris vndique cingens. ſed putaui legendum, & coniunctas oras maris vndique cingit. Verumtamen illam non damno.*

PERCOLATVR ENIM) *hic verſus, & tres deinceps ſequentes, iam ſuprà poſiti ſunt lib. 5.* QVA VIA SECTA) *Hunc quidem verſum cum tribus, qui proximè antecedunt, profert Lucretius libro 5. ſed quia fugit me, ſuprà lectorem admonere, ſecare viam, & via ſecta, Virgilium quoque dixiſſe, hic, ſerius quidem, ſed non alieno loco tamẽ, admonebo, & verſus indicabo. Sic igitur Virgil. Georg. I.* Has inter, mediámq, duæ mortalib. ægris Munere conceſſæ diuûm: & via ſecta per ambas: *&c. Idem lib. VI. in extr.* Ille viã ſecat ad naueis, *&c. Idem lib. XII.* Sic Turno, quacumque viam ſecat, agmina cedunt.

Nunc ratio quæ ſit, per fauceis montis vt AEtnæ
Exſpirent ignes interdum turbine tanto,
Expediam. neque enim media de clade coorta
Flammæ tempeſtas, Siculûm dominata per agros,
Finitimis ad ſe conuertit gentibus ora,
Fumida quom cæli ſcintillare omnia templa
Cernentes, pauida complebant pectora cura,
Quid moliretur rerum natura nouarum.
Hiſce tibi in rebus late'ſt, altéque videndum,
Et longè cunctas in parteis diſpiciendum,
Vt reminiſcaris, ſummam rerum eſſe profundam,
Et videas, cælum ſummaï totius vnum,
Quàm ſit paruola pars, & quàm multeſima conſtet,
Et quota pars homo ſit terraï totius vnus.
Quod bene propoſitum ſi planè contueare,

Ac videas: planè mirari multa relinquas.
Num quis enim noſtrûm miratur, ſi quis in artus
Accepit calido febrim feruore coortam,
Aut alium quemuis morbi per membra dolorem?
Obturgeſcit enim ſubitò pes, arripit acer
Sæpe dolor denteis: oculos inuadit in ipſos:
Exſiſtit ſacer ignis, & vrit corpore ſerpens,
Quamcunque arripuit partem, repítque per artus,
Nimirum, quia ſunt multarum ſemina rerum,
Et ſatis hæc tellus nobis, cælúmque mali fert,
Vnde queat vis immenſi procreſcere morbi.
Sic igitur toti cælo, tèrræque putandum'ſt,
Ex infinito ſatis omnia ſuppeditare,
Vnde repentè queat tellus concuſſa moueri,
Pérque mare, & terras rapidus percurrere turbo,
Ignis abundare AEtnæus, flammeſcere cælum.
Id quoque enim fit, & ardeſcunt cæleſtia templa:
Vt tempeſtates pluuiæ, grauiore coortu
Sunt, vbi fortè ita ſe tetulerunt ſemina aquarum.
At nimis eſt ingens incendij turbidus ardor.
Scilicet & fluuius, qui non eſt, maximus eii'ſt,
Qui non antè aliquem maiorem vidit: & ingens
Arbor, homóque videtur: & omnia de genere omni,
Maxima quę vidit quiſque, hęc ingentia fingit:
Quom tamen omnia cum cęlo, terráque, maríque,
Nil ſint ad ſummam ſummaï totius omnem.

NVNC RATIO QVÆ SIT) *Nunc de Ætna, Siciliæ monte, & de eius ignibus diſputare parat.* PER FAVCEIS MONTIS VT ÆTNÆ, *&c.) fauceis appellat, quas Græci* κρατῆρας *nominant, vt idem dicit paullo pòſt, ibi. In ſummo ſunt ventigeni crateres, vt ipſi Nominitant, nos quas fauceis perhibemus, & ora.* EXSPIRENT) *exſpirent, abſolutè poſitum, & ſine caſu accuſatiuo ſubſequente: quo modo aliàs poni ſolet. vt lib. 2. Sanguinis exſpirans calido de pectore flumen.* NEQVE ENIM MEDIA DE CL.) *huius loci hæc mihi videtur eſſe ſententia. non enim ex aliqua clade media coorta flamma, per Siculorũ agros diuagata, genteis admiratione affecit, quo tempore illæ omneis cæli parteis ſcintillare cernentes, magnopere erant ſollicitæ, atque anxiæ, dubitantes quidnam rerum nouarũ natura meditaretur: ſed ex monte Ætna. Ad hunc locum pertinẽt illa M. Tull. lib 2. de nat. Deor. Nos autẽ tenebras cogitemus tantas, quantæ quondã eruptione Ætnæorũ igniũ finitimas regiones obſcurauiſſe dicũtur, vt per biduum nemo hominẽ homo agnoſceret: cùm autẽ tertio die ſol illuxiſſet, tũ vt reuixiſſe viderẽtur.*
HISCE TIBI IN REB.) *nunc demum incipit rationẽ horũ igniũ exquirere,*

VT REMINISCARIS) *lib.1. Omne, quod eſt, igitur nulla regione viarum Finitu'ſt. namque extremum debebat habere, & c. & lib.2. Et quo iactari magis omnia materiai Corpora peruideas: reminiſcere, totius imum Nil eſſe in ſumma, neque habere vbi corpora prima Conſiſtant, quoniam ſpatium ſine fine, modóque eſt, & c.*

ET QVAM MVLTESIMA CONSTET) *& quàm ſit pars multeſima, id eſt, & quàm ſit parua pars, ſi cum toto comparetur. multeſima pars eſt ea, cui multæ debẽt eſſe pares, aut ſimiles ad conſtituendum totum:* πολλοστὸν μέρος *appellãt Græci. profert autem hunc verſum Nonius in voce, multeſima.*

ET QVOTA PARS HOMO SIT* TERRAI TOT. V.) *Cùm in omnibus libris manuſcriptis ſcriptum reperiſſem, partim, Nec quota, partim, Hæc tota, partim, Et quota, ſic repoſui. huius autem ſcripturæ, quæ perſpicuè vera, & recta* eſt, hæc ſententia eſt: Et, vt videas quota, id eſt, quàm multeſima & parua ſit pars totius terræ homo vnus, & c. Hîc quoque ſuum inſtitutum tenuit, ſuóque ingenio indulſit Zoilus.* OBTVRGESCIT) *ſic habent omnes libri & vulgati, & manuſcripti, quos quidem viderim. Sed Auancius Veronenſis legebat, Obbruteſcit, id eſt, obſtupeſcit. quo verbo vſus eſt lib.3. An contractũ in ſe partibus obbruteſcat.*

SACER IGNIS) *Virgil. lib 3. Georg. nec longo deinde moranti Tempore contactos artus ſacer ignis edebat. ſacer ignis (inquit Corn. Celſus lib.5.) malis vlceribus annumerari debet. Auctor vocabularij Latinogræci, manuſcripti, ſacer ignis, inquit,* ἐρυσιπέλας: al. ἕρπης *Quid ſit porrò eryſipelas, & herpes, & quid inter hæc duo interſit, & quæ ſint eorum cauſæ, conſulendi ſunt medici. ego aliò propero. Non me pigebit tamen lectorem admonere, Cornelio Celſo aliud eſſe* ἐρυσιπέλας, *aliud, ſacrũ ignẽ, lib. ſuprà cõmemorato, cap. 28. ibi. ſacer quoq; ignis malis vlcerib. & c. Eius duæ ſpecies ſunt, & c.* ET SATIS HÆC TELLVS NOBIS, CÆL.) *ſecutus ſum codices Florent. nam ceteri vulgati, quibuscum manuſcripti congruũt, habent, Et ſatis hæc tellus morbi, cæl. quæ lectio nullo modo ferri poteſt. hanc tamen tuetur Zoilus, tale eſt hominis palatum.* SVPPEDITARE) *ſic habent quattuor lib. manuſcripti, & vulgati Veneti antiq. quod probo. eſt enim abſolutè accipiẽdũ.*

FLAMMESCERE) *fulgere ſeu flammã comprehendere, & cõcipere, ſeu flãmis collucere.* VT TEMPESTATES PL.) *ſic legendum, non, vt vulgò, Et tempeſtates pl.* GRAVIORE COORTV SVNT,) *id eſt, maiores & grauiores ſunt, ſeu maiore copia cadunt.* TETVLERVNT) *ſecutus ſum cod. Pariſienſeis, Florentinos, Baſilienſeis, Venetos vtroſque, Lugdunenſeis maiores. nam minores mendosè habent, retulerunt. manuſcripti autem etiam corruptè, detulerunt. iam tetuli pro tuli, antiquum, quo & Terent. vtitur Andria. Nam pol ſi ſciſſem, nũquam huc tetuliſſem pedem. & Plaut. Moſtell. Quia ſeptem menſes ſunt, cùm in hasce ædeis pedem Nemo intro tetulit, ſemel vt emigrauimus.*

AT NIMIS EST INGENS, & c.) *occupatio eſt obiectionis.*

INCENDII) *aliàs incendi, aliàs incendij: quod tamen intelligendum eſt pro triſyllabo, incendi, poſitum.* SCILICET ET FLVVIVS) *ſolutio obiectionis à ſimili, hoc modo. ſcilicet & fluuius, qui non eſt maximus, ei videtur maximus, id eſt, eius iudicio, & ſententia eſt maximus. qui aliquem antè maiorem non vidit: & item homo, & arbor non maximi, ei videtur maximi, qui nullos anteà maiores vidit. hũc locum in omnibus fere libris corruptum, qui ſic habent, Scilicet & fluuius, qui viſus maximus et, Qui non antè aliq ſic reſtitui iam in prima editione, planè, (præfiſcini præfatus dicam) diuinè. Quam emendationem etiam Zoilus probauit*

tacitus. ET INGENS, *&c.) & ingens videtur arbor, homóque ei, qui maiorem arborem, maiorémque hominem non vidit.* MAXIMA, *id eſt, quibus maiora numquam antcà vidit.*

Nunc tamen illa modis quibus inritata repentè
Flamma foras vaſtis AEtnæ fornacibus efflet,
Expediam. primùm totius ſubcaua montis
Eſt natura, ferè ſilicum ſubfulta cauernis.
Omnibus eſt porrò in ſpeluncis ventus, & aër.
Ventus enim fit, vbi eſt agitando percitus aër.
Hic vbi percaluit, calefecítque omnia circùm
Saxa furens quà contingit, terrámque: & ab ollis
Excuſſit calidum flammis velocibus ignem:
Tollit ſe, ac rectis ita faucibus eiicit altè,
Fundítque ardorem longè, longéque fauillam
Differt, & craſſa voluit caligine fumum,
Extrudítque ſimul mirando pondere ſaxa:
Ne dubites, quin hæc animaï turbida ſit vis.
Præterea magna ex parti mare montis ad eius
Radices frangit fluctus, æſtúmque reſorbet.
Ex hoc vſque mari ſpeluncæ montis ad altas
Perueniunt ſubter fauceis. hàc ire fatendum'ſt,
' Et penetrare mari penitus res cogit aperto, '
' Et penetrare mare, & penitus ſe cogier arcto, '
Atque efflare foras: ideóque extollere flammas:
Saxáque ſubiectare, & arenæ tollere nimbos.
In ſummo ſunt ventigeni crateres, vt ipſi
Nominitant, nos quas fauceis perhibemus, & ora.
Sunt aliquot quoque res, quarum vnam dicere cauſam
Non ſatis eſt, verùm plureis, vnde vna tamen ſit.
Corpus vt exanimum ſiquod procul ipſe iacère
Conſpicias hominis: fit vt omneis dicere cauſas
Conueniat leti, dicatur vt illius vna.
Nam neque eum ferro, neque frigore vincere poſſis
Interiiſſe: neque à morbo, neque forte veneno:
Verùm aliquid genere eſſe ex hoc, quod contio dicat,
Scimus: item in multis hoc rebus dicere habemus.

NVNC TAMEN ILLA) *Redit ad inſtitutam diſputationem de Ætnæorum igniũ ratione: de quibus ſic Virgilius Æneidos tertio,* *ſed horrificis iuxtà tonat Ætna ruinis: Interdúmque atram prorumpit ad æthera nubem, Turbine fumantem piceo, & cãdente fauilla, Attollítque globos flammarum, & ſidera lambit: Interdũ ſcopulos, auulſaq; viſcera montis Erigit eructãs, liquefactáque ſaxa ſub auras Cùm*

gemitu glomerat. De iiſdem ſic Ariſtot. lib. de mundo. Ἐμπεριέχει δὲ καὶ πολλὰς ἡ γῆ ἐν αὑτῇ καθάπερ ὕδατος, οὕτω καὶ πνεύματος, καὶ πυρὸς πηγάς. τούτων δὲ αἱ μὲν ὑπὸ γῆν εἰσὶν ἀόρατοι, πολλαὶ δὲ ἀναπνοὰς ἔχουσι, καὶ ἀναφυσήσεις, ὥσπερ Λιπάρα τε, καὶ Αἴτνη, καὶ τὰ ἐν Αἰόλου νήσοις. αἳ δὴ καὶ ῥέουσι πολλάκις ποταμῶν δίκην, καὶ μύδρους ἀναρριπτοῦσι διαπύρους. id eſt, Continet autem terra & multos in ſe, vt aquæ, ita & flatus, & ignis fonteis. Horum porrò alij quidem ſub terra ſunt occulti, & obſcuri, alij autem reſpirationes & quaſi reflationes habent, vt Lipara, & Ætna, & loca in Æoli inſulis. qui ſæpenumero & fluuiorum modo fluunt, & flammas, ac maſſas candenteis prouomunt. de iiſdem idem lib. περὶ θαυμασίων ἀκουσμ.

PRIMVM TOTIVS) ſic ferè Trogus lib. 4. vt eſt apud Seruium in tertium Æneid. Sicilia terra eſt cauernoſa & fiſtuloſa: quo fit, vt ventorum flatibus pateat, vnde ignis concipitur. intrinſecus ſulphur habet, & bitumen: in quæ vbi ventus per ſpiramenta cauernarum incubuit, diu luctatus ignem concipit. Sic Ætnæ durat incendium. motus ergo ventorum, cauſa incendij eſt.

VENTVS ENIM FIT, VBI EST AGITANDO) Itaque quidam dicunt, ventum nihil aliud eſſe, quàm agitatum aëra.

QVA CONTINGIT,) qua parte ſaxa tangit.

TERRAMQVE) & vbi terram calefecit, quà eam tangit.

DIFFERT) in diuerſas parteis fert. ANIMAI) flatus, ſpiritus, venti, πνεύματος. PRÆTEREA MAGNA) alia ratio horum ignium.

PARTI) parte, vt ſæpe aliàs. HAC) per has ſpeluncas fatendum eſt mare penetrare. ET PENETR. M. PENIT. RES COG. APERTO) ſecutus olim lectionẽ vulgatam, Et penetrare mare, & penitus ſe cogier arcto: ad eam hæc annotaram, eámque ſic declararam: & fatendum eſt, mare hac, nempe per has ſpeluncas, penetrare, & penitus in anguſtum cogi à ſeipſo coarctato. ſed non diſſimulabo, in aliquot lib. manuſcript ita ſcriptum eſſe, Et penetrare mari penitus res cogit aperto. quibuſcum conſentiunt cod. Pariſienſes, & Veneti antiq. Hanc igitur ſcripturam antiquam, quam olim lectori propoſui, & indicaui, nunc in contextum reſtituo. Dicã tamen, quod ſentio, neque hic verſus, neque is, qui reperitur in libris vulg. lucernam olet Lucretianam. & eo detracto, nihil de ſententia decedet.

SVBIECTARE) ſurſum iactare. VENTIGENI) ſic emendandum exiſtimat Adr. Turnebus lib. 22. aduerſar. cap. 18. Nam vulgò legitur, In ſummo ſunt vertice item, &c. Ventigeni autem: id eſt ventos gignentes: vel à ventu geniti. Ventus enim crateres, ſeu fauceis illas efficit. Sed videtur hic locus explicari non poſſe, immo ne aptè quidem cũ aliis cohærere, niſi legamus, In ſumma, hoc eſt, Ad ſummã, ὅλως. vel in ſummo interpretemur, in ſummo monte: Vel dicamus, hos duos verſus alieno loco eſſe poſitos. SVNT ALIQVOT QVOQ.) ne quis miretur, me multas horum ignium rationes afferre, quaſi dubium atque incertum, ſunt aliquot etiam res, quarum vnam cauſam afferre non eſt ſatis, ſed plures afferendæ ſunt, ex quibus tamen vnica cauſa ſit idque oſtendit à ſimili.

DICATVR VT ILLIVS VNA,) id eſt, vt cauſa illius leti, quo homo ille interiit, quæ vna eſt, dici poßit. doctus quidam legendum putat, dicatur vt illius vera. VERVM ALIQVID GENERE ESSE EX HOC Q. G. DICAT) ſecutus eram initio cod aliquot vulgatos, qui habẽt, Verum eſſe ex genere hoc aliquid, quod contio credat: idémque indicaram ingenioſo lectori ſcripturã, quæ reperitur in quatuor manuſcr. cum quibus conſentiunt vulg. Veneti antiq. &

Pariſienſ. Verum aliquid genere eſſe ex hoc,quod contio dicat. hanc igitur nunc ſequor. Idem admonueram, codicem Memmianum manuſcript.ſic habere, Verùm. genere aliquid eſſe ex hoc contioito. quæ ſcriptura quid ſibi velit,non video. Omnino in hoc loco mendum ſubeſſe ſuſpicor.

CONTIO) *turba,quæ circùm ſtat,& quæ ad audiendum conuenit.*

Nilus in æſtati creſcit:campíſque redundat
Vnicus in terris AEgypti totius amnis:
Is rigat AEgyptum,medium per ſæpe calorem:
Aut quia ſunt æſtate Aquilones oſtia contra,
Anni tempore eo,quo Eteſia flabra feruntur:
Et contra fluuium flantes remorantur,& vndas
Cogentes ſurſus,replent,cogúntque manere.
Nam dubio procul hæc aduerſo flabra feruntur
Flumine,quæ gelidis à ſtellis axis aguntur.
Ille ex æſtifera parti venit amnis ab Auſtro,
Inter nigra virûm,percoctáque ſæcla calore,
Exoriens penitus media ab regione diei.
Eſt quoque,vti poſſit magnus congeſtus arenæ
Fluctibus aduerſis oppilare oſtia contra,
Cùm mare permotum ventis ruit intus arenam.
Quo fit vti pacto liber minus exitus amni,
Et procliuus item fiat minus impetus vndis.
Fit quoque,vti pluuiæ forſan magis ad caput eius
Tempore eo fiant,quo Eteſia flabra Aquilonum
Nubila coniiciunt in eas tunc omnia parteis.
Scilicet ad mediam regionem eiecta diei
Cùm conuenerunt,ibi ad altos denique monteis
Contruſæ nubes coguntur,víque premuntur.
Forſit & AEthiopum penitus de montibus altis
Creſcat,vbi in campos albas deſcendere ningueis
Tabificis ſubigit radiis ſol omnia luſtrans.

NILVS IN ÆSTATI.) *Nunc cur nilus in æſtate creſcat: qua de re ſæpe quæſitum eſt ab antiquis: & Herodotus treis antiquorum opiniones refert, eáſque refellit: quarum prima eſt ea,quæ in Eteſias cauſam confert: ſecunda,quæ in Oceanum: tertia,quæ in niueis liquefactas: quartam affert ſuam,qua ſolem vult eſſe cauſam efficientem huius incrementi,nempe quia ſol brumæ tempore in Libyæ partibus curſum ſuum conficiens,multum ad ſe humorem è Nilo attrahat: atq; iccirco Nilus hoc tempore præter naturam ſuam minor fiat: æſtate autem aduentante, atque appropinquante ſol diſcedens ad Septentriones, Græciæ fluuios ſiccet & minuat. idcirco Nilum videri æſtate creſcere,cùm re vera hoc non fiat.ſed potius hieme decreſcat. ſed hanc ſententiam reprehendit Diod.Siculus lib. I. quem legito,ſi plura hac*

dere cognoſcere cupis: & Herod. Euterpe: & Plin. lib. 5 cap. 9. & Melam lib. 1. cap. 9. & Solinū cap. 45. Non arbitror hoc loco mihi eſſe prætereūdum, quod retulit Antigonus inter eas; quas collegit, hiſtorias admirabileis puteis, qui ſunt Mythopoli, ſimile quiddam, atq; Nilo, accidere. Æſtate enim, ſupra labra plenos eſſe: hieme verò, ita decreſcere, atque adeò exareſcere, vt ne tinguere quidem aliquid ex eo facile ſit. Græca verba ſunt hæc. Λέγει δὲ τὸν Εὔδοξον καὶ περὶ τῶν ἐν τῇ Μυθοπόλει φρεάτων, ὅτι παραπλήσιον τῷ Νείλῳ πάσχουσι. τοῦ μὲν γὰρ θέρους ὑπερχεῖν πληροῦσθαι, τοῦ δὲ χειμῶνος οὕτως ἐκλείπειν, ὥστε μηδὲ βάψαι ῥᾴδιον εἶναι. IN ÆSTATI) in æſtate.

IS RIGAT ÆGYPT.) ſic Virgil. Georg. 4. Et viridem Ægyptum nigra fæcundat arena. & M. Tull. lib. 2. de nat. Deor. Ægyptum Nilus irrigat, & cùm tota æſtate obrutam, oppletámque tenuerit, tum recedit, mollitóſque & oblimatos agros ad ſerendum relinquit. AVT QVIA SVNT ÆST. AQ.) hanc rationem aiunt fuiſſe Thaletis, idque teſtatur & Diodorus Siculus lib. 1. his verbis. Θαλῆς μὲν οὖν εἷς τῶν ἑπτὰ σοφῶν ὀνομαζόμενος, φησὶ τοὺς ἐτησίας ἀντιπνέοντας ταῖς ἐκβολαῖς τοῦ ποταμοῦ, κωλύειν εἰς θάλασσαν προχεῖσθαι τὸ ῥεῦμα, &c. id eſt, Thales vnus è ſeptem ſapientibus ait Eteſias Nili oſtiis reflātes, prohibere, ne in mare profundatur. Eteſiæ autem iidem ſunt, atque Aquilones. flant enim à ſeptentrionibus. hoc intereſt, quòd Aquilones qualibet anni parte potius, quàm æſtate, & incertis anni temporibus ſpirant: Eteſiæ autem ſola æſtate, nempe ſub ſolſtitium ſpirant. Itaque Eteſiæ dicti ſunt παρὰ τὸ ἔτος: quæ vox annum ſignificat, quia certo anni tempore flant. de quibus ſic Ariſtot. lib. 2. de reb. ſuperis. Οἱ δὲ ἐτησίαι πνέουσι μετὰ τροπὰς, καὶ κυνὸς ἐπιτολὴν, &c. id eſt, Eteſiæ autem flant poſt ſolſtitium, & canis ortum.

QVO ETESIA FLABRA FERVNTVR) hanc eſſe puto veram, & rectam ſcripturam, non quòd reperiatur in lib. manuſcriptis expreſſa, ſed quòd propius abſit ab antiqua. ſic enim omnes fere libri veteres habēt, quæ Eteſia flare feruntur: Memmianus autem: quo Eteſia efflare feruntur: cū quo conſentiunt aliquot vulgati: in his Pariſienſes, & Veneti antiquiores. COGENTES SVRSVS) quidam libri habent, cogentes rurſus replent, quod fortaſſe probabilius eſt, vt, rurſus, cohæreat cum verbo, replent. ego tamen alteram, vt tolerabilem, & receptam, ſecutus ſum. QVÆ GELIDIS A ST.) quæ flabra flant à ſeptentrionibus.

AB AVSTRO) à meridie, & ab axe illi oppoſito.

PERCOCTAQVE SÆCLA CALORE) ſic legi debet, & ita legitur infrà non longe ab extremo. ibi, Vſque ad nigra virûm, percoctáque ſæcla calore. adde quòd Vaticanus codex habet, calore, non, vt vulgati, colore. ſignificat autem Æthiopas, & talcis nationes, quæ calore ſolis peruſtæ ſunt.

EST QVOQVE VTI POSS. MAGNVS) hanc rationem commemorat Pomponius Mela. CONGESTVS) cumulus.

OPPILARE) obſtare tanquam multæ pilæ, ſeu columnæ confertim oppoſitæ. verbum eſt abſolutè poſitum hoc loco. ſed M. Tullius vſus eſt participio patiente, ſecunda Philipp. negotiúmque tranſegiſſes, niſi ille ſe ſub ſcalas tabernæ librariæ conieciſſet, hiſque oppilatis, impetum tuum compreſſiſſet.

RVIT) ruit, poſitum eſt ἐνεργητικῶς, vt apud Virgil. Georg. 1. cumulóſque ruit malè pinguis arenæ. & 1. Æneid. ſpumas ſalis ære ruebant. & Lucret. ſup. lib. 1. Quamlibet in partem trudunt res antè, ruúntque Impetibus crebris.

ET PROCLIVVS) ſic habent tres libri manuſcr. & aliquot vulgati. alij, procliuis. FIT QVOQVE VTI PL.) alia ratio, quā cōmemorat Plin. lib. 5. cap. 9.

Cauſas

Cauſas huius incrementi varias prodidere, ſed maximè probabileis, Eteſiarum, eo tempore ex aduerſo flantium, repercuſſum, vltro in ora acto mari: aut imbreis Æthiopiæ æſtiuos, iiſdem Eteſiis nubila illò ferentibus è reliquo orbe.

AD CAPVT EIVS) *etiam de capite, & origine Nili valde dubitarũt veteres. exſtat apud Herodotum in Euterpe hac de re longiſſima diſputatio, & item apud Diod. Siculum lib. I. quos cùm legeris, nihilo certiora de Nili fontibus cognoueris. Quin & Plinius eadem de re ſcribens lib. 5. cap. 9. nos æquè ferè incertos dimittit. ſic autem ille. Nilus (inquit) incertis ortus fontibus, it per deſerta & ardentia: & immenſo longitudinis ſpatio ambulans, famáque tantùm quæſitus, ſine bellis, quæ ceteras omneis terras inuenere, originem (vt Iuba rex potuit exquirere) in monte inferioris Mauritaniæ non procul Oceano habet, lacu protinus ſtagnante, quam vocant Nilidem. ſic ferè & Solinus. Tum porrò poëtæ ferè omnes Nili originem faciunt ignotam, vt Horat. od. 14. lib. 4. Te fontium qui celat originem Nilus. & Tibull. lib. I. Nile pater, quánam poſſum te dicere cauſa, Aut quibus in terris occuluiſſe caput? & Lucanus lib. 10. Arcanum natura caput non prodidit vlli: Nec licuit populis paruum te Nile videre: Amouítque ſinus, & genteis maluit ortus Mirari, quàm noſſe tuos.* AD MEDIAM REG. E. D.) *ad meridiem, &c.*

FORSIT ET ÆTHIOPVM) *cum in duobus cod. manuſcript. ſcriptum reperiſſem, Forſit at Æthiopum, Forſit &, repoſui. forſit autem, idem valet, quod forſan, & forſitan quo vſus eſt Horat. ſatyr. 6. lib. I. & Virg. Æneid. XI. Poſtrema autem ratio eſt, quamobrem Nilus æſtate creſcat: nempe quia tum niues in Æthiopiæ montibus liqueſcant, & liquefactæ Nilum augeant.*

CRESCAT) *ſic lib. Vaticanus, & vulgati Florentini: atque ita legendum, non, vt vulgò, Creſcit. eſt enim hæc ſententia. Forſitan etiam Nilus creſcere poſſit de montibus Æthiopum. Fuit autem hæc opinio Anaxagoræ, & Euripidis, quem illius diſcipulum fuiſſe ferunt: quam hoc vno argumento refellit Diodorus Siculus, quòd fieri non poteſt, propter immoderatos calores, vt in Æthiopia niues exſiſtant.*

DESCENDERE NINGVEIS) *ninguis, is, antiquum, pro nix, niuis. deſcendere autem, legendum eſſe, non, decedere, res ipſa loquitur.*

TABIFICIS) *liquefacientibus, ſeu vim liquefaciendi habentibus. Tabeſcere enim valet, τήκεσθαι, hoc eſt, liqueſcere, vt ſupr. lib. 2 in extr. Nec tenet, omnia paullatim tabeſcere, & ire Ad ſcopulum, &c.* SVBIGIT) *cogit, vt Virg. lib. 6. Æneid. Caſtigátque, auditque dolos, ſubigítque fateri. & Lucil. lib. 30. Tune iugo iungas me autem, & ſuccedere aratro Inuitũ, & glebas ſubigas proſcindere ferro?*

Nunc age, auerna tibi quæ ſint loca cumque, lacúſque,
Expediam, quali natura prædita conſtent.
Principiò, quòd auerna vocantur, nomen id ab re
Impoſitum'ſt, quia ſunt auibus contraria cunctis,
E regione ea quòd loca cùm aduenere volantes,
Remigij oblitæ pennarum vela remittunt,
Præcipitéſque cadunt, molli ceruice profuſæ
In terram, ſi fortè ita fert natura locorum:
Aut in aquam, ſi fortè lacus ſubſtratus auerno'ſt.
Qualis apud Cumas eſt ocris vipera montis,

Ad cælúmque magis quanto ſunt edita quæque,
Inclinata minent in eandem prodita partem,
Protractæque trabes impendent ire paratæ.
Et metuunt magni naturam credere mundi
Exitiale aliquod tempus, cladémque manere,
Cùm videant tantam terrarum incumbere molem.
Quòd niſi reſpirent venti: non vlla refrenet
Res, neque ab exitio poſſit reprendere euntem.
Nunc, quia reſpirant alternis, ínque graueſcunt,
Et quaſi conlecti redeunt, cedúntque repulſi:
Sæpius hanc ob rem minitatur terra ruinas,
Quàm facit. inclinatur enim, retróque recellit,
Et recipit prolapſa ſuas ſe in pondere ſedes.
Hac igitur ratione vacillant omnia tecta,
Summa magis mediis, media imis, ima perhilum.

NVNC AGE, QVÆ RATIO) *Nunc de terræ motibus, de quorum variis generibus lege Ariſtot. lib. de mundo. cap. 4. & μετεωρολ. β. cap. 7. & 8.*

ET IN PRIMIS TERRAM F. VT) *hæc ſententia fuit Democriti, vt ſcribit Ariſtot. lib. 2. de reb. ſuperis.* Δημόκριτος δέ φησι πλήρη τὴν γῆν ὕδατος οὖσαν, καὶ πολὺ δεχομένην ἕτερον ὄμβριον ὕδωρ, ὑπὸ τούτου κινεῖσθαι. πλείονός τε γὰρ γινομένου, διὰ τὸ μὴ δέχεσθαι τὰς κοιλίας, ἀποβιαζόμενον ποιεῖν τὸν σεισμὸν, καὶ ξηραινομένην καὶ ἕλκουσαν εἰς τοὺς κενοὺς τόπους ἐκ τῶν πληρεστέρων, τὸ μεταβάλλον ἐμπῖπτον κινεῖν. *id eſt, Democritus autẽ ait, terram, cùm ſit aqua plena, multámque aliam aquam pluuiam recipiat, ab hac moueri. Nam & cùm hæc augetur, creſcitque, propterea quòd lacunæ totam non recipiunt, eam vi irrumpentem, terræ motum efficere: & terram areſcentem, atque in partes inanes è locis plenioribus attrahentem, ab aqua locum mutante & illabẽte moueri. Sic ferè Plutarchus lib. 3.* περὶ τῶν ἀρεσκ. *ex ſententia Epic.* Ἐπίκουρος φησὶν ἐνδέχεσθαι μὲν ὑπὸ τοῦ πάχους ἀέρος τοῦ ὑποκειμένου, ὑδατώδους ὄντος, ἀνακρουομένην αὐτὴν, καὶ οἷον ὑποτυπτομένην, κινεῖσθαι. *id eſt, Epicurus ait euenire poſſe, vt terra à craſſo aëre ſubiecto, qui ſit aquoſus, repulſa, & veluti ſubtus verberata, moueatur.*

MVLTAQVE SVB TERGO) *id eſt, & multa flumina ſub terra latentia fluctuare, & ſaxa vnà ſecum rapere è locis plenioribus.*

SIMILEM ESSE SVI) *terram. cod. Vatic. habet, ſimile eſſe & par, res poſtulat ipſa.* HIS IGITVR REB. SVBIVNCT. SVPP.) τούτων δὲ ὑποκειμένων, καὶ ὑποτιθέντων. TERRA SVPERNE TREMIT) *millies iam dixi, vltimam ſyllabam aduerbij, supernè, breuem eſſe: itaque eos errare, qui hoc loco & ſimilibus legi volunt, ſuperna, præſertim reclamantibus omnibus libr., & manuſcriptis, & vulgatis, præter Venetos antiq. & Pariſienſ.*

DISSERPVNT) *ſic legendum, non, diſcerpunt. diſſerpunt, autem, id eſt, in diuerſas partes ſerpunt, & dimanant & diuagantur.*

QVONIAM NON MAGNO) *argumentum à minori.*

VIAM PROPTER) ἀναστροφή: *propter viam, id eſt, prope viam, vt propter viam facere. de quo Feſtus, & Macrob.*

NEC MINVS EXSVLT. VBI CVRR. FORTIS EQVVM VIS) *ſecutus eram initio codices Florent. Lugdun. Venetos, Baſilienſeis, in quibus ſic legitur, Nec minus exſultans vbi currus cumque equitum vi. nam alij vulgati habent, Nec minus exultantia ſunt, fortis quàm vbi equûm vis. Memmianus autem manuſcript. Nec minus exultantes dupuiſcumque vim. ex quibus ſcripturis vitiatis, & corruptis, nunc hanc elicio. Nec minus exſultans, vbi currus, fortu equûm vis, &c. vt ſit hic ordo verborum, hæcque ſententia, Nec minus exſultãt, (tecta ſubint.) vbi fortis equûm vis, hoc eſt, fortes equi, ſuccutit, (ſuccutiunt) vtrimque ferratos orbeis rotarum. currus. currus enim, eſt pátrij caſus.*

FIT QVOQVE, VBI MAGNAS IN AQVÆ,) *ſic reſtitui, ſcripturæ veteris veſtigia ſecutus. Sic enim habent quattuor libri manuſcripti, Fit quoque, vbi in magnas aquæ. vulgati autẽ fœdè corrupti ſunt, in quibus ita legitur, Fit quoque, vbi in magnas æquẽ. Venetos antiq. & Pariſienſ. & Vicetinos excipio: in quibus eſt, Fit quoque, vbi magnas in aquas, &c. quam lectionẽ non damno, ſed illam magis probo. Verùm non probat eam Zoilus, ſed quãdam perrecõnditam, talem ſcilicet: Fit quoque vbi in magnas aquæ, &c. aqua interdum (inquit) habet primam longam, vt docet Beda libro de metris. Primùm Beda non dicit hoc eſſe perpetuum: deinde Beda non profert hunc locum, ſed alium, qui eſt infrà, Quæ calidum faciunt aquæ tactum, atque ſaporem. in quo tamen oſtendã, Bedam falli, neq; eius me mouet auctoritas. Sic igitur hunc locũ eſſe legendũ aio, vt olim edidi, quidquid dicant Zoili, & ſycophantæ. Licebit tamen legere, vt illi volunt, modò aquæ ſit triſyllab.*

VT IACTETVR AQVA ET FLVCTV Q. T. VACILL.) *Cùm olim hanc ſcripturam codicum Pariſienſium ſecutus eſſem, Vt iactetur aquæ fluctu quoque terra vacillans: hæc annotaram, his ipſis verbis. ſecutus ſum codices Pariſienſeis. nam alij vulgati partim habent, Vt iactetur, aquæ fluctu quoque terra vacillet: partim, Vt iactentur aquæ, fluctu quoque terra vacillet. manuſcripti autem etiam inter ſe diſſentiunt, & alij cum his, alij cum illis vulgatis congruunt. Memmianus porrò in eo quòd habet, vacillans, etiam cum Pariſienſibus conſentit. legendum fortaſſè eſt, Vt iactetur aqua, & fluctu quoque terra vacillet. Hanc igitur ſcripturam nunc magis probo, Idque pro meo iure: ab iiſque, qui eam mihi palàm ademerunt, recuperatorio iudicio repeto.*

VT VAS IN TERRA, &c.) *id docet à ſimili, hoc modo. Quemadmodum (inquit) ſi aqua, quæ eſt in vaſe, moueatur, mouetur & vas, neque prius moueri deſinit, quàm aqua moueri deſita ſit.*

IACTARIER) *in codice Vaticano ſcriptum eſt, verſarier.*

PRÆTEREA VENTVS) *aliam rationem affert terræ motus.*

EXSTRVCTA DOMORVM) *talia ſunt illa, ſtrata viarum, ſtructa ſaxorum, &c.* AD CÆLVM) *& quanto quæque ſunt editiora, & à terra remotiora edificia, tanto magis, tantóque latius mouentur.*

MINENT) *ſic repoſui, cùm libri omnes & manuſcripti, & vulgati, habeant partim, micant, partim, minant, partim, manent, partim hoc ipſum, minent. minent autem, verbum eſt ſimplex pro compoſito poſitum, imminent. atque ita habent codices Veneti anno CIↃ. CCCCLXXXXV. impreſſi.*

PRODITA) *ſic habent omnes libri tum manuſcr. tum vulgati, quos quidem viderim: quidam tamen in nõnullis ſcriptum dicunt eſſe, percita: ex qua putat quidam amicus meus legendum, procita. ego nil mutãdum cenſeo. ſic enim paullo pòſt*

loquitur. rerúmque ſequatur prodita ſumma. ET METVVNT M. N. CR.) *& homines metuunt vſque adeò, vt credant exitium aliquod, cladémque mundo imminere. metuunt credere, more Græcorum dictum eſſe puto, φοβοῦνται πιστεύειν, ὥσπερ πιστεύειν.* QVOD NISI RESP. VENTI: NON VLLA R.) *i. ſi autem non reſpirarent venti: nulla res terram refrenaret, aut reprimeret, nulláque eam euntem, & pereuntem, ab interitu retinere poſſet.*

REPRENDERE EVNTEM) *ſic habẽt aliquot lib. manuſc. euntes autẽ, quod eſt in vulg. factũ ex, euntez, per z. ζ, autem ſcribebant librarij illi ſcriptores pro m.*

RETROQVE RECELLIT) *id eſt, reclinat. & ita Feſtus.*

ET RECIPIT PROL. SVAS SE IN POND. S.) *ordo eſt. Et prolapſa ſe in ſuas ſedes, pondere, id eſt, per ſuum pondus, recipit.*

PERHILVM) *perpaullum.*

Eſt hæc eiuſdem quoque magni cauſa tremoris,
Ventus vbi, atque animæ ſubitò vis maxima quædam,
Aut extrinſecus, aut ipſa à tellure coorta,
In loca ſe caua terraï coniecit, ibíque
Speluncas inter magnas fremit antè tumultu:
Verſabundáque portatur pòſtìncita quom vis:
Exagitata foras erumpitur, & ſimul altam
Diffindens terram, magnum concinnat hiatum:
In Tyria Sidone quod áccidit, & fuit AEgis
In Peloponneſo. quas exitus hic animaï
Diſturbât vrbeis, & terræmotus obortus?
Multáque præterea ceciderunt mœnia magnis
Motibus in terris, & multæ per mare peſſum
Subſedere ſuis pariter cum ciuibus vrbes.
Quòd niſi prorumpit, tamen impetus ipſe animaï,
Et fera vis venti, per crebra foramina terræ
Diſpertitur, vt horror: & incutit inde tremorem:
Frigus vti noſtros penitus cùm vênit in artus:
Concutit inuitos cogens tremere, atque moueri.
Ancipiti trepidant igitur terrore per vrbeis:
Tecta ſuperne timent, metuunt inferne, cauernas
Terraï ne diſſoluat natura repente:
Neu diſtracta ſuum latè diſpandat hiatum:
Idque ſuis confuſa velit complere ruinis.
Proinde licet quamuis cælum, terrámque reantur
Incorrupta fore, æternæ mandata ſaluti:
Attamen interdum præſens vis ipſa pericli
Subditat hunc ſtimulum, quadam de parte, timoris,
Ne pedibus raptim tellus ſubtracta feratur

In barathrum, rerúmque ſequatur prodita ſumma
Funditus, & fiat mundi confuſa ruina.

EST HÆC EIVSDEM) *alia cauſa terræ motus, quæ etiam à Plutarcho exponitur eodem loco, his verbis:* ἐνδέχεσθαι δὲ καὶ σηραγγώδη τῆς κατωτέρω μέρεσι κατεστῶσαν, ὑπὸ τοῦ διασπειρομένου πνεύματος εἰς τὰς ἀντροειδεῖς κοιλότητας ἐμπίπτοντος σαλεύεσθαι. *id eſt fieri poſſe autem, vt terra, quæ ſit in inferiorib. partibus cauernoſa, à vento diſperſo, & in cauitates antrorum ſimileis incitato, quatiatur.*

ANIMÆ SVB. VIS) *vis animæ, id eſt vis flatus, vt ſæpe aliàs.*

AVT IPSA A TELLVRE) *ſic legendum eſt, vel, vt habent nonnulli alij lib. veteres, ab tellure: quibuſcum conſentiunt cod. Florentini. nam alij libri vulgati non habent præpoſitionem.* CONCINNAT) *efficit, vt ſæpe aliàs.*

IN TYRIA SIDONE QVOD ACC.) *Iuſtinus lib. 18. Tyriorum gens cóndita à Phœnicibus fuit, qui terræ motu vexati, relicto patriæ ſolo, Aſſyrium ſtagnum primò, mox mari proximum litus incoluerunt, cóndita ibi vrbe, quam à piſcium vbertate, Sidona appellauerunt. Nam piſcem Phœnices ſidon vocant. Hæc idcirco notaui, quòd omnes fere libri vulg. habent, in Syria Sidone, mendosè. atqui hanc meam emendationem Zoilus ſibi adſcripſit more ſuo.*

ET FVIT ÆGIS IN PELOP.) *Ægis Achaicis. hunc terræ motum forſitaſſe ſignificat Ariſt. lib. 2. meteor. cap. 8. ibi,* ἴσχυσε δὲ καὶ περὶ Ἀχαΐαν *&c. nam ſatis eſt mihi locum indicaſſe.* DISTVRBAT VRBEIS) *ſecutus ſum codices manuſcriptos. neque verò eſt quòd quenquam moueat vltima ſyllaba verbi, diſturbât. eſt enim longa, pro præterito, diſturbauit, poſita, vt ſup. lib. 1. Virtutem irritât animi, pro irritauit. Mendoſi igitur ſunt omnes libri vulgati, quorum alij habent, Diſturbauit res, vt Florent. alij, Diſturbátq; vrbeis, vt Veneti antiq. alij, Diſturbans vrbeis: vt Veneti recentiores, & Lugd. & Baſil. Hanc quoque emendationem compilauit Zoilus: & profectò piget me ſingillatim huius ſycophantæ furta apertiſſima, atque impudentiſſima indicare.* MVLTÁQVE PRÆT.) *lege Plin. lib. 2. cap. 80.* PESSVM) *deorſum, & quaſi ſub pedes. nõnulli tamẽ lib. habent, paſſim.*

DISPERTITVR, VT HORROR, &c.) *ſic ferè Ariſtot. lib. β. μετεωρ.* δεῖ γὰρ νοεῖν, ὅτι, ὥσπερ ἐν τῷ σώματι ἡμῶν, καὶ τρόμων, καὶ σφυγμῶν αἴτιόν ἐστιν ἡ τοῦ πνεύματος ἐναπολαμβανομένη δύναμις, οὕτω καὶ ἐν τῇ γῇ τὸ πνεῦμα παραπλήσια ποιεῖ, καὶ τὸν μὲν τῶν σεισμῶν, οἷον τρόμον εἶναι, τὸν δ' οἷον σφυγμόν. *id eſt intelligere enim oportet, quemadmodum in corpore noſtro, tremorum, & pulſuum cauſa eſt efficiens vis animæ, ſeu flatus, qui intercipitur, ita & in terra flatum ſimile quiddam efficere, & terræ motus alios eſſe veluti tremores, alios pulſibus conſimileis.*

TECTA SVPERNE TIM. METVVNT INFERNE) *ſic legendum, & ita ſcriptum eſt in codice Vaticano, Teſſiano, & Memmiano. quibuſcum congruunt codices Florentini, & Veneti recentiores. alij autem, in quibus ſuppoſitum eſt, ſuperna, & interna, mendoſi ſunt, quippe corrupti ab iis, qui putarent, in illis aduerbiis vltimam ſyllabã longam eſſe. quod falſum eſt, vt ſæpe iam diximus. ſubintellige autem in, timent, metuunt, homines, hoc modo, timent homines à ſuperiore parte, ne tecta corruant, ſcilicet: inferne, id eſt ab inferiore parte, metuunt, ne terræ cauernas repente natura diſſoluat.* NEV DISTRACTA SVVM L. D.) *Id eſt, néve terra diuulſa, ſuum hiatũ latè in diuerſas parteis aperiat. Mirè autẽ terræ motum deſcripſit, eiuſque magnitudinem terroris plenam auxit, & amplificauit: vi-*

detúrque cum Homero certaſſe, qui non diſsimili ratione terræ motum excitatum à Neptuno tùm, cùm Achilles placatus Græcis, prælium longo interuallo iniit, exaggerauit: niſi quòd Lucr. noſter non eſt auſus tanta ſermonis vti ſuperlatione, quãta Homerus. Sed præſtat Homeri verſus adſcribere. Sic igitur ille in. libro Υ. αὐτὰρ ἔνερθε Ποσειδάων ἐτίναξε Γαῖαν ἀπειρεσίην, ὀρέων τ' αἰπεινὰ κάρηνα. Πάντες δ' ἐσσείοντο πόδες πολυπίδακος Ἴδης, Καὶ κορυφαὶ, Τρώων τε πόλις. καὶ νῆες ἀχαιῶν. Ἔδδεισεν δ' ὑπένερθεν ἄναξ ἐνέρων Ἀϊδωνεὺς, Δείσας δ', ἐκ θρόνου ἆλτο, καὶ ἴαχε, μή οἱ ὕπερθε Γαῖαν ἀναρρήξειε Ποσειδάων ἐνοσίχθων, Οἰκία δὲ θνητοῖσι, καὶ ἀθανάτοισι φανείη Σμερδαλέ', εὐρώεντα, τά τε στυγέουσι θεοί περ *&c. id eſt, Neptunus autem infernè terram immenſam, montiúmq; alta cacumina concuſsit: omnes Idæ radices, ſeu pedes vacillabant, & vertices: tum vrbs Troianorum, & Græcorum naues commotæ ſunt. Timuit autem inferne rex inferorum Pluto, & timore affectus è ſede ſua exſiluit, & vociferatus eſt, ne ſubtus ſibi terram perfringeret Neptunus, ædes autem ſuæ terribiles, & ſitu ſentæ, quas etiam dij horrent atque oderunt, mortalibus, & immortalib. paterent. Tantus ſonitus excitatus eſt, diis ad pugnandum congreſsis.*

SVBDITAT H. STIM.) *hunc ſtimulum timoris ſubter admonet.*

NE PEDIBVS RAPTIM, &c.) *ſic lib. 1. extr. Terráque ſe pedibus raptim ſubducat, &c.* PROINDE, LICET QVAMVIS) *id eſt proinde, quantumuis licet homines putent mundum eſſe immortalem, numquámque interiturum: ipſa tamen periculi magnitudo interdum eos timere cogit, ne terra ſeſe eorum pedibus ſubtrahat, atque in barathrum præceps cadat.*

Nunc ratio reddunda, augmen cur neſciat æquor.
Principiò mare mirantur non reddere maius
Naturam, quò tantu' fuat decurſus aquarum:
Omnia quò veniant ex omni flumina parte.
Adde vagos imbreis, tempeſtatéſque volanteis:
Omnia quæ maria, ac terras ſpargúntque, rigántque:
Adde ſuos fonteis: tamen ad maris omnia ſummam,
Guttai vix inſtar erunt vnius ad augmen:
Quo minus eſt mirum, mare non augeſcere magnum.
Præterea magnam ſol partem detrahit æſtu.
Quippe videmus enim, veſteis humore madenteis
Exiccare ſuis radiis ardentibu' ſolem.
At pelage multa, & latè ſubſtrata videmus.
Proinde licet quamuis ex vno quoque loco ſol
Humoris paruam delibet ab æquore partem:
Largiter in tanto ſpatio tamen auferet vndis.
Tum porrò venti magnam quoque tollere partem
Humoris poſſunt, verrentes æquora ponti:
Vna nocte vias quoniam perſæpe videmus
Siccari, mollíſque luti concreſcere cruſtas.
Præterea docui, multum quoque tollere nubeis

Humorem,

Humorem,magno conceptum ex æquore ponti:
Et paſſim toto terrarum ſpargere in orbe,
Cùm pluit in terris,& venti nubila portant.
Poſtremò,quoniam raro cum corpore tellus
Eſt,& coniunctas oras maris vndique cingit:
Debet,vt in mare de terris venit humor aquaï,
In terras itidem manare ex æquore ſalſo.
Percolatur enim virus,retróque remanat
Materies humoris,& ad caput amnibus omnis
Confluit:inde ſuper terras redit agmine dulci:
Quà via ſecta ſemel liquido pede detulit vndas.

NVNC RATIO REDD.) *Cur tot fluuiis in more decurrentibus,mare tamen nihilo maius fiat, quæſitum eſt ab antiquis,teſte Ariſtot. lib.2.μετεωρ. cuius hæc verba ſunt.* τὸ δὲ ζητεῖν τὴν ἀρχαίαν ἀπορίαν, διὰ τί τοσοῦτον πλῆθος ὕδατος οὐδαμοῦ φαίνεται (καθ' ἑκάστην γὰρ ἡμέραν ποταμῶν ῥεόντων ἀναριθμήτων, καὶ τὸ μέγεθος ἀπλέτων, οὐδὲν ἡ θάλαττα γίνεται πλείων) τοῦτο οὐδὲν μὲν ἄτοπον ἀπορῆσαί τινας, οὐ μὴν ἀποβλέψαντί γε, χαλεπὸν ἰδεῖν. τὸ γὰρ αὐτὸ πλῆθος ὕδατος εἰς πλάτος τε διαταθὲν, καὶ ἀθρόον, οὐκ ἐν ἴσῳ χρόνῳ ἀναξηραίνεται, ἀλλὰ διαφέρει τοσοῦτον, ὥστε τὸ μὲν διαμεῖναι ἂν ὅλην τὴν ἡμέραν, τὸ δ', ὥσπερ εἴ τις ἐπὶ τράπεζαν μεγάλην περιχέειεν ὕδατος κύαθον, ἅμα διανοουμένοις ἂν ἀφανισθείη πᾶν. ὃ δὴ καὶ περὶ τοὺς ποταμοὺς συμβαίνει. συνεχῶς μὲν γὰρ ῥεόντων ἀθρόων, ἀεὶ τὸ ἀφικνούμενον εἰς ἀχανῆ καὶ πλατὺν τόπον ἀναξηραίνεται ταχὺ καὶ ἀδήλως. *id eſt, Quærere autem id,de quo ab antiquis dubitatum eſt, quamobrem tanta aquæ multitudo nuſquam appareat: (innumerabilibus enim & immenſis fluminibus quotidie in mare influentibus, id nihilo fit maius)hoc quidem non eſt abſurdum,ſi nonnulli dubitẽt:non eſt tamen,ſi quis attendat,rationem videre difficile. Nam eadem aquæ magnitudo in latitudinem confertim effuſa,non æquali tempore areſcit:ſed hoc differt,quòd pars quidem totum diem permanere poſſit, pars autem puncto temporis euaneſcat, proinde ac ſi quis aquæ cyathum in magnam menſam profuderit,ac dilatarit.quod & hîc accidit. Aſſiduè enim & continenter,& confertim influentibus in mare fluminibus,ſemper id,quod delabitur in locum vaſtum,& latum,citò,& obſcurè areſcit.hactenus Ariſtot. Idem ibidem refellit ſententiam Platonis in Phædone de Tartaro, quem ille putat principium & fontem eſſe omnium aquarum.*

QVO TANTV FVAT DECVRS. AQVAR.) *ſic nunc reſtitui. Nam vulgo legitur,quò fit tantus dec.aq.alij legunt,quò fiat tantus decurſ.aq.quod ferri non poteſt.* DECVRSVS AQVARVM,) *tranſlatè, & tamen vſitatè dictum eſt. ſic lib.I. Montibus ex altis magnus decurſus aquaï,&c.*

OMNIA QVO VENIANT EX O. FL.) *ſuprà lib.I. Efficit, vt largis auidum mare fluminis vndis Integrent amnes,&c. Sic Plautus in Trucul. Nam hoc aſſimile eſt,quaſi de fluuio qui aquam deriuat ſibi. Niſi deriuetur,tamen omnis ea aqua abeat in mare. Nam in mare abit,miſeréque perit ſine omni bona gratia. ſequitur paucis pòſt verbis. Meretricem ego item eſſe reor,mare vt eſt.quod des,deuorat, nec vnquam Abundat. at hoc ſaltem ſeruatum tibi æſtuat. id appáret. huic des Quantumuis,nuſquam apparet, neque datori,neque acceptrici.* AD MARIS OMN. SVMM.) *id eſt,ſi cum maris ſumma omnis comparentur.*

AD AVGMEN) *ad augendum mare.* PRÆTEREA MAGNAM SOL P.) *alia ratio, quamobrem mare non augeatur, tot fluuiis in id influentibus.*

AT PELAGE MVLTA) *Cùm & in aliquot lib. manuſcriptis reperiſſem ſcriptum, At pelagi multa, & viderem, ſcripturam vulgatam, pelago, ferri non poſſe, ſic repoſui, præſertim cùm viderem codices Florent. ſic habere, ſcirémque Marullum hanc lectionem probauiſſe. pelage autem, id eſt maria, quarti caſus eſt, πελάγη. quo vtitur ſup. lib. 5. princip. Propter Atlantéum litus, pelagéque ſeuera. vtitur & Catull. in Galliambo. Rapidum ſalum tuliſtis, truculentáque pelage: quamquam non pugnem cum iis, qui apud Catull. lectionem vulg. malint, pelagi, in patrio caſu.*

DE LIBET) *deguſtet, & ita detrahat, & deminuat. quidam tamen legendum etiam hoc loco putant, delibret: nonnulli, delimet.* TVM PORRO) *alia ratio.*

VERRENTES) *ſic ſup. lib. 5. Partim quòd validi verrētes æquora venti Deminuunt, radiiſque retexens ætherius ſol.*

MOLLISQ. L. CONCR.) *& lutum, quod erat molle, dureſcere.*

PRÆTEREA DOCVI) *alia ratio.* CONCEPTVM) *contractū, hauſtū.*

POSTREMO QVONIAM) *poſtrema ratio, quæ eſt huiuſmodi. quoniam (inquit) terra raro corpore eſt, & oras maris extremas & proximas omni ex parte cingit: quemadmodum àqua è terris in mare, ita è mari in terrā manare debet. libri quidem omnes habent, & coniuncta'ſt oras maris vndique cingens. ſed putaui legendum, & coniunctas oras maris vndique cingit. Verumtamen illam non damno.*

PERCOLATVR ENIM) *hic verſus, & tres deinceps ſequentes, iam ſuprà poſiti ſunt lib. 5.* QVA VIA SECTA) *Hunc quidem verſum cum tribus, qui proximè antecedunt, profert Lucretius libro 5. ſed quia fugit me, ſuprà lectorem admonere, ſecare viam, & via ſecta, Virgilium quoque dixiſſe, hîc, ſerius quidem, ſed non alieno loco tamē, admonebo, & verſus indicabo. Sic igitur Virgil. Georg. I. Has inter, mediámq, duæ mortalib. ægris Munere conceſſæ diuûm: & via ſecta per ambas: &c. Idem lib. VI. in extr. Ille viā ſecat ad naueis, &c. Idem lib. XII. Sic Turno, quacumque viam ſecat, agmina cedunt.*

Nunc ratio quæ ſit, per fauceis montis vt AEtnæ
Exſpirent ignes interdum turbine tanto,
Expediam. neque enim media de clade coorta
Flammæ tempeſtas, Siculûm dominata per agros,
Finitimis ad ſe conuertit gentibus ora,
Fumida quom cæli ſcintillare omnia templa
Cernentes, pauida complebant pectora cura,
Quid moliretur rerum natura nouarum.
Hiſce tibi in rebus late'ſt, altéque videndum,
Et longè cunctas in parteis diſpiciendum,
Vt reminiſcaris, ſummam rerum eſſe profundam,
Et videas, cælum ſummaï totius vnum,
Quàm ſit paruola pars, & quàm multeſima conſtet,
Et quota pars homo ſit terraï totius vnus.
Quod bene propoſitum ſi planè contueare,

Ac videas: planè mirari multa relinquas.
Num quis enim noſtrûm miratur, ſi quis in artus
Accepit calido febrim feruore coortam,
Aut alium quemuis morbi per membra dolorem?
Obturgeſcit enim ſubitò pes, arripit acer
Sæpe dolor denteis: oculos inuadit in ipſos:
Exſiſtit ſacer ignis, & vrit corpore ſerpens,
Quamcunque arripuit partem, repítque per artus,
Nimirum, quia ſunt multarum ſemina rerum,
Et ſatis hæc tellus nobis, cælúmque mali fert,
Vnde queat vis immenſi procreſcere morbi.
Sic igitur toti cælo, tèrræque putandum'ſt,
Ex infinito ſatis omnia ſuppeditare,
Vnde repentè queat tellus concuſſa moueri,
Pérque mare, & terras rapidus percurrere turbo,
Ignis abundare Aetnæus, flammeſcere cælum.
Id quoque enim fit, & ardeſcunt cæleſtia templa:
Vt tempeſtates pluuiæ, grauiore coortu
Sunt, vbi fortè ita ſe tetulerunt ſemina aquarum.
At nimis eſt ingens incendij turbidus ardor.
Scilicet & fluuius, qui non eſt, maximus eii'ſt,
Qui non antè aliquem maiorem vidit: & ingens
Arbor, homóque videtur: & omnia de genere omni,
Maxima quę vidit quiſque, hęc ingentia fingit:
Quom tamen omnia cum cęlo, terráque, maríque,
Nil ſint ad ſummam ſummaï totius omnem.

NVNC RATIO QVÆ SIT) *Nunc de Ætna, Siciliæ monte, & de eius ignibus diſputare parat.* PER FAVCEIS MONTIS VT ÆTNÆ, &c.) *fauceis appellat, quas Græci κρατῆρας nominant, vt idem dicit paullo pòſt, ibi. In ſummo ſunt ventigeni crateres, vt ipſi Nominitant, nos quas fauceis perhibemus, & ora.* EXSPIRENT) *exſpirent, abſolutè poſitum, & ſine caſu accuſatiuo ſubſequente: quo modo aliàs poni ſolet. vt lib. 2. Sanguinis exſpirans calido de pectore flumen.* NEQVE ENIM MEDIA DE CL.) *huius loci hæc mihi videtur eſſe ſententia. non enim ex aliqua clade media coorta flamma, per Siculorũ agros diuagata, genteis admiratione affecit, quo tempore illæ omneis cæli parteis ſcintillare cernentes, magnopere erant ſollicitæ, atque anxiæ, dubitantes quidnam rerum nouarũ natura meditaretur: ſed ex monte Ætna. Ad hunc locum pertinẽt illa M. Tull. lib 2. de nat. Deor. Nos autẽ tenebras cogitemus tantas, quantæ quondã eruptione Ætnæorũ igniũ finitimas regiones obſcurauiſſe dicũtur, vt per biduum nemo hominẽ homo agnoſceret: cùm autẽ tertio die ſol illuxiſſet, tũ vt reuixiſſe viderẽtur.* HISCE TIBI IN REB.) *nunc demum incipit rationẽ horũ igniũ exquirere,*

tacitus. ET INGENS, *&c.) & ingens videtur arbor, homóque eſt, qui maiorem arborem, maiorémque hominem non vidit.* MAXIMA,) *id eſt, quibus maiora numquam anteà vidit.*

Nunc tamen illa modis quibus inritata repentè
Flamma foras vaſtis AEtnæ fornacibus efflet,
Expediam. primùm totius ſubcaua montis
Eſt natura, ferè ſilicum ſubfulta cauernis.
Omnibus eſt porrò in ſpeluncis ventus, & aër.
Ventus enim fit, vbi eſt agitando percitus aër.
Hic vbi percaluit, calefecítque omnia circùm
Saxa furens quà contingit, terrámque: & ab ollis
Excuſſit calidum flammis velocibus ignem:
Tollit ſe, ac rectis ita faucibus eiicit altè,
Funditque ardorem longè, longéque fauillam
Differt, & craſſa voluit caligine fumum,
Extruditque ſimul mirando pondere ſaxa:
Ne dubites, quin hæc animaï turbida ſit vis.
Præterea magna ex parti mare montis ad eius
Radices frangit fluctus, æſtúmque reſorbet.
Ex hoc vſque mari ſpeluncæ montis ad altas
Perueniunt ſubter fauceis. hàc ire fatendum'ſt,
'Et penetrare mari penitus res cogit aperto,'
'Et penetrare mare, & penitus ſe cogier arcto,'
Atque efflare foras: ideóque extollere flammas:
Saxáque ſubiectare, & arenæ tollere nimbos.
In ſummo ſunt ventigeni crateres, vt ipſi
Nominitant, nos quas fauceis perhibemus, & ora.
Sunt aliquot quoque res, quarum vnam dicere cauſam
Non ſatis eſt, verùm plureis, vnde vna tamen ſit.
Corpus vt exanimum ſiquod procul ipſe iacêre
Conſpicias hominis: fit vt omneis dicere cauſas
Conueniat leti, dicatur vt illius vna.
Nam neque eum ferro, neque frigore vincere poſſis
Interiiſſe: neque à morbo, neque fortè veneno:
Verùm aliquid genere eſſe ex hoc, quod contio dicat,
Scimus: item in multis hoc rebus dicere habemus.

NVNC TAMEN ILLA) *Redit ad inſtitutam diſputationem de Ætnæorum igniũ ratione: de quibus ſic Virgilius Æneidos tertio, ſed horrificis iuxtà tonat Ætna ruinis: Interdúmque atram prorumpit ad æthera nubem, Turbine fumantem piceo, & cãdente fauilla, Attollítque globos flammarum, & ſidera lambit: Interdũ ſcopulos, auulſaq́; viſcera montis Erigit eructãs, liquefactáque ſaxa ſub auras Cùm*

gemitu glomerat. De iiſdem ſic Ariſtot. lib. de mundo. Ἐμπεριέχει δὲ καὶ πολλὰς ἡ γῆ ἐν αὑτῇ, καθάπερ ὕδατος, οὕτω καὶ πνεύματος, καὶ πυρὸς πηγάς. τούτων δὲ αἱ μὲν ὑπὸ γῆν εἰσὶν ἀόρατοι, πολλαὶ δὲ ἀναπνοὰς ἔχουσι, καὶ ἀναφυσήσεις, ὥσπερ Λιπάρα τε, καὶ Αἴτνη, καὶ τὰ ἐν Αἰόλου νήσοις. αἳ δὴ καὶ ῥέουσι πολλάκις ποταμῶν δίκην, καὶ μύδρους ἀναρριπτοῦσι διαπύρους. id eſt, Continet autem terra & multos in ſe, vt aquæ, ita & flatus, & ignis fonteis. Horum porrò alij quidem ſub terra ſunt occulti, & obſcuri, alij autem reſpirationes & quaſi reflationes habent, vt Lipara, & Ætna, & loca in Æoli inſulis. qui ſæpenumero & fluuiorum modo fluunt, & flammas, ac maſſas candenteis prouomunt. de iiſdem idem lib. περὶ θαυμασίων ἀκουσμ.

PRIMVM TOTIVS) ſic ferè Trogus lib. 4. vt eſt apud Seruium in tertium Æneid. Sicilia terra eſt cauernoſa & fiſtuloſa: quo fit, vt ventorum flatibus pateat, vnde ignis concipitur. intrinſecus ſulphur habet, & bitumen: in quæ vbi ventus per ſpiramenta cauernarum incubuit, diu luctatus ignem concipit. Sic Ætnæ durat incendium. motus ergo ventorum, cauſa incendij eſt.

VENTVS ENIM FIT, VBI EST AGITANDO) Itaque quidam dicunt, ventum nihil aliud eſſe, quàm agitatum aëra.

QVA CONTINGIT,) qua parte ſaxa tangit.

TERRAMQVE) & vbi terram calefecit, quà eam tangit.

DIFFERT) in diuerſas parteis fert. ANIMAI) flatus, ſpiritus, venti, πνεύματος. PRÆTEREA MAGNA) alia ratio horum ignium.

PARTI) parte, vt ſæpe aliàs. HAC) per has ſpeluncas fatendum eſt mare penetrare. ET PENETR. M. PENIT. RES COG. APERTO) ſecutus olim lectionē vulgatam, Et penetrare mare, & penitus ſe cogier arcto: ad eam hæc annotaram, eámque ſic declararam: & fatendum eſt, mare hac, nempe per has ſpeluncas, penetrare, & penitus in anguſtum cogi à ſeipſo coarctato. ſed non diſſimulabo, in aliquot lib. manuſcript ita ſcriptum eſſe, Et penetrare mari penitus res cogit aperto. quibuſcum conſentiunt cod. Pariſienſes, & Veneti antiq. Hanc igitur ſcripturam antiquam, quam olim lectori propoſui, & indicaui, nunc in contextum reſtituo. Dicā tamen, quod ſentio, neque hic verſus, neque is, qui reperitur in libris vulg. lucernam olet Lucretianam. & eo detracto, nihil de ſententia decedet.

SVBIECTARE) ſurſum iactare. VENTIGENI) ſic emendandum exiſtimat Adr. Turnebus lib. 22. aduerſar. cap. 18. Nam vulgò legitur, In ſummo ſunt vertice item, &c. Ventigeni autem: id eſt ventos gignentes: vel à ventis geniti. Ventus enim crateres, ſeu fauceis illas efficit. Sed videtur hic locus explicari non poſſe, immo ne aptè quidem cū aliis cohærere, niſi legamus, In ſumma, hoc eſt, Ad ſummā, ὅλως. vel in ſummo interpretemur, in ſummo monte: Vel dicamus, hos duos verſus alieno loco eſſe poſitos. SVNT ALIQVOT QVOQ.) ne quis miretur, me multas horum ignium rationes afferre, quaſi dubium atque incertum, ſunt aliquot etiam res, quarum vnam cauſam afferre non eſt ſatis, ſed plures afferendæ ſunt, ex quibus tamen vnica cauſa ſit idque oſtendit à ſimili.

DICATVR VT ILLIVS VNA.) id eſt, vt cauſa illius leti, quo homo ille interiit, quæ vna eſt, dici poſſit. doctus quidam legendum putat, dicatur vt illius vera. VERVM ALIQVID GENERE ESSE EX HOC Q. C. DICAT) ſecutus eram initio cod aliquot vulgatos, qui habēt, Verum eſſe ex genere hoc aliquid, quod contio credat: idémque indicaram ingenioſo lectori ſcripturā, quæ reperitur in quatuor manuſcr. cum quibus conſentiunt vulg. Veneti antiq. &

Pariſienſ. Verum aliquid genere eſſe ex hoc, quod contio dicat. hanc igitur nunc ſequor. Idem admonueram, codicem Memmianum manuſcript. ſic habere, Verùm genere aliquid eſſe ex hoc contioito. quæ ſcriptura quid ſibi velit, non video. Omnino in hoc loco mendum ſubeſſe ſuſpicor.

CONTIO) *turba, quæ circùm ſtat, & quæ ad audiendum conuenit.*

Nilus in æſtati creſcit: campíſque redundat
Vnicus in terris AEgypti totius amnis:
Is rigat AEgyptum, medium per ſæpe calorem:
Aut quia ſunt æſtate Aquilones oſtia contra,
Anni tempore eo, quo Eteſia flabra feruntur:
Et contra fluuium flantes remorantur, & vndas
Cogentes ſurſus, replent, cogúntque manere.
Nam dubio procul hæc aduerſo flabra feruntur
Flumine, quæ gelidis à ſtellis axis aguntur.
Ille ex æſtifera parti venit amnis ab Auſtro,
Inter nigra virûm, percoctáque ſæcla calore,
Exoriens penitus media ab regione diei.
Eſt quoque, vti poſſit magnus congeſtus arenæ
Fluctibus aduerſis oppilare oſtia contra,
Cùm mare permotum ventis ruit intus arenam.
Quo fit vti pacto liber minus exitus amni,
Et procliuus item fiat minus impetus vndis.
Fit quoque, vti pluuiæ forſan magis ad caput eius
Tempore eo fiant, quo Eteſia flabra Aquilonum
Nubila coniiciunt in eas tunc omnia parteis.
Scilicet ad mediam regionem eiecta diei
Cùm conuenerunt, ibi ad altos denique monteis
Contruſæ nubes coguntur, víque premuntur.
Forſit & AEthiopum penitus de montibus altis
Creſcat, vbi in campos albas deſcendere ningueis
Tabificis ſubigit radiis ſol omnia luſtrans.

NILVS IN ÆSTATI.) *Nunc cur nilus in æſtate creſcat: qua de re ſæpe quæſitum eſt ab antiquis: & Herodotus treis antiquorum opiniones refert, eáſque refellit: quarum prima eſt ea, quæ in Eteſias cauſam confert: ſecunda, quæ in Oceanum: tertia, quæ in niueis liquefactas: quartam affert ſuam, qua ſolem vult eſſe cauſam efficientem huius incrementi, nempe quia ſol brumæ tempore in Libyæ partibus curſum ſuum conficiens, multum ad ſe humorem è Nilo attrahat: atq; idcirco Nilus hoc tempore præter naturam ſuam minor fiat: æſtate autem aduentante, atque appropinquante ſol diſcedens ad Septentriones, Græciæ fluuios ſiccet & minuat. idcirco Nilum videri æſtate creſcere, cùm re vera hoc non fiat. ſed potius hieme decreſcat. ſed hanc ſententiam reprehendit Diod. Siculus lib. I. quem legito, ſi plura has*

dere cognoſcere cupis: & *Herod. Euterpe:* & *Plin. lib. 5 cap. 9.* & *Melam lib. 1. cap. 9.* & *Solinū cap. 45. Non arbitror hoc loco mihi eſſe prætereūdum, quod retulit Antigonus inter eas, quas collegit, hiſtorias admirabileis puteis, qui ſunt Mythopoli, ſimile quiddam, atq; Nilo, accidere. Æſtate enim, ſupra labra plenos eſſe: hieme verò, ita decreſcere, atque adeò exareſcere, vt ne tinguere quidem aliquid ex eo facile ſit. Græca verba ſunt hæc.* Λέγει δὲ τὸν Εὔδοξον καὶ περὶ τῶν ἐν τῇ μυθοπόλει φρεάτων, ὅτι παραπλήσιον τῷ Νείλῳ πάσχοιεν. τοῦ μὲν γὰρ θέρους ὑπὲρ τὰ χείλη πληροῦσθαι, τοῦ δὲ χειμῶνος οὕτως ἐκλείπειν, ὥστε μηδὲ βάψαι ῥάδιον εἶ(ναι). IN ÆSTATI) *in æſtate.*

IS RIGAT ÆGYPT.) *ſic Virgil. Georg. 4. Et viridem Ægyptum nigra fæcundat arena.* & *M. Tull. lib. 2. de nat. Deor. Ægyptum Nilus irrigat, & cùm tota æſtate obrutam, oppletámque tenuerit, tum recedit, mollitóſque & oblimatos agros ad ſerendum relinquit.* AVT QVIA SVNT ÆST. AQ.) *hanc rationem aiunt fuiſſe Thaletis, idque teſtatur & Diodorus Siculus lib. 1. his verbis,* Θαλῆς μὲν οὖν εἷς τῶν ἑπτὰ σοφῶν ὀνομαζόμενος, φησὶ τοὺς Ἐτησίας ἀντιπνέοντας ταῖς ἐκβολαῖς τοῦ ποταμοῦ, κωλύειν εἰς θάλατταν προχεῖσθαι τὸ ῥεῦμα, &c. *id eſt, Thales vnus è ſeptem ſapientibus ait Eteſias Nili oſtiis reſtātes, prohibere, ne in mare profundatur. Eteſiæ autem iidem ſunt, atque Aquilones. flant enim à ſeptentrionibus. hoc intereſt, quòd Aquilones qualibet anni parte potius, quàm æſtate, & incertis anni temporibus ſpirant: Eteſiæ autem ſola æſtate, nempe ſub ſolſtitium ſpirant. Itaque Eteſiæ dicti ſunt* παρὰ τὸ ἔτος: *quæ vox annum ſignificat, quia certo anni tempore flant. de quibus ſic Ariſtot. lib. 2. de reb. ſuperis.* Οἱ δὲ ἐτησίαι πνέουσι μετὰ τροπὰς καὶ κυνὸς ἐπιτολήν, &c. *id eſt, Eteſiæ autem flant poſt ſolſtitium, & canis ortum.*

QVO ETESIA FLABRA FERVNTVR) *hanc eſſe puto veram, & rectam ſcripturam, non quòd reperiatur in lib. manuſcriptis expreſſa, ſed quòd propius abſit ab antiqua. ſic enim omnes fere libri veteres habēt, quæ Eteſia flare feruntur: Memmianus autem: quo Eteſia efflare feruntur: cū quo conſentiunt aliquot vulgati: in his Pariſienſes, & Veneti antiquiores.* COGENTES SVRSVS) *quidam libri habent, cogentes rurſus replent, quod fortaſſe probabilius eſt, vt, rurſus, cohæreat cum verbo, replent. ego tamen alteram, vt tolerabilem, & receptam, ſecutus ſum.* QVÆ GELIDIS A ST.) *quæ flabra flant à ſeptentrionibus.*

AB AVSTRO) *à meridie, & ab axe illi oppoſito.*

PERCOCTAQVE SÆCLA CALORE) *ſic legi debet, & ita legitur infrà non longe ab extremo, ibi, Vſque ad nigra virûm, percoctáque ſæcla calore. adde quòd Vaticanus codex habet, calore, non, vt vulgati, colore. ſignificat autem Æthiopas, & talcis nationes, quæ calore ſolis peruſtæ ſunt.*

EST QVOQVE VTI POSS. MAGNVS) *hanc rationem commemorat Pomponius Mela.* CONGESTVS) *cumulus.*

OPPILARE) *obſtare tanquam multæ pilæ, ſeu columnæ confertim oppoſitæ. verbum eſt abſolutè poſitum hoc loco. ſed M. Tullius vſus eſt participio patiente, ſecunda Philipp. negotiúmque tranſegiſſes, niſi ille ſe ſub ſcalas tabernæ librariæ conieciſſet, hiſque oppilatis, impetum tuum compreſſiſſet.*

RVIT) *ruit, poſitum eſt* ἀνεργητικῶς, *vt apud Virgil. Georg. 1. cumulóſque ruit malè pinguis arenæ.* & *1. Æneid. ſpumas ſalis ære ruebant.* & *Lucret. ſup. lib. 1. Quamlibet in partem trudunt res antè, ruúntque Impetibus crebris.*

ET PROCLIVVS) *ſic habent tres libri manuſcr.* & *aliquot vulgati. alij, procliuis.* FIT QVOQVE VTI PL.) *alia ratio, quā cōmemorat Plin. lib. 5. cap. 9.*

Cauſas

Cauſas huius incrementi varias prodidere, ſed maximè probabileis, Eteſiarum, eo tempore ex aduerſo flantium, repercuſſum, vltro in ora acto mari: aut imbreis Æthiopiæ æſtiuos, iiſdem Eteſiis nubila illò ferentibus è reliquo orbe.

AD CAPVT EIVS) *etiam de capite, & origine Nili valde dubitarũt veteres. exſtat apud Herodotum in Euterpe hac de re longiſsima diſputatio, & item apud Diod. Siculum lib. 1. quos cùm legeris, nihilo certiora de Nili fontibus cognoueris. Quin & Plinius eadem de re ſcribens lib. 5. cap. 9. nos æquè ferè incertos dimittit. ſic autem ille. Nilus (inquit) incertis ortus fontibus, it per deſerta & ardentia: & immenſo longitudinis ſpatio ambulans, famáque tantùm quæſitus, ſine bellis, quæ ceteras omneis terras inuenere, originem (vt Iuba rex potuit exquirere) in monte inferioris Mauritaniæ non procul Oceano habet, lacu protinus ſtagnante, quam vocant Nilidem. ſic ferè & Solinus. Tum porrò poëtæ ferè omnes Nili originem faciunt ignotam, vt Horat. od. 14. lib. 4. Te fontium qui celat originem Nilus. & Tibull. lib. 1. Nile pater, quánam poſſum te dicere cauſa, Aut quibus in terris occuluiſſe caput? & Lucanus lib. 10. Arcanum natura caput non prodidit vlli: Nec licuit populis paruum te Nile videre: Amouítque ſinus, & genteis maluit ortus Mirari, quàm noſſe tuos.* AD MEDIAM REG. E. D.) *ad meridiem, &c.*

FORSIT ET ÆTHIOPVM) *cum in duobus cod. manuſcript. ſcriptum reperiſſem, Forſit at Æthiopum, Forſit &, repoſui. forſit autem, idem valet, quod forſan, & forſitan quo vſus eſt Horat. ſatyr. 6. lib. I. & Virg. Æneid. XI. Poſtrema autem ratio eſt, quamobrem Nilus æſtate creſcat: nempe quia tum niues in Æthiopiæ montibus liqueſcant, & liquefactæ Nilum augeant.*

CRESCAT) *ſic lib. Vaticanus, & vulgati Florentini: atque ita legendum, non, vt vulgò, Creſcit. eſt enim hæc ſententia. Forſitan etiam Nilus creſcere poſsit de montibus Æthiopum. Fuit autem hæc opinio Anaxagoræ, & Euripidis, quem illius diſcipulum fuiſſe ferunt: quam hoc vno argumento refellit Diodorus Siculus, quòd fieri non poteſt, propter immoderatos calores, vt in Æthiopia niues exſiſtant.*

DESCENDERE NINGVEIS) *ninguis, is, antiquum, pro nix, niuis. deſcendere autem, legendum eſſe, non, decedere, res ipſa loquitur.*

TABIFICIS) *liquefacientibus, ſeu vim liquefaciendi habentibus. Tabeſcere enim valet, τήκεσθαι. hoc eſt, liqueſcere, vt ſupr. lib. 2 in extr. Nec tenet, omnia paullatim tabeſcere, & ire Ad ſcopulum, &c.* SVBIGIT) *cogit, vt Virg. lib. 6. Æneid. Caſtigátque, auditque dolos, ſubigítque fateri. & Lucil. lib. 30. Tune iugo iungas me autem, & ſuccedere aratro Inuitũ, & glebas ſubigas proſcindere ferro?*

Nunc age, auerna tibi quæ ſint loca cumque, lacúſque,
Expediam, quali natura prædita conſtent.
Principiò, quòd auerna vocantur, nomen id ab re
Impoſitum'ſt, quia ſunt auibus contraria cunctis,
E regione ea quòd loca cùm aduenere volantes,
Remigij oblitæ pennarum vela remittunt,
Præcipitéſque cadunt, molli ceruice profuſæ
In terram, ſi fortè ita fert natura locorum:
Aut in aquam, ſi fortè lacus ſubſtratus auerno'ſt.
Qualis apud Cumas eſt ocris vipera montis,

Pompeij calidis vbi fumant fontibus aucti.
Eſt & Athenæis in mœnibus, arcis in ipſo
Vertice, Palladis ad templum Tritonidos almæ,
Quò numquam pennis appellunt corpora raucæ
Cornices, non quom fumant altaria donis:
Vſqueadeò fugitant non iras Palladis acreis,
Peruigilij cauſa, Graiûm vt cecinere poëtæ:
Sed natura loci hoc opus efficit ipſa ſua vi.
In Syria quoque fertur item locus eſſe, videri,
Quadrupedes quoque quò ſimulac veſtigia primùm
Intulerint, grauiter vis cogat concidere ipſa,
Manibus vt ſi ſint diuis mactata repentè.
Omnia quæ naturali ratione geruntur,
Et, quibus è cauſis fiant, appâret origo:
Ianua ne his Orci potius regionibus eſſe
Credatur poſta: hinc animas Acheruntis in oras
Ducere fortè Deos maneis inferne reamur,
Naribus alipedes vt cerui ſæpe putantur
Ducere de latebris ſerpentia ſæcla ferarum.
Quod procul à vera quàm ſit ratione repulſum,
Percipe, namque ipſa de re nunc dicere conor.

NVNC AGE, AVERNA) *Nunc de auernis diſſerere incipit. dicta autem ſunt auerna, quaſi ἄορνα, id eſt, ſine auibus, quia (vt ipſe Lucret. ſtatim dicet) ſunt auibus contraria cunctis. de Auerna palude interiecta inter Miſenum & Dicæarchiam, id eſt, Puteolos, lege Diod. Siculum lib. 4. Nam hoc loco Lucretius de genere ipſo auernorum, non de vno auerno loquitur. Ariſt. lib. περὶ θαυμασ. ἀκουσμ. quandam auernam paludem deſcribit non longè ab inſulis Electridibus, fluuióque Eridano: cuius paludis aquæ ſint calidæ: odor ab ea exhalet grauis, & tæter: ex ea nullum animal bibat: ſupra eam nulla auis volet: quòd ſi forte volare conata ſit, continuò in eam decidat, & intereat. Idem aliam non multis pòſt verſibus auernã paludem, Cumæ vicinam commemorat his verbis: περὶ τὴν Κύμην, τὴν περὶ Ἰταλίαν, λίμνη ἐστὶν ἡ προσαγορευομένη ἄορνος, &c. id eſt, Ad Cumas, Italiæ vrbem, palus eſt, quæ auerna appellatur, &c.* PRINCIPIO, QVOD AVERNA) *profert hunc verſum Nonius. ſed mendoſè.* QVIA SVNT AVIBVS C.) *Virg. lib. 6. Spelunca alta fuit, vaſtóque immanis hiatu, Scrupea, tuta lacu nigro, nemorúmque tenebris: Quam ſuper haud vllæ poterant impunè volantes Tendere iter pennis: talis ſeſe halitus atris Faucibus effundens ſupera ad conuexa ferebat: Vnde locum Graij dixerunt nomine auernum.*

E REGIONE EA QVOD) *ordo eſt. quòd, cùm è regione ad ea loca venêre, &c. legendũ autẽ fortaſſe eſt, aduenêre: vel ſubintellige, ad, ſi vulgata lectio, venêre, retineatur. ſic Virgil. lib. 1. Æneid. Deuenêre locos, vbi nunc ingentia cernes Mœnia.* REMIGII OBLITÆ PENN.) *ſic Virg. lib. 6. Æneid. tibi, Phœbe,*

ſacrauit Remigium alarum. Lucianus, Timone, de Mercurio, qui in cælum reuolarat. ὁ μὲν ἀπελήλυθεν, ὡς δοκεῖ. τεκμαίρομαι γὰρ τῇ εἰρεσίᾳ τῶν πτερῶν. id eſt, ille quidem abiit, vt videtur. coniicio enim ex remigio alarum.

SI FORTE ITA FERT) ſunt enim quædam auerna ſine aqua.

SI FORTE LACVS SVBST R.) ſi forte lacus eſt auernis ſubiectus.

QVALIS APVD CVMAS EST OCRIS VIPERA MONTIS) Ad hunc verſum, quem ſic olim edideram, Qualis apud Cumas locus eſt, montémque Veſeuum, hæc annotaueram, quæ ſequuntur. Cùm hic verſus in cod. Vaticano ita legatur, Is loeus eſt Cumas ap. & viſui per mõtis: in Tett. autẽ, & Faërn. Is locus eſt Cumas apur, & viſui per montis: in Mẽmiano porrò: Is locus eſt Cumas apud ecris vi per montis: in vulgatis autem partim, Is locus eſt Cumas apud eius ſub pede montis, partim, Is loeus eſt Cumas apud Etruſcos per monteis: partim, Etruſcos & monteis, partim, etriſui per montis: perſpicuum ſit autem, Lucretium inſtituiſſe diſputationem non de vno certo auerno, ſed de omnibus, & de genere ipſo auernorum: in hac ſententia ſum, à qua deduci non poſſum, neque hunc verſum, neque eum, qui deinceps ſequitur, eſſe Lucretianos, ſed ab aliquo inepto inculcatos, & fortaſſe ex aliqua annotatiuncula ad oram libri adſcripta natos. Quid enim ineptius, atque adeò abſurdius, quàm, poſteaquàm de toto genere Auernorum mentionem fecit, vt dixi, hos verſus ſubiungere, Is locus eſt Cumas, &c. quibus oſtendat, ſe de vno auerno locutum eſſe? vel igitur non ſunt Lucretiani, (quod verius eſſe puto) vel principium verſus ita eſt emendandum, quemadmodum excudendum curaui: Qualis apud Cumas locus eſt, montémque Veſeuum, vt intelligamus, Lucretium, auernorum genere explicato, ſingularis auerni, eiúſque noti exemplum proponere voluiſſe. Hunc auernum autem non longè abeſſe à Veſeuo, ſeu Veſuuio monte, & Cumis, conſtat. ſi quis tamen malet legi, montémq; Miſenum, non pugnabo. Cùm hæc aliquot annis antè quàm Adr. Turnebus Aduerſariorum libros edidiſſet, ſcripſiſſem, & diuulgaſſem: is ex antiqua ſcriptura, quam reperiri dixi in cod. Memmiano, coniecit legendum eſſe, Is locus eſt Cumas apud ocris vipera montis. Nunc igitur hanc Turnebi coniecturam paullùm immutatam ſequor, vt proxime ad ſcripturæ veteris ſententiam accedentem. propter eam rationem autem, quam initio expoſui, ſic eam immuto, Qualis apud Cumas eſt ocris, &c. non enim loquitur de vno certo auerno, ſed de genere auernorum. ocrem autem, vt docet Feſtus, montem confragoſum vocabant. viperam porrò montis Ætnæ dicit auernum, quaſi peſtilentem, & exitioſum, vt interpretatur Turnebus. Omnino hi duo verſus, quantumuis licet ita immutati, & ſi ita vis, ſic emendati, mihi ſuſpecti ſunt. Iam, Pompeij, oppidum, non longe abeſt à monte Veſuuio, & Cumis.

AVCTI) id eſt, præditi, & inſtructi. EST ET ATHENÆIS) eſt etiam in mœnibus Athenienſibus, id eſt Athenis, in ipſo arcis vertice, locus, ad quem numquam cornices aduolant. NON CVM FVM. ALT.) ne tunc quidem, cùm veriſimile erat eas maximè aduolaturas.

TRITONIDOS) Pallas Tritonia, & Tritonis, & Tritogenia dicitur, quòd ad amnem Tritonem nata ſit. Virgilius libro 2. ſæuæque petant Tritonidos arcem. Aliæ tamen horum cognominum rationes afferuntur.

VSQVE ADEO FVGITANT NON IR. P. ACR.) id eſt, non quòd fugiant graueis Palladis iras, inquit Lucretius, ſed quòd talis ſit illius loci natura. Fabula talis eſt. Coronis, quæ poſtea in auem cornicem verſa eſt, cùm Erichtho-

nium in ciſta incluſum, ciſtam aperientibus Pandroſo, Herſe, Aglauro, vidiſſet: rem ad Palladem detulit. Propterea è comitatu Palladis eiecta eſt. auis poſteà à Neptuno facta, ne tum quidem iras Palladis oblita, templum eius fugere, quaſi iratæ, fingitur. Ouid. Metamorph. 2. Acta Dea refero: pro quo mihi gratia talis Redditur, vt dicar tutela pulſa Mineruæ, &c. Sed hanc eandem pluribus verbis perſecutus eſt Antigonus, is, qui collegit hiſtorias admirabileis. quæ non pigebit me huc adſcribere. Ἀμελησαγόρας δ' ὁ ἀθηναῖος ὁ τὴν ἀτθίδα συγγεγραφὼς, οὔ φησι κορώνην προσπτᾶσαν πρὸς τὴν ἀκρόπολιν, οὐδ' ἔχοι ἂν εἰπεῖν ἑωρακὼς οὐδείς. Ἀποδίδωσι δὲ τὴν αἰτίαν μυθικῶς. φησὶ γὰρ, ἐν ταῖς ἐκ διαθέσεως τῆς ἀθηνᾶς, συγκατακλιθῆναι αὐτὴν ἀφανισθῆναι. τὸν δ' ἥφαιστον εἰς γῆν πεσόντα, προΐεσθαι τὸ σπέρμα. τὴν δὲ γῆν ὕστερον αὐτῷ ἀναδοῦναι ἐριχθόνιον· ὃν τρέφειν τὴν ἀθηνᾶν, καὶ εἰς κίστην καθεῖρξαι, καὶ παραθέσθαι ταῖς κέκροπος παισὶν, ἀγραύλῳ, πανδρόσῳ, ἕρσῃ· καὶ ἐπιτάξαι μὴ ἀνοίγειν τὴν κίστην, ἕως ἂν αὐτὴ ἔλθῃ. ἀφικομένην δ' εἰς πελλήνην, φέρειν ὄρος, ἵνα ἔρυμα ᾖ πρὸ τῆς ἀκροπόλεως ποιήσῃ. τὰς δὲ κέκροπος θυγατέρας τὰς δύο, ἄγραυλον, καὶ πάνδροσον, τὴν κίστην ἀνοῖξαι, καὶ ἰδεῖν δράκοντας δύο περὶ τὸν ἐριχθόνιον· τῇ δ' ἀθηνᾷ φερούσῃ τὸ ὄρος, ὃ νῦν καλεῖται λυκαβηττὸς, κορώνην φασὶν ἀπαντῆσαι, καὶ εἰπεῖν, ὅτι ἐριχθόνιος ἐν φανερῷ. τὴν δὲ ἀκούσασαν, ῥίψαι τὸ ὄρος, ὅπου νῦν ἐστί. τῇ δὲ κορώνῃ διὰ τὴν κακαγγελίαν, εἰπεῖν, ὡς εἰς ἀκρόπολιν οὐ θέμις αὐτῇ ἔσται ἀφικέσθαι. *id eſt, Ameleſagoras autem Athenienſis, qui hiſtoriam Atticam conſcripſit, negat, cornicem in arcem Athenarum aduolare, neque quiſquam eſt, qui poßit dicere, ſe vllam in ea vidiſſe. Cauſam autem huius rei reddit fabuloſè. Ait enim, Palladem Vulcano in matrimonium datam, & cum eo in communi lecto collocatam, repente ex conſpectu Vulcani abiiſſe, neque amplius cum eo viſam: Vulcanum autem in terram decidiſſe, & ſemen profudiſſe: porrò autem terram poſterius Erichthonium ei protuliſſe: cúmq; Mineruam aluiſſe, & in ciſtam concluſiſſe: ciſtam apud Cecropis filiàs Agraulon, & Pandroſon, & Erſen depoſuiſſe, eáſq; vetuiſſe ciſtã aperire, donec ipſa reuertiſſet. Illam autem in vrbem Achaiæ Pellenam profectam, montem abſtuliſſe, vt anteriora arcis communiret. Interea duas Cecropis filias Agraulon, & Pandroſon ciſtam aperuiſſe, & dracones duos circum Erichthonium vidiſſe. Mineruæ autem montem ferenti, qui nunc Lycabettus appellatur, Coronam obuiam factam eſſe, eique nuntiaſſe, Erichthonium in promtu eſſe: illam, hoc audito, montem eò, vbi nunc eſt, abieciſſe. Coronæ autem, dixiſſe, numquam ei fas futurum propter malum nuntium, in arcem venire, eóque dicto, Coronam in cornicem eſſe verſam.*

PERVIGILII CAVSA) *ſi legamus, Peruigili cura, id eſt ſummo ſtudio, accuratè, aßidua cura: coniungemus cum verbo, vitant, vt ſit, vitant peruigili cura. Sin, vt in pleriſque libris legitur, Peruigilij cauſa: huius ſcripturæ rationem non erit facile explicare, niſi quis dicat, iratam Coronidi fuiſſe Mineruam, peruigilij cauſa, id eſt quia peruigilauerit, vt Erichthonium in ea ciſta incluſum videret.*

SED NAT. LOCI HOC OPVS) *ſecutus ſum codices Pariſienſeis. nam alij habent, Sed nat. loci opus efficit. quæ lectio ſi cui magis probetur, in voce, loci, i, vocalis ante vocalem non elidetur, & producetur. ſic apud Horat. epod od. 11. Feruidiore mero arcana promorat loco. Quamquam ex hoc verſu, duos feci in ſecunda editione Horatiana.* SVA VI) *ſic legi debet, non, vt vulgò, ſuapte: quod natum eſt ex deprauata ſcriptura, ſuabi. Sed vnde nata ſit hæc vis loci, non dicit Lucretius. Quid ſi dicamus, hoc non eſſe naturæ loci adſcribendũ, ſed noctuæ, & cornicis inimicitiis? & cùm Athenis noctuarum magna ſit multitudo, ex quo prouerbium,* γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας, *id eſt noctuam Athenas, ſubintell. fers: cúmq; noctuæ Palladi ſint*

ſacræ cornices in eum locũ, vbi hoſtes ſint potentiores, & ſuperiores viribus, ire non audere? LOCVS ESSE, VIDERI, QVADR. QVOQVE QVO) *Sic habent omnes libri & manuſcripti, & vulgati, quos quidem viderim, præter Florentinos: in quibus ita impreſſum eſt, locus eſſe, volãtes, & c. quarum lectionum neutra mihi admodũ placet, niſi dicamus, hanc receptã, quã ſecutus ſum, ſic explicari poſſe, In Syria etiã fertur eſſe locus, & videri, quò etiã quadrupedes ſimulac, &c. vt eſſe, videri, ſit ἀσυνήθων: vel ſic: in Syria fertur locus eſſe, id eſt, licere, videri, &c. quamquã eſſet durinſculum, mollior eſſet fortaſſe ſcriptura, ſi ita legeretur, In Syria quoq; fertur item locum eſſe videre. vel ſic receptam ſcripturam interpretare, fertur locus eſſe in Syria, videri, id eſt vt videatur, ſeu ad videndum, ὥστε ἰδεῖν. Omnino locus eſt perplexus & impeditus. Ego ſic putabam hunc locum emendandum, In Syria q. f. i. locus eſſe, volucres, Et quò quadrupedes ſimulac u. p. Per hunc locum autem, Plutonium ſignificari puto, quod eſt in Hierapoli, non procul à Laodicea: de quo ſic Strabo lib. 13. τὸ δὲ πλουτώνιον ὑπ' ὀφρύϊ μικρᾷ τῆς ὑπερκειμένης ὀρεινῆς, στόμιον μέν ἐστι σύμμετρον, ὅσον ἄνθρωπον δέξασθαι δυνάμενον. βεβάθυνται δ' ἐπὶ πολὺ, καὶ οὕτω δ' εἴσω παρελθόντι ζώῳ θάνατος παραχρῆμα ἀπαντᾷ. ταῦροι γοῦν εἰσαχθέντες πίπτουσι, καὶ ἐξέλκονται νεκροί. ἡμεῖς δὲ στρουθία ἐπεμψάμεθα, καὶ ἔπεσεν εὐθὺς ἐκπνεύσαντα, id eſt, Plutonium autẽ ſub exiguo montis imminentis ſupercilio, os eſt ea amplitudine, vt hominem capere poſſit tantùm, altitudine verò immenſa &c. animanti autem eò ingreſſo mors præſens parata eſt. Tauri enim introducti, concidunt; & extrahuntur mortui. nos autem paſſerculos immiſimus, & ſtatim ciciderunt anima profuſa. hactenus Strabo. Eſt etiam Panium antrum in radice montis Libani: quod grauem, & mortiferum ſpiritum exhalat.* CONCIDERE IPSA) *mutat genus, ſubintelligendum enim eſt, animalia, aut aliquid ſimile. ſic ſuprà lib. I. Quòd cibus in totas vſque ab radicib imis &c. ad quem locum plura & ſuprà hoc eodem lib. Nam cùm vẽtus eas leuiter, &c. ſubintelligendum, nubes, cùm antecedat vox, nubila.* MANIBVS VT SI SINT DIVIS) *proinde ac ſi ſint Diis Manibus repente immolata.*

IANVA NE HIS ORCI POTIVS R.) *id eſt, hoc dico, nempe hæc omnia naturali ratione geri, & cauſam apparere, quamobrem fiãt: ne forte potius Orci ianua credatur his regionibus eſſe poſita: vt vulgò creditur. Aliter Zoilus. ſed non rectè. Plautus in Trinummo, Acheruntis oſtium in noſtro eſt agro.*

CREDATVR POST A) *ſic reſtitui, poſt Marullum. neque verò dubium eſt, quin ita ſit legendum. poſta, autem, id eſt poſita, ſita. quod probauit Zoilus. nã vulgò legitur, poſthinc.* HINC) *ex hac Orci ianua.* DVCERE) *trahere.*

INFERNE) *ſic legendum: non, inferna. inferne autem, id eſt ex inferis, ſeu ex locis infernis.* NARIBVS ALIPEDES) *quemadmodum cerui alipedes, hoc eſt quibus pedes alarum ſunt loco, & pedum celeritate præſtantes, naribus ſerpentes è latebris ducere exiſtimantur. Itaq; cerui dicuntur à Græcis ἔλαφοι παρὰ τὸ ἑλεῖν τοὺς ὄφεις. i. quia capiũt ſerpẽteis: vel παρὰ τὸ ἐλᾶν τοὺς ὄφεις. i. quia agitẽt, & abigãt ſerpẽteis. Quod hîc ceruis tribuit Lucretius, hoc idẽ elephantis attributũ eſſe proditũ eſt, teſte Plinio lib. II. cap. 53. Elephãtorũ anima ſerpẽteis extrahit, ceruorũ itẽ vrina.*

Principiò hoc dico, quod dixi ſæpe quoque antè,
In terra quoiuſque modi rerum eſſe figuras:
Multa, homini quæ ſunt vitalia: multáque, morbos
Incutere, & mortem quæ poſſunt accelerare:

Et magis eſſe aliis alias animantibus aptas
Res ad vitaï rationem oſtendimus antè,
Propter diſſimilem naturam,diſſimileíſque
Texturas inter ſeſe,primáſque figuras.
Multa meant inimica per aureis,multa per ipſas
Inſinuant nareis infeſta,atque aſpera odore.
Nec ſunt multa parum tactu vitanda,neque autem
Adſpectu fugienda,ſaporéque triſtia quæ ſint.
Deinde videre licet,quàm multæ ſint homini res
Acriter infeſto ſenſu,ſpurcæque,grauéſque.
Arboribus primùm certis grauis vmbra tributa'ſt,
Vſqueadeò,capitis faciant vt ſæpe dolores,
Siquis eas ſubter iacuit proſtratus in herbis.
Eſt etiam in magnis Heliconis montibus arbos
Floris odore hominem tætro conſueta necare.
Scilicet hæc ideò terris ex omnia ſurgunt,
Multa modis multis multarum ſemina rerum
Quòd permiſta gerit tellus,diſcretáque tradit.
Nocturnúmque recens exſtinctum lumen,vbi acri
Nidore offendit nareis,conſopit ibidem:
Quin grauidis hic nidor abortum immittere ſueuit.
'Concidere vt pronos qui morbus mittere ſueuit.'
Caſtoreóque graui mulier ſopita recumbit:
Et manibus nitidum teneris opus effluit eij,
Tempore eo ſi odorata'ſt,quo menſtrua ſoluit.
Multáque præterea languentia membra per artus
Soluunt:atque animam labefactant ſedibus intus.
Denique ſi in calidis etiam cunctere lauacris,
Plenior & ſolio in fueris feruentis aquaï,
Quàm facilè in medio fit vti des ſæpe ruinas?
Carbonúmque grauis vis,atque odor inſinuatur
Quàm facile in cerebrũ,niſi aquã præcepimus antè?
At,quom membra hominis percepit feruida febris:
Tum fit odor vini plagæ mactabilis inſtat.
Nónne vides etiam terra quoque ſulfur in ipſa
Gignier? & tætro concreſcere odore bitumen?
Denique,vbi argenti venas,auríque ſequuntur,
Terraï penitus ſcrutantes abdita ferro,
Qualeis exſpirat ſcapteſula ſubter odores?

Quídve mali fit vt exhalent aurata metalla?
Quas hominum reddunt facies?qualeíſque colores?
Nónne vides,audíſve,perire in tempore paruo
Quàm ſoleant?& quàm vitaï copia deſit,
Quos opere in tali cohibet vis magna?neceſſe'ſt,
Hos igitur tellus omneis exæſtuet æſtus:
Exſpirétque foras in aperta,promtáque cæli.

QVOD DIXI SÆPE) *ſuprà lib.2.ibi, Nunc age iam deinceps cunctarum exordia rerum Qualia ſint,&c.* MVLTA HOMINI) *ordo eſt.multa eſſe, quæ homini ſint vitalia: & multa, quæ poßint morbos incutere, & mortem accelerare.* OSTENDIMVS ANTE) *lib.4.ibi,Nunc aliis alius cur ſit cibus,vt videamus,&c.& lib 5.ibi,neque ſunt eadem iucunda per artus.Quippe videre licet pingueſcere ſæpe cicuta,&c.* ATQVE ASP. ODORE) *ſic neceſſariò legendum, etiam libris omnibus inuitis. non, aſpera tactu. loquitur enim hoc verſu de iis,quæ ſunt naribus infeſta:quæ quid aliud ſunt, quàm odores? proximo autem de ijs,quæ tactum lædunt.* DEINDE VIDERE LICET) *hunc verſum cum eo,qui deinceps ſequitur,profert Nonius in nomine,ſpurcus.*

ACRITER INFESTO SENSV) *legendum puto, Acriter infeſtæ ſenſu, tametſi Nonius legat, Acriter infeſtent ſenſum. ſenſu autem,ſi legamus,infeſtæ, interpretabor,ſenſui.* ARB. PRIMVM CER. GRAVIS) *vt iuglandibus:de quibus ſic Plin.lib.17.cap.12.Iam quædam vmbrarum proprietas.Iuglandium grauis,& noxia,etiam capiti humano,omnibúſque iuxtà ſatu,&c. & iuniperi. Virg. Gallo. Iuniperi grauis vmbra.* EST ETIAM IN MAGNIS) *quæ ſit hæc arbor, & quo nomine appelletur, non legi, aut,ſiquando legi, non memini, niſi forte taxum ſignificet,quod credibile eſt.De taxo lege Plin.lib.16.cap.10.*

TERRIS EX) *pro ex terris:ἀναστροφή.* MVLTA MODIS MVLTIS,&c.) *ordo eſt,quòd tellus gerit multa multarum rerum ſemina multis modis permiſta,& ea diſcreta tradit. Itaque putaui aliquando,hos verſus præpoſterè locatos,& cõuerſo ordine legendos,hoc modo,Quòd permiſta gerit, &c. Multa modis,&c.* NOCTVRNVMQVE RECENS,&c.) *odor lucernæ modò exſtinctæ conſopit,atque adeò ſpiritum intercludit:denique(vt ſcribit Plin. lib.7.cap. 7)plerumque abortus cauſa eſt.*

QVIN GRAVIDIS NIDOR.) *Ad hunc locum,cùm eum ita olim edidiſſem,Concidere vt pronos qui morbos mittere ſueuit. hæc,quæ ſequuntur,annotarã. Huius verſus ita varia & multiplex ſcriptura eſt, ita abſurda, atque adeò obſcura ſententia,vt veriſimile ſit,non eſſe Lucretianum. proponam igitur lectori ſcripturæ varietatem:hoc primum:deinde quid de hoc loco ſentiam, dicam. Sic igitur habent quidam libri manuſcripti in his Teſtianus:Concidere & fumos qui morbo mittere ſueuit:Vaticanus ſic:Concidere & primos qui monſtro mittere ſueuit: Memmianus ſic: Concidere vt pronos qui morbos mittere ſueuit:cum quo conſentiunt quidam vulgati:Lugdunenſes & Florentini ſic: Concidere vt pronos, qui morbus mittere ſueuit:Pariſienſes ſic:Concidere & primos qui morbos mittere ſueuit: Aldini antiq. ſic:Concidere & primos qui morbo mittere ſueuit. Baſilienſes ſic,Concidere vt pronos qui morbus mittere ſueuit. Iouian Pontanus ſic legebat: Concidere vt primos*

qui morbo mittere ſueuit,ad oram codicis Memmiani *ſic emendatum eſt.* Concidere *vt ſpumas qui morbos mittere ſueuit.quidam amicus meus ſic:* Conſopit *ſpinus, qui morbos mittere ſueuit. ſpinus autem lapidis genus eſt apud* Theophr. Vides *lector nihil eſſe certi, in quo inſiſtere queas.* Nunc,*quid ſentiam de hoc loco, exſpectas vt dicam.delẽdum.nam neque* Lucretianum *eſſe arbitror, & auſim affirmare ex aliqua annotatiuncula adſcripta natum.*Sed *ſi quæras, quam potiſsimum harum ſcripturarum probem:nulla mihi probatur:eſt tamen aliqua ſpecies in hac ,* Concidere, *vt, ſpumas qui morbo mittere ſueuit. quamquam agere ſpumas dicimus, non mittere.*Hæc *igitur ad hunc verſum olim annotaram his ipſis verbis.*Nũc,*quamuis maneam in ſententia, hunc verſum,quomodocumque legatur, non eſſe* Lucretianum, *ſic immutandum tamen arbitror,vt aliqua ſit in eo ſpecies,*Lucretio *digna , & vt aliqua ex eo ſententia elici poßit: denique vt cohæreat cum ijs, quæ antecedunt, & cum iis,quæ ſequuntur:*Quin *grauidis hic nidor abortũ immittere ſueuit. cuius verſus ſententia aptiſsima atque apertiſsima eſt.*Licet *& ita legere.*Quin *nidor grauidis hic abortum immittere ſueuit:*Sed *ſuperior lectio mihi magis placet.* Quamuis *autem hunc verſum ita immutatum,itáque edendum curarim,nihilominus vulgatum illum,quantumuis corruptum,& ineptum,retinui , ne quis maleuolus queratur,eum à me eſſe ſublatum.*Retentum *tamen veru confodi iußi.*

CASTOREOQVE GRAVI) *graue appellat caſtoreum propter odorem grauem.nam grauidæ mulieres caſtorei odore partum abiiciunt.* Virgil.1.Georg. *virosa caſtorea dicit ab eo,quod eſt virus. dictum autem caſtoreum à caſtore, qui Latino nomine fiber appellatur . quem vulgò aiunt ſcientem,quamobrem expetatur, abſciſsis ſibi teſticulis , effugere è manibus inſectantium : quam opinionem ſecutus etiam* Cicero *pro* Æmilio Scauro, Redimunt *ſe (inquit) ea parte corporis , propter quam maximè expetuntur.*Sed *negat hoc* Sextius,*medicinæ diligentiſsimus(vt tradit* Plinius *lib.32.cap.3.)quia parui ſint teſticuli, & ſubſtricti, & ſpinæ adhærentes,nec adimi ſine vita animalis poſsint.*

ET MANIBVS NITID.*&c.) opus muliebre,vt tela,& ſimilia ad lanificium pertinentia.nitidum autem puto intelligendum , quod* Homerus *dicit* ἑανὸν *aut* φαεινόν. EFFLVIT EII) *éxcidit ei de manibus.* SI ODORATA EST) *ſi o duæ ſyllabæ breues:quæ cum longa antecedente dactylum efficiunt.*

QVO MENSTRVA SOLVIT) *vel ex hoc loco refelluntur ij,qui in ſuperiore verſu legi volunt,*Caſtoreóque *grauis,& per grauem , grauidam ſignificari volunt.*Nam *mulieres grauidæ,menſtrua non ſoluunt.*Eſt *autem hîc menſtrua ſoluere aliud,quàm apud* Salluſtium *,conuentum vitantes ad menſtrua ſoluenda montem aſcendunt.* MVLTAQVE PRÆTER.) *id eſt,& multæ res præterea ſoluunt membra, &c.*

DENIQVE SI IN CAL. ET. CVNCTERE LAVACRIS) *cùm in libris manuſcriptis ſcriptum reperiſſem partim,* cuncta relauaris *, partim,* contere lauaris:*in* Venetis *prætereà &* Pariſienſib. *cum te releuaris: ego,*Mureto *approbatore,atque adeò auctore,iam anteà cùm* Romæ *eſſem,* cunctere lauacris *, & in meis aduerſariis repoſueram , & in meo* Lucretio *emendaram . quam emendationem multò magis amplexus ſum, cùm in codice* Bertiniano *ita hunc verſum reperi emendatum . docti quidam tamen ex hac antiqua ſcriptura coniiciunt legendum,* lauabris. *lauabrum autem dicunt eſſe nomen integrum à lauando: à quo ſit diminutum labrum, vas in balneo, vbi lauabant.*Hanc *emendationem probauit* Zoilus.

PLENIOR ET SOLIO IN) *ſolium, vas, in quo lauabant, ſedentes: atque idem fortaſſe, quod labrum.* IN MEDIO) *ſolio.*

PRÆCEPIMVS) *antè hauſimus, & bibimus.* ANTE) *antè quàm odor carbonum in cerebrum inſinuari poſsit.*

AT CVM MEMBRA HOMINIS) *vide, obſecro te, lector, quot, & quantas huius loci corrumpendi anſas præbuerit vnius litteræ immutatio. Nam cùm pro, febris, imperiti illi librarij ſcripſiſſent, feuris, u, pro b. deinde ex feuris factum eſſet ſeruis: hinc natæ ſunt tot, & tam variæ ſcripturæ. alij enim ſic corruperunt, At cùm membra minus pertexit feruida ſeruus: & ita habent codices Pariſienſes, & Veneti antiquiores: alij, At, cùm membra domans percepit feruida ſeruis: & ita Florent. alij, At cum membra domus percepit feruidus ignis. quid multa? longum eſt ceteras ſcripturas referre. Sententia autem eius, quam reſtitui, ſcripturæ, hæc eſt. At, cùm homo febri affectus & correptus eſt, tum odor vini eſt illi tanquam plaga, ſeu ictus validiſsimus. Confer cum hoc loco verſus aliquot lib. 4. ab illo, Quippe vbi cui febris bili ſuperante coorta'ſt, &c. Triumpho primùm, hanc emendationem non eſſe à Zoilo probatam: deinde, in eius locum hanc eſſe ab eo ſubſtitutam. Aut niſi membra prius pertexit feruida ſeruus. Nam vel ex hoc vno cognoſcere licet, quàm ſit bardus, & bliteus: & plane ſuillo ex genere, vt cui cœnum melius oleat, quàm vnguentum.* MACTABILIS) *quæ mactare poſsit. quidam libri, in his Pariſienſes, habent, manabilis.*

NONNE VIDES ETIAM, TERRA) *ad hunc locum illuſtrandũ multum confert quod ait Vitruuius lib. 2. cap. 7. his verbis. In puteorum autem foſsionibus non eſt contemnenda ratio: ſed acuminibus, ſollertiáque magna naturales rerũ rationes conſiderandæ, quòd habet multa, variáque terra in ſe genera. Eſt enim, vti reliquæ res, ex quattuor principiis compoſita: & primùm eſt ipſa terrena, habétque ex humore aquæ fonteis: item calores, vnde etiam ſulphur, alumen, bitumen naſcitur: aërìſque ſpiritus immaneis, qui cùm graues per interuenia fiſtuloſa terræ perueniunt ad foſsionem puteorum, & ibi homines offendunt fodienteis, naturali vapore obturant in eorum naribus ſpiritus animaleis. ita qui non celerius inde effugiunt, ibi interimuntur.* DENIQVE, VBI ARGENTI) *Si legamus, exſpiret, ordo verborum & ſententia huius loci hæc eſt. denique nónne vides, qualeis odores exſpiret ſcapteſula, vbi, ſeu in qua, homines auri, atque argẽti venas ſequuntur, terræ parteis abditas ac retruſas ferro ſcrutantes? ſin, exſpirat, nihil repetendum eſt ἀπὸ κοινοῦ* SCAPTESVLA) *ſcapteſulam (ſic enim ſcribi debet) Pompeius Feſtus ait eſſe locum, vnde argentũ effoditur, in Macedonia, à fodiendo dictum. nam σκάπτειν Græcè fodere dicitur: idémque hunc Lucretij verſum profert. Vt autem notior ſit huius vocabuli origo, ſcapteſula dicta eſt, quaſi σκαπτὴ ὕλη, id eſt, foſsilis materia. mutata eſt enim aſpirationis nota in ſ. ſcapte hula, ſcapteſula, vt in ὗς ſus, ὑπὲρ ſuper, &c. Cum hæc olim ita edidiſſem, ac vulgaſſem, Zoilus à me diſſenſit, & verò grauis auctor ita pronuntiauit, male Lambinus. ſententia iudice digna. Sed audiamus rationem. quàmuis enim contenti eſſe deberemus tanti viri auctoritate, tamen ſententiam ſuam ratione confirmat. Ait, ſcapteſulam, eſſe nomen oppidi in Thracia. O acutum, & ingenioſum hominem: quaſi verò non ſint vrbes innumerabiles à cõmunibus aliarum rerum nominibus, quæ appellatiua appellant Grammatici, nominatæ: verbi gratia, Carthago, aut certe eius vrbis arx, Byrſa dicta eſt, vt teſtatur Virgil. lib. I. Æn. Mercatiq; ſolum, facti de nomine, Byrſam. At byrſa corium ſignificat.*

Roma, nomen eſt vrbis, & vireis corporis ſignificat. Abrotonum, nomen eſt vrbis & herbæ. ἄγκυρα vrbem & ancoram ſignificat, Antemna, Potentia, Cingulum, Alba, Laus Pompeia, Parma, Pedum, Induſtria, Corniculum, Capitulum: alia ſexcenta cõmemorare poſſum: quæ & propria vrbium, & appellatiua ſunt nomina. Hoc igitur iterum atque iterum dico, Zoilo cum pecudibus ire paſtum iuſſo, ſcapteſula ſine n, ſcribendum eſſe. SVBTER) *ſubter aduerbium eſt, vel ſubintellige terram. Sed quod hîc de metallorum, & fodinarum odoribus à Lucretio dicitur: ſciendum eſt, non vnum eſſe omnium metallorum odõrem. nam odor auri igne calefacti, gratus & ſuauis eſt: argenti minus gratus: æris & ferri, ſpurcus & tæter. Taleis igitur & ſingularum fodinarum odores eſſe credibile eſt.*

QVAS HOMIN'VM REDD.) *quàm pallidas, & virideis, & exſangueis? vt videantur mortui ambulare.*

DESIT, QVOS, &c.) *deſit ijs, quos vis magna, id eſt, neceßitas (durum telum) & ſeruitus (erant enim olim ſerui pœnæ, damnati ad opus metalli) cohibet, & continet in tali opere. poſt vocem, magna, interpunctionis nota ſcribenda eſt. nam quòd vulgò ita legitur: cohibet vis magna vacare, peccatum eſt ab ijs, qui non videntes, hanc partem vltimam verſus, neceſſe'ſt, referri & pertinere ad ea, quæ ſequuntur, nimiùm arroganter & confidenter, deleta vera ſcriptura, ſubſtituerunt, verbum, vacare. ſic enim legitur in omnibus libris vulgatis, præter Venetos antiq. & Pariſienſeis, cohibet vis magna vacare, planè inepte.*

NECESSE'ST HOS IGITVR,) *id eſt, neceſſe igitur eſt, vt terra hos odores omneis exſpiret foras, in apertas & promtas cæli parteis. Atque hæc eſt ſola omnium auernorum cauſa.*

Sic & auerna loca alitibus ſummittere debent
Mortiferam vim, de terra quæ ſurgit in auras,
Vt ſpatium cæli quadam de parte venenet:
Quò ſimul ac primùm pennis delāta ſit ales,
Impediatur ibi, cæco conrepta veneno:
Et cadat è regione loci, quà dirigit æſtus.
Quò quom conruit: hæc eadem vis illius æſtus
Relliquias vitæ membris ex omnibus aufert.
Quippe etenim primò quaſi quendam conciet æſtum:
Poſterius fit, vti, quom iam cecidere veneni
In fonteis ipſos, ibi ſit quoque vita vomenda:
Propterea quòd magna mali ſit copia circúm.
Fit quoque, vt interdum vis hæc, atque æſtus auerni,
Aëra, qui inter aueis quomque eſt, terrámque locatus,
Diſcutiat, propè vti locus hinc linquatur inanis:
Quoius vbi è regione loci venêre volantes:
Claudicat extemplò pennarum niſus inanis:
Et conamen vtrimque alarum proditur omne.
Hîc, vbi nictari nequeunt, inſiſteréque alis:

Scilicet in terram delabi pondere cogit
Natura:& vacuum propè iam per inane iacenteis,
Diſpergunt animas per caulas corporis omneis.

SIC ET AVERNA) *Multis ſimilibus collectis ac præpoſitis, ex quibus intelligere licet, variis è rebus odores mitti, redit ad auerna: & oſtendit, auernorum rationem in aquarum, aut terrarum odoribus, quæ in auras ſurgunt, eſſe poſitam.*

QVA DIRIGIT) *quidam lib. manuſcripti habent, quà derigit æſtus. hanc lectionem his verbis à me olim indicatam, arripuit zoilus, ſibiq; more ſuo arrogauit.*

VENENI IN FONT.) *ſic legendum eſt. cecidere autem, aues ſcilicet, nam mutat numerũ, cùm antecedat vox, ales, numeri ſingul. Sic contrà apud Homer. in ρ. cùm numerus multitudinis præpoſitus eſſet, ſubiunctus eſt ſingularis.* οἱ δ' ἀλεγεινοὶ Ἀνδράσι γε θνητοῖσι δαμήμεναι, ἠδ' ὀχέεσθαι Ἄλλῳ, ἢ Ἀχιλῆϊ, *&c.*

VITA VOMENDA) *vita amittenda: anima efflanda. tralatio eſt.*

FIT QVOQVE, VT INTERDVM) *poteſt etiam fieri, (inquit Lucretius) vt ſpiritus ex auernis efflatus, aëra inter aueis & terram interpoſitum dimoueat, ac diſcutiat, & ita totum illud ſpatium inane relinquatur. quo facto aues in eo inani ſpatio volare conantes, non habentes iam vbi nitantur, delabuntur in terram, aut in aquam, eodémque tempore, quia aërem, quem ducant, non habent, exſtinguantur atque intereant. Sed quod efficit terræ æſtus, & ingens halitus, idem poteſt efficere etiam multorum hominum vox magnis lateribus profuſa. quod teſtatur Plutarchus in T. Flaminio: vbi narrat, Macedonibus à Flaminio deuictis, cùm præco Corinthios, Locros, Phocenſeis, Eubæos, Theſſalos, ceteros, liberos, & à vectigalibus pẽſitandis immuneis in ſtadio declaraſſet, tantum clamorem Græcorum, imperatori Rom. gratias agentium, atque inter ſe gratulantiũ, fuiſſe, vt corui interea è regione ſtadij volantes in medium theatrum exanimes deciderint. cuius rei cauſam confert Plutarchus vel in aërem diſciſſum: quia, cùm multus clamor & magnus profunditur, diſſipatus, ac diſtractus aër volantibus auibus, vbi nitantur, atque inſiſtãt, præbere non poteſt. ita fit, vt decidant: vel in ictum ac plagam à clamore incuſſam: qua quaſi tranſuerberatæ exanimantur: vel in aëris circumactionem & quaſi vorticem, qualis in aquis & mari exſiſtere ſolet, ſalo quodam vim & impetum deintegro aſſumente, & amplificato.*

PENNARVM NISVS INANIS) *nuſquã niti poſſunt, aëre diſcuſſo. inane enim nulli rei ſubſiſtit. al. pinnarum.*

VTRIMQVE) *à dextra & læua.* CONAMEN) *conatus.*

PRODITVR) *ſic repoſui, quattuor codices manuſcriptos ſecutus: in his Vaticanum, & Memmianum. ſic ſuprà vſurpauit: Inclinata minent in eandem prodita partem: & paullo pòſt, rerúmque ſequatur prodita ſumma.*

HIC VBI NICTARI NEQVEVNT) *Pompeij Feſti teſtimonium, atque auctoritatem ſecutus, ſic excudẽdum curaui: qui in verbo, nictari, profert hunc verſum, docétque, nictare, eſſe oculorum & aliorum membrorum niſu ſæpe aliquid conari, vt iam antè ex eo retulimus ſup. Non celabo lectorem tamen, in omnibus libris manuſcriptis & vulgatis, quos quidem viderim, legi, nixari. quam ſcripturam ſi quis magis probabit, non valde repugnabo. quin, niſi me mouiſſet Feſti auctoritas, nixari retinuiſſem. eſt enim verbum à nitendo deductum: quod huic loco*

magnopere cónuenit. nam & ſuprà tertio abhinc verſu, niſum pennarum, dixit: & Virg. lib. 4. Æneid. ſic locutus eſt: Hîc primùm paribus nitens Cyllenius alis Conſtiit. IACENTES) *quomodo iacentes dici poſſunt, ſi feruntur per inane? iacent, quia nictari, ſeu nixari membris nequeunt: & quia pennas explicare, atque agitare non poſſunt: vel potius, quia, tanquam corpora inanima, deorſum feriuntur, neque vel in hanc vel in illam partem moueri alarum adiumento poſſunt, &, vbi terram nactæ fuerint, iacebunt immobiles.*

DISPERGVNT AN. &c.) *diſſipant animas per omneis corporis meatus.*

PER CAVL. CORP.) *ſic lib. 3. Diſpertitur enim per caulas corporis omneis.*

Frigidior porrò in puteis æſtate fit humor:
Rareſcit quia terra calore, & ſemina ſiqua
Fortè vaporis habet, properè dimittit in auras.
Quo magis eſt igitur tellus affecta calore:
Hoc fit frigidior, qui in terra'ſt abditus, humor.
Frigore quom premitur porrò omnis terra, coïtque,
Et quaſi concreſcit: fit ſcilicet, vt coëundo
Exprimat in puteos, ſi quem gerit ipſa calorem.
Eſſe apud Ammonis fanum fons luce diurna
Frigidus, at calidus nocturno tempore fertur.
Hunc homines fontem nimis admirantur, & acri
Sole putant ſubter terras feruiſcere raptim,
Nox vbi terribili terras caligine texit.
Quod nimis à vera'ſt longè ratione remotum.
Quippe vbi ſol nudum contrectans corpus aquaï,
Non quiterit calidum ſupera de reddere parte,
Quum ſuperum lumen tanto feruore fruatur:
Quî queat hic ſubter tam craſſo corpore terram
Percoquere humorem & calido ſociare vapori?
Præſertim quom vix poſſit per ſæpta domorum
Inſinuare ſuum radiis ardentibus æſtum?
Quæ ratio eſt igitur? nimirum terra magis quòd
Rara tenet circùm hunc fontem, quàm cetera tellus.
Multáque ſunt ignis prope ſemina corpus aquaï.
Hinc vbi roriferis terram nox obruit vmbris:
Extemplò ſubtus frigeſcit terra, coïtque.
Hac ratione fit, vt, tanquàm compreſſa manu ſit,
Exprimat in fontem, quæ ſemina cumque habet ignis,
Quæ calidum faciunt laticis tactum, atque ſaporem.
Inde vbi ſol radiis terram dimouit obortis,
Et rarefecit calido miſcente vapore:

Rurſus in antiquas redeunt primordia ſedes
Ignis,& in terram cedit calor omnis aquaï.
Frigidus hanc ob rem fit fons in luce diurna.
Præterea ſolis radiis iactatur aquaï
Humor,& in luci tremulo rareſcit ab æſtu:
Propterea fit,vti,quæ ſemina cumque habet ignis,
Dimittat,quaſi ſæpe gelum,quod continet in ſe,
Mutat,& exſoluit glaciem,nodóſque relaxat.

FRIGIDIOR PORRO, *&c.) Lucretiana hæc quidem ratio, quamobrem puteorum aquæ æſtate ſint frigidiores, hieme calidiores, valde probabilis & naturalis eſt. Sed Ariſtoteles diceret id fieri* διὰ τὴν ἀντιπερίστασιν. *Alij, quia aër hieme frigidus eſt, æſtate calidus: cum quo aqua comparata, hieme quidem calida, æſtate verò frigida videtur. quẽadmodum cùm calidiores æquo ſumus, calida tactu, nobis videntur frigida, & contrà: itémque in balneo meientibus vrina frigida videtur.* M. Tull. *eandem ferè, atque* Lucretius, *rationem affert, vt iam dicam.*

RARESCIT, QVIA) *ſic eſſe legendum, non, areſcit, declarat verſus ille infrà:* Et rarefecit calido miſcente vapore. *hanc quoque emendationem ſibi adſcripſit* Zoilus. VAPORIS) *caloris.* ADFECTA CALORE) *ſic repoſui, ſecutus fidem trium libr. manuſcrip neque dubium eſt, quin ita legi debeat, & vulgata ſcriptura, effæta calore, ſit reiicienda: quam ita interpretantur, ſpoliata, & orbata calore, cùm hæc ſententia pugnet cum* Lucretij *verbis & ſenſu, quippe qui paullo antè dixit,* Rareſcit quia terra calore. *affecta autem calore, id eſt, à ſole calefacta.* FRIGORE QVOM PREMITVR, *&c.) id eſt, cùm antẽ terra frigore comprimitur, & contrahitur, & quaſi concreſcit, fit ſcilicet, vt coëundo, & concreſcendo exprimat, id eſt, per compreſſionem emittat in puteos ſemina caloris, quæ in ſe continet.* M. Tull. lib. 2. de nat. Deor. *ex ſententia* Stoicorũ, *eandem fere, quam* Lucretius, *rationẽ affert his verbis.* Omnes igitur mundi partes (*tangam autem maximas*) *calore fultæ ſuſtinẽtur: quod primum in terræ natura perſpici poteſt. Nam & lapidum conflictu, atque tritu elici ignem videmus: & recenti foſſione, terram fumare calentem: atque etiam ex puteis iugibus aquam calidam trahi, & id maximè hibernis fieri temporibus, quòd magna vis, terræ cauernis, contineatur caloris, eáque hieme ſit denſior, ob eámque cauſam calorem inſitum in terris contineat arctius.* Atque huius loci facta mentio me admonet eorum, quæ ibidem paucis pòſt verbis ſequuntur, ibi, Ipſe verò aër, qui natura eſt maxime frigidus, &c. *In eo igitur loco memini me reponere, in ea editione* Ciceronis, *cui præfui anno* CIↃ. IↃ. L X V. *qui natura eſt maximè humidus, &c.* Quod *non oportuit. nam, tametſi hoc verum ſit, aërem eſſe maximè humidum, præſertim ex ſententia* Ariſtotelis, *tamen, cùm hîc tractet* Cicero Stoicorum *ſententiam, &* Stoici *dicant, aërem eſſe frigidiſſimum, vt refert* Diogenes Laërtius, *nihil eſt in* Cicerone *mutandum.* Fefellit *me, vt dixi, quòd* Ariſtoteles *à* Zenone *diſſentit, ac diſcrepat.*

ESSE APVD AMMONIS) *ſic habent libri manuſcripti,* Tett. & Memm. & Bertin *alij,* Eſt apud, &c *mendoſè* Iupiter Ammon *autem, qui cornutus pingebatur, & fingebatur, ab arena dictus eſt, quam* ἄμμον Græci *vocant, quia locus, in quo colitur, vndique deſertus, & aridus, & arenis coopertus eſt. de quo, & de hoc*

fonte lege Arrianum lib.3. & Q. Curtium lib. 4. Sic autem de fonte Curtius. Eſt etiā aliud Hammonis nemus: in medio habet fontem, aquam ſolis vocant. ſub lucis ortum tepida manat: medio die, cùm vehemētiſsimus eſt calor, frigida eadem fluit: inclinato in veſperā caleſcit: media nocte feruida exæſtuat, quóque propius nox vergit ad lucem, multum ex nocturno calore decreſcit, donec ſub ipſum diei ortum aſſumto tempore langueſcat. de eodem ſic Arrianus. καὶ πηγὴ δὲ αὐτόθι ἀναδίδοται οὐδέν τι ἐοικυῖα ταῖς πηγαῖς, ὅσαι ἄλλαι ἐκ γῆς ἀνίσχουσιν. ἐν μὲν γὰρ μεσημβρίᾳ ψυχρὸν ὕδωρ γευσαμένῳ τε καὶ ἔτι μᾶλλον ἁψαμένῳ ὡς ψυχρότατον: ἐγκλίναντος δὲ τοῦ ἡλίου ἐς ἑσπέραν, θερμότερον: καὶ ἀπὸ τῆς ἑσπέρας ἔτι θερμότερον, ἔστε ἐπὶ μέσας τὰς νύκτας. μέσων δὲ νυκτῶν ἑαυτοῦ θερμότατον: ἀπὸ δὲ μέσων νυκτῶν ψύχεται ἐν τάξει. καὶ ἕωθεν ψυχρὸν ἤδη ἐστὶ, ψυχρότατον δὲ κατὰ μεσημβρίαν. *id eſt, Et fons ex eo oritur nulla in re ceteris fontibus, qui ex terra exſiſtūt, ſimilis. nam meridie aqua frigida eſt. ſi quis eam guſtauerit, & multo magis, ſi quis attigerit, ita vt frigidior eſſe non poſsit. inclinante autem in veſperam ſole, caleſcit. à veſpera porrò calidior fit in horas vſque ad mediam noctem: quo tempore calidiſsima eſt. à media nocte autem ſenſim refrigeſcit magis ac magis. & manè iam frigida eſt. meridiè porrò frigidiſsima. De eodem Antigonus, hiſtoriarum admirabil.* συναγωγῇ, *his verbis:* τῶν δ' ἐν Ἄμμωνι κρηνῶν, λέγει Ἀριστοτέλη, τὴν μὲν ἡλίου γε νομιζομένην, μέσων μὲν νυκτῶν καὶ μεσημβρίας, γίγνεσθαι θερμήν: ἕωθεν δὲ καὶ δείλης καθαπερεὶ κρύσταλλον, *id eſt, Eorum fontium, qui ſunt apud Hammonem, dicere Ariſtotelem, fontem eum, qui ſolis eſſe exiſtimatur, mediis noctibus, & meridie, calidum fieri: matutino autem, & ſerotino tempore, frigidum, tanquam glaciem. De hoc eodem ſic Plinius lib.2.cap.103. Iouis Hammonis fons interdiu frigidus, noctibus feruet. de eodē, Mela lib.1.cap.8.* RAPTIM) *celeriter, vt ſæpe aliàs.*

TERRIBILI) *noctis caliginem terribilem dixit, quia tenebræ terrorem incutiunt. vide ſuprà, quæ annotata ſunt ad illum locum, Nam veluti pueri trepidant, atque omnia cæcis In tenebris, &c.* QVIPPE VBI SOL NVDVM) *argumentum eſt à maiori. ſi ſol non potuit nudum & apertum aquæ corpus ſuis radiis ſuperne calefacere: quanto minus queat, terra oppoſita, inferne calidum reddere? nudum autem, legi debet, non, vt in quibuſdam vulgatis, vdum. quod arripuit Zoilus, ſibique arrogauit.* TAM CRASSO CORPORE) *ſic habent duo libri manuſcripti, & nonnulli vulgati: in his Pariſienſes. ceteri, tam craſſi corpori. vtraque lectio probabilis eſt.* TERRAM) *ſubter terram tam craſſo corpore: id eſt, tam denſam, & ſpiſſam.*

CALIDO SOCIARE VAPORI) *id eſt, calore temperare, & calefacere. tralatio. alij libri habent, calido ſatiare vapore. quam lectionem non probo. verumtamen iudicet lector.* INSINVARE) ὑφηγητικῶς, *intromittere.*

NIMIRVM TERRA M. Q. RARA TEN. &c.) *Hunc etiā locū valde* εὐστόχως *(niſi me animus fallit) reſtitui. Nā cùm ex libris alij haberēt, Parua tenet, vt Pariſienſes: alij, Pura, vt Veneti recentiores, & Florent. & Baſil. alij, Par tenet, vt cod. Memmianus: alij, Para tenet, vt Vatic. & Bertin. mihique ex hac varietate ſcripturæ mendi ſuſpicio eſſet iniecta, & iam anteà huius loci ſententia non ſatis explicata videretur: ex antiqua ſcriptura, Para tenet, feci, Rara tenet: cuius ſentētia eſt in promtu. hoc enim dicit, eam terram, quæ hunc fontem circumplectitur, eſſe rariorem cetera terra, multáque ignis ſemina in ſe continere: atque hæc ignis ſemina idcircò aquæ corpori eſſe vicina. Itaque nocturno frigore hanc terram compreſſam & contractam, quæ alioqui ſua natura rara eſt, ignis ſemina in ſe incluſa, in fontē*

exprimere: quibus fons concaleſcat. Hanc emendationem probat Zoilus, *mihique, quod ab eo rarò admodum fit, & inuitè, reddit, ac reſcribit.* Debuerat potius ſibi *adſcribere, vt ſibi conſtaret.* QVÆ CAL. FACIVNT LATICIS TACTVM, ATQVE SAPOREM) *id eſt, quæ faciunt, vt huius fontis aqua ſit tactu, & guſtatu calida: quod eſt conſentaneum cum iis, quæ paullo antè ex* Arriano *retuli.* Cùm *initio ſecutus eſſem lectionem vulgatam, quæ talis eſt,* Quæ *calidum faciunt laticis tactum atque ſaporem (quam & nunc retineo) hæc annotaram.* Sic *habent libri omnes, quos quidem viderim:* Sed Beda *legit hoc loco,* Quæ *calidum faciunt aquæ tactum, &c. docens, vocalem alioqui breuem, quæ littera q, iuncta cum vocali u, & deinceps qualibet alia vocali exciperetur, produci licere, vt hîc à* Lucretio *producitur.* Hæc *igitur olim adſcripſeram: quæ arripuit* Zoilus, *neq; mihi indicij præmium, aut gratiam perſoluit, vt nec aliarum innumerabilium emendationum, & ſcripturarum veterum.* Nunc *igitur ego hanc ſcripturam vindico, ac repeto. hoc primum. deinde, quòd* Beda *dicit, a. in hac voce, aquæ, eſſe longum, ignoſcãt mihi* Bedæ *manes, non eſt ita. ſed vox, aquæ, quæ natura ſua diſyllaba eſt. per διαίρεσιν, trium fit ſyllabarum, ita vt, aqüæ, ſit anapæſtus: quemadmodum, relliqüo ſuprà lib.* I. & *lib.* 4 Relliqüas. *facta ſunt quattuor ſyllabarum.* Sed *quid ſi dicamus, laticis, ſcriptum eſſe à* Lucretio, & *aquæ, natum eſſe ex annotatione?* Iudicet *igitur lector.* OBORTIS) *cod.* Florent. *habent, obortus: manuſcripti autem nonnulli, abortus: quæ vitioſa ſcriptura fortaſſe confirmat* Florentinam.

RVRSVS IN ANT. RED. PR.) *ordo eſt, primordia ignis redeunt in antiquas ſedeis, nempe in terram.* PRÆTEREA SOLIS) *aliam rationem affert.* IN LVCI) *in luce.* AB ÆSTV) *ſolis, quem æſtum tremulum dicit, ex eo, quòd in aqua tremula tremere ipſe quoque videatur.*

PROPTEREA FIT, VTI, QVÆ) *profert hunc verſum cum duobus deinceps ſequentibus,* Priſc. *ſed duos proximos paullo aliter, quàm vulgò leguntur, vt iam dicemus.* QVASI SÆPE GEL.) *libri vulgati ferè omnes præter* Pariſienſeis & Venetos *antiq. habent, cùm ſæpe gelum: manu ſcripti tres, quaſi ſæpe gel. quibuſcum congruũt* Pariſ. & Veneti *antiq. quo modo legit &* Priſcian. *alij ſcripti, partim, quia ſæpe gelum, partim, quin ſæpe gelum: quod poſtremum, vt omnium optimum olim ſecutus eram: quamquam illud, cum ſæpe gel. non improbaram. nunc ſcripturam antiquam omnib. antepono. quaſi, autem, id eſt quemadmodum.* Sic *ſuprà lib.* 2. Sed *quaſi naufragiis, &c.* Iam *gelum, perſpicue hîc neutri generis eſt: quamuis* Nonius Marcellus, *in ordine vocum, quæ initium capiunt à littera* G. *ponat gelu neutrũ monoptoton, & gelus, li, lo. maſculinum. quemadmodum ſuprà retulimus hoc eod: lib. ibi.* Adſiduúſque *geli caſus, &c, non commemorans etiam gelum, li, neutrum.* Idem *in capite de mutata declinatione, vbi verſum illum profert,* Adſiduúſque *geli, &c. nihilo magis.* Sic *enim ille.* Gelu, *ars monoptoton eſſe vult: contrà ſentit auctoritas.* Lucretius, *libro* V. Adſiduúſque *geli caſus mortalib. aufert* Idem *lib.* VI. Denique *ſæpe geli multus fragor, atque ruina.*

MITTIT) *ſic legitur apud* Priſcianum, & *ita habent codices* Veneti *antiquiores, &* Pariſienſes, & *tres manuſcripti.* Memmianus *autẽ,* Mutit, *quod deprauatũ eſſe ex recto, mittit, vel cæcus videat. mittit autem, poſitum pro dimittit, ſeu omittit. nam ceteri libri vulgati habent,* Mutat, *mendoſè.*

NODO'SQVE RELAXAT) *ſic legitur etiam apud* Priſc. & *ita habent omnes ferè lib. vulgati, præter* Ald. *antiq. in quib. legitur, nouóſq; rel. & ita ſcriptũ eſt*

in membrana Vaticana. in duobus aliis libris manuſcriptis, venáſque: quibuſcum conſentiunt libri Florentini: in Memmiano, nubóſque. quæ ſcripturæ omnes ſine dubio ſunt corruptæ.

Frigidus eſt etiam fons, ſupra quam ſita ſæpe
Stupa iacit flammas, concepto protinus igni:
Tædáque conſimili ratione accenſa per vndas,
Conlucet, quocumque natans impellitur auris:
Nimirum quia ſunt in aqua permulta vaporis
Semina, de terráque neceſſe'ſt funditus ipſa
Ignis corpora per totum conſurgere fontem,
Et ſimul exſpirare foras, exiréque in auras,
Non tam viua tamen, calidus queat vt fieri fons.
Præterea diſperſa foras erumpere cogit
Vis per aquam ſubitò, ſurſúmque ea conciliati:
Quod genus endo mari ſpirat fons dulcis aquaï:
Qui ſcatit: & ſalſas circùm ſe dimouet vndas.
Et multis aliis præbet regionibus æquor
Vtilitatem opportunam ſitientibu' nautis,
Quòd dulceis inter ſalſas interuomit vndas:
Sic igitur per eum poſſunt erumpere fontem,
Et ſcatere illa foras in ſtupam ſemina: quò quom
Conueniunt, aut quom tædaï corpori adhærent:
Ardeſcunt facilè extemplo: quia multa quoque in ſe
Semina habent ignis ſtupæ, tædæque tenentes.
Nónne vides etiam nocturna ad lumina lychnum
Nuper vbi exſtinctum admoueas, accendier antè,
Quàm tetigit flammam? tædámque pari ratione?
Multáque præterea prius ipſo tacta vapore
Eminus ardeſcunt, quàm comminus imbuat ignis.
Hoc igitur fieri quoque in illo fonte putandum'ſt.

FRIGIDVS EST ETIAM FONS) *Talis fons eſt in Epiro, non longè à Dodonæi Iouis templo, vt teſtatur Mela lib. 2. his verbis. Et fons ideò ſacer, quòd, cùm ſit frigidus, & immerſas faces, ſicut ceteri, exſtinguat, vbi ſine igne procul admouentur, accendit. de eodem fonte Plin. lib. 2. cap. 10. In Dodone Iouis fons cùm ſit gelidus, & immerſas faces exſtinguat, ſi exſtinctæ admoueantur, accendit. Idem meridie ſemper deficit. qua de cauſa anapauomenon vocant. Antigonus hiſtoriarum admirabilium collectione,* Περὶ δὲ τὴν ἀθαμανίαν ἱερὸν εἶναι νυμφῶν, ἐν ᾧ τὴν κρήνην τὸ μὲν ὕδωρ ἔχειν ἄγαν ὡς ψυχρόν· ὃ δ᾽ ἂν ἐπάνω θῇς αὐτοῦ, θερμαίνεσθαι· ἐὰν δέ τις φρύγανον, ἢ ἄλλο τι τῶν τοιούτων προσενέγκῃ, μετὰ φλογὸς καίεσθαι. *id eſt, Circa Athamaniam autẽ, id eſt Theſſaliam templum eſſe nympharum, in quo fontem eſſe, cuius aqua cùm ſit frigidiſſima: quicquid tamen ſuper eam aquam poſueris, caleſieri: quod ſi quis ſtipulam, aut*

lignum

lignum aridum, aut aliud quippiam tale admouerit, id, flamma concepta, ſtatim accendi. DE TERRA'QVE NECESSE'ST) Etiam Ariſtoteles lib. 2. μετεωρ. teſtatur, in terra vim ignis ineſſe, his verbis. εἰσὶ δὲ πολλαχοῦ κρῆναι καὶ ῥεύματα ποταμῶν παντοδαποὺς ἔχοντα χυμούς. ὧν πάντων αἰτιατέον τὴν ἐνοῦσαν, ἢ ἐγγινομένην δύναμιν πυρός· καομένη γὰρ ἡ γῆ, ὡ μᾶλλον ἢ ἧττον παντοδαπὰς λαμβάνει μορφὰς καὶ χροιὰς καὶ χυμῶν. id eſt, ſunt autem multis locis fontes & fluuij omnis generis ſaporibus præditi, quorum omnium cauſa, ei, quæ ineſt, aut innaſcitur in terra, ignis poteſtati, adſcribẽda eſt. terra enim dum vritur, magis & minus omnis generis formas & colorum & ſaporum ſumit. PER TOTVM CONSVRGERE FONTEM) ſic habent omnes libri & manuſcripti, & vulgati, præter Lugdunenſeis, in quibus legitur, conſiſtere fontem.

CONCILIARI) cogi; congregari. QVOD GENVS) cuius generis.

ENDO MARI) id eſt in mari. ſecutus autem ſum codicem Memm. Licet etiam legere, Indu mari. vt ſuprà lib. II. ſub extr. quis habere profundi Indu manu validas potis eſt moderanter habenas? ad quem locum de præpoſitione, endo, & indu, plura. Non enim iis aſſentimur, qui indu eiiciunt è ciuitate Ro. ſic ſup. lib. 3. Quippe vbi prima perit, alióque eſt altera nata Endo ſtatu, & cet. vulgata autem lectio Inde mari, corrupta, & vitioſa eſt. FONS DVLCIS AQVAI) fortaſſe vt Arethuſa: quæ tamen non in mari, ſed in inſula eſt. M. Tull. de ſignis. In hac inſula extrema eſt fons aquæ dulcis, cui nomen Arethuſa eſt. Plinius lib. 2. cap. 101. Quidam fontes odio maris ipſa ſubeunt vada, ſicut Arethuſa, fons Syracuſanus, in quo redduntur iacta in Alphéum. Cum his Plinianis congruunt illa, quæ refert Antigonus ἱστορ. παραδόξ. συναγωγῇ, his verbis. Ἀρέθουσαν δὲ τὴν ἐν Συρακούσαις, ὥσπερ οἱ λοιποί φασι, καὶ Πίνδαρος, τὴν πηγὴν ἔχειν ἐκ τοῦ κατὰ τὴν Ἦλιν Ἀλφειοῦ. Διὸ καὶ ταῖς ὀλυμπικαῖς ἡμέραις, ὅταν ἐν τῷ ποταμῷ ἀποπλύνωσι τῶν θυμάτων τὰς κοιλίας, οὐ καθαρὰν εἶναι τὴν ἐν Σικελίᾳ κρήνην, ἀλλὰ ῥεῖν ὄνθον. φασὶ δὲ καὶ φιάλην ποτ᾽ εἰς τὸν Ἀλφειὸν ἐμβληθεῖσαν, ἐν ἐκείνῃ φανῆναι, id eſt, Arethuſam autem, quæ eſt Syracuſis, fontem ſuum habere ex Alphéo, vt & alij, & Pindarus ait. Quocirca & diebus Olympicis, cùm in fluuio lauant hoſtiarum immolatarum ventres, non eſſe ſincerum fontẽ, qui eſt in Sicilia, ſed fimo, & ſtercore manare. Ait autem & phialam aliquando in Alphéum iactam, in Arethuſa viſam eſſe. Huc pertinet illud Virgil. Gallo. Sic tibi, cùm fluctus ſubter labêre Sicanos Doris amara ſuam non intermiſceat vndam. SCATIT) à verbo ſcato, is. vt lib. 5. Et partim plano ſcátere, atque erumpere campo, &c.

QVO CVM CONVEN.) ad quã ſtupã cùm ſemina ignis conueniunt, &c.

AVT CVM TÆDAI CORP. ADH.) ſic reſtitui, librorum manuſcript. veſtigia ſecutus. Nam ceteri fere libri habent, corpora. Atque hanc emendationem prætermiſit ſilentio Zoilus, cùm eam tamen ſecutus ſit: & in hoc ſibi conſtitit. Nam ſuperiorem illam, endo mari. & eam, quæ ſequitur, nocturna ad lumina lychnum, ait eſſe rectiſsimas, ſed à quibus acceperit, non commemorat. Ita vſquequaque ſui ſimilis eſt, hoc eſt, iniuſtus, malignus, inuidus, impudens, ingratus.

ARDESCVNT) ſtupa & tæda.

TÆDÆQVE TENENTES) tædæ habent tenentes, ſic dictum, vt illud ſup. lib. 1. Amplexi quod habent peruersè prima viai: ad quem locum lege, ſi tibi commodum eſt, quæ annotaui.

NONNE VIDES ETIAM) argumentum à ſimili, quo vtitur & Ariſtot. lib. 1. meteor. vt mox dicemus.

NOCT. AD LVM. LYCHNVM.) *omnes libri vulgati habent, noct. ad lum. linum, præter Pariſienſeis: in quibus impreſſum eſt, lychnum. quæ ſcriptura reperitur & in codice Memmiano: reperitur & in libris Baſilienſibus ad marginẽ adſcripta. in Tettiano autem & Faërn. manuſcriptis, licnum. ex qua ſcriptura legendum aliquando putaui, lignum. Nam etiam lignum, paullo antè exſtinctum, ſi ad lumen nocturnum admoueatur, continuò denuo accenditur. Cùm alias autem ob cauſas, lignum, mihi magis placet; quàm, linum, tum propterea quia etiam ſuprà lib. 2. ignem è ligno & tæda factum, ſeu ortum, coniunctè poſuit, ibi, Noſter hic è lignis ortus, tædáque creatus. de illa autem, quam dixi reperiri in libris Pariſienſibus, quid dicam, neſcio. Nam vt eam improbem, facit, quòd lychnus, & nocturnum lumen, ſi quid inter ſe differunt, differunt, vt ſpecies, & genus. Propemodum igitur ſimile eſt, ac ſi ita loqueretur, Nónne vides, vbi lychnum nuper exſtinctum ad lychnum admoueas, illum antè accendi, quàm flammam tetigit? Rurſum, vt eam probem, facit Ariſtoteles, qui lib. 1. meteor. eo loco, vbi diſputat de ſtellis cælum percurrentibus, tali vtitur ſimilitudine. ἀπορήσειε δ' ἄν τις πότερον, ὥσπερ ὅταν ὑπὸ τοὺς λύχνους ὑποτεθῇ ἀναθυμίασις, ἀπὸ τῆς ἄνωθεν φλογὸς ἅπτει τὸν κάτωθεν λύχνον, &c. id eſt dubitare autem poßit quiſpiam, vtrùm, quemadmodũ exhalatio ſicca lychnis ſubiecta, à ſuperna flamma, lychnum inferiorem accendit, &c. has igitur ſcripturas conſideret lector eruditus, &, quam iudicarit optimam, eam ſequatur.*

IMBVAT IGNIS) *tralatio eſt à ſuccis & odoribus ad ignem.*

Quod ſupereſt, agere incipiam; quo fœdere fiat,
Naturæ lapis hic vt ferrum ducere poſſit:
Quem magneta vocant patrio de nomine Graij,
Magnetum quia ſit patriis in finibus ortus.
Hunc homines lapidem mirantur: quippe catenam
Sæpe ex annellis reddit pendentibus ex ſe:
Quinque etenim licet interdum, pluréiſque videre
Ordine demiſſos leuibus iactariet auris,
Vnus vbi ex vno dependet ſubter adhærens:
Ex alióque alius lapidis vim, vincláque noſcit:
Vſqueadeò permananter vis perualet eius.
Hoc genus in rebus firmandum'ſt multa prius, quàm
Ipſius rei rationem reddere poſſis:
Et nimiùm longis ambagibus eſt adeundum.
Quo magis attentas aureis, animúmque repoſco.
Principiò omnibus à rebus, quaſcunque videmus,
Perpetuò fluere, ac mitti fateare neceſſe'ſt
Corpora, quæ feriant oculos, viſúmque laceſſant:
Perpetuóque fluunt certis ab rebus odores,
Frigus vt à fluuiis, calor à ſole, æſtus ab vndis
AEquoris, exeſor mœrorum litora propter:
Nec varij ceſſant ſonitus manare per auras.

Denique in os ſalſi venit humor ſæpe ſaporis,
Cùm mare verſamur propter: dilutáque contrà
Cùm tuimur miſceri abſinthia, tangit amaror.
Vſqueadeò omnibus ab rebus res quæque fluenter
Fertur, & in cunctas dimittitur vndique parteis.
Nec mora, nec requies inter datur vlla fluendi,
Perpetuò quoniam ſentimus, & omnia ſemper
Cernere, odorari licet, & ſentire ſonorem.

QVOD SVPEREST, AGERE INCIP.) *Nunc diſſerere incipit de lapidis eius, quem & Magnetem, & Heraclium, & ſideritin appellant, natura. Magnes autem appellatus eſt vel ab inuentore, quod à Nicandro traditum eſt, vt auctor eſt Plinius, vel à Magneſia terra, in qua primùm inuentus eſt: quam ſententiam ſequitur noſter Lucretius. Gerit hic lapis ferri impoliti ſimilitudinem, & in metallis ferrariis plerunque inuenitur: non tamen in omnibus, immò ne in multis quidem, ſed in valde paucis. Cùm ſit autem huius lapidis hæc natura, vt ferrum attrahat: multi philoſophi rationem quæſiuerunt. Thales (vt ſcribit Ariſtot. lib. 1. de animo) eò putauit Magnetem anima quadam eſſe præditum, quòd vim mouendi, & alliciendi ferri haberet. Plato in Timæo ait, vim ineſſe in Magnete non attrahendi ferri, ſed propellendi aëris: ineſſe & in ferro, ſed imbecilliorem. ita, ne ſpatium inane relinquatur, ferrum, propulſo à Magnete aëre, continuò in locum ab aëre vacuum ſuccedere. quæ ratio congrueret cum ratione Lucretij, niſi de inani Plato & Epicurus inter ſe diſcreparent. Clemens Alexandrinus Magnetem vim ferri attrahendi habere putat propter cognationem quandam, quæ ſit ei cum ferro. Nonnulli magnetem ferrũ appetere dicũt, tanquam cibũ. Sed hoc eſt prætereà in magnete mirabile, quòd interdiu quidem hanc ferri trahendi vim habet, noctu verò, aut imbecillam, aut potius nullam.* QVIPPE CATENAM SÆPE EX ANNELLIS, &c.) *totus hic locus, quanuis non admodum obſcurus, illuſtrabitur tamen verbis Platonis in Ione non longè à principio. Videtur enim Lucretius cùm hos verſus ſcriberet, verba illa Platonis ſpectaſſe. ſic autem ille.* θεία δὲ δύναμις, ἥ σε κινεῖ, ὥσπερ ἐν τῇ λίθῳ, ἣν Εὐριπίδης μὲν μαγνῆτιν ὠνόμασεν, οἱ δὲ πολλοὶ ἡρακλείαν. καὶ γὰρ αὕτη ἡ λίθος οὐ μόνον αὐτοὺς τοὺς δακτυλίους ἄγει τοὺς σιδηροῦς, ἀλλὰ καὶ δύναμιν ἐντίθησι τοῖς δακτυλίοις, ὥστε δύνασθαι ταὐτὸ τοῦτο ποιεῖν, ὅπερ ἡ λίθος, ἄλλους ἄγειν δακτυλίους. ὥστ᾽ ἐνίοτε ὁρμαθὸς μακρὸς πάνυ σιδηρείων δακτυλίων ἐξ ἀλλήλων ἤρτηται. πᾶσι δὲ τούτοις ἐξ ἐκείνης τῆς λίθου ἡ δύναμις ἀνήρτηται. *id eſt, diuina autem vis eſt, quæ te mouet, qualis eſt in eo lapide, quem Euripides quidem Magneſium nominauit, plerique autem Heracléum. hic enim lapis non ſolùm ipſos annulos ferreos attrahit, verùm etiam eam vim inſerit annulis, per quam idem, quod lapis ipſe, poſſint efficere, nempe alios annulos ducere: ita, vt interdum longa admodum ſeries, longáque catena annulorum ferreorum inter ſe apta & connexa ſit. his autem omnibus ex illo lapide vis ac poteſtas inſita pendeat.*

ORDINE DEMISSOS) *ſic legi debet, non, ordine demiſſo.*

LEVIBVS IACTARIER AVRIS.) *ſecutus ſum libros manu ſcriptos: in his Tettianum, & Memmianum: quibuſcum congruunt vulgati Florentini. ceteri habent, leuibus iactarier hamis. quam ſcripturam probare, an improbare debeam, neſcio.*

PERMANANTER.) *id eſt, eo modo, vt permanet, & perueniat ad multas res ferreas.* HOC GENVS IN REBVS) *in rebus huius generis.*

FIRMANDVM EST M.) *id eſt, multa firmanda ſunt, vel multa firmare oportet, vt ſuprà lib. 1. Æternas quoniam pœnas in morte timendum.*

LONGIS AMBAGIBVS) *longis circuitionibus rerum ac verborum. Virgil. Georg. 2. non hîc te carmine ficto, Atque per ambages, & longa exorſa tenebo.*

PRINCIP. OMN. A R. Q. VID. PERP.) *ſic fere ſuprà lib. 4. Quare etiam atque etiã minima hæc fateare neceſſe'ſt Corpora, quæ feriant oculos, viſúmque laceſſant, &c. ibi enim duodecim verſus, qui hîc deinceps ſequuntur, ſine vlla ferè varietate poſiti ſunt.* EXESOR MOERORVM) *ſic legi debet: & ita ſcriptum reperitur in quattuor libris manuſcriptis, & aliquot vulgatis. mœrorũ autem poſitum pro murorum, œ, pro u. vt à pœna, punire, ſeu puniri, à Pœnis, Punicus, a, um. de quo ſup. lib. 4. vbi hi verſus iam antè poſiti ſunt, vt dixi.*

PER AVRAS) *legendum, per aureis.* CVM TVIMVR MISC.) *hunc verſum profert Priſcianus lib. 8.*

Nunc omnes repetam quàm raro corpore ſint res,
Commemorare, quod in primo quoque carmine claret.
Quippe etenim, quamquam multas hoc pertinet ad res
Noſcere, cum primis hanc ad rem protinus ipſam,
Qua de diſſerere aggredior, firmare neceſſe'ſt,
Nil eſſe in promtu, niſi miſtum corpus inani.
Principiò fit, vt in ſpeluncis ſaxa ſuperna
Sudent humore, & guttis manantibu' ſtillent.
Manat item nobis è toto corpore ſudor:
Creſcit barba, pilíque per omnia membra, per artus:
Diditus in venas cibus omneis, auget, alítque
Corporis extremas quoque parteis, vnguiculóſque.
Frigus item tranſire per æs, calidúmque vaporem,
Sentimus, ſentimus item tranſire per aurum,
Atque per argentum, quom pocula plena tenemus.
Denique per diſſæpta domorum ſaxea voces
Peruolitant: permanat odos, frigúſque, vapóſque
Ignis: quin ferri quoque vim penetrare ſueuit,
Vndique quà circum corij lorica coërcet,
Morbida vis, quæcumque extrinſecus inſinuatur.
Et tempeſtates terra, cæloque coortæ,
E cælo emotæ, terráque repente faceſſunt,
Quandoquidem nihil eſt non raro corpore nexum.

NVNC OMN. REP.) *Nunc, inquit, denuò commemorabo, quàm raro corpore ſint prædita res genitæ. nihil eſt enim omni ex parte ſolidum, præter primordia rerum: & rebus omnibus genitis admiſtum eſt inane, vt docuit lib. 1.*

QVOD IN PRIMO Q. CARM.) *primo libro. ibi enim de inani diſpu-*

nuit. CLARET) declaratur, oſtenditur. SVDENT HVMORE) tralatiò eſt à rebus animatis. Sic ſuprà tranſlatè dixit, lib. 5. ſanguine ſudent. ſed infrà propriè. Sudabant etiam fauces intrinſecus arto Sanguine.

DIDITVS IN VENAS) Si, diditur, legimus interpretandum erit, diſsipatur, diſpergitur, ac diſtribuitur, à verbo dido, is. dididi, diditum. malim autem legi, Diditus, vt ſit hæc ſententia, cibus in venas omneis diditus, auget, alítque etiam extremas parteis corporis. quamquam ſi, diditur, legas, eadem ferè ſentẽtia erit. cum hoc loco congruit ille lib. 1. Diſſupat in corpus ſeſe cibus omne animantum.

QVOM POCVLA PLENA TENEMVS) ſic ſup. lib. 1. Permanat calor argentum, penetraléque frigus, Quando vtrumque, manu retinentes pocula rite, Sẽſimus infuſo lympharum rore supernè. PER DISSÆPTA DOMORVM,) id eſt, per parteis domorũ diſſæptas. diſſæptas autem, hoc eſt, in diuerſis partibus ſæptas. lib. 1. Tranſit enim fulmen cæli per ſæpta domorum, Clamor vt, ac voces.

PERMANAT ODOS, FRIGVSQVE, VAPOSQVE) ſic legẽdum, & ita legit Nonius Marcellus, neque aliter habent libri manuſcripti.

VAPOSQVE IGNIS) & calor ignis. QVIN FERRI QVOQVE VIM,) id eſt, ferrum. SVEVIT, VNDIQVE QVA) ſic & diſtinguendum, & legendum. ſuëuit autem, nempe morbida vis.

QVA CIRCVM CORII LOR. COERCET.) Cùm olim hanc lectionem ſecutus eſſem, Quà circùm corpus lorica coërcet, hæc, quæ ſequuntur, his ferè ipſis verbis ad hunc locum annotaram. penetrare (inquam) ſueuit vis morbida ferrũ ea parte, qua parte lorica corpus vndiq; circùm coërcet: id eſt, morbus etiam loricatũ tentat, & corripit: neque lorica, quæ totum hominis corpus tegit, & circundat, arcere vim & cauſam morbi externam poteſt, quominus in corpus penetret. Secutus autem ſum codices Florentinos. Nam ceteri vulgati partim habent, quà circum colli lorica cohæret: partim, quà circũ colli lorica coërcet. manuſcripti autẽ partim, quà circum corij lorica coërcet, vt Tettianus: partim, quà circũ coli lorica coërcet, vt Vaticanus: partim, quà circum cæli lorica coërcet, vt Memmianus: partim, quà circum corpus lorica coërcet, vt Faërn. Neque verò mihi placet cuiuſdam amici mei quamuis doctiſs. ſententia: qui cenſet legẽdum, quà circùm collo lorica cohæret: vel, qua circum colli lorica coërcet. nam lorica non ſolet collum tegere, neque vndique & omni ex parte (id eſt enim circùm) collo cohærere, neque circum, id eſt, circuitum colli coërcere, ſeu ambire, ſed pectus, ventrem, & latera operire. M. Tull. orat. pro Mur. Deſcendi in camptum cum fortiſsimo præſidio fortiſsimorum virorum, & cum illa lata, inſigníque lorica, non quæ me tegeret: etenim ſciebam Catilinam non latus, aut ventrem. ſed caput, & collum ſolere petere, &c. Hæc (inquam) olim annotaram. Nunc attentis antiquis ſcripturis, multúmque ac diu conſideratis, coli, cæli, colli, corij, neque tamen diiudicatis, eam tandem, quam mihi fors obtulit, ſumſi, & in contextũ Lucretij conieci, nõ hãc ceteris anteponẽs, ſed rem totã in medio relinquẽs, & iudicio, ingenioq; lectoris permittẽs. Omnimo vlcus eſt in voce, colli, aut cæli, &c. circũ, integra vox eſt. accuſandi enim caſus eſt, à recto, circus: ita vt hæc ex his verbis ſentẽtia elici poſsit, qua parte lorica circulũ & ambitũ corij, quod loricæ ſupponitur & ſubijcitur, coërcet, ea parte vis morbi penetrare poteſt, aut cõſueuit. licet etiã per corij circũ, pellẽ, quæ totũ hominis corpus ambit, intelligere. neq; verò nouũ eſt, aut inuſitatũ, coriũ poni, pro pelle, quæ corpus hominis ambit. Nã vel Plaut. vnus, huius ſignificationis locuples auctor eſſe poteſt. Quòd autẽ nõnulli legũt, coli circũ, ſeu cæ-

lobi: amplius deliberandum cenſeo. colobi mihi placeret, ſi libri veteres adiuuarent.

MORBIDA VIS, QVÆCVMQVE EXTRINSECVS,) *Cùm à duobus libris manuſcriptis abeſſe animaduertiſſem vocem, ſimul, atque in eis ita ſcriptum reperiſſem, Morbida vis quæcumque extrinſ. orta mihi continuò ſuſpicio eſt, eam particulam eſſe inculcatam ad verſum mutilatum ſupplendum, cùm à Lucretio ſcriptum eſſet, Morbida vis, quæcumque extrinſecus inſin. Ideò autem addidit, quæcumque extrinſecus inſinuatur, vt, quæ ex cælo corrupto naſcitur: quia interdum morbi oriuntur intrinſecus: vt ex vitioſo corporis habitu, aut immoderatis animi affectibus. Vulgata autem lectio, Morbida viſq; ſimul cum extrinſecus, &c. inepta, & inconcinna eſt.* E CÆLO EMOTÆ, TERRAQVE REPENTE FACESSVNT,) *ſic hunc verſum reſtitui, cum in codice Tettiano ita ſcriptum reperiſſem, In cælo, terraque remote faceſſunt. facilè enim ſuſpicatus ſum primùm à librario factum eſſe ex, emotæ, remotæ, deinde propter vocum ſimilitudinem, omiſſam eſſe vocem, repente: atque ita ordinem, & caſum vocabulorum eſſe immutatum: poſtremò additam vocem, iure, ad verſum perficiendum. Nam libri vulgati ſic habent. Nam tempeſtates terra, cæloque coortæ, In cælum, terráſque remotæ iure faceſſunt. præter Florentinos, in quibus impreſſum eſt, Nam tempeſtatem terra, cæloque coortam In cælum, terráſq; timet, circumque fatiſcit. emouere autem, eſt extra mouere, & eÿcere, atque expellere. Virgilius libro ſexto. His dictis curæ emotæ. Horat. od. 15. lib. 4. emouitque culpas, Et veteres reuocauit arteis. Zoilus hãc emendationem nõ probauit. At probatur tribus viris totius noſtræ Galliæ doctiſſimis & optimis: & vtroque nomine, Zoili diſſimillimis.*

FACESSVNT) *diſcedunt. M. Tull. lib. 1. de legibus, paulliſper faceſſant, rogemus. idem in Hortenſ. faceſſant igitur omnes, qui docere nihil poſſunt, quo melius, ſapientiúſque viuamus. Plautus Rud. ſiquidem ſis pudicus, hinc faceſſas.*

QVADOQVIDEM NIL EST NON RARO CORPORE) *hæc ratio valet ad ea omnia, quæ proximè dixit, nihil eſſe factum, aut genitum, quod non ſit raro corpore connexum. quod docuit libro primo, ibi. Nec tamen vndique corporea ſtipata tenentur Omnia natura: namque eſt in rebus inane. & ibi. Eſt igitur nimirum id, quod ratione ſagaci Quærimus, admiſtum rebus, quod inane vocamus.*

Huc accedit, vti non omnia, quæ iaciuntur
Corpora cumque ab rebus, eodem prædita ſenſu,
Atque eodem pacto rebus ſint omnibus apta.
Principiò terram ſol excoquit, & facit are:
At glaciem diſſoluit, & altis montibus altè
Extructas ningueis radiis tabeſcere cogit.
Denique cera liqueſcit in eius poſta vapore.
Ignis item liquidum facit æs, aurúmque reſoluit:
At coria, & carnem trahit, & conducit in vnum.
Humor aquæ porrò ferrum condurat ab igni:
At coria, & carnem mollit durata calore.
Barbigeras oleaſter eò iuuat vſque capellas,

Diffluat ambroſia quaſi verò,& nectare tinctus.
At nihil eſt,homini frunde hac quod amarius exſtet.
Denique amaracinum fugitat ſus,& timet omne
Vnguentum.nam ſetigeris ſubus acre venenum'ſt,
Quod nos interdum tamquam recreare videtur.
At contrà nobis cœnum tæterrima cùm ſit
Spurcities,eadem ſubus hæc res munda videtur,
Inſatiabiliter toti vt voluantur ibidem.
Hoc etiam ſupereſt,ipſa quàm dicere de re
Adgredior,quod dicendum prius eſſe videtur.
Multa foramina quom variis ſint reddita rebus,
Diſſimili inter ſe natura prædita debent
Eſſe,& habere ſuam naturam quæque,viáſque.
Quippe etenim varij ſenſus animantibus inſunt,
Quorum quiſque ſuam propriè rem percipit in ſe.
Nam penetrare alià ſonitus,aliáque ſaporem.
Cernimus è ſuccis,alià nidoris odores.
Præterea manare aliud per ſaxa videtur:
Atque aliud per ligna,aliud tranſire per aurum:
Argentóque foras aliud,vitróque meare.
Nam fluere hàc ſpecies,illàc calor ire videtur:
Atque aliis aliud citius tranſmittere eâdem.
Scilicet id fieri cogit natura viarum
Multi'modis varians,vt paullo oſtendimus antè,
Propter diſſimilem naturam,textáque rerum.
Quapropter bene vbi hæc confirmata,atque locata
Omnia conſtiterint nobis,præpoſta,parata:
Quod ſupereſt,facilè hinc ratio reddetur:& omnis
Cauſa patefiet,quæ ferri pelliciat vim.

HVC ACCEDIT, VTI NON) *adde (inquit) quòd non æquè omnia corpora, quæ ex rebus omnibus fluunt, rebus omnibus apta ſunt, neque res omnes peræquè in res omneis vim ſuam expromunt,atque explicant.*

ET FACIT ARE) *ἀνασχεσμὸς. facit are,pro arefacit.*

ET ALTE EXSTRVCTAS) *id eſt, & exaggeratas: & ita,confertas, denſas,vt ſæpe alibi.* NINGVEIS) *niueis. ſupr.eod.libro,albas deſcendere ningueis Tabificis ſubigit radiis.* TABESCERE) *liqueſcere, τήκεσθαι. ſic ſup radios ſolis tabificos dixit,quia niueis liquefaciant.*

DENIQVE CERA) *hac tota de re lege Ariſtot.lib.4.meteor.*

IN EIVS POSTA) *quidam libri habent,in ignis poſta vapore.*

LIQVESCIT) *quidam libri manuſcripti habent,liquefit.*

CONDVCIT IN VN.) *συνάγει εἰς ἕν.ſic ſup.lib.1.& parteis cõducere in vnũ.*

FERRVM CONDVRAT AB IGNI) *ferrum candens, & igni calefactũ aqua condurat.Ita fit στόμωμα,id eſt,acies (inquit Ariſtot.lib.4.meteor.cap.6.)ſubſidit enim,& expurgatur fæx,& ſcoria. Quo ſæpius autem ferrum igni mollitum, in aquam frigidam coniicitur,& refrigeratur,eo fit purius,ac ſolidius: atq; ex tali ferro fit acies.* BARBIG. OLEASTER EO' IVVAT) *capræ enim delectantur frondibus amaris, vt ſalicibus. Virgilius Tityro.Florentem cythiſum, & ſalices carpetis amaras. Oleaſtri autem frondes,amaræ ſunt. idem Virgil.Georg.2. Infelix ſuperat foliis oleaſter amaris. cum hoc loco cõferre proderit eum, qui eſt lib. 4. Præterea nobis veratrum eſt acre venenum. At capris adipes, & coturnicibus auget.* DIFFLVAT) *ſic legendum,non,effluat.*

AT NIHIL EST, HOM. FR. HAC QVOD AMARIVS EXSTET) *ſecutus ſum ſcripturæ veteris,quamuis corruptæ,veſtigia. ſic enim habent lib.manuſcripti nonnulli.At nihil eſt homini quod maius frõteat exſtet:alij ſic:Quo nihil eſt homini quod amarius frondeat extet. Memmianus ſic: At nihil eſt homini quod mari frõdeat,ac exſtet. Vulgati autẽ aliquot hoc modo,Qua nihil eſt homini quod amarum frondeat æquè. Pariſienſ.& Veneti antiq.& Lugdunenſ. ſic habẽt planè vt nos excudendum curauimus.quidam hunc verſum non putant eſſe Lucretianum.Zoilus pro hoc verſu,illum ſubſtituit plane ſe dignũ: ita vt liceat mihi hoc loco vetus illud verbum vſurpare,ſimileis habent labra lactucas. verumtamen illum ſubſtituit. At nihil eſt homini, quod amarius frunde hac exſtet. Et, O Lucreti, ſub terram abdite,non refers gratiam homini,tam benè de te merito? qui taleis verſus tibi largitur?* AMARACINVM) *vnguentum ex amaraco.*

ET TIMET OMNE VNGVENT.) *Itaque ſic dici ſolet,ſui gratius eſſe, & ſuauius olere cœnum, quàm vnguentum.* NAM SETIGERIS) *Sic lib.5. Setigeriſque pares ſuibus.& Virg.lib.7. Setigerique ſues,atque in præſepibus vrſi.*

TAMQVAM RECREARE) *ἐγείρ. quaſi reficere.*

AT CONTRA COENVM) *hunc verſum cum eius, qui deinceps ſequitur,principio,profert Nonius,in nomine,ſpurcities.*

EADEM SVBVS HÆC RES MVNDA VID.) *magna eſt etiam hoc loco librorum manuſcript.varietas ac diſſenſio.alij enim ſic habẽt,eadem ſubus hæc munda videtur. cui ſcripturæ deeſt ſyllaba ad verſus perfectionem. alij ſic: eadem ſubus hæc immunda videtur. ex qua facta eſt hæc vulgata, quæ reperitur in libris Pariſienſib.& Florent.eadem ſubus hæc iucunda videtur.nam alij vulgati habẽt: eadem ſuibus hæc munda videtur. ego,vel ſic, vt excudendum curaui, à Lucretio ſcriptum eſſe arbitror:vel ſic, eadem ſubu' res hæc munda videtur: vel ſic, eadem ſuibus res munda videtur. Scripturam verò,quã reponit Zoilus, eadem ſubus hæc iucunda videtur,appingat ipſe ſuis chartis.Nam quid ſibi vult,hæc iucunda,monſtrum hominis? quò pertinet pronomẽ,hæc? ad cœnúm ne? an ad ſpurcities? ſi ad cœnum:non cónuenit. ſi ad,ſpurcities:abſurdum. Poſtremò,quid ſibi vult hic ſermo, Iucunda videtur? Nam diceret potius,iucunda eſt. Quòd autem ad huius loci ſententiam attinet,Suũ generi (inquit Plin.lib.8.cap.51.) in luto volutatio grata. Animalium (inquit idem ille) hoc maxime brutum. Itaque animam ei pro ſale datam non illepidè exiſtimabant.quod & M.Tull.retulit lib.5.de finib.& Varro lib.2.de re ruſt.Idem Plin. In luto ſuum requies eſt, vt in lauacro,hominum. eodem pertinet illud Horat.epiſt.2.lib.1.Vixiſſet canis immundus,vel amica luto ſus.*

VOLVAN-

VOLVANTVR) *ex quo volùtabrum. Virg. Georgic. 3. Sæpe volutabris pulſos ſilueſtribus apros Latratu turbabis agens. Itaq, ſues appellantur à Latinis volutares, à Græcis* χαμαιβυάδες. HOC ETIAM SVPEREST) *aliud poſtremò præponit, antequàm de Magnetis natura diſputet, & prius quàm, quamobrem ferrum attrahit, rationem afferat, nempe de variis variarum rerum viis ac foraminibus: quorum foraminum varietas & diſsimilitudo oritur ex primorũ corporum diſsimilitudine, vt docet lib. 4. ibi. Nunc aliis alius cur ſit cibus, vt videamus, Expediam, &c. cui loco adiunge & ea, quæ diſputantur lib. 2 ibi. Perfacile eſt iam animi ratione exſoluere nobis, Quare fulmineus multo penetralius ignis, &c.*

QVIPPE ETENIM VARII SENSVS, &c.) *cùm hoc loco confer eum, qui eſt lib. 2. ibi. Hæc igitur variis debent conſtare figuris. Nidor enim penetrat, quà ſuccus non it in artus: Succus item ſeorſum, & rerum ſapor inſinuatur Senſibus, vt noſcas primis differre figuris, &c. & eum, qui eſt lib. 4. ibi. Nunc age, quo pacto nareis adiectus odoris Tangat, agam, &c.*

NAM PENETRARE ALIA SONITVS) *ſic libro 2. Præterea lumen per cornu (ſeu cornum) tranſit: at imber Reſpuitur. quare? &c. & lib. 4. Quod ſupereſt, non eſt mirandum, qua ratione, &c. totúmque adeò locum legito, vbi de vocis, ſuccorum, & odoris ratione differit. legendum autem, vt edidi, alià ſonitus, aliáque ſapores, Cernimus è ſucc. alià nidoris odores. non, vt vulgò, alio ſon. &c. Hoc enim ſignificat Lucr. quod & lib. 4. docuit, per alias vias odores, per alias ſapores, per alias ſonitus meare, & penetrare. At aduerbiũ, alià, hoc valet: aliò verò, in alium locũ. Argumento eſt præterea id, quod ſequitur. Nam fluere hàc ſpecies, &c. Nam, hàc, id eſt, per hanc viam.* NAM FLVERE HAC SPECIES) *nam per vitrum ſimulacra tranſeunt, per aurum & argentum calor. quanquam ne Lucretius quidem negauerit, etiam per vitrum calorem permanare.*

PRÆPOSTA) *præpoſita, & vt vulgus loquitur, præmiſſa.*

Principiò, fluere è lapide hoc permulta neceſſe'ſt
Semina, ſiue æſtum, qui diſcutit aëra plagis,
Inter qui lapidem, ferrúmque'ſt cumque locatus.
Hoc vbi inanitur ſpatium, multúſque vaceſit
In medio locus: extemplò primordia ferri
In vacuum prolapſa cadunt coniuncta, fit vtque
Annulus ipſe ſequatur, eátque ita corpore toto.
Nec res vlla magis primoribus ex elementis
Endopedita ſuis arte connexa cohæret,
Quàm validi ferri naturæ frigidus horror.
Quo minus eſt mirum, quod paullo diximus antè,
Corpora ſi nequeunt de ferro plura coorta,
In vacuum ferri, quin annulus ipſe ſequatur:
Quod facit, & ſequitur, donec peruênit ad ipſum
Iam lapidem, cæciſque in eo compagibus hæſit.
Hoc fit item cunctas in parteis, vnde vaceſit
Cumque locus, ſiue ex tranſuerſo, ſiue supernè,

Corpora continuò in vacuum vicina feruntur.
Quippe agitantur enim plágis aliunde,nec ipſa
Sponte ſua ſurſum poſſunt,conſurgere in auras.
Huc accedit item,quare queat id magis eſſe,
Hæc quoque res adiumento,motúque iuuatur,
Quòd ſimul à fronte'ſt annelli rarior aër
Factus,inanitúſque locus magis,ac vacuatus:
Continuò fit,vti,qui poſt eſt cumque locatus
Aër,à tergo quaſi prouehat,atque propellat.
Semper enim circumpoſitus res verberat aër.
Sed tali fit vti propellat tempore ferrum,
Parte quòd ex vna ſpatium vacat,& capit in ſe.
Hic vbi,quem memoro,per crebra foramina ferri'ſt
Primas ad parteis ſubtiliter inſinuatus:
Trudit,& impellit,quaſi nauim,veláque ventus.
Denique res omnes debent in corpore habere
Aëra,quandoquidem raro ſunt corpore:& aër
Omnibus eſt rebus circumdatus,appoſitúſque.
Hic igitur,penitus qui in ferro'ſt abditus aër,
Sollicito motu ſemper iactatur,eóque
Verberat annellum dubio procul,& ciet intus
Scilicet:atque eòdem fertur,quò præcipitauit
Iam ſemel,& quamquam in partem conamina ſumſit.

PRINCIPIO FLVERE) *Nunc orditur rationẽ reddere,quamobrem magnes ferrum attrahat.* INTER QVI LAPIDEM, *&c.) ordo. quicunque inter lapidem, & ferrum locatus eſt.* VACEFIT) *id eſt, vacuus fit. ſic autem habent omnes libri vulgati,quos quidem viderim, & manuſcripti, præter vaticanum,in quo ſcriptum eſt,vaceſcit.*

IN VACVVM PROLAPSA CADVNT CONIVNCTA, FIT VTQVE, *&c.) ſecutus ſum codices aliquot manuſcript: & vulgatos. ordo autem & ſententia verborum hæc eſt. extemplo primordia inter ſe coniuncta,in locũ vacuum prolapſa cadunt: & fit, vt & ipſe annulus ſequatur, & eat totus. alij libri habent, In vas prolapſa cadant coniuncta,fit,vtque, &c. planè mendoſè. Licet etiã ſic fortaſſe legere, vt habent alij libri, In vacuum prolapſa cadant coniuncta fit, vtque, &c. vt ſit hic ordo: fit extemplo, vt primordia ferri coniuncta, prolapſa cadãt in vacuum, & vt, &c.* NEC RES VLLA) *hunc locum ſic explico. Nec vlla res eſt, cuius partes ita ſint inter ſe colligatæ, atque connexæ, vt ſunt primordia ferri. Cùm igitur omnibus ex rebus minutiſsima corpora fluant, vt antea demonſtratum eſt: non eſt mirum, ſi, poſteaquàm ſemel ex annulo ferreo plura ferri corpora prima per ſpatium illud, quod eſt inter magnetem & annulum interiectum, à magnetis ſeminibus exinanitum, ad magnetem affluere cœperunt, totus continuò an-*

nulus, totóq; corpore ſubſequatur. Sed videtur legẽdum. Nam res nulla magis, &c.

ENDOPEDITA) *impedita, implicata.* QVOD FACIT) *nempe ſequitur ſua corpuſcula, ex ſe exeuntia in vacuum, &c.*

QVA'M VALIDI FERRI N.) *id eſt, quàm ferrum.*

COMPAGIBVS) *vinculis, ſeu commiſſuris, ſeu iuncturis. Virg. libr. 1. Æneid. diræ ferro, & compagibus arctis Claudentur belli portæ.* HOC FIT ITEM) *duo libri manuſcripti habent, Hoc fit idem. quam lectionem æquè probo.*

SIVE SVPERNE) *ſiue ex loco ſuperno magnes locum vacuum reddat, aëre plagis diſcuſſo.* CORPORA CONTINVO) *ſtatim prima ferri corpora feruntur in locum vacuum, & ita ſurſum feruntur: quod fit præter corporum naturam, cùm ſit eorum proprium deorſum moueri.* VICINA) *vicina ferri corpora dixit, fortaſſe, vt ferrum magneti vicinum intelligamus.*

NEC IPSA SPONTE SVA SVRSVM, &c.) *nam contrà ſponte ſua corpora omnia deorſum feruntur.* HÆC QVOQVE RES) *hic verſus mihi ſuſpectus eſt. abeſt enim longè ab elegantia Lucretiana. quid eſt enim hoc, iuuatur adiuuamento? Adde quòd eo detracto nihil de ſententia decedet.*

QVO'D SIMVL A' FRONTE) *ſic habet cod. Vatic. quocum congruunt vulgati, Veneti antiq. & Pariſienſ. quæ lectio perſpicuè recta eſt. ſimul autẽ, id eſt, ſimul atque, vel, ſimul vt.* SEMPER ENIM CIRCVMPOS.) *ſuprà lib. 4. Principio externa corpus de parte neceſſum'ſt, Aëriis quoniam vicinum tangitur auris, Tundier, atque eius crebro pulſarier ictu.* ET CAPIT IN SE) *& ſpatium vacuũ, ſeu locus ille à magnete vacuatus, capit, id eſt, recipit in ſe ferrũ.*

HIC VBI QVEM MEMORO, &c.) *ordo verborum, & ſententia eſt. vbi hic aër, quem tibi cõmemoro, inſinuatus eſt per crebra foramina ferri in pronas, & iam inclinatas eius parteis, vel, vt habẽt alij libri, in his Memmianus, in paruas eius parteis, vel, vt alij, in primas, id eſt, in eius primordia: trudit & impellit ferrũ, tanquam ventus nauim, & vela: vel, vt quibuſdam videtur legendũ, quaſi ventus, veláq; nauim, ſubintell. impellunt.* PRIMAS AD PARTEIS) *Pronas, habent omnes, quos quidem viderim, vulgati cod. nonnulli manuſcr. pranas, planè mendosè: Memmian. autem paruas: alij, primas: ex quibus quidam faciunt, priuas.*

QVASI NAVIM, VELA'QVE) *vſus eſt eodem ſimili ſup. libro 4. vbi quærit, qui paſſus proferre poſſimus, ibi, Corpus vti, vt nauis, velis, ventóque feratur. ex quo loco ſi quis eum attentè conſideret, videtur hic legendum, quaſi vetus, veláque nauim.* SOLLICITO MOTV) *ſic & ſup. lib. 1. motum ſollicitum appellauit, ibi: Non tam ſollicito motu priuata carerent, &c. Vel, vt legebat Adr. Turnebus, prognata carerent. à quo tamen diſſentio.*

VERBERAT) *verberat, quia ſemper mouetur, vt dixit, ab aëre ſcilicet circumpoſito iactatus.* ATQVE EODEM) *id eſt, & in eundem locum. in voce eódem, e, & o, pro vna ſyllaba habentur. quidam tamen legunt, atque illò fertur.*

ET PARTEM IN QVAMQVAM, &c.) *id eſt, & in quamcunque partem conatum eundi ſumſit. Sic autem reſtitui tum lectionis varietate commotus, tum vulgata lectione offenſus. Nam alij habent, vacuam in partem, alij, partem in vacuam, alij, parte in vacue, alij, parte in cacue, planè mendosè.*

Fit quoque, vt à lapide hoc ferri natura recedat,
Interdum fugere, atque ſequi conſueta viciſſim.

Exſultare etiam Samothracia ferrea vidi,
Et ramenta ſimul ferri furere intus ahenis
In ſcaphiis, lapis hic magnes cùm ſubditus eſſet:
Vſqueadeò fugere à ſaxo geſtire videtur
AEre interpoſito, & diſcordia tanta creatur:
Propterea quia nimirum prius æſtus vbi æris
Præcepit, ferríque vias poſſedit apertas:
Poſterior lapidis venit æſtus: & omnia plena
Inuenit in ferro: neque habet quà tranet, vt antè.
Cogitur offenſare igitur, pulſaréque fluctu
Ferrea texta ſuo: quo pacto reſpuit ab ſe,
Atque per æs agitat, ſine eo quæ ſæpe reſorbet.
Illud in his rebus mirari mitte, quòd æſtus
Non valet è lapide hoc alias impellere item res.
Pondere enim fretæ partim ſtant: quod genus, aurum:
Ac partim, raro quia ſunt cum corpore, vt æſtus
Peruolet intactus, nequeunt impellier vſquam:
Lignea materies in quo genere eſſe videtur.
Inter vtraſque igitur ferri natura locata,
AEris vbi accepit quædam corpuſcula, tum fit,
Impellant vt eam Magneſij ſemina ſaxi.

FIT QVOQVE, VT A' LAP.) *Fit etiam (inquit) vt ferrum ab hoc lapide refugiat, conſuetum modò ſequi, modò fugere: ſequi quidem, nulla re inter lapidem & ferrum interpoſita: fugere autem, ære interpoſito.*

INT. FVG. ATQVE SEQVI CONSVETA V.) *quæ conſueuit modò fugere, modò ſequi. conſueta participium, iunctum cum infinitiuo. De quo lege quæ annotauimus ibi, At conſueta domi catulorum, &c. lib. 4.*

SAMOTHRACIA F.) *ferreos annulos, à Samothracia, vbi primùm fieri cœpti ſunt, dictos: qui erant peruij, & caſſi, eóque gerebantur, quòd aliquid haberent* ἀλεξίφθορον, καὶ ἀλεξίκακον, *quaſi amuleta quædam, & proëbia, ſeu, vt alij appellant, proëbra.* IN SCAPHIIS) *in vaſis amplis.* VIDETVR) *ferrum.*

DISCORD. TANTA CR.) *inter ferrum & magnetem.*

PRÆCEPIT) *Percepit, habent libri omnes vulgati. percepit autem, interpretor occupauit, inuaſit, nempe vias apertas: quo verbo ſæpe alibi vtitur, vt lib. 3. princip. His tibi me rebus quædam diuina voluptas Percipit, atque horror. ibid. paullo pòſt. vitæ Percipit humanos odium. Sed ſcripturam veterem, quæ reperitur in tribus lib. manuſcriptis, huic anteponendam eſſe puto, Præcepit. præcepit autem, id eſt, præoccupauit. neque idcirco minus probanda eſt, quòd antecedat aduerbium prius. ſæpe enim hoc pleonaſmo vtuntur ſcriptores.* PLENA) *ab æris æſtu occupata.*

NEQVE HABET Q.) *neque habet viam, quà tranſeat. tranet, tralatio eſt.*

OFFENSARE) *crebrò offendere, crebris offenſionibus laborare.*

PVLSAREQVE FLVCTV) *id eſt, & ſuo motu, ſuáque agitatione, ſeu ſua*

æſtu, verberare. tralatio eſt. Sed videtur nonnullis legendum, flictu, non, fluctu. flictus autem à verbo fligo, quo & antè vſus eſt lib. 2. Obuia cùm flixere, fit vt diuerſa repente, &c. Virgil. lib. IX. cauæque Dant ſonitum flictu galeæ.

QVO PACTO) *id eſt, qua ratione magnes reſpuit à ſe ferrea texta, ſeu ferrum: vel, quo fit, vt magnes ferrum à ſe reiiciat, ac repellat.*

FERREA TEXTA) *id eſt ferreos textus, & ferrum ipſum arctiſſimè contextum. Idem lib. 5. Propter diſſimilem naturam, textáque rerum. Virgil. 8. Æneid. & clypei non enarrabile textum. Catull. Epithalam. Pelei & Thet. Pinea coniungens inflexæ texta carinæ.* RESPVIT) *reiicit. tralatio eſt.*

ATQVE PER ÆS AGITAT) *id eſt per vas æreum texta ferrea agitat.*

SINE EO QVÆ SÆPE RESORB.) *quæ texta ferri, magnes ſæpe reſorbet ſine eo ære: id eſt, quandò id æs non interponitur. reſorbet, tralatio eſt. quæ reſpondet illi ſuperiori, reſpuit.* MITTE) *omitte.* ALIAS ITEM RES) *alias quàm ferrum.* QVOD GENVS) *cuius generis.* VT ÆSTVS) *magnetis.* PERVOLET INT.) *per eas res, quæ ſunt raro corpore. intactus, tralatio eſt.* IMP. VT EAM MAGNESII SEMINA SAXI) *mirè etiam hic locus deprauatus eſt in omnibus libris. Nam manuſcripti quidem habent partim, Magneſia flamine ſaxa: partim, Magneſia flumina ſaxa: partim, magnetis ſemina ſaxis. vulgati partim cum aliquibus ex manuſcript. conſentiunt, partim habent Magneſia flumine ſaxa ego probabilem ſcripturã repoſui. licet & legere, Magneſij flumina ſaxi: vt, flumina, intelligamus primordia à magnete fluentia. Zoilus hanc ſecutus eſt, neque addidit, eam mihi quoque valde probari. Sed quid mea? mihi diſplicere incipio, cùm aliquid meum iſti placet.*

Nec tamen hæc ita ſunt aliarum rerum aliena,
Vt mihi multa parum genere ex hoc ſuppeditentur,
Quæ memorare queam inter ſe ſinglariter apta.
Saxa vides primùm ſola cooleſcere calce.
Glutine materies taurino ita iungitur vnà,
Vt vitio venæ tabulatum ſæpius hiſcant,
Quàm laxare queant compages taurea vincla.
Vitigeni latices in aquai fontibus audent
Miſceri, quom pix nequeat grauis, & leue oliuum.
Purpureúſque colos conchylij mergitur vnà
Corpore cum lanæ, dirimi qui non queat vmquam,
Non, ſi Neptuni fluctu renouare operam des:
Non, mare ſi totum velit eluere omnibus vndis.
Denique res auro argentum concopulat vnà,
AEríque æs plumbo fit vti iungatur ab albo.
Cetera iam quàm multa licet reperire? quid ergo?
Nec tibi tam longis opus eſt ambagibus vſquam:
Nec me tam multam hîc operam conſumere par eſt:
Sed breuiter paucis reſtat comprendere multa.

Quorum ita texturæ ceciderunt mutua contrà,
Vt caua conueniant plenis hæc illius, illa
Huiúſque: inter ſe iunctura horum optima conſtat.
Eſt etiam, quaſi vt annellis, hamíſque plicata
Inter ſe quædam poſſint coplata teneri:
Quod magis in lapide hoc fieri, ferróque videtur.

NEC TAMEN HÆC) *quæ de magnetis & ferri coniunctione, & quaſi cognatione diximus.* ALIARVM RERVM ALIENA) *aliena iunxit cum generandi caſu, vt ſup. lib. 3. Aut quiâ non veniunt omnino aliena ſalutis. & ſup. hoc eodem lib. princip. alienáque pacis eorum.*

SINGLARITER) *ſingulariter, vnicè, eximiè.* COOLESCERE,) *concreſcere, & conglutinari. cooleſcere autem, legendum, non; vt vulgus putat, coaleſcere. Zoilus hoc non probat. non probet. Quin, vt rumpatur, dico amplius, coaliũ, quod reperitur apud A. Gellium, & Arnobium, & alios, eſſe mendoſum: & pro eo repon̄edum, coolitum. Sic enim coolitum à cooleſcendo, vt concretum, à concreſcendo figuratur. Eſt autem etiam hæc, vna ex ducenis vocibus Latinis, quas ſe vnum ſcire, verè gloriari ſolebat vir Latinè doctiſſimus, Gulielmus Pelliſſerius, Epiſcopus Mompeſſ. cuius vnius iudicium pluris mihi eſt, quàm ſexcentorum mei Zoili ſimiliũ.*

MATERIES) *lignum.* TAVRINO) *ex auribus, & genitalibus tauri: quod tradidit Plin. lib. 28. cap. 17.* HISCANT) *hient, laxentur, disiungantur.*

QVAM LAX. QVEANT COMPAGES) *compages, i. commiſſuras, & coniunctiones. Virg. lib. 1. Æneid. laxis laterũ compagibus omnes Accipiunt inimicum imbrem.* TAVREA VINCLA) *vincula ex glutine taurino.*

VITIGENI LATICES) *vina. Sic lib. 5. princip. Libérque liquoris Vitigeni laticem mortalibus inſtituiſſe.*

AVDENT) *id eſt poſſunt.* [illegible] *tralatio. ſic infr. A pedibúſque minutatim ſuccedere frigus Non dubitabat. vbi tamẽ Aurat. legit, Endobitabat; vt ſuo loco dicemus.* ET LEVE OL.) *leue dixit oleum, quia non ſubſidit, immo exſtat, & ſuper inſidet humoribus omnibus: quod iccirco fit, quia plurimum habet aëris. Contrà, picem grauem, quia ſubſidit.* MERGITVR VNA CORPORE CVM L.) *ſic habent nonnulli libri manuſcripti, quibuſcum conſentiunt vulgati, Pariſienſes, & Veneti antiq. niſi quòd habent, vno Corpore cum lanæ: alij, iungitur vna Corpore c. l.* RENOVARE) *lanam ad ſuum candorem reuocare, ac reſtituere.* OMNIBVS VNDIS) *Virgil. Georg. 1. Téque ſibi generum Tethys emat omnibus vndis. Catull. in Gell. Suſcipit, ô Gelli, quantum non vltima Tethys, Non genitor nympharum abluat Oceanus.*

DENIQVE RES AVRO ARG. CONCOPVLAT V.) *ſecutus ſum treis lib. manuſcriptos, Vatic. Tert. Faërn. Nam Memmianus habet. Denique non auro arum copulat vna. vulgati autem alij, Denique res auro argentum copulat vna: alij, Deniq; res auro fit vt aurum copulet vna: quam poſtremam ſcripturam factam eſſe puto ex alia item corrupta. Denique res auro aurum copulat vna. Planè in hoc verſu hæreo: nec, quàm potiſſimũm ſcripturam ſequar, video, niſi eam, quam excudendam curaui. Licet tamen per me & illam recipere, Denique res auro argentum copulat vna, vt dicamus talem fieri hiatum, qualis apud Virgil. in Alex. Amphion Dircæus in Actæo Aracyntho. & Æn. 1. Túne ille Ænéas, quẽ Dardanio Anchiſe, etc. Licet etiam ſic legere, ſine hiatu: vt ſit* [illegible]*. Deniq; res argentũ auro cũ copulat*

ram. Si quis autẽ quærat, quæ ſit ea res, qua aurũ argẽto, aut alij metallo agglutinetur, puto eſſe chryſocollam, id eſt, auri gluten: quod quomodo fiat, diſce ex Plin. lib. 33. cap. 5. ÆRIQVE ÆS PLVMBO FIT) *ſic reſtitui, cùm reperiſſem ſcriptum in libris manuſcriptis, partim, Æreáque res: partim, Æra quæ: in vulgatis autem, partim, Æs æque plumbo. partim, Æráque nec plumbo. Æs autem æri cõferruminari plumbo candido, quod vulgo ſtannum eſſe putant, & ita appellãt, notum eſt. Verumtamen ſicui dubium eſt, Plutarchi teſtimonio atque auctoritate probari & confirmari poteſt. Sic igitur ille lib.* περὶ φιλαδελφ. Ὡς γὰρ ὁ κασσίτερος ῥαγέντα τὸν χαλκὸν συναρμόζει καὶ συγκεράννυσι τῷ ψαύειν ἑκατέρου τὰ ἔσχατα οἰκείως ὁμοιοπαθὴς γινόμενος· οὕτω δεῖ τὸν φίλον εὐάρμοστον ὄντα καὶ κοινὸν ἀμφοτέροις τοῖς ἀδελφοῖς προσκαταπυκνοῦν τὴν εὔνοιαν: *id eſt, Vt enim plumbum candidum æs fractum coniungit, & conferruminat, quia vtrumque æris extremum aptè & accommodatè tangit, dum ſimilitudine perpetiendi cum eo cõuenit: ſic oportet amicum, ſeſe aptum & commodum, & cõmunem duobus fratribus efficiendo, eorum inter ſè beneuolentiam condenſare, & confirmare. Plumbum candidum commemorat & Cæſar libro 5. de bello Gallico. Vtuntur autem Britanni nummo æreo, aut annulis ferreis ad certum pondus examinatis pro nummo. Naſcitur ibi plumbum album in mediterraneis regionibus: in maritimis ferrum: ſed eius exigua eſt copia.* QVID ERGO?) *quaſi dicat, num me iccirco hoc loco ea omnia referre oportet?* MVTVA) *mutuò, vt ſæpe aliàs.*

HÆC ILLIVS ILLA, HVIVSQVE) *hæc plena illius cauis: illáque caua huius plenis conueniant.* INTER SE IVNCTVRA HORVM OPT.) *ſic legendum. ordo enim eſt. Horum inter ſe iunctura eſt optima, quorum ita texturæ mutuò ceciderunt, vt & illius caua huius plenis, & illius plena huius cauis conueniant.* EST ETIAM) *Alia ratio, quamobrem quædam magis inter ſe cohærere poßint. Fieri enim poteſt (inquit) vt quædam poßint inter ſe compacta cohæreſcere, quaſi quibuſdam annellis, id eſt, paruis annulis, hamíſque implicita, atque inflexa. anellis autem, ſeu annellis etiam in ſuperioribus editionibus ſcripſi. angellis verò, quód ſcriptum eſt in commentariis, fuit erratum typographi, qui admonitus à me fuerat, vt illa præteriret, ac prætermitteret: nam in contextu Lucret. annellis impreſſum eſt.* COPLATA) *ſic legendum puto: quam ſcripturam quidam vel non intelligentes, vel inſolentem iudicantes, compacta repoſuerunt. coplata autem dictum pro copulata, vt vinclum, ſæclum, periclum, &c. pro vinculũ, ſæculum, periculum, &c.*

Nunc, ratio quæ ſit morbis, aut vndè repente
Mortiferam poſſit cladem conflare coorta
Morbida vis hominum generi, pecudúmque cateruis,
Expediam. primùm multarum ſemina rerum
Eſſe ſuprà docui, quæ ſint vitalia nobis:
Et contrà, quæ ſint morbo, mortique, neceſſe'ſt
Multa volare. ea quom caſu ſunt fortè coorta,
Et perturbarunt cælum: fit morbidus aër.
Atque ea vis omnis morborum, peſtilitáſque
Aut extrinſecus, vt nubes, nebulæque, ſupernè
Per cælum veniunt: aut ipſa ſæpe coorta

De terra ſurgunt, vbi putrorem humida nacta'ſt,
Intempeſtiuis pluuiiſque & ſolibus icta.
Nónne vides etiam cæli nouitate, & aquarùm
Tentari, procul à patria quicumque, domóque
Adueniunt? ideò quia longe diſcrepat aër.
Nam quid Britannum cælum differre putamus,
Et quod in AEgypto'ſt, quà mundi claudicat axis?
Quídve quod in Ponto'ſt, differre à Gadibus, atque
Vſque ad nigra virûm, percoctáque ſæcla calore?
Quæ cùm quattuor inter ſe diuerſa videmus
Quattuor à ventis, & cæli partibus eſſe,
Tùm color, & facies hominum diſtare videntur
Largiter, & morbi generatim ſæcla tenere.
Eſt elephas morbus, qui propter flumina Nili
Gignitur AEgypto in media, neque præterea vſquam.
Atthide tentantur greſſus, oculíque in Achæis
Finibus: inde aliis alius locus eſt inimicus
Partibus, ac membris: varius concinnat id aër.
Proinde, vbi ſe cælum, quod nobis fortè alienum'ſt,
Commouet, atque aër inimicus ſerpere cœpit:
Vt nebula, ac nubes, paullatim repit, & omne
Quà graditur, conturbat, & immutare coactat.
Fit quoque, vt, in noſtrum quom vênit denique cælum:
Corrumpat, reddátque ſui ſimile, atque alienum.
Hæc igitur ſubitò clades noua, peſtilitáſque
Aut in aquas cadit, aut fruges perſidit in ipſas,
Aut alios hominum paſtus, pecudúmque cibatus:
Aut etiam ſuſpenſa manet vis aëre in ipſo.
Et quom ſpiranteis miſtas hinc ducimus auras:
Illa quoque in corpus pariter ſorbere neceſſe'ſt.
Conſimili ratione venit bubus quoque ſæpe
Peſtilitas, etiam pecubus balantibus ægror.
Nec réfert vtrùm nos in loca deueniamus
Nobis aduerſa, & cæli mutemus amictum:
An cælum nobis vltro natura cruentum
Deferat, aut aliquid, quo non conſueuimus vti,
Quod nos aduentu poſſit tentare recenti.

NVNC, RATIO QVÆ) *Nunc rationem morborum explicare incipit. deinde pulcherrimã peſtu illius, quæ temporibus belli Peloponneſiaci Athenis acerrimè ſæuiit,*

viuit ſæuit, deſcriptionem ex Thucydidis lib. 2 expreſſam, proponet.

SVPRA DOCVI) *lib. 4 ibi Nunc aliis alius cur ſit cibus, &c. & lib. 5. ibi, Quippe videre licet pingueſcere ſæpe cicuta, &c. & hoc eodem lib. ibi Principio hoc dico, quod dixi ſæpe quoque antè, In terra, &c.*

ET CONTRA, QVÆ SINT, *&c.) ordo eſt. Et contrà, neceſſe eſt multa ſemina volare, quæ ſint morbo, & morti, id eſt, quæ ſint morbida, & mortifera ſemina. volare autem trāſlatè dictum, vt illud lib 6. in princ. Quod flueret, naturæ vi, variéque volaret.* MORBIDVS AER) *νοσώδης ἀήρ.*

AVT EXTRINSECVS, VT NVBES) *morbus (inquit) aut extrinſecus oritur, verbi gratia, ex terris longinquis ac remotis, ventis inſalubribus, qui per loca morboſa ſpirantes, cælum noſtrum, vnde animam ducimus, corrumpunt: aut ex iis terris, in quibus commoramur. Sed videtur hæc partitio valde anguſta, & ieiuna eſſe. Quid enim dicemus de iis morbis, qui naſcuntur ex copia, luxu, & cruditate? ex intemperantia? ex cibis inſalubribus? ex immoderatis animorum affectibus? ex animi ægritudine ac mærore?* VBI PVTROREM) *ſic legendum, non putorem. nam putor aliud eſt, quàm putror, quemadmodum aliud eſt putere, aliud putrere, ſeu putreſcere. ſic lib. 2. Quippe videre licet viuos exſiſtere vermeis Stercore de tætro, putrorem cùm ſibi nacta eſt Intempeſtiuis ex imbribus humida tellus.*

QVIA LONGE DISCREPAT AER) *hanc lectionem potius ſecutus ſum, quàm illam alteram, quia longè diſcrepitāt res, non eò ſolùm, quòd magis cum ſententia huius loci conſentanea eſt, verùm etiam quòd nata videtur eſſe ex antiqua ſcriptura deprauata. ſic enim habent libri aliquot manuſcripti, in his Vatican. quia longè diſcrepat aeres. atque hanc lectionem confirmant cùm alia multa, tum id, quod ſtatim ſequitur, varius concinnat id aër. Quòd autē eam non probat Thraſo, tanto magis mihi probatur.* PESTILITAS,) *id eſt, peſtilentia, vt interpretatur Nonius: qui profert verſum ſequentem infrà non longè, Hæc igitur ſubitò clades noua, peſtilitáſque, &c.* NAM QVID BRITANNVM) *Britanni, omnium mortalium proximi ſunt Septētrionibus, iis tamen exceptis, qui Thulen incolunt. Virgil. Tity. Et penitus toto diuiſos orbe Britannos. Idem Georg. 1. tibi ſeruiat vltima Thule. docti quidā, in his Petrus Paſchalius, hiſtoricus Regius, amicus meus, hoc loco legendum cenſent, Britannum cælum, quo modo edendum curaui: non vt habent lib. vulgati, Britannis cælum Sic autem dictum Britannum cælum, vt Mauris iaculis, & Sulpicius horreis apud Horat. ſententia porrò huius loci hæc eſt. quid, aut quantum (inquit) putamus differre cælum Britannum, id eſt, Britannicum, à cælo Ægyptio? quid cælum, quod eſt in Ponto Euxino, & ad illam orbis terrarum partem, à cælo Gaditano? ſumſit Lucretius quattuor orbis terrarum loca maxime nota, & inſignia: quæ temporibus illis maximè inter ſe diſtare putabantur: duo à ſeptentrionibus ad Auſtrum, Britanniam, & Ægyptum: quæ eſt diſtantia latitudinis: duo ab ortu ſolis ad occaſum, Pontum & Gadeis, quæ diſtantia eſt longitudinis.*

QVA MVNDI CL.) *id eſt, qua parte axis, ſiue polus Arcticus, qui nobis ſublimis ſemper appâret, illis eſt depreſſus: ſeu quà parte mundus inclinatus eſt ad oram nobis ignotam, quam Græci ἀντίχθονα vocant, axi noſtro contrariam. Eſt autem hæc pars meridionalis, ſeu Auſtralis.*

QVIDVE QVOD IN PONTO'ST) *aut quid putamus differre cælum Ponti, qui ad orientem ſpectat, à Gadium cælo? quæ diſtantia longitudinis eſt. Gades, inſula & oppidum, quæ ab Oceano alluuntur: à quibus fretum Gaditanum*

dictum eſt: quo Libya ab Europa *diuiditur.* M. Tull. lib. 3. de nat. deor. Quid Oceani *feruore illis in locis cõſtantius,* Europã, Libyámq; *rapax vbi diuidit vnda? Sed videtur legendum,* Nam quid Britanno *cælo differre putamus* Id quod in Ægypto'ſt, &c.

ATQVE VSQVE AD N.) *à Gadibus, atque ab ea ora, quæ porrigitur & pertinet ad* Mauritaniam, *ſeu potius ad* Æthiopiam *vſque? Sunt enim Æthiopes nõnulli* Oceano *finitimi, vt teſtatur &* Homer. lib. I. Iliad. Ζεὺς γὰρ ἐπ' Ὠκεανὸν μετ' ἀμύμονας αἰθιοπῆας χθιζὸς ἔβη μετὰ δαῖτα· θεοὶ δ' ἅμα πάντες ἕποντο. *id eſt, Iupiter enim ad ſtrenuos, & forteis Æthiopas heſterno die profectus eſt, ad epulas: dij autem omnes eum vnà conſecuti ſunt.*

QVATTVOR A VENTIS, ET CÆLI PART.) Britanni *ab Aquilone, & à* Septentrionibus: *Ægyptij à meridie & Auſtro.:* Pontici *à Subſolano, ſeu* Euro, *&* Oriente: Gaditani *à* Fauonio *&* Occidente.

ET MORBI GENER.) *& morbi videntur generatim nationes ipſas infeſtas habere.* EST ELEPHAS MORB.) *hunc morbum* ἐλεφαντίασιν vocant Græci: *de quo lege* Cornel. *Celſum* lib. 3. cap. 25.

ATTHIDE TENT.) *in* Attica *tentantur pedes.* Athenienſes *podagra magna ex parte laborant.* OCVLIQVE IN ACH. FINIB.) *Achiui ſolent oculorum dolore affici, ſeu ex oculis laborare.*

CONCINNAT) *efficit, vt ſæpe alibi.*

COACTAT) *cogit.* PESTILITASQVE) *& peſtilentia, vt ſuprà.* Hunc *verſum profert* Nonius, *vt diximus.*

PERSIDIT) *ſic legendum, non præſidit.*

CONSIM. RAT. VEN. BVB.) Virgil. lib. 2. Georg. Nec tam creber agens *hiemem ruit æquore turbo,* Quàm *multæ pecudum peſtes: nec ſingula morbi* Corpora *corripiunt, ſed tota æſtiua repente, &c.*

ETIAM PECVBVS BALANTIBVS ÆGROR.) *Cùm in libris manuſcriptis ita ſcriptum reperiſſem: etiam pigris halatibus ægror: in vulgatis autem pleriſque, pecudum balatibus ægris: in nonnullis, pecudum talaribus ægre: primùm facile ſenſi in hoc loco mendum ſubeſſe: deinde continuò conieci ſic eſſe legendum: pecudis, ſeu pecubus potius, balantibus ægror.* Pecua *autem & pecuda dixerunt antiqui, pro, pecora: vnde res pecuaria, teſte* Nonio: *qui rurſus præter alios, teſtem citat* Ciceronẽ lib. 4. de rep Cùm *adhibent in pecuda paſtores. citat &* Cæcilium, Vmbris. Et *homini, & pecubus omnibus.* Iam *ægror etiam morbum corporis interdum ſignificat.* NOBIS ADVERSA,) *id eſt, nobis inimica, & infeſta. aduerſa autem eſſe legendum, non diuerſa, euincunt libri veteres, in quibus partim planè hoc modo ſcriptum eſt: partim, ad diuerſa. quamquam defendi fortaſſe poteſt lectio vulgata,* Nobis *diuerſa, pro à nobis diuerſa: id eſt, in quibus non conſueuimus commorari.*

ET CÆLI MVTEMVS AMICTVM,) *id eſt cælum mutemus. cælum autem, id eſt, aërem, quo videmur amiciri, quia nos ambit vndique.* Iouianus Pontanus *hunc verſum ſic legebat:* Nobis *aduerſa, & cælum mutemus amicum. ego lectionem receptam retinendam cenſeo.*

AN CÆLVM NOBIS VLTRO NATVRA CRVENTVM DEF.) Sic *olim in prima editione edideram, natura coruptum, ad quem locũ hæc, quæ ſequuntur, annotaram. ſecutus ſum veſtigia veteris ſcripturæ. ſic enim habet codex* Vaticanus, An *cælum nobis vitro natura coruptum, vnico r.* Teſtianus au-

tem, & Memmianus, & Faërn. An cæl. nobis vitio, (aut vitro) natura corruptum, gemino rr. ex vitro igitur feci vltro, quod reperitur tamen in codicibus Vicet. & Pariſien. Veneti antiqui porrò habent, intro natura corruptum. vltrò autem interpretor ſine aliqua manifeſta cauſa. iam coruptum vno r. aut ſine n ſcriptum eſt, propter verſum, pro corruptum, aut conruptum: atque ita legit Pierius ad illum Virgil. verſum lib. I. Æneid. læuáque Sereſtum. Non celabo lectorem tamen, Ioanni Colombino populari meo, viro docto, videri hoc loco legendum, An cælum nobis vltro natura, inimicum Deferat. putat enim ille primò inimicū ſcriptum eſſe à Lucretio: deinde ſtudioſum aliquem Lucretij lectorē, huius vocis interpretandæ cauſa, adſcripſiſſe ad oram libri, corruptum: poſtremò imperitum librarium, qui ex illo exemplari, Lucretium deſcripſerit, eiecta vera voce, inimicum, ſubſtituiſſe, corruptum. Si cui igitur hæc amici mei coniectura, erudita præſertim, atque ingenioſa placebit: gaudebo. Interea hoc quoque lectorem ſcire velim, hanc, quam excudendam curaui, ſcripturā, ordine tantùm duarum vocum, & numero litterarum in voce corruptum, à Pariſienſi diſcrepare. ſic enim habent codices Pariſieſ. An cælum nobis natura vltro corruptum, quam lectionem nonnulli probant, vt ſit verſus totus ex ſpondeis conſtans: quibuſcum non pugnabo. Cùm hæc ſcripſiſſem in prima editione, non longo pòſt tempore venit in mētem Adriano Turnebo, & Ioan. Aurato, mihique cùm vnà eſſemus, neque corruptum, neque coruptum, legi poſſe, quia ſit nouum, & inuſitatum, neque, inimicum, quia ab antiquæ ſcripturæ veſtigiis nimis remotum: ſed cruētum. quod valet hoc loco, impurum, & inquinatum. cruor enim inquinat, & contaminat. Itaque qui cruentas manus habent, & qui hominem occiderunt, dicuntur habere manus impuras: & contrà qui neminem occiderunt, puras.

Hæc ratio quondam morborum, & mortifer æſtus,
Finibu' Cecropiis funeſtos reddidit agros:
Vaſtauítque vias, exhauſit ciuibus vrbem.
Nam penitus veniens, AEgypti è finibus ortus,
Aëra permenſus multum, campóſque natanteis,
Incubuit tandem populo Pandionis: omnes
Inde cateruatim morbo, mortíque dabantur.
Principiò caput incenſum feruore gerebant:
Et dupliceis oculos ſuffuſa luce rubenteis.
Sudabant etiam fauces intrinſecus atro
Sanguine, & vlceribus vocis via ſæpta coibat:
Atque animi interpres manabat lingua cruore,
Debilitata malis, motu grauis, aſpera tactu.
Inde, vbi per fauceis pectus complerat, & ipſum
Morbida vis in cor mæſtum confluxerat ægris:
Omnia tum verò vitaï clauſtra lababant.
Spiritus ore foras tætrum voluebat odorem,
Rancida quo perolent proiecta cadauera ritu:
Atque animi prorſum vires totius, & omne

Languebat corpus leti iam limine in ipſo.
Intolerabilibúſque malis erat anxius angor
Adſiduè comes,& gemitu commiſta querela.
Singultúſque frequens noctem perſæpe,diémque
Conripere adſiduè neruos,& membra coactans,
Diſſoluebat eos defeſſos antè,fatigans.

HÆC RATIO QVONDAM) *Nunc incipit peſtem illam Athenienſem deſcribere. videtur autem Virg. lib. 3. Georg. hunc locum adumbraſſe, teſte Macrob. lib. 6. Saturn. his verſib. Hîc quondam morbo cæli miſeranda coorta eſt Tempeſtas, totóque auctumni incanduit æſtu: Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum: Corrupítque lacus: infecit pabula tabo. Nec via mortis erat ſimplex: ſed vbi ignea venis Omnibus acta ſitis miſeros adduxerat artus: Rurſus abundabat fluidus liquor, &c.* MORTIFER ÆSTVS) *ſic habent omnes libri vulgati. ſed tres manuſcripti, mortifer ae. ex quo legendum videtur, mortifer aër. verumtamen nihil ſum mutare auſus. ſatis eſt mihi hoc indicaſſe lectori.*

FINIBV' CECROPIIS) *finibus Atticis. ſic autem eſſe legendum, non, Finibus in Cecropis, probant libri veteres. Iam Cecrops Athenienſium rex fuit.*

NAM PENITVS VENIENS, ÆGYPTI E FINIBVS) *Ab hoc loco Thucydidis verba cum Lucretianis conferre incipiamus. ſic igitur ille lib. 2.* Ἤρξατο δὲ τὸ μὲν πρῶτον, ὡς λέγεται, ἐξ αἰθιοπίας τῆς ὑπὲρ αἰγύπτου: ἔπειτα δὲ καὶ ἐς αἴγυπτον καὶ λιβύην κατέβη, καὶ ἐς τὴν βασιλέως γῆν τὴν πολλήν. ἐς δὲ τὴν ἀθηναίων πόλιν ἐξαπιναίως ἐσέπεσε. *id eſt, initiū autem fecit primùm, vt aiunt, ex Æthiopia ea, quæ eſt ſupra Ægyptum: deinde etiam in Ægyptum, & Libyam deſcendit, atque in magnam regis Perſarum ditionis partem. tùm autem in Athenienſium vrbem repente inuaſit.*

ÆGYPTI E' FIN. ORTVS) *In prima & ſecunda editione, ego pleroſque libros vulgatos ſecutus, edideram, Ægypti è finib. Orcus. Sed neſcio quo modo fugerat me, lectorem admonere, vt conſueui, libros ferè omneis veteres, quibuſcum congruunt aliquot vulgati, in his Baſilienſes, & Vicetini: habere ortus. quam ſcripturam nunc magis probo. neque quemquam mouere debet participium, veniens, quod antecedit, quaſi quædam* ταυτολογία *ſit, veniens, ortus. Nam, veniens, cohæret cum aduerbio, penitus: ortus cùm his, Ægypti è finibus. Et verò cùm hanc ſcripturā confirment verba ipſa Thucydidis,* ἤρξατο δὲ τὸ μὲν πρῶτον, *&c. tum maxime illa, quæ ſunt apud Tyrium Maximum in oratione 41.* Ἀθηναίοις ἐν δημοκρατουμένῃ πόλει *&c.* λοιμὸς ἐμπεσὼν ἐξ αἰθιοπίας ἀρξάμενος καὶ καταβὰς διὰ τῆς βασιλέως γῆς, καὶ πλανήσας ἐκεῖ, καὶ ἱδρυθεὶς αὐτόθι, ἔφθειρε τὴν πόλιν. *id eſt, Athenis autem in vrbe, in qua populus ſummā rempub. tenebat, &c. peſtis inuecta, ex Æthiopia orta, cùm per fineis regis Perſarū deſcendiſſet, & illuc erupiſſet, & ibidē conſtitiſſet, ciuitatē perdidit.*

CAMPOSQVE NATANTEIS) *maria, & lacus. ſuprà eodem libro: & liquidam molem, campóſque natanteis.* INCVBVIT TANDEM) *Thucyd.* ἐσέπεσε, *id eſt, incidit, ſeu potius incurrit, atque irruit.* PANDIONIS) *Pandion Athenarum rex, Philomelæ, & Procnæ pater.*

PRINCIPIO CAPVT INCENS. FER.) *Thucyd.* πρῶτον μὲν τῆς κεφαλῆς θέρμαι ἰσχυραί, καὶ τῶν ὀφθαλμῶν ἐρυθήματα, καὶ φλόγωσις ἐλάμβανε: *id eſt, primùm quidem capitis feruores acres & validi, & oculorum rubores, & inflammatio eos corripiebat.* SVDABANT ETIAM FAVCES) *Thucyd.* καὶ τὰ ἐντὸς, ἥ τε

φάρυγξ, καὶ ἡ γλῶσσα, εὐθὺς αἱματώδη ἦν. id eſt, & interna, & fauces, & lingua cõtinuò cruenta erant, ſeu cruore manabant. INDE, VBI PER FAVCEIS, *&c.) hic locus non ita propè accedit ad Thucydidis verba: non tamen à ſententia ipſa longè admodum diſcedit. ſic enim ille: καὶ ἐν οὐ πολλῷ χρόνῳ κατέβαινεν ἐς τὰ στήθη ὁ πόνος μετὰ βηχὸς ἰσχυροῦ. καὶ ὁπότε ἐς τὴν καρδίαν στηρίξαι, ἀνέστρεφέ τε αὐτὴν, καὶ ἀποκαθάρσεις χολῆς πᾶσαι, ὅσαι ὑπὸ ἰατρῶν ὠνομασμέναι εἰσὶν, ἐπῄεσαν. id eſt, & non longa pòſt temporis interuallo dolor in pectora deſcendebat cum tuſſi vehementi: & vbi in corde, ſeu potius ſtomacho, hæſerat, cùm ipſum torquebat, tùm purgationes bilis omnes, quæ à medicis nominatæ ſunt, conſequebantur. Perſpicuè Lucretius hoc loco Græcos imitatus, cor pro ſtomacho poſuit. Ex quo cardiaci dicti ſunt. qua de re plura in commentariis Horat. ad illud, vt ſolet in cor Traiecto lateris miſeri, capitiſque dolore, ſaty. 3. lib. 2.* VITAI CLAVSTRA) *nihil muto. verumtamen codex Vaticanus habet, vitalia clauſtra lababant.*

SPIRITVS ORE FORAS) *Thucyd. καὶ πνεῦμα ἄτοπον, καὶ δυσῶδες ἠφίει: id eſt, & ſpiritus abſurdus, & tæter, & grauis odoris edebatur.*

INTOLERABILIBVSQVE MALIS, *&c.) videtur pluribus verbis expreßiſſe quod dixit Thucyd. breuius. καὶ αὗται μετὰ ταλαιπωρίας μεγάλης, id eſt, & eæ magno cum cruciatu corporis, animique afflictatione.*

SINGVLTVSQVE FREQVENS) *Thucyd. λύγξ τε τοῖς πλείοσιν ἐνέπεσε κενὴ, σπασμὸν ἐνδιδοῦσα ἰσχυρὸν: id eſt, & ſingultus pluribus accidebat inanis, conuulſionem membrorum validã afferens. Verùm, vt ne ſoli Lucretio, ſed etiã Thucydidi ipſi medeamur, & conſulamus, legendum videtur apud Thucyd. non κενὴ, ſed πυκνὴ, idque ex verbis Lucretij, Singultúſque frequens.* COACTANS) *cogens: vt ſup. & immutare coactat.* DEFESSOS ANTE, FATIGANS.) *fatigans eos, qui iam antè vi ipſius morbi defeßi erant.*

Nec nimio quoiquam poſſes ardore tueri
Corporis in ſummo ſummam feruiſcere partem:
Sed potius tepidum manibus proponere tactum:
Et ſimul vlceribus quaſi inuſtis omne rubere
Corpus, vt eſt, per membra ſacer cùm diditur ignis.
Intima pars homini verò flagrabat ad oſſa:
Flagrabat ſtomacho flamma, vt fornacibus, intus.
Nil adeò poſſet quoiquam leue, tenuéque membris
Vertere in vtilitatem: ad ventum, & frigora ſemper,
In fluuios partim gelidos ardentia morbo
Membra dabant, nudum iacientes corpus in vndas:
Multi præcipites lymphis putealibus altè
Inciderunt ipſo venientes ore patente.
Inſedabiliter ſitis arida corpora merſans
AEquabat multum paruis humoribus imbrem.
Nec requies erat vlla mali: defeſſa iacebant
Corpora: muſſabat tacito medicina timore.
Quippe patentia cùm totas ardentia nocteis

Lumina verſarent oculorum expertia ſomno.
Multáque prætereа mortis tum ſigna dabantur.
Perturbata animi mens in mærore,metúque:
Triſte ſupercilium,furioſus voltus,& acer:
Sollicitæ porrò,plenæq; ſonoribus aures:
Creber ſpiritus,aut ingens,raróque coortus:
Sudoríſque madens per collum ſplendidus humor:
Tenuia ſputa,minuta,croci contacta colore,
Salſáque,per fauceis raucas vix edita tuſſi.
In manibus verò trahier nerui,& tremere artus:
A' pedibúſque minutatim ſuccedere frigus
Non dubitabat:item ad ſupremum denique tempus
Compreſſæ nares:naſi primoris acumen
Tenue,cauati oculi,caua tempora,frigida pellis,
Duráque:inhorrebat rictum:frons tenta minebat.
Nec nimio rigida pòſt ſtrati morte iacebant:
Octauóque ferè candenti lumine ſolis,
Aut etiam nona reddebant lampade vitam.
Quorum ſi quis (vt eſt) vitarat funera leti
Vlceribus tætris,& nigra proluuie alui:
Poſterius tamen hunc tabes,letúmque manebat:
Aut etiam multus capitis cum ſæpe dolore
Conruptus ſanguis plenis ex naribus ibat.
Huc hominis totæ vires,corpúſque fluebat.
Profluuium porrò qui tætri ſanguinis acre
Exierat,tamen in neruos huic morbus,& artus
Ibat,& in parteis genitaleis corporis ipſas.
Et grauiter partim metuentes limina leti
Viuebant,ferro priuati parte virili:
Et manibus ſine nonnulli,pedibúſque manebant
In vita tamen,& perdebant lumina partim:
Vſqueadeò mortis metus his inceſſerat acer.
Atque etiam quoſdam cepere obliuia rerum
Cunctarum,neque ſe poſſent cognoſcere vt ipſi.

NEC NIMIQ QVOIQVAM) *Thucyd.* καὶ τὸ μὲν ἔξωθεν ἁπτομένῳ σῶμα, ἐκ ἄγαν θερμὸν ἦν, οὔτε χλωρὸν, ἀλλ' ὑπέρυθρον, *&c. id eſt, & corporis quidem extremitas non erat admodum tactu calida, neque pallida, aut viridis, ſed ſubrubra.*

CORPORIS, IN SVMMO) *Ordo eſt, nec poſſes tueri, hoc eſt videre, cuiquam ſummam corporis partem in ſummo, ſubintell. corpore, nimio ardore feruiſcere. Quòd autē Zoilus legi poſſe exiſtimat, Corpore in ſummo, &c. vt ſit hiatus.*

faceſſat hinc cum ſuis hiatibus. Quòd ſi tantopere hiatibus delectatur, adhibeat eos in ſuis verſibus, non in Lucretianis, præſertim vbi nihil eſt neceſſe, vt hîc non eſt, neque item ſuprà non longe à principio huius libri. Illud in his rebus ne me arripuiſſe rearis, &c. in quo verſu, ſublato prouocabulo, me, vult legi, ne arripuiſſe rearis, &c. Nec ſat habet hos præclaros hiatus Lucretio allinere, ſed etiam in Virgilio hac abutitur hiatuum licentia. Cenſet enim, aut certè aſſentitur cuidam, qui non longè à principio libri 3. Georg. in altero horum verſuum, Hunc quoq; vbi aut morbo grauis, aut iam ſegnior annis Deficit, abde domo, nec turpi ignoſce ſenectæ, ſic legendum cenſent, abde domo, & turpi ignoſce ſenectæ: non intelligens, negationẽ, nec, non eſſe coniungendam cum verbo, ignoſce, ſed cum voce, turpi, hoc modo, & non turpi ignoſce ſenectæ. Quòd cùm ego, & Simeo Boſius, vir doctiſſimus, acerrimique ingenij, vnà legeremus, riſum continere non poteramus. Nam quòd ille Aurato auctore ſe ita reſtituiſſe, ſcriptum reliquit: defugit Auratus auctoritatem, atque adeò negat ſibi hoc vmquam ex ore excidiſſe: aut, ſi etiam forte ſibi aliquando exciderit: negat ſe eo animo protuliſſe, vt vulgaretur. queritur de illo alia quædam, quæ in præſenti reticebo, ne quid de amicitia noſtra detrahere videar. illum enim, qui auctoritate Aurati nititur, amaui, & verò etiam nunc amo: quamquam ab officio aliquando diſceſſit, & ſe gratiam meam parui facere oſtendit. Verùm lubet hoc diſſimulare, ſiue potius obliuiſci. Volo enim conſtantior eſſe in amicitia colenda, & amicis retinẽdis, quàm video vulgus hominum ſolere. ET SIMVL VLCERIBVS, &c.) *Thucyd.* φλυκταίναις μικραῖς καὶ ἕλκεσιν ἐξηνθηκός· *id eſt, puſtulis paruis, & vlcerib. efflorescens.* INTIMA PARS HOMINI) τὰ δὲ ἐντὸς, οὕτως ἐκάετο, ὥστε, &c. *internæ autem partes ita flagrabant, &c. Quidam libri habent, hominum.*

AD OSSA) *alij libri habent, adeſa. quod minus probo. verumtamen iudicet lector eruditus.* NIL ADEO POSSET QVIDQVAM, &c.) *ſic flagrabat (inquit) pars hominum, ſeu hominis intima, vt nullum quantumuis leue, ac tenue veſtimentum poſſet membris vertere in vtilitatem, id eſt, afferre vtilitatem, ſeu eſſe vtilitati. hanc eſſe huius loci ſententiam licet ex Thucydide intelligere. ſic enim ille.* τὰ δὲ ἐντὸς, οὕτως ἐκάετο, ὥστε μήτε τῶν πάνυ λεπτῶν ἱματίων, καὶ σινδόνων τὰς ἐπιβολὰς, μήτε ἄλλο τι, ἢ γυμνοὶ ἀνέχεσθαι. *id eſt, intimæ autem partes ita flagrabant, vt neque tenuiſſimarum veſtium, & linteorum iniectiones, neque aliud quicquam, præter nuditatẽ, ſuſtinere poſſent. Vertere in vtilitatẽ, ſic dictum vt à T. Liuio, vertere in perniciẽ. ſic enim loquũtur Latini, hæc res tibi malè vertat, & bene vertat: & in perniciẽ, ſeu, in vtilitatẽ vertat: in quibus generibus, verbũ, vertat, eſt abſolutũ. Plautus Trucul. Malè vertit res pecuaria mihi apud vos: nunc viciſſim volo habere aratiũculam pro copia hîc apud vos. ſic ab Ennio dictum eſt, hæc bene verruncent populo, id eſt bene vertant. Quòd ſi quis tamen hoc, vertere, ſic abſolutè poſitum, non poterit concoquere, & ægre feret, licebit ei per me legere, Verti in vtilitatem, vt hîc recipiamus hiatũ, tolerabiliter, & vſitatè, quia i. vocalis, lõga eſt. Sed videtur legẽdum, Nil adeò vt poſſet quidq. &c. vt pendeat ex iis, quæ antecedunt.*

ADVENTVM, AD FRIG. S.) *huius loci hæc ſententia eſt. ad ventum, & ad frigora ſemper membra dabant: atque, dum frigus captabant, partim ſe in fluuios coniiciebant, partim in puteos præcipites cadebant.*

IN FLVVIOS PARTIM GELIDOS) *id eſt, alij in fluuios gelidos ſe coniiciebant. Thucyd* ἥδιστά τε ἂν ἐς ὕδωρ ψυχρὸν σφᾶς αὐτοὺς ῥίπτειν. καὶ πολλοὶ, &c. *& libentiſſimè in aquam frigidam ſeipſos coniiciebant.*

LYMPHIS PVTEALIBVS,*Thucyd.* καὶ εἰς φρέατα, τῇ δίψῃ ἀπαύςῳ συνεχόμενοι: *id eſt, & in puteos multi ſe præcipites egerunt inexplebili ſiti cruciati. quidam libri vulgati habent,* Nymphis *putealibus.* INSED. SITIS AR. CORP. M. ÆQ. M. P. H) *id eſt, tanta erat eorum ſitis, vt multa aquæ, & humoris copia epota, nihilo plus valeret ad ſitim ſedandam, quàm aqua pauca: vel ſic: ſitis ingens, & inſedabilis efficiebat, vt magna aquæ copia, aqua pauca videretur. Atque hanc eſſe huius loci ſententiam, verba Thucydidis oſtendunt.* καὶ ἐν τῷ ὁμοίῳ καθειστήκει τό τε πλέον, καὶ ἔλασσον ποτόν· *id eſt, tantundem eis proderat liberalior, & parcior potus ad ſitim ſedandam.* NEC REQVIES ERAT VLLA MALI) *Thucyd.* καὶ ἡ ἀπορία τοῦ μὴ ἡσυχάζειν· *id eſt, & quietis ademta facultas. Omnino non videtur hîc idem dicere Thucydides, & Lucret. primo adſpectu: ſed ſi attente conſideraris, nihil inter ſe diſcrepare reperientur. quid enim eſt aliud non eſſe requiem mali, quàm non dari conquieſcendi facultatem? Macrobius lib.6. Saturn. hunc verſum profert cum eo, qui deinceps ſequitur, & confert cum Virgilianis, vt diximus.* MVSSABAT) *Muſſare (inquit Nonius) eſt depreſſâ voce loqui, quod celari velis. Varro putat muſſare dictum à littera* μῦ, *quia muti ne* μῦ *quidem pronuntiare poſſunt. Virgil. lib.12. muſſat rex ipſe Latinus. De hoc verbo plura ſuprà ad illum locum, Sed quia multa ſibi cernunt contraria, muſſant, &c. lib.1. quibus adde quæ ſcribit Soſipater lib.2. Inſtit. gramm. Mu facere, pro mutire. Lucil. Satyr. lib. Non laudare hominem quemquam, neque mu facere vmquam. ſignificat igitur Lucretius ita nouum, & inuſitatum morbi genus fuiſſe, vt medici nihil excogitare poſſent, quod ad eum leuandum valeret quod dicetur planius infrà, Nec ratio remedi communis certa dabatur.*

QVIPPE PATENTIA CVM T. ARD. N.) *quippe cùm, inquit, noctes totas inſomneis ducerent.* LVMINA VERS. OC. EXP.) *Thucyd.* καὶ ἡ ἀγρυπνία ἐπέκειτο διὰ παντός. *& perpetuæ vigiliæ vrgebant. expertia ſomno dixit, vt ſuprà lib.2. Ipſa ſua per ſe ſponte omnia Dis agere expers.*

MVLTAQVE PRÆTEREA) *hæc, quæ deinceps ſequuntur ab hoc verſu, vſque ad eum, cuius principium eſt, Octauóq; ferè, &c. non ſunt apud Thucyd. ſed probabile eſt, ea Lucretium ſumſiſſe à medicis, vt ab Hippocrate, in Prognoſt.*

ANIMI MENS) *lib.4 Mens animi vigilat.* PLENÆQVE SON) *tinnitus aurium,* CREBER SPIR. AVT ING. V.) *Hippocr. Progn.* πνεῦμα πυκνὸν μὲν ἐὸν, πόνον σημαίνει, ἢ φλεγμονὴν ἐν τοῖσιν ὑπὲρ τῶν φρενῶν χωρίοισι· μέγα δὲ ἀναπνεόμενον διὰ πολλοῦ χρόνου, παραφροσύνην δηλοῖ, *&c. id eſt, ſpiritus creber, dolorem, aut inflammationem ſignificat: magnus autem, & longo interuallo coortus, dementiam declarat.* SVDORISQVE MADENS, &c.) *ſudores frigidi per caput, & collum ſunt letales, vt licet ex Hippocr intelligere in Prognoſt.*

TENVIA SPVTA, MIN. CR. C.) *Hippocr. ibidem.* πτύελον ξανθὸν ἐὸν, ἢ πυῤῥὸν, ἢ πολλὴν βῆχα παρέχον, καὶ μὴ ἰσχυρῶς συμμεμιγμένον, κάκιον γίνεται. *id eſt, ſputum flauum, aut rufum, aut quod multam tuſſim præbeat, & minutum, neq; admodum concretum, deterius eſt.* CONTACTA) *Putaram olim legendum, contincta, non contacta, ex illo verſu lib.2. Ex ineunte æuo nullo contincta calore. Nunc vtrobique, atque adeò vbique, contacta, &, contingere, non, contincta, neque continguere, legendum arbitror. quamquam de omnibus non affirmo: de hoc loco, & nonnullis alis non dubito. contacta autem croci colore, id eſt crocei coloris. ex contactu enim coloris alicuius, contrahitur color. ſic ſuprà lib.4. princip. prius oras pocula*

circùm

circum Contingunt mellis dulci, flauóque colore. IN MANIB. TRAHIER NERVI, *&c.*) *id eſt in manibus verò nerui contrahebantur, & tremebant artus: ſeu nerui contrahi, & artus tremere nõ dubitabant. Licet etiam ſic legere, nerui trahier, tremere artus,* ἀσυνδέτως. SVCCEDERE) *ſurſum ire, vt ſup. eod. lib. An ſimulac nubes ſucceſſere, ipſe in eas tum Deſcendit, &c.*

NON DVBITABAT) *audebat,* ἐπίτλμα. *tralatio eſt. ſic ſup. eod. lib. Vitigeni latices in aquaï fontibus audent Miſceri, &c. & lib. 4. Non dubitant tranſire ſequenti cóncita plaga. Sed Io. Auratus, collega meus, vir ingenio, & doctrina præſtans, exiſtimat hoc loco legendũ, Endobitabat, id eſt incipiebat. endoitiũ enim, initium & ingreſſum ſignificat: vel, imbitibat, à verbo imbitito, as. Porrò autem, Endobitabat, nõ à verbo antiquo betere, quod ire ſignificat, & endo, præpoſitione item antiqua, ſed ab, endo, & ito, as, interpoſito b, oritur. Ego nihil muto.*

AD SVPR. DENIQ. T.) *vſq; ad diem mortis.* NASI PRIM. A. T.) *Hippocr. ibid.* ῥὶς ὀξεῖα, *id eſt, naſus acutus. Corn Celſus lib. 2. cap. VI. nares acutæ.*

CAVATI OCVLI) *Hippocr.* ὀφθαλμοὶ κοῖλοι. *Celſus ibid. oculi concaui.*

CAVA TEMPORA) *Hippocr.* κρόταφοι συμπεπλωκότες, *id eſt tempora contracta, aut coëuntia.* FRIGIDA PELLIS, DVRAQVE, *&c.*) *Hippocr.* καὶ τὸ δέρμα τὸ περὶ τὸ μέτωπον, σκληρόν τε, καὶ περιτεταμένον, καὶ καρφαλέον ἐόν. *i. & pellis fronti circundata, dura & extenta, & arida. Celſus ibid cutis circa frontem dura, & acuta.* INHORREBAT RICTVM) *ſic excudendum curaui, veteris ſcripturæ veſtigia ſecutus. rictum autem, vſurpatum eſſe à veteribus in neutro genere teſtatur Nonius Marcellus. & ſuprà idem Lucretius vſurpauit lib 5. cùm primùm magna Moloſsũm Mollia ricta fremunt, &c. & M. Tullius lib. accuſ. IIII. vſque eò, iudices, vt, rictum eius, ac mentum paullo ſit attritius.*

FONS TENTA MINEBAT) *ſic eſſe legendũm euincunt verba illa Hippocratis, & Celſi, quæ paullo antè protuli.* δέρμα τὸ περὶ τὸ μέτωπον, σκληρόν τε καὶ περιτεταμένον, καὶ καρφαλέον ἐόν. *id eſt pellis fronti circumiecta dura, & tenta, & ſicca. minebat autem, id eſt imminebat, ſimplex pro compoſito: vt ſuprà eod. lib. Inclinata minent in eamdem prodita partem.* NEC NIMIO RIG. POST STRATI M.) *ſecutus ſum veſtigia ſcripturæ veteris, tametſi corruptæ: atque iis ducibus ad veræ lectionis cubile (niſi fallor) perueni. habent autẽ libri veteres partim, poſt artus morte iacebant: & ita cod Veneti antiqui, & Pariſ partim, poſt arti. alij vulgati, proſtrati. ſententia autem plana eſt. nec nimio, id eſt nec multo admodũ pòſt, rigida morte ſtrati iacebant. Iampridem me piget admonere lectorem, hanc & illam emendationem à Zoilo eſſe compilatam, & auerſam. Sed tamen venit mihi in mentem nõ tacere, etiam hanc ab illo impudentiſsimè & palàm mihi eſſe ereptã.*

OCTAVOQVE FERE) *id eſt & octauo ferè, aut nono pòſt quàm ægrotare cœperant, die, moriebantur. Thucyd* ὥστε ἢ διεφθείροντο οἱ πλεῖστοι ἐναταῖοι, καὶ ἑβδομαῖοι, *&c. id eſt, itaque aut interibant plurimi nono, & ſeptimo die, &c.*

QVORVM SI QVIS, (VT EST) VITARAT) *Thucyd.* ἢ εἰ διαφύγοιεν, ἐπικατιόντος τοῦ νοσήματος ἐς τὴν κοιλίαν, καὶ ἑλκώσεώς τε αὐτῇ ἰσχυρᾶς ἐγγιγνομένης, καὶ διαῤῥοίας ἅμα ἀκράτου ἐπιπιπτούσης, οἱ πολλοὶ ὕστερον διὰ τὴν ἀσθένειαν διεφθείροντο· *id eſt, aut ſi effugiſſent. multi, cùm deſcendiſſet morbus in aluum, ſimúlque profluuium immoderatum acceſsiſſet, poſterius propter infirmitatem interibant.*

VLCERIBVS TAETRIS) *ſic reſtitui, Thucydidẽ ſecutus. ſic enim ille,* ἑλκώσεώς τε ἰσχυρᾶς ἐγγιγνομένης, *&c, quæ verba ſuprà interpretati ſumus.*

(VT EST)) *vt eſt aliquis, vel vt ſunt aliqui, qui effugerunt: vel, vt verum eſt aliquos effugiſſe.* AVT ETIAM MVLTVS) *hæc obſcurius videntur ex Thucyd. expreſſa. ſic enim ille.* καὶ διεξῄει γὰρ διὰ παντὸς τοῦ σώματος ἄνωθεν ἀρξάμενον, τὸ ἐν τῇ κεφαλῇ πρῶτον ἱδρυθὲν κακὸν, *id eſt. peragrabat enim huius mali vis totum corpus, ſuperne exorſa, & in capite primùm ſedem nacta.*

PLENIS EX NARIBVS) *ſic legi debet, non, vt eſt in codicibus vulgatis, expletis. niſi quis malit legi, pletis ex naribus, vt intelligamus pletas nareis, completas, à verbo, pleo, es. hanc coniecturam arripuit Zoilus.*

PROFLVVIVM PORRO QVI) *ordo eſt, qui porrò exierat, id eſt effugerat, & vitauerat profluuiū acre. ſeu vehemens ſanguinis. huic tamen morbus ibat, atque erumpebat in neruos, & artus, & parteis ipſas genitaleis: id eſt gignendi vim habenteis. verbum, exierat, iunxit cum accuſandi caſu, vt paucis verſibus pòſt.* Aut procul abſiliebat, vt acrem exiret odorem: *& lib. 5.* Nam transuerſa feros exibant dentis adactus iumenta. *Sic Virgil. lib. V.* Corpore tela modò, atque oculis vigilantibus exit. *Idem lib. XI.* Suſtinet à iugulo dextram, & vim viribus exit. *vide quæ ſuprà annotata ſunt ad illum verſum, lib. V.* Nam tranſuerſa feros exib d. adact. *ſic Horatius iunxit cum eodem caſu verbum euagari, od. 15. lib. 4. &* ordinem Rectum euaganti frena licentiæ Iniecit. *nunc ad Thucyd ſic igitur ille.* καὶ εἴ τις ἐκ τῶν μεγίστων περιγένοιτο, τῶν γε ἀκρωτηρίων ἀντίληψις αὐτοῦ ἐπεσήμαινε, *&c. id eſt & ſi quis ex maximis illis morbi doloribus incolumis, & victor diſceſſiſſet: at extremorū ipſius membrorum obſeſſio magnas ſupereſſe morbi reliquias ſignificabat, &c.*

TAMEN IN NERVOS. HVIC M.) *Thucyd.* κατέσκηπτε γὰρ καὶ ἐς αἰδοῖα, καὶ ἐς ἄκρας χεῖρας, καὶ πόδας. *id eſt, impetum enim faciebat in parteis genitaleis, & manus, & pedes.* ET GRAVITER. PARTIM, &c.) *id eſt, & metuentes mortem, partim viuebant ſine parte virili, partim ſine manibus, partim ſine pedibus. Thucyd.* καὶ πολλοὶ στερισκόμενοι τούτων διέφευγον, *id eſt, & multi his corporis partibus priuati mortem effugiebant. Sed exiſtimat Petrus Victorius lib. XXXV. Variar. lect. cap. VIII. Thucydidis ſententiam non ſatis eſſe aſſecutum Lucretium, neq; rectè interpretatum, quia, inquit, dicat Lucretius, quoſdā hoc morbo correptos, cùm mortem valdè metuerent, vixiſſe, & mortem effugiſſe, poſteaquàm ferro priuati fuiſſent parte virili, aut manibus, aut aliis membris, in quæ membra vis illius morbi forte irrupiſſet, atque inuaſiſſet: adhibito videlicet chirurgo, qui parteis illas affectas exſecaret: de qua re tota nullum à Thucydide verbum fieri. ſic ille. Ego verò arbitror & Lucretium Thucydidis ſenſum acutiſſimè perſpexiſſe, & P. Victorium, cui aliter viſum eſt, hîc vehementer erraſſe: quod item alibi ei, vt homini, ſæpe vſu veniſſe aliàs oſtendam. Sed nunc hoc, quod eſt in manibus, videamus: illa aliàs. Verba igitur Thucydidis hæc ſunt,* καὶ πολλοὶ στερισκόμενοι τούτων διέφευγον, *& cet. Ego autem dico, horum verborum eam ipſam ſententiam eſſe, quam Lucretius expreſſit, niſi quòd id, quod breuius à Thucydide dictum eſt, & idcirco fortaſſe obſcurius, Lucretius vberius, & ita planius explicauit. Nam cùm dicit Thucydides, multos, dum his membris priuantur, mortem effugiſſe: nihil aliud ſignificat, quàm eos mortem metuenteis, adhibito chirurgo, qui ſcalpello parteis illas affectas præcideret, periculum effugiſſe, & vixiſſe. participium enim* στερισκόμενοι *hoc valet, patientes ſe priuari à medico, ſeu chirurgo. & cet &* διέφευγον, *id eſt, effugiebant, metum includit. nam qui periculum effugit, intelligitur fugiſſe. Quiſquis fugit autem, metuit.* NONNVLLI, partim.

ET PERDEBANT LVMINA PARTIM) *Thucyd.* εἰσὶ δὲ οἳ καὶ τῶν ὀφθαλμῶν, *id eſt, ſunt & qui oculis priuati manebant in vita.* VSQVE ADEO MORT. MET. HIS INCESSERAT ACER.) *ſic videtur hic verſus reſtitui poſſe, leui immutatione facta, nempe ex, incuſſerat, (quo modo habēt libri omnes & manuſcr. & typis excuſi,) facto, inceſſerat: quod probabat Auratus ſic ſup. eod. lib. vel grauis ignis Impetus inceſſit. Sed ſi liceret, mallem ita reponi, nimirum verbis in ſuum ordinem reſtitutis. Vſqueadeò incuſſus mortis metus his erat acer. Vſqueadeò acer (inquit* ἐπιφωνηματικῶς*) his erat incuſſus, id eſt, iniectus mortis metus: vſque adeò acriter mortem extimeſcebant. Cùm ita iam bis edidiſſem, dico, his inceſſerat acer: Zoilus maluit legi, Vſque adeò mortis metus his inuaſerat acer, nimis longo ab antiqua ſcriptura interuallo.* ATQVE ETIAM QVOSDAM C. OBL.) *Thucyd.* τοὺς δὲ καὶ λήθη ἐλάμβανε παραυτίκα ἀναστάντας τῶν πάντων ὁμοίως, καὶ ἠγνόησαν σφᾶς τε αὐτοὺς, καὶ τοὺς ἐπιτηδείους, *id eſt, nonnullos autem cùm è morbo conualuiſſent, & è lecto ſurrexiſſent, ſtatim omnium peræquè rerum obliuio capiebāt, necnon & ſeipſos, & familiareis, ac neceſſarios ſuos ignorabant.*

Multáque humi cùm inhumata iacérent corpora ſuprà
Corporibus: tamen alituum genus, atque ferarum
Aut procul abſiliebat, vt acrem exiret odorem:
Aut, vbi guſtarat, languebat morte propinqua.
Nec tamen omnino temerè illis ſolibus vlla
Comparebat auis, nec noctibu' ſæcla ferarum
Exibant ſiluis: languebant pleraque morbo,
Et moriebantur: cum primis fida canum vis
Strata viis animam ponebat in omnibus ægram.
Extorquebat enim vitam vis morbida membris.
Incomitata rapi certabant funera vaſta:
Nec ratio remedi communis certa dabatur.
Nam, quod aliis dederat, vitaleis aëris auras
Voluere in ore licere, & cæli templa tueri:
Hoc aliis erat exitio, letúmque parabat.
Illud in his rebus miſerandum, & magnopere vnum
AErumnabile erat, quòd, vbi ſe quiſque videbat
Implicitum morbo, morti damnatus vt eſſet:
Deficiens animo mæſto cum corde iacebat,
Funera reſpectans animam & mittebat ibidem.
Idque vel in primis cumulabat funere funus.
Quippe etenim nullo ceſſabant tempore apiſci
Ex aliis alios auidi contagia morbi.
Nam, quicumque ſuos fugitabant viſere ad ægrós,
Vitaï nimiùm cupidi, mortíſque timentes:
Pœnibat paullo pòſt turpi morte, maláque

Deſertos, opis experteis, incuria mactans,
Lanigeras tanquam pecudes, & bucera ſæcla.
Qui fuerant autem præſtò, contagibus ibant,
Atque labore, pudor quem tum cogebat obire,
Blandáque laſſorum vox miſta voce querelæ.
Optimus hoc leti genus ergo quiſque ſubibat.
Inq; aliis alium populum ſepelire ſuorum
Certantes, lacrymis laſſi, luctúque redibant.
Inde bonam partem in lectum mærore dabantur:
Nec poterat quiſquam reperiri, quem neque morbus,
Nec mors, nec luctus tentaret tempore tali.

INHVMATA) *ἄταφα, ſeu ἄθαπτα, inſepulta.* IACERENT SVPRA CORPOR) *id eſt, cùm multa corpora ſuperiacerent corporibus, vt intelligamus, verbũ compoſitũ eſſe diuiſum.* TAMEN ALITVVM GEN.) *Thucyd. τὰ γὰρ ὄρνεα καὶ τετράποδα, ὅσα ἀνθρώπων ἅπτεται, πολλῶν ἀτάφων γιγνομένων, ἢ οὐ προσῄει, ἢ γευσάμενα διεφθείρετο: &c. i. aues enim & quadrupedes, quæ carnem humanam tangunt, cùm multa corpora iacerent inſepulta, aut ad ea non accedebant, aut ſi guſtarant, interibant.* VT ACREM EXIRET OD.) *ſic reſtitui, reclamantibus libris omnibus, in quibus legitur, exciret odorem. exiret odorem enim, dixit, pro declinaret, effugeret, vt ſuprà docuimus, ibi. Profluuiũ porrò qui tætri ſanguinis acre Exierat, &c ſic & Propertius hoc verbum cum accuſandi caſu coniunxit, lib. 3. eleg. 3. Cúr ve ſuos fineis altum non exeat æquor. quamquam non videtur Propertius in eãdem ſignificationem vſurpaſſe, neque ab eadem re tranſtuliſſe.*

ILLIS SOLIBVS) *Sic habent quattuor libri manuſcripti. quibuſcum congruunt vulgati, Veneti antiq. & Pariſienſ. ſolibus autem interpretor, diebus. ſic Perſius, ſat. multos conſumere ſoles. fuit tamen cùm putarẽ legendum, temere illis vlla diebus. ſed hæc certior, ac tutior lectio eſt. ceteri tamen vulgati habent, ſedibus, & ita videtur legiſſe Macrob. lib. 6. Saturn. Sed ego exempla Macrobij corrupta eſſe puto. Thucyd. τῶν μὲν τοιούτων ὀρνίθων ἐπίλειψις σαφὴς ἐγένετο, καὶ οὐχ ἑωρῶντο οὔτε ἄλλως, οὔτε περὶ τοιοῦτον οὐδέν. id eſt, talium quidem auium penuria manifeſta erat, neque alibi comparebant, neque circa vlla talia cadauera.*

NEC NOCTIBV') *ſic reſtitui, ſecutus obſcura antiquæ ſcripturæ veſtigia. Nam libri manuſcripti habẽt, partim, nec noctia, partim, nec noctis, quibuſcum cõſentiunt nonnulli vulgati. Sententia autem huius loci plana eſt. Nec temerè (inquit) id eſt, non fere, ſeu raro admodum illis ſolibus: id eſt, illis diebus, & ſole lucente, auis vlla comparebat, nec illis noctibus, feræ exibant è ſiluis.*

CVM PRIM. FID. C.) *Thucyd. οἱ δὲ κύνες μᾶλλον αἴσθησιν παρεῖχον τοῦ ἀποβαίνοντος διὰ τὸ ξυνδιαιτᾶσθαι. i. canes autem propter contuberniũ, & victus ſocietatẽ ſenſum mali ingruentis magis præbebant. Lucret. lib. 5. Et leuiſomna canum fido cum pectore corda.* INCOMITATA RAPI) *rapiebantur funera, non ſollemni more, & pompa ducebantur. non enim propinqui, neque amici, ſuorum corpora ad rogum proſequebantur: ſed aut paßim inſepula iacẽre patiebantur, aut in alienum*

rogum temere coniiciebant. incomitata, id eſt, non comitata, παθητικῶς.

NEC RATIO REMEDI COMM.) *Thucyd.* ἔθνησκον δ' οἱ μὲν ἀμελείᾳ, οἱ δὲ καὶ πάνυ θεραπευόμενοι. ἕν τε οὐδὲ ἓν κατέστη ἴαμα, ὡς εἰπεῖν, ὅ, τι χρῆν προσφέροντας ὠφελεῖν, *id eſt, moriebantur autem alij incuria, alij etiam cùm ſtudioſè curarentur. nullúmque ferè certum fuit remedium, quod adhibitum profuerit.*

NAM, QVOD ALIIS DEDERAT) *Thucyd.* τὸ γάρ τῳ ξυνενεγκὸν, ἄλλον τοῦτο ἔβλαπτεν: *id eſt nam quod alicui profuerat, hoc alij nocebat. in voce, aliis, quæ eſt in hoc verſu, duæ vocales, ii, habentur pro vna ſyllaba. quidam libri tamen habēt, ali, in numero ſingulari, vnico i. à recto alis. Quod igitur aliis, aut alij dederat licere,* τὸ ἐξεῖναι, *id eſt, licentiam, ſeu, vt liceret voluere in ore vitaleis auras, hoc eſt animam è cælo ducere, & ſpirare, & cælum adſpicere, hoc erat aliis exitio.*

ET CÆLI TEMPLA TVERI,) *id eſt, & lucem intueri:* ὁρᾶν φάος ἠελίοιο *ſuprà lib. 3 princip. Et ſæpe vſque adeò mortis formidine vitæ Percipit humanos odium, lucíſque videndæ, &c. Virgil. lib. 4. Æneid. tædet cæli conuexa tueri.*

ILLVD IN HIS R. MIS. &c.) δεινότατον δὲ παντὸς ἦν τοῦ κακοῦ ἥ τε ἀθυμία, ὁπότε τις αἴσθοιτο κάμνων, πρὸς γὰρ τὸ ἀνέλπιστον εὐθὺς τραπόμενοι τῇ γνώμῃ, πολλῷ μᾶλλον προΐεντο σφᾶς αὐτοὺς, καὶ οὐκ ἀντεῖχον· καὶ ὅτι ἕτερος παρ' ἑτέρου θεραπείας, ἀναπιμπλάμενοι, ὥσπερ τὰ πρόβατα ἔθνησκον· καὶ τὸν πλεῖστον φθόρον τοῦτο ἐνεποίει: *i. omniū autē malorū hoc erat grauiſsimum, & maxime horrendum, & quòd, ſimulatque aliquis ſe à morbo correptum eſſe ſentiebat, de ſua ſalute deſperabat, animúmque deſpondebat: (omni enim ſpe ſalutis orbati, multo magis ſeſe proiiciebant, ac negligebant, neq; durabant, aut reſiſtebant:) & quòd alter ab alterius curatione malum contrahentes, tanquam pecudes, moriebantur. atque hoc quàm plurimis interitum afferebat. hanc Thucydidis ſententiam octo verſibus expreſsit Lucret. quod oſtendemus minutatim.*

ÆRVMNABILE) *ærumnoſum.* QVOD VBI SE QVISQVE VIDEB. IMPL. M.) *Thucyd.* ὁπότε τις αἴσθοιτο κάμνων, *id eſt, vbi ſe morbo implicitum, atque impeditum ſentiret.*

DEFICIENS ANIMO, MÆSTO CVM CORDE) *Thucyd.* ἀθυμία, *animi contractio, & deſperatio.*

QVIPPE ETENIM, &c.) *ordo eſt: Quippe etenim contagia morbi auidè non ceſſabāt alios ex aliis apiſci: id eſt, adipiſci, & corripere. Thucyd.* ἕτερος ἀφ' ἑτέρου θεραπείας, ἀναπιμπλάμενοι: *alter ab alterius curatione, morbum contrahentes.*

IDQVE VEL IN PRIMIS) *Thucyd.* καὶ τὸν πλεῖστον φθόρον τοῦτο ἐνεποίει: *id eſt, atque hoc plurimam ſtragem edebat.*

NAM, QVICVMQVE SVOS FVGITABANT) *hunc locum (præfiſcinè præfatus dixerim) feliciſsime reſtitui. nam, cùm in duobus libris manuſcriptis ita ſcriptū reperiſſem, fugitabāt, vt ſe redat ægros: in aliis, viſcere ad ægros: in vno, viſere ad ægros: ego, viſere ad ægros, repoſui, coniecturam meam approbantibus Adriano Turnebo, Ioan. Aurato, & multis aliis viris doctiſs. Necui autem inſolens videatur, ita loqui, viſere ad ægros, proferam aliquot ex bonis ſcriptoribus exempla. Lucret. lib. 2 & crebra reuiſit Ad ſtabulū, deſiderio perfixa iuuēci. & lib. 5. Propterea fit, vt hæc ad ſignum quodque reuerti Mobilius videatur, ad hanc quia ſigna reuiſunt. Terent. Adelph. Hera, ego hinc ad hos prouiſam. Idem Hecyra. noſtra illico it viſere ad eam. Idem ibid. Quòd heri nemo voluit te viſentem ad eam intromittere. quamquam hîc licet ita diſtinguere, te viſentem, ad eam intromitteere. Plaut. Capt. Poſtremò, Hegio, ſi parua iuriurandó 'ſt fides, Viſe ad portū. A. Gell. cap. vlt. lib. 13,*

Cùm valebo ab oculis, reuiſe ad me. Idem lib.2.cap. 26. Phauorinus philoſophus cùm ad M. Frontonem conſularem pedibus ægrum viſeret, &c. Huius autem loci hæc ſententia, & hic ordo verborum eſt. Nam, quicumque fugitabat viſere ad amicos, & propinquos ſuos ægros, dum nimiùm ſunt vitæ cupidi, mortíſque timentes, hos incuria mactans paullo pòſt pœnibat, id eſt, puniebat, ſeu punibat turpi morte, maláque, deſertos, atque opis experteis. Thucyd. Εἴτε γὰρ μὴ θέλοιεν δεδιότες ἀλλήλοις προσιέναι, ἀπώλλυντο ἐρῆμοι, καὶ οἰκίαι πολλαὶ ἐκενώθησαν ἀπορίᾳ τοῦ θεραπεύσοντος, &c. id eſt, nam ſiue noluiſſent metu deterriti ſe mutuò inuiſere, deſerti peribant, multæque domus exinanitæ atque exhauſtæ ſunt inopia hominum, qui curarent, &c.

POENIBAT,) i. punibat. huius loci reſtitutionem debemus Adriano Turnebo: qui cùm animaduertiſſet in libris manuſcrip. eſſe ſcriptũ, pœnibus at, valdè ἀστόχως pœnibat legendum eſſe vidit. pœnibat autem dictũ pro punibat, œ pro u. more veteribus vſitato. ſic à Pœnis Afris Punicus, a, um. pœna, punio: muri, mœri. de quibus ſup. ibi, exeſor mœrorum. LANIGERAS TANQ. PEC.) Thucyd. ὥσπερ τὰ πρόβατα ἔθνῃσκον. i. tanquam pecudes moriebantur. Admonet me hic locus, vt eruditi cuiuſdam iuuenis coniecturã, quam mecum nuper cõmunicauit, de Plinij verbis, quæ leguntur lib.7.cap.2. referam. Sic autem Plin: In eadẽ Africa familias quaſdam effaſcinantium Iſigonus & Nymphodorus eſſe tradunt: quarum laudatione intereant probata, areſcant arbores, emoriantur infantes. Quòd igitur alij quidam docti viri putant, probata, Græcam vocẽ eſſe, pro pecudibus, aut ouibus à Plin. poſitam, iuuenis ille acerrimo ingenio præditus, arbitratur, hæc Plinij verba eſſe corrupta, legẽdúmq; hoc modo, intereant probatæ areſcãt arbores. probatas autem arbores intelligit, quæ in aquis non putruerint. Sic enim Theophraſt. δένδρα, ἃ οὐ σήπεται ἐν ὕδατι. Sed Adrianus Turnebus apud Plin. nihil mutandum putat: ſicq; Plinij verba explicat, intereant probâta: id eſt, ea, quæ laudata ab illis familiis fuerint, quaſi faſcinata, profertque in hanc ſententiam Virgilij verſus ex Melibœo. Aut ſi vltra placitum laudarit, baccare frontem Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

QVI FVERANT AVTEM PR.) Thucyd. εἴτε προσίοιεν, διεφθείροντο: i. ſiue ad ſuos accederent, interibant. CONTAGIBVS IBANT,) id eſt contagiis obibant, ſeu interibant. ibant, ᾤχοντο. ſic ſuprà lib. 3 cernimus ire.

PVDOR QVEM TVM) quem laborem tum cogebat obire, i. adire, ſeu ſubire pudor. Thucyd αἰσχύνῃ γὰρ ἠφείδουν σφῶν αὐτῶν ἐσιόντες παρὰ τοὺς φίλους, i. pudore enim affecti ſibi haudquaquam parcebant, ad amicos ſuos adeuntes.

BLANDAQVE LASSORVM, &c.) & quem laborem cogebat ſubire vox blanda ægrorum cum querela coniuncta, &c. Thucyd. ἐπεὶ καὶ τὰς ὀλοφύρσεις τῶν ἀπογιγνομένων τελευτῶντες καὶ οἱ οἰκεῖοι ἐξέκαμνον, ὑπὸ τοῦ πολλοῦ κακοῦ νικώμενοι. id eſt, nam & querelis pereuntium tandem etiam propinqui & domeſtici ſuccumbebant, ac cedebant, mali magnitudine victi. OPTIMVS HOC LETI GENVS) καὶ μάλιστα οἱ ἀρετῆς μεταποιούμενοι. id eſt, maximéque peribant viri boni, & virtutis ſtudio dediti. INQVE ALIIS ALIVM POPVLVM,) id eſt, & cùm certarent, ac contenderent ſuorum mortuorum turbam in alia familia, vel inter diſſimileis tribus, aut municipij homines ſepelire, &cet. populum fortaſſe dixit, quem Græci δῆμον appellant.

INDE BONAM PARTEM) cùm in libris manuſcriptis ſcriptũ reperiſſem, inde bonam partem, & ita habeant cod Pariſienſes: hãc lectionem potius, quàm vulgatam, bona ex parte, ſecutus ſum. quæ ſubſtituta videtur ab ijs, qui verã non

intelligerent. Atqui ſic loquuntur boni ſcriptores. Lucret. ſupr. lib. 3. Non minimam partem mortis formidine aluntur: & infrà non longè, Nec minimam partem ex agris ægroris in vrbem Confluxit, &c. vt quidem legendum cenſet Boſius. & M. Tull. offic. 1. Maximam partem ad iniuriam faciendam aggrediuntur nõnulli, &c.

IN LECTVM) *quidam libri manuſcripti habent, in lectum. quidam, in ie-ctum: quod videtur deprauatum ex vera lectione, in lectum: vulgati, in letũ: quos non ſum ſecutus. dabantur in lectum autem, id eſt, vt loquitur Horat. affigebantur lecto. quod eſt, decumbere in lecto cogebantur.*

Præterea iam paſtor, & armentarius omnis,
Et robuſtus item curui moderator aratri,
Languebant: penitúſque caſis contruſa iacebant.
Corpora, paupertate & morbo dedita morti.
Exanimis pueris ſuper exanimata parentum
Corpora nonnumquam poſſes, retróque videre
Matribus, & patribus natos ſuper edere vitam.
Nec minimùm partim ex agris ægroris in vrbem
Confluxit, languens quèm contulit agricolarum
Copia, conueniens ex omni morbida parti.
Omnia complebant loca, tectáque: quo mage eos tum
Confertos ita aceruatim mors accumulabat.
Multa ſiti proſtrata viam per, próque voluta
Corpora ſilanos ad aquarum ſtrata iacebant,
Intercluſa anima nimia ab dulcedine aquaï.
Multáque per populi paſſim loca promta, viáſque
Languida ſemianimo tum corpore membra videres,
Horrida pædore, & pannis cooperta perire
Corporis inluuie: pellis ſuper oſſibus vna,
Vlceribus tætris propè iam, ſordíque ſepulta.
Omnia denique ſancta deûm delubra replerat
Corporibus mors exanimis: oneratáque paſſim
Cuncta cadaueribus cæleſtum templa manebant,
Hoſpitibus loca quæ complerant æditucntes.
Nec iam relligio diuûm, nec numina magni
Pendebantur enim: præſens dolor exſuperabat.
Nec mos ille ſepulturæ remanebat in vrbe,
Quo prius hic populus ſemper conſuerat humari.
Perturbatus enim totus trepidabat, & vnus
Quiſque ſuum pro re conſortem mæſtus humabat:
Multáque vis ſubita, & paupertas horrida ſuaſit.
Namque ſuos conſanguineos aliena rogorum

Inſuper exſtructa ingenti clamore locabant,
Subdebántque faceis multo cum ſanguine ſæpe,
Rixantes potius, quàm corpora deſererentur.

ARMENTARIVS) *qui armentis præeſt, vt bubulcus.*

ET ROBVSTVS ITEM CVRVI.) *ſupr. libr. 5.* Nec robuſtus erat curui moderator aratri *Virgil. Pollione.* Robuſtus quoque iam tauris iuga ſoluet arator.

CASIS CONT.) *in caſas cōlecta, & coarctata. Thucyd* ἐν καλύβαις διαιτωμένων, *&c.* DEDITA MORTI) *nonnulli lib. vulgati habent, tradita morti.*

EXANIM. PVERIS SVPER) *ſuper exanimis pueris.* ἀώροις ἐπὶ, *vt tertio abhinc verſu, matribus & patribus natos ſuper edere vitam.*

RETRO'QVE) *& contrà.* NEC MINIMVM PARTIM) *Thucyd.* Ἐπίεσε δ' αὐτοὺς μᾶλλον πρὸς τῷ ὑπάρχοντι πόνῳ, καὶ ἡ συγκομιδὴ ἐκ τῶν ἀγρῶν ἐς τὸ ἄστυ, καὶ οὐχ ἧσσον τοὺς ἐπελθόντας. *id eſt, præter malum autem, quo in præſens tempus laborabant Athenieſes, magis eos preßit agricolarum multitudo ex agris in vrbem conueniens: eáque ipſa collecta multitudo iis, qui in vrbem aduenerant, non minus erat infeſta, atq; exitialis. Cùm in omnibus libris manuſcriptis ſcriptum reperiſſem,* Nec minimam partē ex agris, *&c. & ita in nonnullis vulg. pro eo, quod eſt in aliis vulgatis,* Nec minima pars ex agris, *&c. ego, quòd ad hanc priorem verſus partem attinet, repoſui,* Nec minimum partim, *&c. quòd autem ad poſteriorem, quæ ſic legitur in vulgatis,* ex agris mæroris in vrbem, *&c. in manuſcriptis verò,* ex agris ægroris in vrbem, *&c. ego libros manuſcriptos ſecutus ſum: quamuis ne hanc quidem lectionem admodum probem. Sed ea tamen, qualiſcumque ſit, tolerabilior eſt, quàm vel illa altera vulgata,* Nec minimā partem ex agris mæroris in vrbē, *&c. vel antiqua,* Nec minimam partem ex agris ægroris in vrbem, *&c. nam ægroris minimùm, Latine, & vſitatè dictum eſt cetera in hoc verſu, quo modo eū edidimus, tolerabilia ſunt. minimam partē ægroris, autem ſeu mæroris, verò, non poteſt cohærere cum verbo, confluxit, quòd ſequitur, proximo verſu. Nihilo magis ea ſcriptura, quæ eſt in codicib. Florentinis* Nec minima pars ex agris mæroris in vrbem, *ferri poteſt, primùm, quia pes ſecundus, iambus eſt, cùm dactylus, aut ſpondéus eſſe debeat: deinde quia perſpicuè contra omnium veterum librorum auctoritatem, factum eſt, ſiue à Nauagerio, ſiue à Marullo, ſiue à Pontano, ſiue ab aliquo alio, quiſquis ſit eius auctor,* minima pars, *ex,* minimam partem, *idq; nimis remotè ab antiqua ſcriptura, aptè quidem ad ſententiam, & elocutionē, ſed ineptè ad verſum, vt diximus. Iam verò neminem mouere debet, quòd partim, ſemel ponatur. hoc enim vſitatū eſt tum bonis ſcriptoribus, tum ipſi T. Lucretio, & M. Tullio Lucretius lib. 5.* Et partim plano ſcatere, atque erumpere campo. *M. Tull. Verr.* ſtatuæ in locis publicis poſitæ, partim etiam in ædibus ſacris *partim enim idem valet, quod ex aliqua parte. Præterea cùm in duobus libris manuſcriptis offendiſſem ita ſcriptum,* Nec minimam partem ex agris ægroris in vrbem, *&c. pro eo, quod eſt in aliis,* Nec minimam partem ex agris mæroris in vrbem, *&c. ortáque mihi eſſet ex ea varietate mendi ſuſpicio, venit mihi continuò in mentem, vocem, mæroris, non ſatis quadrare, & legēdum potius, ægroris: qua voce etiam ſuprà vſus eſt, ibi. etiam pecubus balantibus ægror. Sic igitur mihi & olim in duabus editionibus hic verſus legendus viſus eſt, & nunc item in hac tertia videtur. Non celabo lectorem tamen Simeonis Boſij, amici mei, ſententiam, quæ talis eſt, nihil hîc eſſe mutādum, niſi quòd ex voce vna, ægroris; duæ ſunt*

faciendæ,

faciendæ, vt ſic legatur, Nec minimam partem ex agris ægror is in vrbem Confluxit, &c. Nec minimam partem autem, id eſt, nec minima ex parte: de quo genere alibi diximus, & infrà mox dicemus. Sic igitur Boſius. à quo difficile eſt, in re tam aperta, diſſentire. Vnum me ſuboffendit, harum vocum, agris, ægror is concurſus, aliquanto meis quidem auribus aſperior, ac durior. Quid ſi cetera Boſio aſſentientes dicamus, legendum, ægros, pro, ægror, qualia ſunt colos, vapos, labos, &c. pro, color, vapor, labor, &c. vel, ægror hic in vrbem? Ego nihil affirmo. ſed iudicet lector. Zoilus legit, algoris, in patrio caſu, vt ſit vox integra: &, minimam partem, retinet, vt poſitum intelligamus pro minima pars, per antiptoſin, inquit. feſtiuum grammaticum. Et audes, cœnum, tuis inquinatiſſimis, & furaciſſimis manibus Lucretium, & ſimileis ſcriptores tractare?

OMNIA COMPLEBANT) *ſic legendum, non, condebant. atque, vt magis credas hoc mendum natum eſſe ex errato librariorum ſcriptorum, in vno libro manuſcripto reperi ſcriptum, condiebant. i, enim pro, l. ſæpe ponebant ſcriptores illi indocti, & contra l. pro i. Thucyd.* οἰκιῶν γὰρ οὐχ ὑπαρχουσῶν, ἀλλ' ἐν καλύβαις πνιγηραῖς ὥρᾳ ἔτους διαιτωμένων, ὁ φθόρος ἐγίγνετο οὐδενὶ κόσμῳ, ἀλλὰ καὶ νεκροὶ ἐπ' ἀλλήλοις ἀποθνήσκοντες ἔκειντο, καὶ ἐν ταῖς ὁδοῖς ἐκαλινδοῦντο, *id eſt, cùm enim domus eis non ſuppeterent, ſed in tuguriis aëre & vento carentibus propter anni tempus habitarent, fœda hominum ſtrages ſine vllo ordine edebatur, moribundíque moribundis aceruatim accumulati iacebant. reperitur etiam hæc lectio in quibuſdam libris vulgatis, Omnia complebant loca tectis. de qua ſcriptura iudicet lector. ego quidem mendoſam eſſe arbitror. Quòd autem* ὁ κυνώπης, *condebant, retinet, digna patrono lectio.*

QVO MAGE EOS TVM CONF.) *cùm omneis libros & manuſcriptos, & typis excuſos animaduerterem ita habere, quo magis æſtus, præter Florentinos, in quib. legitur, quo magis æſtu: ego ſic repoſui Adriano Turnebo approbatore, atque adeò auctore. deprauauit autem principiò hunc locum ſcriptor librarius, cùm ſcripſit, eos tuZ. z, pro m. deinde alius ex Z, fecit s. & ſcripſit, eos tus: ex quo factum eſt poſteà, æſtus, quemadmodum ſuprà hoc eodem lib. ex duabus vocibus, eas tum, oſtendimus factum eſſe, æſtum. ſententia autem huius loci ſic reſtituti plana eſt. quo magis (inquit) id eſt, propter quam cauſam magis eos ſiue agricolas, ſiue vrbanos. ſiue vtroſque tunc ita confertos, vel (vt alij libri habent) infertos, mors aceruatim accumulabat. quæ ſententia cum verbis Thucyd. conſentanea eſt. ſic enim ille:* ἀλλὰ καὶ νεκροὶ ἐπ' ἀλλήλοις ἀποθνήσκοντες ἔκειντο. *id eſt, ſed etiam mortui alij alij accumulati morientes iacebant. hanc quoque emendationem tacitus probat* ὁ κυνὸς ὄμματ' ἔχων, καὶ βάσκανος.

VIAM PER) *per viam,* ἀνὰ στροφή. *Thucyd.* ἐν ταῖς ὁδοῖς ἐκαλινδοῦντο. *id eſt in viis volutabantur.*

PRO'QVE VOLVTA) *& prouoluta. tmeſis: vt, ſéque gregari, inque pediti, pérque plicatis, díſque ſupatis, & ſexcenta ſimilia. prouoluere autem, eſt palàm, & in loco publico, voluere, vel porrotenus voluere. Terent. Andr. Ni puerum tollis, iam ego hunc in mediam viam prouoluam. Lucretius lib. 2. Prouolui ſimul vt poſſint, & lædere ſenſus.*

SILANOS AD AQVARVM) *ad fonteis, ad aquarum tubos. ſiue ſalienteis, ſiue ſcatebras, ſiue fiſtulas, è quibus erumpit aqua:* κρουνοὺς *appellãt Græci. Atq; ita hanc vocem Latinam interpretatam reperi in vocabulario Latino Græco, cuius mihi copiam fecit Cl. Puteanus: Silanus (inquit)* κρουνός. *Feſtus. Tullios alij dixerunt eſſe ſilanos, alij riuos, alij vehementeis proiectiones ſanguinis arcuatim fluentis:*

quales ſunt Tiburi in Aniene. Cornel. Celſus lib. 3. cap. XVIII. Confert etiam aliquid ad ſomnum ſilanus iuxtà cadens. Thucyd. καὶ περὶ τὰς κρήνας ἁπάσας, id eſt, & ad omneis fonteis, &c. INTERCLVSA ANIMA) ſpiritu intercluſo, atque exſtincto. NIMIA AB DVLC. AQVAI) Thucyd. τῇ τοῦ ὕδατος ἐπιθυμίᾳ, id eſt aquæ cupiditate.

PER POPVLI PASSIM LOCA) per loca poplica, ſeu publica.

PROMTA) aperta, & in promtu poſita.

PÆDORE) putore, ac fœtore ex illuuie, & anguſtiis locorum, & mœrore, & ægritudine contracto. M. Tull. Tuſcul. 3. deteſtabilia genera lugendi, pædores, muliebres lacerationes genarum, &c. PANNIS COOPERTA) non veſtibus nitidis amicta, ſed pannis laceris ac ſordidis obſita. ῥάκια appellant Græci. Terent. Eunuch. video ſentum, ſqualidum, ægrum, pannis, anniſque obſitum.

PELLIS SVP. OSS.) ſic Virg. Menalca, vix oſſibus hærẽt. pellis (inquit) ſola ſuper oſſibus, ſubintell. erat. vel ſuper pro ſuperat Græcorum more, qui vtuntur interdum præpoſitionibus pro verbis, vt πάρα, πέρι, ἔπι, ἔνι, pro πάρεισι, πέρεστι, ἔπεστι, ἔνεστι. quidam vir doctus legendum cenſet, pelli, in ſexto caſu.

VLCERIBVS TÆTRIS, &c.) ordo & ſentẽtia eſt, propemodũ iã ſepulta, nempe pellis, tætris vlceribus, & ſorde, ſeu ſordi ſepulta, id eſt cooperta, & obducta. ſic autem excudendum curaui, non, ſepultis, ſecutus codicum manuſcriptorum auctoritatem. præterea, vlceribus, repoſui, admonitus à duobus codicib. item manuſcriptis, in quibus ſcriptũ reperi, viceribus. ſuſpicatus à librariis ita ſcriptum eſſe pro vlceribus i pro l. ſed nõ diſplicet mihi tamẽ Adr. Turnebi coniectura, & ſententia, qui, ſeruata vulgata ſcriptura, in voce, ſepultis, reliqua ſic legit. Vlceribus cæcis prope iam, ſordique ſepultis: atque hunc verſum ſic explicat, Vlceribus iam propè cæcis, id eſt aſpectum fugientibus, & nõ apparentibus propter ſqualorem, & ſordem, & illuuiem. verba enim, quæ ſubſequuntur, ſordique ſepultis, declarant vocem, cæcis. cæcis (inquit) id eſt ſorde, & ſqualore ſepultis, & coopertis. coniecturam Turnebi adiuuant codices Veneti antiq. in quibus legitur, Viſceribus cæcus, &c. Hanc lectionem arripuit, ſibique arrogauit Zoilus. quam tamen ei non inuideo. ſed ingenium & ἦθος Zoili demonſtro, quamuis ſatis iam perſpectum, & cognitum.

OMNIA DENIQVE SANCTA) Thucyd. τά τε ἱερὰ, ἐν οἷς ἐσκήνηντο, νεκρῶν πλέα ἦν αὐτοῦ ἐναποθνησκόντων, id eſt, & templa Deorum, in quibus tabernacula collocarant, cadaueribus erant referta, cùm ibi immorerentur.

MANEBANT) διετέλουν, vt ſuprà.

HOSPIT. LOCA QVÆ) quæ loca ædituentes, id eſt, æditui, ſeu æditimi, complerant hoſpitibus, id eſt ruſticis, & agricolis, & τῶν ἐκ τῶν δήμων, id eſt hominibus vicanis, ſeu ex oppidis Atticis. A. Gellius lib. 12. cap. 10. profert hunc locum, his verbis. Titus autem Lucretius in carmine ſuo pro æditituis ædituenteis appellat. oneratáque paſſim Cuncta cadaueribus cæleſtum templa manebant, Hoſpitibus loca quæ complerant ædituentes. NEC IAM RELLIGIO DIVVM) Thucyd. ὑπερβιαζομένου γὰρ τοῦ κακοῦ, οἱ ἄνθρωποι οὐκ ἔχοντες ὅ, τι γένωνται, ἐς ὀλιγωρίαν ἐτράποντο καὶ ἱερῶν, καὶ ὁσίων ὁμοίως, id eſt, nam, cùm vis mali eſſet immoderata, & vim intolerabilem afferret, homines non habentes quid agerent, aut quò ſe verterent, templa deorum, & pietatem peræquè negligere cœperunt.

NEC MOS ILLE SEPVLTVRÆ, &c.) Thucyd. νόμοι τε πάντες συνεταράχθησαν, οἷς ἐχρῶντο πρότερον περὶ τὰς ταφάς id eſt, & leges omnes, quibus anteà in

ſepulturis vtebantur, perturbatæ fuerunt. QVO PRIVS HIC POPVL.) *cod. Memmianus habet, Quo prius hic populus, &c. quam ſcripturam probo. Ceteri partim, Quo pius: partim, Vt prius. prius autem videtur legendũ, nõ, vt in vulgatis, pius: idq; ex Thucydidis verbis intelligere licet,* οἷς πρότερον ἐχρῶντο: *i. quibus prius vtebantur. verumtamen licet etiam legere, pius, vt referamus ad religionem & pietatem populi Athenienſis antiquam, atque auitam. Iudicet lector eruditus. Omnino, prius, magis conſentaneum eſt cum verbis Thucydidis.*

PERTVRBAIVS ENIM TOTVS TREPIDABAT) *ſic habent libri manuſcr. non, vt vulgati, repedabat.* CONSORTEM) *aliàs, cognatum.*

ET PAVPERTAS HORRIDA) *Thucyd.* καὶ πολλοὶ ἐς ἀναισχύντους θήκας ἐτράποντο σπάνει τῶν ἐπιτηδείων, *id eſt & multi ad ſepulchra impudentia conuerſi ſunt, facultatum penuria.*

SVASIT) *tralatio eſt. ſic lib. I. Sed tua me virtus tamen, & ſperata voluptas Suauis amicitiæ, quemuis efferre laborem Suadet, &c. ibid. infrà. Viteis auctumno fundi ſuadẽte videmus. ad quem locum plura. Sic Virgilius Æn. VI. dixit, maleſuada fames.* NAMQVE SVOS CONSANG. AL. ROG. &c.) *huius loci ſententia hæc eſt. nam ſuos conſanguineos locabant cum ingenti clamore ſuper aliena rogorum exſtructa: id eſt ſuper eos rogos exſtructos, qui erant alieni: id eſt non ſui. exſtructa rogorum autem, ſic dictum, vt illa, ſæpta domorum, ſtrata viarum, aperta viarum, ſtructa ſaxorum, & ſimilia apud eundem: & illa, vana rerũ, amara curarum, & ſimilia apud Horatium: quæ notauimus in commentar. Horat. Huius loci ſententiam paullo quidem aliam, ſed tamẽ his verbis exprimit Thucyd.* ἐπὶ πυρὰς γὰρ ἀλλοτρίας φθάσαντες τοὺς νήσαντας οἱ μὲν ἐπιθέντες τὸν ἑαυτῶν νεκρὸν, ὑφῆπτον· οἱ δὲ καιομένου ἄλλου ἄνωθεν ἐπιβαλόντες ἀπήεσαν· *id eſt, Nam in rogum alienum eos anteuertentes, qui exſtruxerant, alij ſuum mortuum imponebant, faceiſque ſubdebant: alij, cùm alius mortuus combureretur, ſuo inſuper iniecto diſcedebant. Quidam tamen hunc Lucretij locum ſic explicant. namque ſuper ſuos conſanguineos, (rogis ſcilicet impoſitos) locabant aliena rogorum: id eſt res à rogis alienas: id eſt, quæ non ſolent in rogum conici. ego priorem explicationem magis probo, quia cum verbis & ſententia Thucydidis magis mihi congruere videtur.*

SVBDEBA'NTQVE FACEIS) *& ſubiiciebãt faceis rogis. Thucyd.* ὑφῆπτον.

QVA'M CORPORA DESERERENTVR) *quidam legendum cenſent: quàm vt corpora deſererentur.*

FINIS.

INDEX VOCVM, ELOCVTIONVMQVE FERE OMNIVM, QVÆ SVNT IN contextu Lucretij.

A

A Cœtu libera ferri pag.99
à fronte annelli 602
à tergo prouehat, atque propellat 602
ab cœtu, conciliόque 183
ab imo pectore Veræ Voces eiiciũtur 212
ab nulla rat. non ab nulla ratione 90
ab origine prima 230. & 463
ab radicibus imis haurit arbuſta 533
ab radicibus flammeus ardor ſiluas exederat altas 505
ab re πρηστῆρας nominitarunt Graij 555
abdita retro loca 348
abdita pars animaï cedat 375
abdita terraï ferro penitus ſcrutãtes 582
abditus humor in terra 588
abditus aër penitus in ferro 602
abire, ire, & abire 186
abit in ſomnum grauis 295
abeant per inane profundum 102
abitu, aut aditu 71
abluit ſibi nigras Vmbras 329
abluitur ſitus de corpore noſtro 370
abnuit 253
aboleſcere in dies priuos 467
aboriri linguam 219
abradere quidquã teneris membris 386
abradere nihil inde abradere poſſunt 386
abrotoni graues 310
abrupti nubibus ignes 126
abrupto pondere preſſæ 532
abſciſſum caput ſeruat humi Vultũ Vitalem, &c. 254
abſcondita flamma ſiluis 88
abſcindere membra 254
abſiliebat procul 619
abſinthia tætra 90. & 310
abſinthi laticem perpotet 91
abſinthij natura tætra 144
abſona tecta 340
abſterruit natura abſterruit auctũ 476
abſterrent ſatum genitalem non abſterrent cuiquam diuina numina 403
abſterrere ſibi amoris pabula 385
abſtraxe rotas, &c. 254
abſumunt Vireis 389
abundat de rebus 312
abundant quæ de terris nunc quoque abundant herbarum genera, &c. 480
abundare in ſummaque fit, Vt nil humor abundet 432
abundare flumina facerent imbres 543
abuti Bacchi nomine 165
abuti Vim ſuam 490
accedere, decedere, oppon. al. recedere 201
accedere ad omneis aras 502
accelerare mortem 581
accendent tibi res rebus lumina 103
accendiſſet ignis certamina belli 54
accendere cælum radiis 462
accendere ſenſus pæne amiſſos. 186
accendere amorem nouitatis alicui 426
accenditur igni Vis Venti 547
accenditur Vortex duplici ratione 545
accendi res fulmine debet 547
accenſus communibus motib. per Viſcera ſenſus 230
accenſi ſenſus motibus Vitalib. 185
áccidit aureis ipſas Vocum pars 346
accidit cui nihil accidit ægri, &c. 426
áccidat quàm res noua, miráq; menti áccidat 420
accidat ad terrarum oras 317
accidere ad aureis 192
accidere ad ſpeciem 319
accidere animo noſtro ſimulacra meandi 370
accingere contrà in imperf. 154

accio accibant Orcum horriferis vocibus 486
accipio is. domus læta te iam non accipiet 278
accepit ſi quis in artus accepit calido febrim feruore coortam 571
accipit ictum telis Veneris 383
accipit ignem nubes aridior 535
accipit motus calor, &c. 226
accipit omneis in ſe lætitiæ motus 215
accipiat quædam clementius æquo 230
accipere ex vna ſcintilla incendia paſſim 457
accipere voces extra 349
accipere auribus carmen 378
accipiamus auribus tonitrum 537
accipimus tonitrum 537
accipiter per auras aëris fugiens 263
accipitres viſæ volantes 378
accipitres, atque oſſifragæ 493
accumulabat mors aceruatim confertos accumulabat 623
accumulantes cædem cædi 212
acris violentia triſte leonum ſeminium ſequitur 263
acrior ardor 68
aeris egeſtas 212
acres curæ cuppedinis 412
acreis dominos aſciſcunt 418
acreis iras 230
acri iudicio perpendere 143
acre ferit frigus 320
acria corda 229
acria viſu 356
acerbus horror 144
acerbus in rebus 211
aceruatim confertos mors accumulabat 623
aceruus altus papauerum 222
Acheruſta rearis tenebras omneis liquiſſe 312
Acherunta vti tenebras omneis Acherunta reamur liquiſſe 543
Acherunte profundo 286
Acheruntis in oras 578
Acheruntis metus, præceps agendus foras 210
Acherunte vagare 251
Acheruſia vita ſtultorum 289
Acheruſia templa 18.208.212
acies oculorum contenta 39
ἄνομοι 393
actus mellis cunctantior, quàm aquæ 222
acumen naſi primoris 614
acuit calidus fulmen fornacib. intus 545
acutè cernere 363
ad arbitrium quoius 134
ad aureis adueniunt res tardius, quàm, viſum quæ moueant res 537
ad numen mentis, momenque 218
ad ſpeciem, ad pondus 224
ad ſpeciem nihilo ad ſpeciem eſt contractior ignis 453
ad maris omnia ſummam, guttæ vix inſtar erunt vnius ad augmen 568
ad ſummã ſummaï totius omnẽ, nil ſunt omnia cum cælo, terráq;, maríque 571
adactum tempus ſoluendi pœnarũ 503
adamantina ſaxa 146
adauctu hilaro grandeſcere 201
adaucta ſemina aquarum 561
adaugeſcit 135
adcredere 274
addidit augmen in dies belli terroribus diſcordia triſtis 508
adde vagos imbreis, tempeſtatéſque volanteis 568
addendum parteis alias erit 151
addita ſunt multa nauigiis 437
addita, demtáque quædam 173
ademto crure ſurgere conatur 254
ades 55
adibis nec delubra deûm placido cũ pectore adibis 529
adit votis pacem diuûm 503
adeſo corpore 486
adepta nomen materniũ terra 472.473
adfecti omnibus ærumnis, al. adflicti 211
adficiuntur dolore membra 243
adfigunt oſcula 385
adfigunt auidè corpus 386

adſigere locis adhæſum 404
adſingere noli hoc vitium oculis 331
adſingere, & addere 426
adſine his vitiis 260
adſixum verbum cúpido cordi, vt ignis 390
adſixa ætheriis cauernis ſidera 331
adſixæ morſibus validis 512
adflictantur fœdo amore 393
adfligit grandior ictus, quàm patitur natura, quamuis animantem repente adfligit 185
adflare vaporem membris 453
adgredior ipſa quàm dicere de re adgredior, &c. 599
adhæret ſtudio deuinctus 377
adhæſum pulueris non ſentimus 234
adhæſum locis adſigere 404
adhæſum humoris concipiunt veſtes, &c. 558
adhæſu portenta vincta membrorum per totum corpus adhæſu 476
adhibe nobis animum veram ad rationem 192
adhibere naturam clandeſtinam gignũdis in rebus 79
adhibere odorem non debent corpora prima gignendis rebus 179
adhibet ſtimulos 288
adhibenda nec cuiquam adhibenda blanda nutricis, atq; infracta loquela 429
adiectus odoris tangat nareis 353
adiectu 71
adiicere lumina 453
adiutamur, & alimur certis ab reb. 81
adlidat pilæ, trabi ve perſonam 323
adliſa ſolidis locis pars vocum 346
admiſſum amatorem ſi offenderit aura, &c. 394
admiſſum fœde, dictúm ve ſuperbè 503
admiſtum eſt rebus inane 438
adnecti tantopere non potuiſſe animas corporibus, &c. 256
adoleuit ætas robuſtis viribus 240
adoléntque altaria donis 403
adopinamur de ſignis maxima paruis 363
adpareo es adparent Acheruſia templa 208
Adpáreret ſpatium cæli domus 198
adportare aurib. rem inſolitã antè 420
adſcendere currus falciferos 508
adſcenſus creſcebant montib. altis 447
adſiduo motu res geruntur 97
adſiduo in motu ſunt ſidera 331
adſimili ratione 151
adſimili flexura prædita latuſcula noſtri lateris 523
adſimilentur totis animalibus 182
adſimulata totis mortalibus 189
adſimulata montibus nubila 539
adſiſto is quib. regionib. ei⁹ adſiſtas 94
adſpergo is nubila ſedes diuûm nimbus non adſpergunt 208
adſtrictos eſſe in amore 394
adſuctu humectans oſcula labris 399
adſumunt ſibi plura, quàm de ſe mittunt 201
adſumitur cibus & potus intus 385
adtigit in præſenti 279
aduenere cùm ea loca aduenere volantes, &c. 577
aduenìunt ad aureis tardius res, quàm quæ viſum moueant 537
aduentu, abitu 52
aduerſus, a, um. in amore aduerſo, atque inopi 390
aduerſum flumen 333
aduerſo monte trudere ſaxum 286
aduerſis in rebus 212
aduerſa nobis loca 608
aduertere animum 120. 211
aduertere animum Hinc licet aduertas animum 221. 363
aduertunt acrius animos ad relligionem in rebus acerbis, &c. 211
adulatio 494
adulant gannitu vocis 493
adulta ætas cum primùm roborat artus 383
adumbratim paullùm ſimulata 328

aduolat ad nos imago 323
adytum cordis 75
ædituentes 623
ægris doloribus 278
Ægis,in Peloponneſo 566.
ægocerotis brumaleis adeat flexus 459
ægrè admiſcetur muliebri ſemine ſemen 404
ægrit. 215
ægrit morbis corporis,anima 269
ægriſcit 245
ægriſcimus morbis iſdem,atque illi,&c. 437.
ægrotat fama vacillans 389
ægror venit pecubus balantibus 608
æquato diſcrimine 465
æquabat multum paruis humoribus imbrem(ſitis arida) 613
æquor ſaxi 274
æquora campi 286
æquora ponti 1.332.486.560
æquora mundi 532
æquo animo 282.bis.495
æquo certamine geritur bellum 158
aër craßior 328
aër ſemper mobilis exſtat 371
aër verberat partem interiorem corporis ſpirantibus 375
aër cùm ducitur,atque reflatur 375
aër coniunctus terris 452
aër agitando percitus,ventus fit 573
aër abditus in ferro,verberat annellum, & ciet intus 602
aër circũpoſit⁹,ſemper res verberat 602
aër omnibus eſt rebus circumdatus, appoſitúsque 602
aër longè diſcrepat. 608
aër inimicus ibid.
aëris natura tenuis 128
aër ' ſemper,quodcumq; de rebus fluit, id omne aëris in magnum fertur mare 434
aëra priuatum lumine.id eſt.vmbrã 529
aëra alium ſubter fluere, qui cõtrà ſubuehat orbem. 449
aëra ex vtraq; parti premere polum nobis 449
aëra res omnes debẽt habere in corpore aëra, quandoquidem ſunt raro corpore 602
aër,eſſet animans,ſi anima extra corpus in aëre viuere poſſet 248
aërias ſuper influit auras 447
ærumna graueſcit 385
Ærumnæ 18
ærumnis omnib.adfecti al.adflicti 211
ærumnabile. 619
æs,atque aurum,ferrum,argentum,plũbum,quando reperta ſint 505
æs fuit in pretio magis, aurúmque iacebat,&c. 506
æs nunc iacet,aurum in ſummum ſucceſſit honorem 506
æs validi violẽtis viribus æris ibid.
æris vſus,prior erat,quàm ferri 507
æra clauſtris reſtantia 146
Ære ſolum terræ tractabãt, æréque belli Miſcebant fluctus,& volnera vaſta ſerebant 508
æſtiferum radiorum ictũ exaugeat 457
æſtiferas vſque in parteis 460
æſtifera ex parti 575
æſtus diuerſi materiæ 155
æſtus ab vndis æquoris 317
æſtus ætheris 447
æſtus rapidi ætheris æſtus 450
æſtus magnos belli commonit 518
æſtus auerni 586
æſtus ætheris ſigniferi ſuper vrget 558
æſtus æris 604
æſtus lapidis 604
æſtúmque reſorbet.(mare) 573
æſtu corporis permoti 381
æſtu Ponti mare, certo quod fluit æſtu 447
æſtu victa. 495
æſtu cùm mare frangitur æſtu 535
æſtu magnam partem(maris) detrahit ſol 508
ætas infinita anteacta omnia conſumſiſſet ſi non eſſènt corpora quædam ſolidißima,immortali natura prædita 30

ætas puerorum improuida 91
ætas liquitur in partem peiorem 201
ætas fracta eſt 201
ætas adoleuit viribus robuſtis 240
ætas voluẽda cõmutat tempora rerũ 506
ætatis freta quibus ætatis freta primitus inſinuantur 381
ætatem Quod ſolis vapor ætatẽ non poſſe videtur Efficere, &c. 541
ætate ſenecta 479.bis
æterna quot modis, aut propter quot rationes poßint eſſe aliqua 267.& 437
æterna nox terras teneret 486
æterna quæ manẽt æterna, neceſſe eſt, aut reſpuere ictus, &c. 267.& 437
æterno quæque ſemine conſtant 28
æther ſidera poſcit 29
æther ſemper innubilus 208
æther ſignifer 445.447
æther lenis ac diffuſilis 446
æthera modicè fluere poſſe & vno niſu 447
æther liquidum corpus turbantibus aëris auris non commiſcet ibid.
æther liquidißimus, & leuißimus 447
ætheris ignes puri, ſecretique 444
ætheris æſtus 447
æthera ſtellis micantibus fixum 502
ætherius ſol 291.432.440
ætheriæ nubes ſublime volantes 532
ætherias vitaleis ſuſcipit auras 237
ætheriis cauernis adfixa ſidera 331
ætheriis in oris 418.529
æthrã videantur ſurgere in æthrã 558
Ætnæ mõtis natura, eſt ſubcaua, etc. 573
Ætnæ montis per fauceis montis, vt Ætnæ exſpirent ignes, expediam 570
Ætnæa murmura. 73
Ætnæus ignis abundare Ætnæus (queat) 571
æuum omnem 250
æui vireis validas perferre 436
affecta ſimili figura exordia rerum 138
affecta calore tellus 588
affecti morbo 21
affecti ſenſus corporis 360
afficit nos angor 270
affluere diuitijs homines 522
agedum 282
aggredior Qua de(re) diſſerere aggredior 596
aggrediantur quidquã noſtra cauſa 426
ager. agros diuiſere 495. adimebãt 508 agros pingueis pandere 505
agitare nocteis parileis, dieſque 102
agitare leones 160
Agmine condenſo 64
agmine dulci fluit. 433
agmine denſo nubes 532
agmine dulci redit ſuper terras humoris materies 569
agit ſpumas 243
agebat motus 248
agerent vitam 295
agere ſcintillas 166
agere cauſas 377
agere ætatem deſidiosè 390
agere æuum ſecurum deos 417.528
agere incipiam, quo fœdere, &c. 594
agens animã turbat agens animã 243
agens mannos 295
agens nubeis ventus 539
agendum multa nouis verbis 21
agendum in diſcrimen 260
agreſtis muſa 515
agricolæ ſeueri 513
alis noctem explodentibus 356
albeſcere 173
albas res non eſſe ex albis principijs 170
algúque, faméque ſollicitæ 260
Algus crepitans dentibus 467
alià penetrare ſònitus, alià ſaporem è ſuccis, alià nidoris odoris 599
alid ex alio 32.47.103.282 508.519
alienigenis membris 479
alienigenis ex partibus 85
alienum cælum nobis alienum 608
aliena pacis eorum 529
aliena ſalutis 269
aliena aliarum rerum 605
aliena tua ætate 282
alienis partibus anni 25

alipedes

alipedes cerui 578
alituum genus 473.492.619
aliam, atque aliam culturã dulcis agelli tentabant 513
